

OPUS EPISTOLARUM
PETRI MARTYRIS
ANGLERII MEDIOLANENSIS,

Protonotarii Apostolici, Prioris Archiepiscopatus Granatensis, atque à Consiliis Rerum Indicarum Hispanicis, tanta cura excusum, ut præter styli venustatem quoque fungi possit vice Luminis Historiæ superiorum temporum.


Cui accesserunt

EPISTOLÆ
FERDINANDI de PULGAR

Coætanei Latinæ pariter atque Hispanicæ cum Tractatu Hispanico de Viris Castellæ Illustribus.

EDITIO POSTREMA.





AMSTELODAMI, Typis ELZEVIRIANIS.
Veneunt
PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD, Typographum Regium,
cIↄ Iↄc LXX.

ILLUSTRISSIMO

VIRO

GUILLELMO LAMONIO,

Senatus Gallicani Principi,

DANIEL ELZEVIER

S. P. D.



REdit ad te tuum munus, Vir Illustrissime, eo tibi jucundius futurum quo jam tua liberalitate communius. Thesaurus fere ignotus antequam illum publici juris faceres, tum demum placere tibi incepit, cum utilem eum fore

 omni-

omnibus ſperaſti. Illud quippe jamdiu tuum eſt tuæque gentis univerſæ ut nulla re vobis dites videamini niſi qua ceteri poſſint diteſcere , voſque beatos tantum ſentiatis, cum beati per vos fuerint quamplurimi; ita ut nulla ſit non Lutetiæ modo nec in Gallia, ſed in orbe fere Chriſtiano univerſo calamitas; nulla ſeu animorum ſeu corporum fortunarumque labes , cui non vel remedii vel ſolatii ſaltem ſpes aliqua à Lamonio nomine affulgeat. Nec modo vos tanquam aſpectabilia numina egeni omnes ac ærumnoſi inclamant cum certa ſalutis ſpe; verum & te, Senatus Auguſti Princeps muſæ, ac artes ingenuæ, virtuteſque omnes columen decuſque ſuum agnoſcunt. Nec ſolum ab omnibus de te paſſim quæri ſolet

Cui Pudor & juſtitiæ ſoror
Incorrupta fides nudaque veritas
Quando ullum inveniant parem?

Sed & ab eruditis ſæpe non ſine ſumma tui admiratione quæritur , doctrina litera-

teraturaque omnis viro Principe digna quando ullum unquam tibi parem ſit inventura? Inveniet certe apud te ipſum aliquos ſi quos inveniat, eoſque quos tu ipſe tales effeceris, quosque ad tuæ illius abſolutiſſimæ omni ex parte virtutis exemplar accurato ſtudio informaveris. Filios tuos loquor maximæ ſpei juvenes, quorum conſpectu non ita pridem recreatum ſe Batavia noſtra non ſine voluptate meminit. Quamvis te virtutibus tuis illis eximiis per orbem notum longius à purpuræ tuæ fulgore diſſiti jamdiu ſuſpiceremus, devinxit tamen arctius tuoque obſequio impenſius addixit Lamonii natu majoris, moxque etiam fratris illius laude ac virtute ſupparis conſuetudo; quos ut ante tanto gloriæ tuæ ſplendore illuſtraras, ita etiam illi ſua eruditione, humanitate, morumque facilitate mira, nomini tuo ſi qua fieri potuiſſet acceſſio, feciſſent haud dubie, decuſque paterno decori addidiſſent. Non tam exterarum ora-

rum nationumque ſpectatores quam ſpectaculum ipſi effecti peregrinati ſunt, qui in te omnium oculos, & amores admirationemque converterent; ut dubium fore videretur an plus ab indole virtuteque ſua quam à magno Parentis nomine commendationis haberent apud Reges ac Principes Europæ pleroſque; qui ut læti illos & cum ſumma honoris ſignificatione excipiebant quod tuos ſcirent, ita & inviti deinde dimittebant quod tui quam ſimiles uſu ipſo comperiſſent. Cum multa illorum patrocinio debeo, huic ſane potiſſimum quod per ipſos mihi ad te facilis patuerit aditus; licueritque te coram qualem ipſi ſua illa nobili indole morumque honeſtate ſumma repræſentabant, qualemque orbis prædicat experiri. Vix tibi notum me hominem peregrinum beneficiis ornaſti; perraro Bibliothecam tuam ornamento ſpoliaſti ut eo me donares, exemplari nempe hujus *Petri Martyris*, pretioſo ſane & quod vix

ac

ac ne vix quidem aliunde comparari poſſet, quodque jam per te non deſiderabitur ab eruditis. Subjunxi huic nobili Italo ejuſdem ætatis Hiſpani de iiſdem fere rebus aliquot epiſtolas, quas etiam ex pervetuſto Bibliothecæ Regiæ exemplari per humaniſſimum illius præfectum tranſcribere licuit ac Latine reddere; ut ſi viliorem tibi nec jam ita rarum Martyrem, comite ſaltem auctum non injucundo, adeoque gratiorem reſtituerem. Tibi, vir maxime, hac in re placuiſſe ſtudiumque noſtrum erga te & ſummam obſervantiam probaſſe operæ pretium erit vel maximum. Vale.

PRÆ-

PRÆMONITIO
Ad
LECTOREM.



Ector candide, Cedro dignum est illud Tartagnini JCti effatum: *Quicunque opus aliquod evulgatum subtiliter emendat, non minus laudabiliter agit, quam qui illud primus adinvenit.* Hoc quippe nobis allevamenti vice potissimum ruminandum erat, quando prelo nostrati offerebatur volumen Epistolarum *Petri Martyris Anglerii* ita editum Compluti in Hispania abhinc annis CXL. typis Michaëlis ab Eguia, ut omnigenis sphalmatibus chalcographicis à capite ad calcem usque passim scateret. Quapropter deliberatum nobis fuit, in salutem Reip. literariæ adornare talem politiorem hujus Libri decantatissimi Editionem, qualis non tantum tanto nostro prænobilissimo Autore (quantum tam ob *legationem Babylonicam* aliasque res in Regimine Castellæ Seculari atque Ecclesiastico præclare gestas quam ob *Decades de Orbe Novo*, invento à *Christophoro Columbo* Ligure aliisque, conscriptas florentissimus ille Hispaniarum Historicus Regius *Ælius Antonius Nebrissensis* olim dignatus est mactare nomine *Viri doctissimi atque omni æternitate dignissimi*) non indigna foret, sed priori etiam fere tantum (absit verbo invidia) antecelleret, quantum solent prima dilucula solibus distare meridianis, prout citra dubium suo nobis testimonio suffragabuntur, quibuscunque anteriorem illam Editionem Complutensem cum hac nostra posteriore Amstelodamensi rite conferre licuit. Quinetiam Chronologicis hujus Autoris Epistolis Epistolas adjunximus consentaneas *Ferdinandi de Pulgar* ex Hispanico idiomate in Latinum conversas pariter atque ipsasmet *Hispanicas* una cum *Tractatu Hispanico* de *Viris Castellæ Illustribus*. Hæc nos paucula cumprimis Tibi, amice Lector, præcognita esse voluimus. Tuum vero erit bene valere atque nobis in amore officiisque respondere.

INDEX

INDEX
Omnium cum Argumentis
EPISTOLARUM
PETRI MARTYRIS
Anglerii Mediolanensis,
Tam
HISTORIALIUM quam MORALIUM
SOLERTI CURA
Quo anno quæque scriptæ fuerint, in suos libros digestarum.

LIBER XIII.

LIBER XIV.

LIBER XV.

LIBER XVI.

259. De

LIBER XX.

LIBER XXI.

LIBER XXII.

414. Ruptura

LIBER XXIII.

LIBER XXIV.

463. *Quid*

496. Con-

LIBER XXVI.

LIBER

LIBER XXVIII.

LIBER XXIX.

LIBER XXX.

LIBER XXXI.

LIBER XXXIV.

LIBER XXXV.

LIBER XXXVI.

LIBER XXXVII.

LIBER XXXVIII.

FINIS HISTORIALIUM.



INDEX

INDEX
MORALIUM.

78. Offert

LIBER XXI.

LIBER XXII.

LIBER XXIV.

LIBER XXVIII.

LIBER XXXIII.

LIBER XXXIV.

LIBER XXXV.

FINIS MORALIUM.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

Epistola I.

Quid Autorem potissimum moverit, cur relicto Italia solo natali se cum Comite Tendilla contulerit in Hispaniam.

P. Martyr ab Angleria Mediolanensi Ascanio Sfortiæ, Vice-comiti, Cardinali, Vice-Cancellario, Patrono suo S.

VOlentem ab Urbe, ut ad Hispaniam proficiscerer, Illustrissime Princeps, discedere, in abdito tui cubiculi penetrali, ni decidit è memoria, his me verbis, amotis arbitris, allocutus es: *Quæ te causa, Martyr, movit, ut Romam caput orbis, & quod durius est, Italiam, quæ tibi patria est, postergare mediteris? Vererisne, me vivente præsertim, consonum tuæ conditioni gradum defuturum? Quis sanæ mentis ab immenso Pelago, & amplissimis lacubus, piscatum sese ad ignotos rivos, & semota littora confert? Quis rura colit, nisi degener, cui civitatem inhabitare liceat? Insignis profecto naturæ dotibus provincia est Hispania, & ob cœli clementiam, soli benignitatem, ac virorum magnanimitatem, multaque id genus illustris. Sed si Italiæ comparetur, ultimum esse Hispaniam immensi palatii angulum, Italiam vero mediam ipsam adium aulam, & totius orbis emporium, negat nemo. Eja age, quot Italos præter mercatores, aut peregrinos, illico redituros, in Hispaniam unquam fuisse profectos intellexisti? Italiam autem fuisse Hispanis semper refertissimam, & nos videmus, & à majoribus nostris didicimus. Ubi præterea eam doctorum omnis generis copiam (cui in Urbe passim occurritur) in Hispania comperies? Ubi (ut reliquos tibi conterraneos viros probos omittam) alterum Ascanium, alterumve Arcimboldum, Mediolanensem antistitem mihi collegam, qui te non mediocriter diligimus, invenies? quive in familiaritatem te nostram ita admisimus, ut nostræ fores die tibi noctuque semper pateant? Mutato igitur, dum licet, consilium, Martyr, mutato, nec certa pro incertis derelinquens, te ipsum nullo impellente ad extremas orbis oras, veluti à frequenti hominum cœtu, ad vastam solitudinem relegato.* Quid ad hæc atque alia multa, Princeps Illustrissime, quibus me divertere conabaris, responderim, tute ipse testis es. Italiam extra se ociosam esse, intra vero (ad sui perniciem) negociosam: Hispaniam vero contra. Italiam in diversa discerptam; Hispaniam in unum redactam. Italiæ Principes discordes, Hispanos unanimes intelligebam. Inde quid præsagirem, suspicarerque futurum, brevibus aperui. Quam esset cupidus animus dominans, eo raptare servum suum, hoc inutile corpus, ubi sese præclara gesta inspiciendo, suis pasceret alimentis, enarravi. Reditum præterea mihi fore liberum, si descendisse pœnituisset, effatus sum; sique Italia aliquando resipisceret, quod me nostra dubitare tempestate prædixi, quia ejus navim monticolæ sylvani ventorum expertes gubernant. His itaque discussis, cum me frenum, ut aiunt, dentibus captasse, atque ita sedere animo cognovisti, bona à te venia dimissus sum, addito in mandatis, ut quæ acciderent, tibi significarem; fui id pollicitus. Dixi ante sacros pedes prostratus lacrymosum *Vale*, quarto Cal. Septemb. MCCCCLXXXVII. Eneco Lopez Mendotio Tendillæ Comite duce & patrono ab obsequio pro suis Rege & Regina Innocentio Pontifici præstito in patriam redeunte, iter capio. Pauca hæc ex Cæsaraugusta, ubi Reges invenimus, accipito. Calendis Januarii M CCCC LXXXVIII. Neque enim prius inopia tabellarii licuit ista tibi significare. Vale.

Epist. II.

Autor ait, se propter Italiæ discordiam ex patria discessisse in Hispaniam, ubi Rex cum Regina student pacificæ concordiæ.

P. M. A. M. Jo. Borromeo Aurato Equiti Mediolanensi Arone ac Urbani lacus Comiti.

CUr ex Italia, ubi honestus non deerat locus, discesserim; quodve fatum in Hispaniam me coëgerit, benignissime Comes, interrogas, accipito brevibus. Neque Italia, unde pascere ingenium possem præbebat. In deterius namque indies magis ac magis ruere res Italas, ob Potentatuum discordiam & simultates, sed in præcipuo discrimine vestras, cernebam. In Hispania contra. Magna geri adversus nostræ religionis hostes quotidie referebatur. Bellicus igitur iste sonus (ac si tu-

barum clangorem vera ac viva voce ad arma inimica vocantem auribus hausissem) me concitavit. Nec pœnitet quidem. unicam enim arbitror hac nostra tempestate felicem esse Hispaniam, cui sorte obtigit (quod nunquam hactenus) habere sibi religionis cultores, justitiæ tenacissimos & summa pollentes prudentia Principes: virum & uxorem, qui eam unanimes veluti collapsa cœlo duo numina, ita servant, illustrant, adaugent, ut divino quodam afflati spiritu, & ipsius Altitonantis dextra dirigi videantur. Nemo est qui utriusque vultus serenitatem, animi cum humanitate magnanimitatem non admiretur. Sub eodem sidere natos ambos, quicunque eos noverit, arbitrabitur. In Mauros nova arma parant. Quæ gerentur, per me habebis. Vale ex Cæsar-Augusta quarto Calendas Martii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. III.

Correctio in corrigentem, cur ad Hispaniam venerit. De Gallis & Hispanis Regibus quædam.

P. M. A. M. Theodoro Papiensi Galli Regis Medico & Consiliario Amico in Urbe.

MIraris, Theodore, & (ut inquis) non leviter, quod patronos, amicos, fratres, propinquos, patriam denique ipsam, ut ad extrema mundi littora, & gravidas vento aquas me conferrem, ita dereliquerim. ubi tanquam exul ignotus & neglectus forte vitam litteraria exercitatione expertem procul ab omni eruditorum commercio acturus sim. Debuisset hoc alius, Theodore, proclamasse, quam perfricta fronte incidis in accusationem tu, qui eodem (ut ajunt) morbo laboras, & eadem te ipsum securi percussisti. Si securim & vulnus patriam quærere, ubi magna gerantur, licet appellare: Nonne tu patria derelicta, Galliam inhabitas? ex Gallia, inquis, in magnos sæpe viros Itali plures evasere. Is apud Gallos Principes (ut ais) veneratur, qui sive sit incola, sive peregrinus, præclarum aliquid (vel literis, vel armis) sub eorum umbra gesserit. Rem, non personam Galli (uti refers) extollunt. Apud Hispanos vero nullus unquam non Hispanus emersisse reperitur. Non minus sibi de se ipsis Hispani, quam Græci persuadent, omnia scilicet, neque extra se ire ulla, aut cujusquam opera indigere se arbitrantur. Sibi sapere, quod satis est, jactant. Satin', Theodore, expectorasti? tuos tu Gallos colito, meos ego Hispanos sequar. Non enim quid in famelicam crumenam inglutiam, sed quid novi discam quærito. Hispanos Regem & Reginam unanimes, quos cælestia sapere numina constat, tanquam cælestes venerabor. Extra homines sunt, quæ hi cogitant, loquuntur, operantur. Nil unquam nisi de Justitia, de Concordia inter Christianos Principes, de bello nostræ legis hostibus inferendo coram ipsis discutitur. in Religionis obicibus de medio tollendis, in supprimendis vitiis, extollendis virtutibus omnis opera impenditur. ampliora indies liberalis ingenii cibaria ab eorum manibus profectura expectamus. Ego igitur, qui mentis epulas, magis quam fallacia fortunæ blandimenta conquiro, horum ornamenta contemplabor. tu Gallicas divitias cum tuis Galeno atque Hippocrate (quantum libet) insectator. Vale. quarto Calendas Martii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. IV.

Quomodo susceptus Auctor in Hispania. Auctor de Regibus pleraque.

P. M. A. M. Jo. A Methimna Asturicensi Antisti, Oratori in Urbe pro Ferdinando & Helisabet Regibus Hispaniarum.

QUid tibi aliud, Antistes optime, & clare Orator, per celerem hunc tabellarium significem, ut tua exsequar imperata, non occurrit, præterquam nos, qui ex Urbe quarto Calendas Septembris Hispaniam versus, tibi solum natale, discessimus, ad Regum tuorum conspectum incolumes, & bonis avibus circiter idus Novembris advenisse. Comitem Tendillæ ducem meum, ob res bene gestas honorifice Rex & Regina susceperunt. Me autem benignissime sunt allocuti. Amice namque de me, veluti solet de amato milite mitis imperator, metas meorum meritorum longe transiliens, quædam Comes prædicaverat. me præterea nulla urgente necessitate, sed fama tantum nominis eorum ductum, ut ipsorum gesta conspicerem, adventasse patria relicta illis persuaserat. Ad hanc usque horam nil est quod malim, quam esse in hac tua Hispania. esto tu (versa vice mortalium) in ista mea Italia, ut libet. Nescio quid supra homines, ut Hispanica cætera omittam, in his tuis Regibus sentire videor. non dubito, quin aliquod cæleste numen illos comitetur. Ex Aragonia (ut ajunt) exercitum in Granatenses Mauros moturi, in Castellam adveniente vere proficiscentur Vale. XIII. Cal. April. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. V.

Philosophica congratulativa & gratiarum activa.

P. M. A. M. Gabrieli Mendotio generoso viro, literis & bonis moribus insigni, Comitis Tendillæ consanguineo.

NOn mediocri me opplevit delectatione epistola tua, vir generose, qua te Comiti consanguineo tuo, quod incolumis redierit, meque in Hispaniam duxerit, gratulatum fuisse scribis. Hoc libuit gratis, illud ex merito dicere debuisti, quem namque fructum (quomodo me duxit) tulit in Hispaniam? Lætari autem & gaudere de tanti propinqui ab exteris regionibus felici adventu fere pium. quid est igitur (dices) quo ego sum delætatus? Duo in te, quæ minime de Hispanis mihi quisquam prædixerat, aperte cognovi: Eruditionem scilicet eximiam in viro nobilitate ac divitiis ornato, & ingentem erga peregrinum nunc primum accedentem benevolentiam. Horum namque timor ita mihi animum aliquando, cum ad iter me accingerem, deterruerat, ut quasi à veniendi proposito me deturbarint. Referebatur namque mihi, sed falso, uti nunc colligo, Hispanos præter seipsos nullum genus hominum amare, aut alicujus facere, literasque non modo non colere, sed eos etiam minoris, qui literis incumberent, æstimare. Mihi igitur ipsi summopere jam plenis (ut ajunt) velis gaudeo, quod Italia discessurus hanc mihi patriam sortitus sim, in qua & spero bonos (qui mihi peregrino sint fauturi) non defuturos. Hirundo enim una, quæ sola non facit ver, inspecta multas adventare est argumento, & præclara indies gesta magis ac magis, quæ alibi minime sub tantorum Principum ductu, qui lacera hæc sua regna tanta prudentia instaurarunt, me inspecturum confido. Vale interea dum lacertis dabitur personam tuam, quam mente conceptam intueor, posse complecti. quod propediem futurum arbitror. ex Cæsarea enim Augusta jam nos ut Guadalaiariam vestram petamus, colligere sarcinas incipimus. decimo Calendas Aprilis M CCCC LXXXVIII.

EPIST. VI.

Quid Autor sentiat de Hispania regione. Miranda ornamenta, de unitate Reginæ cum viro.

P. M. A. M. Pomponio Læto viro insigni, amico.

QUid in ipsa Hispania de Hispania sentiam, cupis à me (ut inquis) observande Pomponi, cognoscere. De populo quem semper floccifaciendum censui, nihil ad me; de Rege autem & Regina, qui duo consortes Hispaniæ utrique æqua lance (quibusdam angulis omissis) imperitant, hoc tibi possum ex bimestri experimento referre, si unquam uno spiritu inter mortales duo corpora fuisse afflata licuit disputare, hæc duo sunt corpora, quæ unica mente, unico spiritu, gubernantur. Nihil unquam ita unum in natura Philosophi comperere, quod horum unitatem superet. De viro, Pomponi, nil mirum, quod mirandus sit. Viros enim innumeros justos, fortes, cæteris virtutibus ornatos, sapientes denique fuisse legimus. Fœmina autem, quam mihi antiquarum (in regio loquor sceptro, & summa licentia) monstraveris, cui in magnis aut animus in aggrediendo, aut constantia in perficiendo, aut pudicitiæ decor non defuerit? Habeto pro Sibyllæ folio, Pomponi, quod nunc referam. Est hæc fœmina forti viro fortior, omni anima humana constantior, mirum pudicitiæ & honestatis exemplar, nullam unquam natura fœminam huic similem effinxit. Nonne hoc admirabile, Pomponi, quod quæ semper fuerint à fœminis non minus quam opposita oppositis, aliena, in hac quasi nativa amplissimaque reperiantùr? Hispanos etiam nobiles Romanam quandam sapere magnanimitatem comperi. hinc ego ex ignavo passere in prudentem ciconiam, & futuræ hyemis præsciam hirundinem, ut ille in pavonem versus, tutam ab imminenti vobis tempestate regionem captavi, captatam tenere est animus. Vale, is tibi sum, observande Pomponi, quem semper fuisse nosti. Ex Cæsareaugusta. octavo Calendis Aprilis M CCCC LXXXVIII.

EPIST. VII.

Arguit à profusa laude qui sint amoris termini.

P. M. A. M. Petro Pontesi A Moguera Toletana Salamantino Vice-Scholastico.

COmiti Tendillæ ductori meo in Hispaniam, qui talem mihi virum dederit in patronum, cujus est humanitas tanta, quantam in hominem cadere, erga peregrinum præcipue, vix putandum est, non minores ago gratias, quam si novo aliquo beneficio me cumulasset, sed quandoquidem quæ nimium voluisti, locutus es, audi quæ nolles, Vice-Scholastice. quis te (pressis per ilia calcaribus) ita stimulavit, ut adeo solutis habenis de me tanta pollicereris, quanta pollicitum Salamantinis te fuisse relatum est? Si pygmæum in mantica pro Gygeo vel Polyphemeo gigante

vendidisti, Jureconsultus es, fraudem solvito. non me profecto ista lege Salmanticæ deprehendes, ubi cunctarum artium liberalium fontem esse uberrimum, omnium una voce refertur. malo te solum, quia me isthuc iturum promiseris, erubescere, quam tecum ego in præceps de celsi montis culmine, ubi me insidere Salamantinis sapientibus ultro præconatus es, derotare. Tibi habeto, Patrone mi, si gutturis fores nimium aperuisti. freno posthac utere, non stimulis; amoris terminos, quos nunc ignorasse videris, disce, & temperatius laudabis. Stare promissis non ita cautum est legibus, quin liceat aliquando à promisso discedere. Ergo vale ex Guadalfagiaria, in Calendas Aprilis M CCCC LXXXVIII.

EPIST. VIII.

Invidia, non miseratione opus esse, quod venerit in Hispaniam. Quis Italiæ, quis Hispaniæ status, per naturalem comparationem.

P.M. A. M. Petro Marso Viro doctissimo, amico.

COEli temperiem pro sua quasque natura volucres quæritare didicimus. ad Strymonias ripas sylvestres anates, gruesque, quando apud nos rivorum glacies liquefiunt, transmeare videmus: multæ diversi generis trans mare, cum frigora fugiunt venientia. quid miraris igitur, quum ista perbelle calleas, si qui sint homines, qui tranquillam & ipsi vitam cœlorum minis super hac vel illa provincia territi, perquirant? ex quacunque causa similes effectus provenire certum est. Quamvecunque arborem suos fructus ab alterius generis arbore dissonos emittere consentaneum. rimæ scissuræque domorum vetustate putridarum, hospitibus, ut eas deserant atque aufugiant, ne ruinam imminentem expectent, monere videntur. Scrutator igitur, tu Marse mi observandissime, quonam in loco res Italæ sint, qui fluctus ebulliant, quæ seditiones pullulent, quidve ista parere soleant, vestigato, & mihi magis invidebis, quam quod in Hispaniam me contulerim, misereberis. isthic vos procellis inter varios scopulos agitati, vix ne elidamini, tuti vivitis, atque utinam ventis rapta hæc mea folia per aëra volitent, dictaque sint hæc omnia in cassum. Nos autem felicibus ventis, placidisque Zephyris in puppim flantibus mare tranquillum ducibus his nostris Regibus navigamus. portusque in manu habemus, quandocunque illos captare voluerimus tutissimos. hoc idem multis ad Urbem scripsi, ne me quisquam existimet errore aliquo deceptum patriæ terga dedisse. Venisse non pœnitet, morabor quoad in melius mutari res Italas sensero. Ergo Vale. tertio Nonas Aprilis M CCCC LXXXVIII.

EPIST. IX.

Diversis diversa de sua Italia relicta.

P.M. A.M. Alfonso Carrillo Hispano Pompelonensi Antistiti.

TE nullas habuisse meas literas, Antistes meritissime, ex quo in Hispaniam tibi patriam me contuli, conquereris, vellesque (ut ais) quem meo palato gustum Hispania præbeat, intelligere, innuens, quasi nullam posse aliam viro Italo provinciam satisfacere. habeto paucis, nollem alicubi terrarum vivere, si extra Hispaniam vivendum. placent majorem in modum tui Reges, placet Hispana nobilitas. De populo, nil mihi curæ. Video impræsentiarum, ab his tuis Rege & Regina, virtutum omnium ingentes suavesque succos emanare quotidie, suavioresque & ampliores ac summis Regibus dignos, me indies visurum exspecto. dispersa namque, & horrendis luporum hiatibus devorata hujus avitæ hæreditatis amborum membra, ad suum redigunt quotidie corpus. Una de Bello Granatensibus inferendo curiosissime cogitatur. nec, ut arbitror, demorabuntur. Sequar quocunque ierint. locorum distantia facit, quod raros tabellarios habeam, quibuscum possim ad te literas dare. pauci enim ad vos, & ex his plerique me inscio proficiscuntur. Vale. tertio Nonas Aprilis M CCCC LXXXVIII.

EPIST. X.

Redargutio de adulatione. Laudantur duo amici. Sequitur Autor militiam.

P.M.A.M. Archiepiscopo Bracharensi.

JAm tandem non mediocri cum sollicitudine exspectatus nuncius ad me venit, qui te, saccharoque suaviorem Pompelonensem conterraneum tuum, & animæ tuæ dimidium bene valere significavit. Si vos, qui fortunæ illecebris amplissime fruimini, discessum à vobis exigui vermis moleste tulisse fatemini, quid sentire me pusillum homuncionem tantorum Optimatum absentia arbitramini? tales mihi discipulos non defuturos, vobis autem (qualis ego eram) præceptorem nusquam occursurum, propterea vos ægre, me leviter hanc disjunctionem tulisse, conquerimini. O quam eximii estis, & quam aperti adulatores! non hæc à me profecto, quum ambobus Juvenalis aliquando divinam illam,

quæ

quæ proxima est à secunda, satyram aperirem, sed adulatione nihil esse ingenuo fœdius, didicistis. Quid me ineptius, quid à vero magis alienum, quam præceptores supra mille, nil minus Martyre clariores, quam pulchra Venus stellarum minimam superet, Romæ defuturos, qui præterea vobis nobiliores? non te ex claro Portugalensium genere procreatum, tanti viri (quantus is est) quem Romæ *Cardinalem Portugalensem* vocitamus, fratrem esse cognovimus? Non ille ex antiqua Carrillorum progenie patruum, sibi Alfonsum Carrillum Toletanum Præsulem, pluresque alios illustres Optimates sibi propinquos habet in Hispaniæ corpore Castella? sed majorum vestrorum merita, quibus inhærere miserrimum est, omittamus. vestrumne alterutri deest quicquam? à bonisne parentibus degeneratis? per alienasne portas mendicatis? quum tu Bracharæ magnificæ Portugaliæ urbis Archiepiscopus, ille Pompelonensis in Cantabrico regno, quod *Navarra* dicitur, unicæ civitatis, Antistites estis. Absit igitur posthac omnis, si me in clientelam, & amicitiam velle servare est consilium, adulatio. Propediem movebitur exercitus in Granatenses. Arma capere in tam justo ac pio bello dum sufficit ætas, est animus. Si Mars, qui mihi carior est vestro Saturno, ita ut ad splendidas vel ad Orchias fores impulerit, adversabitur, oratum facietis nostrum Altitonantem, ut nostri misereatur. quando ad te scripsero, si non idem ad Pompelonensem, meo tamen nomine salutatus intelligatur, & valete ambo mei nominis, tanquam grati discipuli, amatores. Vale. tertio Idus April. M CCCC LXXXVIII.

Epist. XI.

Raro virtus & fortuna coëunt. quanti sit facienda populi laus. De Thersite & Salomone.

P. M. A. M. Fernando à Talavera Abulensi Antistiti, confessori & consiliario Regio.

Comes Tendillæ, Pater amplissime, cujus ego ductu in Hispaniam me contuli, tuo me nomine salutavit, idemque mihi retulit, quanti per teipsum faciendus sis. Parum enim me ad tui observantiam movebat, quod innumera te (ut ad regiam pedem ferres) domo egredientem caterva comitaretur; alio namque te negociorum ingens moles divertere non sinit, nec stimulabat quod populus de te mira loqueretur. nescit enim ignavus populus, cum ratione laudare: nec, quando illi fortunæ bona tantum cordi sint, boni quicquam esse autumant in natura, quod sit extra fortunam. auram sequitur volatilem, Regibus gratos adorat, favore ventoso carentes negligit. Sint utique Thersites vel Salomones, quomodo igitur vir tanta laude dignus plenis faucibus te prudentem, doctum, multo intus, quam foris appareas, meliorem eorum, qui scire cuperent, & qui didicerunt fautorem, bonorum denique omnium in hac regia curia, cujus gubernaculum tuo nutu convolvitur, esse refugium prædicet, mutavi, veluti rejuvenescens anguis, aut fontanæ Dryades corruptam pelliculam, ac, vetera mente colligens, posse aliquando (quamvis raro) Fortunam cum virtute consistere, venit in memoriam. Vale igitur, sapientissime Præsul, & me tibi posthac, dum vixero, deditissimum fore polliceor. Idibus April. M CCCC LXXXVIII.

Epist. XII.

Morale prognosticon ab apparentibus. quid suffocet homines. De cruento fortunæ arcu & sagittis.

P. M. A. M. Petro Cobarruvias Abbati Cervatensi, Hispano viro.

Cornicaris ex opaca ilice, Cervatensis, subsannareque videris consilium meum, quod incolentibus vobis Hispanis Urbem, Hispaniam ego mundi calcar inhabitem. tua tibi patria, Cervatensis, pro tali laude, de te bene merita plurimum debet, nutrivit (ut vulgo dicitur) corvum qui ei oculum effodiat. Si te avaritiæ laqueus indissolubilis manibus pedibusque ita vinctum tenet, ut tibimet tua patria, quia grandiores non possit redituum cumulos, qui te suffocent, exhibere, non bene sapiat; quid in me culpæ? nihil magis quæ à sapientibus me legente, & bonorum mortalium fragilitate cum Bracharensi & Pompelonensi Præsulibus audivisti, tibi profuerunt? Fortunam, uti sentio, cruentum in Italiam arcum tendentem, nondum inspexisti, cœlorumque favorem super tua Hispania, Mercurio duce, prudentem non intelligis. Exsolve te quamprimum (mihi crede) Cervatensis, nec, ut ex arcu globulus emittatur, exspecta. Recipe te, dum licet, in tutum; sero sibi volucris consulit, quæ ut ex venatoris ballista solvatur, arundineo ramo insidet. Vale, & Quiricensem meo nomine saluta. xv. Calendas Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XIII.

Invitatur ad stipendium militare Autor. Quæ Martia, quæ Saturnia ætas.

P. M. A M. Fernando à Talavera, Abulensi Antistiti Confessori, & Consiliario Regio.

QUo nomine stipendium in invictissimorum Regis & Reginæ domo eligam, Præsul optime, per tuum chirographum interrogas. vis-ne quod gratis habebas, emere pretio? Tua te mihi virtus patronum effecerat, facit hæc beneficentia dominum. neque ego tanti me esse sentio, ut sua sponte ad id motos Reges existimem. quibus meritis hoc factum, aut qua in re ego possim in ista celebri regia domo esse utilis, nequeo intelligere. tua ergo suasio refugium afflictorum, & dux errantium, ad hunc Brundusino & Carthaginensi tutiorem portum, lintrem meam per diversa vagantem, quo se ferret, aut ubi consisteret, inscium appulit. obsequitur animus, si vires defuerint, fide tantum polliceor. militia in pio, quod paratur, hoc bello placebit. Velim igitur militari sacramento acciri, dum sufficit ætas. Saturno tunc inhærebimus, quando Saturnia venerit gravedo. Martem nunc sequamur, quandoquidem tam justa arma vocant. Vale ex meo contubernio. XII. Cal. Maii MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XIV.

Reginæ dotes & illustria gesta cum viro Rege. Quæ Regna subjecerint.

P. M. A. M. Helisabethæ Hispaniarum Reginæ.

ROmæ inter sacros ego nostræ Legis Cardines, suprema Regina, versabar, quando per omnium Italorum ora mirandam è cœlo fœminam hac nostra tempestate fuisse demissam ferebatur, quæ avita grandia Regna, majorum incuria domesticis prædonibus discerpta, in unum corpus incolume, ac jam potentissimum redegisset, trementem Recutitorum perfidia Christianam in tota Hispania religionem, una cum Rege viro stabilem effecisset, Fortunatas Insulas (si Canariæ fortunatæ sunt) latentes suo imperio subjecisset, nec his contentam ajebant, sed novam quamvis duram pro nostra religione provinciam in Granatenses, qui eam Hispaniæ partem, quæ mari adjacet Herculeo, jam octingentis annis occuparunt, sumpturam ferebatur. Quid hoc esset novi, an Semiramidem alteram, an Lesbidarum aliquam natura peperisset, quod non contentus esset animus audiendo ita concepisse, statui oculis videndo contemplari, accessi propius, quanta sis, intelligo. Te ego ipse vidi, vivas tui oris voces depromptas exhausi, sub humano isto tegmine tuo, divinas latere virtutes, conspicuum est. Hoc est, suprema Regina, quid ego de te sine adulatione sentio; qui te intus & in cute familiarius versando norunt, si majora senserint, majora prædicent. Ego me ita serenitate vultus tui vinctum esse confiteor, quod neque patriæ, quæ Italia est, jam tenear desiderio, neque hinc ferre pedem liberum sit. Per Abulensem Antistitem tuo nomine, suprema Regina, fui ad regium stipendium, novum vinculum, invitatus, elegi militare, donec laudabile istud, quod adstruitis, bellum ebullierit. id intra paucos annos felicibus tuis, & fortissimi Viri Regis auspiciis, finem habiturum optatum speramus. Tunc ego quemcunque imperaveris habitum sumam. Voluisses fortasse, suprema Regina, quoniam sis literarum cultrix, uti retulit Abulensis, tuis ego juvenibus aulicis optimatibus ludum literarium aperirem. ignosce quæso, cedat parumper toga armis. Quum togæ tempus advenerit, si nobis per Martem licuerit, togæ, quæ sciemus, officia pertractabimus; tua interea, mira Regina, Deus incepta secundet. Ex meo contubernio, pridie nonas Maii MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XV.

Congratulatio de adventu amici. de antro Tridis, & laus urbis Rheate ubi saxum crescit. Quid ferendum amicis.

P. M. A. M. Bartholomæo Scandiano venienti ab Urbe, ad Curiam pro Innocentio Pontifice Maximo Nuncio.

FAtum quoque tuum, Scandiane, in Hispaniam te, veluti Martyrem, sorte quamvis diversa, quum ego liber venerim, tu Pontificiis onustus negociis, compulisse accepi. ut primum id mihi relatum fuit, subiit in mentem tricomercium illud Rheatinum, Viterbiensis scilicet Antistitis, & nostrum, ubi æstatem egimus, lapidem quadragesimum à Romanis caloribus, atque aëris contagione (quæ urbem infestabat) securi, quam amœna est ea civitas, Scandiane, quam merito Sylvius noster pulchrum esse Rheatæ cœlicolum Matri dicatum, decantavit, quæ nemora, quæ flumina, qui lacus, quam vasta & quam fortunata planicies, quam horrendus ille Velini saltus, ubi saxum (Plinio auctore) nobis testibus crescit, per

cujus

cujus voraginem iri semper coronatam Alecton ad inferos descendisse, Mantuanus ille circumloquitur. Quæ præterea Antistitis illius in secessu benignitas, quæ argutia in disputando, in juredicundo auctoritas, quomodo esset ejus Urbis pro Sixto Pontifice gubernator, in eleganti corpore quæ oris facundia? quam pauci Theologi illius præcipue crepidalis ordinis assequuntur. Esne memor, Scandiane, ut certatim omnes animi gratia ludendis carminibus operam fere quottidie daremus, tunc ego primum sensi, quanti sit momenti eruditorum frequentia involvi, quantumque juvenilis animus gravium virorum jocosa sodalitate erigatur, didici tunc primum audere credere, me esse hominem, & in virum aliquando me evasurum sperare. Debeo igitur tibi plurimum, Scandiane, ultraque debebo, si non inique hanc meam tuleris narrationem, hæc ut mihi ipsi talia jactando plauderem, debacchatus sum; ferendæ sunt etiam aliquando amicorum, si amicos volumus, ambitiosæ garritiones. Ægro animo congressus nostri tarditatem fero; quare si me amas, uti solebas, an cito venturus sis, mihi significato. Si namque adventum distuleris, ad te properabo. nihil enim hoc tempore magis cupio, quam te senem egregium, mei amantissimum videre, alloqui, audire, amplecti denique, si tyroni militi veteranum amplecti tribunum fas fuerit. Vale ex Curia. in nonis Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XVI.

Congratulativa filialis de securitate Hispana.

P. M. A. M. Paulo Oliverio nuncii Pontificii Secretario.

PAtroni tui, Paule mi, adventu in Hispaniam (quam mihi sedem, tanquam ex alta specula in tuto positus, quid fortuna, quæ magna molitur, facere intendat inspecturus, elegi) majorem in modum delectatus sum. virum namque istum, ex quo Sisti Quarti Pontificis tempore Theatæ cognovi, semper uti genitorem observavi. Primum enim & vigesimum annum me vix agentem, ferè sexagenarius ipse amore paterno prosequebatur. te autem ego (ut nosti) non minus unquam amavi, quam pater filium soleat. Duplicem igitur mihi oblectationem affertis, quare ut incolumes ad nos, & propere veniatis, vehementer opto, an lento, an celeri gressu proficiscamini, facito me certiorem. Si namque vobis aliquid forte acciderit, quod vos detardaturum sit, ad vos convolabo; est mihi quippe jam molesta isthæc exspectatio. Vale. nonis Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XVII.

Quomodo sint consona literæ ac militia. Qui sapientes militiam secuti sint.

P. M. A. M. Fernando à Talavera Abulensi Antistiti confessori, & Consiliario Regio.

RIsisse ajunt, bone Præsul, te, quando mea tibi Epistola de militari, non autem literali habitu sumendo mentionem fecit. quis præterea tibi me esse literatum falso retulit? deceptus fortasse nominis inversione lituratum quoniam dicere voluit, literatum dixit. Si duarum & vinginti literarum me non ignorasse characteres, dixisse voluit, non inficior, sed si longius processit, aberrat. At tamen licet te tua compellat humanitas, ut de me, quod literarum aliquantulum sim assecutus, sentire velis, nonne Tanagrensi Corinthiacove bello Plato militavit? quid mirum est, si excitor ad tubæ sonum? suntne invicem opposita literarum & militiæ studia? Imo ob id solum, quod ignarus sim, strenuum me fore militem, mihi ipse minime persuadeo; oportet eum qui se militiæ dediderit, veterum (meo judicio) exemplis, bene instructum ad bellum proficisci. non minus enim res militaris virtute animi, quam viribus corporis gubernatur, exerceturque. Quis negavit historiarum præsertim assidua lectione, fieri homines indies prudentiores? prudentiam vero rerum omnium rectam esse gubernatricem, nemo est qui dubitet. *Correlativa* sunt igitur, non *opposita*, ferri acies & literarum disciplina. Ebulliat ergo, Præsul egregie, emicetque per illius Regni Granatensis regiones hic meus nonus & vigesimus annus bello habilis, ociosa tunc officia vitæ induemus, quando negocia includentur. Sic enim didici à curiosis Peripateticis, nec tamen quum te risisse derisisse retulerunt. Ergo vale ex meo contubernio. VII. Idus Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XVIII.

Deserenda est patria pro gloria.

P. M. A. M. Johanni Baptistæ Anglerio sub Veneta Rep. militanti.

LAudo, frater amantissime, quod animum virilem, non angustum patrimonium dimensus, soli natalis blandimenta, delitiasque reliqueris, ne ibi ocio pellectus marcido (uti plerique coætanei tui) torpesceres. igna-

ignavissimum namque semper ego illum esse judicavi, qui fama fortunisque majorum (etsi ingentes) contentus, domi vitam ducit inglorius. Georgio ista (qui medius frater est) semivalitudinario ambo concedamus. Is namque tanquam enervis & imbellis paternos lares, ne collabantur, custodiat, prædiola colat, sobolem procreet, nos proprio sudore fortes imitati, quibus omne solum patria est, per alienas terras fatum experiamur. Ad Venetos te transisse, sub umbraque Nicolai Ursini Comitis Petiliani, ductoris exercituum, nostra tempestate illustris, te militare relatum est, neutrum displicet. Venetorum namque cæteris his temporibus tutiorem statum fore arbitror, & quandoquidem literis, quum illis nunquam fuisti deditus, nomen tibi comparare non potes, non ineptum vivendi modum elegisti. Duabus enim his artibus fama perquiritur. Dummodo in justo bello, justa de causa sumpto, militetur. Imperatoris etiam tui præclare gesta, si oculos aperueris, te ad virtutem excitabunt. Si invictissimorum Regis & Reginæ, qui me in familiam suam admiserunt, commendatitias ad Illustrissimum Principem Venetorum, vel ad Patronum tuum, literas profuturas senseris, mihi significato, existimo non negaturos. Aliquantuli enim me faciunt. Vale ex Hispana curia, Idibus Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XIX.

Ad Pretores Curiæ pro famulo jocosa rogativa.

P. M. A. M. Jureconsultis Galleco & Mercato Curiæ Prætoribus.

CUr me flagellis percutere, Prætores, cogitastis? Isthicne fructus nostræ est amicitiæ? Quid hoc sit, invicem uti video, discutitis. Ochioa iste Curiæ pinsor Cantaber, quem vinctum tenetis duro carcere, quoniam de panis pondere, quem hodie Curiæ dandum domo asportavit, aliquantulum defuisse reperistis, familiaris mei cujusdam pater est. Audivit filius, vos omnes isse pedibus manibusque in sententiam, ut asino per vias publicas eductus pater, centum verberibus à lictoribus ignominiose conficiatur, concutit se filius, macerat, lacerat, se esse *Hidalgum*, id est, Nobilem inter Cantabros proclamat, ituros patrem & filium, sese ex aliqua rupe vel turri præcipitatum, non ausuros ultra faciem ostendere, talem si ignominiam pater pertulerit. Hæc ergo in me verbera, Prætores, convertantur, qui talibus perturbor conquestibus, & sum familiarem fidum amissurus. Detur igitur Ochoiæ, meo rogatu, venia, Præsides, per nostram amicitiam. Hoc sit eorum, quæ de meis hortis vos excerpsisse fatemini præmium. nec enim est ita atrox crimen, quin atrociora aliquando remiseritis, in mulctam convertatur hæc pœna corporalis ignominiosa pecuniariam. Si remitti penitus non potest, quandoquidem ut crumenæ tumorem augeret, id factum est, *crumenale*, non *corporale crimen* appellabitur. Sed immunis ut emittatur, rogo, hac lege tamen ut pater & filius ambo verberentur, si ulterius pater in simile quicquam inciderit; nec abnuit hoc fedus filius. Valete ex meo contubernio. Idibus Maii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XX.

Ad Pretores gratiarum activa.

P. M. A. M. Jureconsultis Galleco & Mercato Curiæ præsidibus.

SOlvistis Ochiam Cantabrum pinsorem rogatu meo, Præsides optimi, familiaremque perditum, à rupe & celsa turri mihi ad obsequium reddidistis. O quam alienum fuisset ab humanitate vestra Hidalguiam tali macula fœdare. Sufflat, mori oportet Hidalgum, morique præclarum est pro uno etiam non honorifico audito verbo. Sed per lictores ignominiam pati, minime quem vobis risum incuterent Prætores, si quæ nunc hic meus ambubaius obloquitur, audiretis. Qui nec linguam callet, nec loqui unquam desinit. Psittacum è cavea detorto gutture verba extorquere conantem, vos audire arbitraremini. habeo gratias ingentes tamen ego, cujus causa collatum est in eos beneficium, atque utinam isti candido vestro erga me animo respondere posse aliquando præstetur. Valete ex contubernio meo. XVI. Calendas Junii M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXI.

Reprehensiva in reprehendentem, quod in Hispaniam venerit. Quid sit vivere vitam, exorditur ab Hispano proverbio.

P. M. A. M. Theodoro Papiensi, Regis Galli Medico Consiliario, & Oratori in Urbe.

CAve ne quando te signo crucis armare intendas, oculum digito dextrum tibi eruas. Iterum accusas, & quod repetis, quo te Martyr contulisti? Ubi procul ab omni eruditorum commercio vitam duces. Mœrorene hoc sit, an invidia deploratum, non intelligo

go, potius namque mihi invidendum existimo, quam dolendum, una me infelicitate vocas infelicem? Fabri famulum, quod Faber effectus sit, reprehendis? Quid felicius quam vivere vitam, ubi per bonas artes in te solum oculi hominum convertantur? Defige oculos humi, Theodore, ac subride tacitus tecum ipse. Fiunt alicujus umbratiles illi versus mei, quos Romæ Ascanio & Arcimboldo Cardinalibus, teque oratore impellentibus, animi causa cudebam juvenis. Scire me literas Hispani arbitrantur. Quid igitur Romæ passerculus inter accipitres, Pygmæolus inter Gigantes faciam? Sit aliquando satis, quod te vicinia cæca non cæcum existimet. Inter catellos Melampo decus, sed inter Leones quod Catello periculum? Ne nos ipsos defraudemus, Theodore, quod Martyri unquam nomen inter mille Phœbeos vates, qui sidera feriunt elato vertice, surrexisset? Vis dicam, quid inter Physicos Theodoro? O! parit odium veritas. ne mihi succenseas, Theodore, nec pileum dejicias; licet aliquando jocari. Sed hoc de me serio dictum volo. Vale. ex Curia Hispana. XIIII. Calendas Junii, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXII.

Quanta sit amoris honesti vis.

P. M. A. M. Antonio Nebrissensi Hispano, viro Rhetorico.

QUid à me petis vir, (ut per tua scripta colligo) peritissime? Ut te amem, inquis; injuria me affecisti non modica. videris namque me esse iniquum, aut improbum existimare; si vetus illud proverbium, *Pares paribus, & similibus similes facile conveniunt*, verum est. Ut primum dubitas, an ego sim te non modo amaturus, verum etiam observaturus, male de me sentis. Ex his enim quæ ex officina tua prodiisse conjecto, doctum te esse ego ipse sentio. Bonum autem te quicunque norunt esse, prædicant; nec bonum igitur, nec doctum me esse judicas, & merito quidem; neutrum enim mihi persuadeo. Si ergo me non tibi similem esse credis, frustra petis amicitiam. est quippe inter dispares animorum unionem quæritare, lavare laterem, aut per aëra demptis alis volitare. Si parem & tui similem arbitraris, ne cadat in deliberationem ulterius, quin sim te non modo amaturus, verum etiam ob ingentes virtutes tuas admiraturus. omnem certe superat improbitatem, amantem virum (præsertim omni virtute insignem) non amare, quia præcipue nullo possit alio amor emi precio quam seipso. Quæ te regio enutrierit, quorumve præceptorum ubera suxeris (ni tibi molestum, vir egregie) delectabor intelligere; talem quippe neminem in Hispania esse, quum me ad iter ex Urbe accingerem, Hispanus quisquam, quorum est in Urbe multitudo ingens, prædixerat. mihi igitur gaudeo, & Hispaniæ gratulor, teneor tui videndi desiderio, propterea ut ad Curiam hanc tuam aliquando venias, operam des obsecro. Vale. ex Hispana Curia. XIIII. Calendas Junii, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXIII.

Quid super Italia. Quid super Hispania cœli astruant.

P.M.A.M. Jo. Borromeo aurato equiti Mediolanensi Aronæ & Verbani lacus Comiti, nostræ familiæ benefactori.

SUccessus nostros, quod velis, optime Patrone, intelligere, non modo non mihi molestum, verum etiam gratissimum est. Neque enim tales (ut præ rubore tegere frontem debeamus) emergunt, si patriam reliqui, uti repetis. Dico ego, eam esse homini patriam, ubi natura frui duce, quisquam valeat. est mihi insitum, ingenitumque, Concordiam in nostra lege desiderare, contra ejus hostes optare perniciem. quo in discrimine vos versemini, quanta ebulliant in Italia, quæ minime quietem sunt paritura, conjectato, & meum laudabis consilium. Si præterea scires, ad quem mea me fata portum compulerint, magis multo invideres quam misereris. In totius Christiani maris ambitu, nullum tutiorem invenies. Hic nulla procella, nulli fluctus, nulla tempestas, quieta omnia, omnia beata ex Concordia Hispanis inaudita, cuncta ista proveniunt. Regis & Reginæ, jam mihi dominorum, quod ad eorum regale stipendium admissus sum, cogitatus, verba, opera in inferendo Granatensibus Mauris bello, solum teruntur. Sequar illos, justa arma placent. Propediem ad hostes proficiscentur. quæ agentur, si per tabellarios licuerit, intelliges. Regina quæ Castellæ domina est, atque inde Hispaniæ corporis (cæteræ namque Hispaniarum regiones crura sunt atque lacerti) tantillo me amore prosequitur, jussitque me in pinguioribus suis, non in Regis mariti liberis censeri. Propterea si commendatitias utriusque literas ad Ludovicum patriæ nostræ dominatorem, Georgio à me proximo fratri, qui tanquam mancus patria domo & exiguo contentus patrimonio isthic marcescit, profuturas, colende nobis Comes

noveris, fiam ego certior, spero impetraturum. Imbellem istum fratrem, reliquamve nostram familiam tuæ bonitati commendo. Ne me ultra accuses, caveto, & vale. ex Hispana curia. XII. Calendas Junii. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXIV.

Gratiarum activa. Laudativa. Quis sit Rex tertius.

P.M.A.M. Petro Gonçalo Mendotio, Hispaniarum magno Cardinali & Primati.

Didacus Murus vir doctus & prudens, tibi familiaris à secretis, obtulit mihi tuo nomine, Hispaniarum Primas, auxilium & favorem tuum in hoc dissono ab Italia orbe, in quo tu tertius es & jure merito Rex. ajunt enim homines te, præter ingentem & generis & divitiarum potentiam, tanta pollere humanitate, magnanimitate & prudentia, ut tota orbis terrarum gubernatio, si tuis humeris inhæreret, collum tibi flectere vel digitulum vix sufficeret. Quanti ergo faciam hanc tanti Principis oblationem, sine quo vel minimum quidem passum, sive bellis incumbant, sive pace fruantur, Rex & Regina gradiuntur, sine cujus tandem consilio nihil arduum decernitur, nequeo proferre. Salienti quidem intra se titillo animus magna garrit, quæ promere vellet: sed desunt palato verba, quibus in medium, quæ cogitat, efferuntur. Satius igitur esse duco labra compescere, & unico tantum hoc verbo rivos claudere: emisti servum hodie, fugitivum, aut ingratum minime futurum. & vale. ex meo contubernio, decimo Calendas Junii. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXV.

Quæ generalis hominum solicitudo de tractandis novis hominibus.

P.M.A.M. Didaco Muro, magni Cardinalis Hispaniarum secretario.

Apud te ut cras prandeam, Mure, jubes. Apud te prandeam, Mure? Quid sibi vult nova ista munificentia? Tu nullius opera (quom sis apud potentissimum potens) indiges. Quid igitur à peregrino, qui nuper ad gentes exteras, & Itali nominis non bene amicas advenit, extorquere cogitas? Tu vafer es, Mure, ac macilentus: elicere vis pecunias forte? Minime, neque enim illas ego possideo, quom non magnifaciam, neque tu illis indiges, quia quom illas bene serves, dives es. Doctrinam, dicet aliquis. Absit, multo namque me doctior. Cur igitur, ut tua sic profundere mediteris? Ut liberalis videare? Ne id quidem, & parci aliquando (quamvis parce) invitant tamen: effer tandem Mure, erumpat hæc causa latens; fatere verum, quid me vis? Jam prodit, attendite. Italus quidam *Martyr* nomine ad Curiam se nuper contulit. ajunt plerique (inter quos herus meus) Musarum cultorem; experiemur, quanti iste sit ponderis, illius facile rem intus & in cute nos, qui sapientes sumus, effodiemus. Turgescere guttur ulterius nullo pacto sinamus, & si magno constet, salubre tamen erit, hac nos anxietate levare. Aliter nos postridie de homine sentiemus, quam populus ferat. tanti nunquam esse quisquam bene cognitus reperitur, quanti prædicatur. minuit famam præsentia. circumveniamus hominem. rumpemur, si de nostris manibus bene sanus evaserit, quin multa detegamus in illo ulcera, quæ lambere postmodum ociosi valeamus. Ego Mure, qui succi guttam, licet marmoreo prælo comprimar, vel unam quidem posse à me nullo pacto extorqueri cognosco, à meipso conjecturam faciens, hos fuisse tuos cum Boadilla consorte de me sermones, aut hujuscemodi non dubito. Vado tamen ad vos, ut mentes vestras hac sollicitudine exsolvam. passerculum namque pro aquila, & pro elephante culicem conspicietis. Valete interea, & homini qualem audistis, non qualem vos esse reperturos, & desideratis, & scitis, prandium parate. Valete. ibo. ex meo contubernio, VI. Calend. Junii.

EPIST. XXVI.

Rex adit Veram urbem.

P. M. A. M. Ascanio Mariæ Sfortiæ Vice-Comiti, Cardinali dignissimo.

Tenebar jam summo de te, Princeps illustrissime, desiderio, quando ex insperato nuncius ad me cum benignissimis tuæ Amplitudinis literis ingressus est; jubes me salvere, pro ea humanitate Deus æternam cum Mathusalenis annis tibi salutem impartiatur. Imperasse mihi denuo, ut tibi de Regis in bello Granatensi successibus significem, supervacaneum fuit. neque enim excidit, me id fuisse (quom à te in urbe dimitterer) pollicitum. neque me ita Arcadicum habere jecur existimes, quin sentiam, quanti faciendum sit tanto Principi pusillum hominem, obsequium posse gratum aliquod præstare. Sed hoc anno me non grandia significaturum arbitror. Constitutum namque est, ut Rex solus cum

cum exercitu tamen potenti provinciam quandam, quæ civitatem habet Veram provinciæ caput, percurrat. illiusque ut villas, agros, cuncta denique ad usque urbis mœnia, nisi sese Verenses dediderint illicò, depopuletur, obsidionem in æstatem futuram dilaturi, comparatus est exercitus per provinciam Tarraconensem, qua nova Carthago mari adjacet Herculeo; Lorca, licet sterilis regio suapte sit natura, propter Vandalicam pestem, qua incolæ vehementer vexantur, Rex iter capit. Regina vero, ad hostium fines, commeatus cæteraque exercitui necessaria, de dotalibus suis Regnis sumministratura, virum à tergo sequitur. ut ego illam comiter, ne laborem irritum sumam, mihi imperatum est. Pauca hæc per hunc tabellarium accipito. & vale. ex Curia Hispana. v. Calend. Junii, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXVII.

Quomodo errent qui Portugalenses appellant Lusitanos.

P. M. A. M. Bracharensi Archiepiscopo.

HAbuisse te meas literas, & cur Portugalensem, non autem Lusitanum te appellaverim, miratum fuisse scribis. De Cantabris etiam nescio quid ob Pompelonensem tui dimidium. Preme fumum Bracharenrensis, & siste pedem. Lusitanum te vis appellem, suffla, possum & Hispanum largius. Ferdinandum & Helisabeth, quod Hispaniarum corpus possideant, Reges Hispaniarum appellamus; nec obstat, quin ita vocentur, quod duo de isto corpore digituli, utpote Navarra ac Portugalia auferantur. minime autem Lusitaniæ Regem tuum appellabimus, quom Lusitaniæ sit quota pars Portugalia. metitor Bracharensis, quam vasta sit ea Hispaniæ pars quæ jacet inter Annam & Doriam flumina, quamque tantillum sit in ea provincia, quod vos possidetis, tuique Regis sceptro pareat, & succensere desines. quom igitur à majori parte rei, non à portiuncula (res à locis nomen capturæ) denominationem sumere soleant, fer æquo animo, si te à vestra possessione denominavimus. De Cantabris autem scito, eam Pyrenæorum partem, quæ *Navarra* dicitur, in qua est unica urbs Pompelonnensis, vel si vis Pompejopolis, mons qui statim Lucroni pontem super Ibero transeuntibus sese offert, indicare videtur. Montem enim incolæ *Cantabrum* vocant, pagique transpontani *Cantabri* nuncupantur. Biscaya etiam & Lipusca montanæ regiunculæ, ut apud Cosmographos includi videntur hoc nomine, simul tamen & Vascona. Cæterum scitote Regem Ferdinandum, Veræ urbis segetes, vineas cæteraque agrestia devastaturum cum ingenti exercitu, ad Mauros discessisse, quom nullubi sit ad obsidionem castra metaturus. Reginæ in finibus hostium sistenti adero, nec Regem comitabor. Valete alterum par amicorum. ex Curia. VI. Calendas Junii, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXVIII.

Diversa Moralia. quid sit præbere fati rapientis materiam.

P. M. A. M. Theodoro Papiensi Galli Regis Physico & Consiliario.

IN Galliam, Theodore, ut primum te rediisse per tuas literas accepi, vix me potui à risu continere. Subiit enim accusatio tua, quod ego me relegarim extra patriam, ac si tu in patria magna grandium tabulatorum palatia à fundamentis erigeres, filiosque ibi parvulos enutrires, detinentia homines vincula. placuit tamen utcunque sit incolumem te esse. Exemplo ergo tui, quamvis accusantis, animum à patriæ desiderio pacare intendo. Uterque nostrum duo quæ perquirimus, invenire speramus, commune unum, alterum singulare, quod regiones invenimus, ubi simus inter talpas Polyphemi, consonum est utrique. diverso autem fato, quod de artibus Apollineis utiliori tu ipsius invento, utpote Medicina, ego paupere cithara præcinctus. Tu redibis igitur, si licuerit auro gravis, onustus ego paleis tantum adumbratus. sed minime rumpar invidia. peribunt pecuniæ tuæ, & favor iste regius simul cum Rege peribit. Scripta vero mea, quamvis inculta, inepta, trivialia, & scribendi materiam posteris præbitura, non subreptura ob res à meis Regibus præclare gestas, permanebunt. Vale igitur, & me, uti soles, ama, si vis amari. ex Curia. IV. Calendas Junii, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXIX.

Veteres aulici potentum egent patrocinio. Invidia est perpetua Regiarum habitatrix.

P. M. A. M. Didaco Furtado de Mendotia Archiepiscopo Hispalensi Tendillæ Comitis fratri.

GErmanum habere Tendillæ Comitem cujus ego virtute advocatus in Hispaniam

niam me contuli, qui à majoribus haud magis quam frater degeneraret, priusquam ab Urbe discederem audivi, crevit accedenti propius opinio. fratri quamvis annis cedat, virtutibus tamen cedere nemo fatetur. literas in Italia didicisse munificum esse, magnanimitate, qua Principem decet generosum, pollere cuncti prædicant. A patruo magno Cardinali, qui tertium tenet in imperio locum, & potentia & auctoritate primum, esse aiunt. æquum igitur est, atque inde æquius, quod Italicum adolescens cælum hauseris, ut me, qui tuo fratri Comiti amborum virtutibus commotus, comes advenerim non minus quam ipse frater, peregrinum errantem in tutelam suscipias. Domo quamvis regia fruar, ne credar propterea vestro privatus patrocinio. Non sum ita hebes, quin intelligam, in regia domo mille quotidie, veteribus etiam ipsis aulicis, pericula ob invidiam regiarum perpetuam habitatricem imminere, quæ haud facile vitabit, qui patronos ad quos, si vim inferre quis studuerit, querulus confugiat, non habuerit. Ad Reginam te propediem venturum Comes tibi germanus spem dedit, titubabat animus præ gaudio, angitur desiderio, quod ut aliquando expleatur votis, posco. Vale interea, felix Reverendissimæ nostræ Religionis Princeps, ex Curia Reginali. pridie Calendas Junii. MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XXX.

Incursu tantum petenda est Vera urbs. restat Autor cum Regina.

P. M. A. M. Joanni Borromeo Civi Mediolanensi, Aronæ ac Verbanæ lacus Comiti.

NOvi sæpe casus, etiam sapientes mutare consilium cogunt, si propterea & ego qui sapientiæ ne sorbillum quidem delibavi, futuri nescius, si quid aliquando, quod non evenerit, promiserim, non ita me torquebo, ut vivere non liceat. Superioribus ad te diebus iturum ad hostes Mauros cum Hispano me exercitu exaravi. Rex ad eos, qua mari adjacet Hiberico nova Carthago, per Tarraconensem provinciam (quia peste gravissima Vandalia, delectui militum & commeatibus commodior, laborat) Veræ urbis agros, villas, cæteraque vastaturus, exercitum duxit. Regina vero, quæ cæteris solet aliquando bellis adesse, in hostium finibus Murtiæ regni Carthaginensis emporio, ac primaria sede marito, si opus fuerit, auxilia præbitura, permansit. Quom igitur nullibi castra metaturus Rex fuisset, tota Curia cum Regina sistente, ne frustra fatigarer, permansi. Vale. pridie Calend. Junii. MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XXXI.

Quare Regina tanti fiat. Quomodo successerit in Regnis. Quid Virtutes pepererint Regi & Reginæ.

P. M. A. M. Ascanio Vice-comiti magni Ludovici fratri Cardinali, patrono singulari.

INterea dum sese offert, quid de bellicis rebus scribere possimus. Scire cupis (ut inquis) illustrissime Princeps, cur tanta de Regina (quod raro de fœminis accidit) mentio fiat, quonam jure ad illam Corona devenerit, quibus postmodum auxiliis hostem ejecerit, quomodo perdita restituerit. Longas ambages, amplissime Princeps, quæritas, at tamen quandoquidem sic imperas, horum quæ nosco & quæ relata sunt, quam brevibus potero, seriem prosequar. est hæc mulier nulli sceptratæ de quotquot laudavit antiquitas, meo judicio comparanda; viget animo, in aggrediendo magna laudandaque. Solent pleræque à criminibus sumere pervicaciam invictam, est ipsa constantia constantior, quod in fœmina, fragili atque imperfecto animali pœnitus oppositum; honestatis & pudicitiæ mirum est exemplar, quod in summa licentia rarissimum; consilio supra quam sit fas credere, pollet. In dotem præterea Reginæ multo plura quam vir habeat Regna, multoque potentiora dotali jure cesserunt, in quibus ea fiunt, quæ ipsa imperat, sed ita imperat, ut cum viro simul imperare videatur. Amborum namque manibus signata edicta, reliqua etiam diplomata emittuntur. Quæ vero Regna, ut puta Aragonium, Valentinum, Baleare, Siculum, Sardum, hæreditario sibi jure Rex possidet, solus ipse gubernat. Sed nervis belli (pecuniam dico) viris, equis & armis haudquaquam Regnis Castellæ comparanda. propterea Castellam ambo semper inhabitant, & ex Castella bellorum omnes apparatus, & impensæ exhauriuntur. faciunt igitur & inauditæ in fœmina virtutes, ac summa in magnanimo corde potentia, ut merito id sibi nomen comparaverit. Nec ipsi displicet Regi, immo ab innumeris illum solicitudinibus & curis suo consilio liberat. Unde autem ad illam venerit hæreditas, accipito. Joannes Rex pater ejus duos habuit mares filios Henricum & Alfonsum, fœminam ipsam unicam,

cam, ex mortuis fratribus nulla soboles. probatum namque fuit Henricum, qui uxorem habebat, fuisse ad uxoris congressum inermem. ecce igitur illam hæredem. Portugaliæ Rex nescio quam nactus occasionem, Henrico mortuo, Proceribus plerisque Castellanis rerum novarum studiosis adjuvantibus, Castellam armatus ingreditur. Auxilia utrimque colligunt, multi, qui rem norant, Reginam sequuntur, acies in agro Zamorensi, quem plerique, sed non recte, Numantinum putant, ac Taurino concurrunt. Duobus igitur ductoribus Regibus Ferdinando scilicet Aragonico, tunc Siciliæ tantum Rege, quod pater ejus Johannes adhuc viveret, & Alfonso Portugaliæ, signis collatis res decernitur; profligatur ejiciturque Portugalensis. Ita Ferdinandus & Helisabeth, sine ullo obice, Reges legitimi adjudicantur, & regnant. Ab Optimatibus deinde, qui Henrico annuente majorem Regnorum Castellæ partem usurpaverant, innumeras urbes summa cum prudentia ita copulati ambo, paulatim veluti à luporum faucibus eruerunt, discerpta in unum redegerunt. Inauditam hactenus in utraque Hispania pacem, & concordiam, ita ambo erexerunt mortuam, ut nulla unquam per se tuta regio, tutiorem se fuisse jactare possit: civiles, quæ in omni passim oppido, non modo civitate, simultates & seditiones fervebant, de medio tulerunt; à latronum insidiis, & grassatorum violentia, vias liberarunt. Justitiam expulsam revocarunt, religionem trementem solidis postibus suppositis, atque sublatis putridis, stabilem effecerunt. En habes, illustrissime Princeps, quod petisti. Ergo Vale. ex curia. in Calendas Augusti. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXII.

De Zara & Albama.

P. M. A. M. Arcimboldo Archiepiscopo Mediolanensi, Cardinali.

QUæ ad illustrissimum Ascanium per me scribuntur, ad utrumque scripta intelligo. sicuti namque communia vobis multa sunt, inter quæ patria & ruber galerus; ita non bene alteri sapere, quod alterum fugiat, in his præcipue quæ ad Barbarorum debellatores Reges attinent, existimo. arbitror etiam alterius vestrum imperata de amborum pectore duci, propterea est consilium, quæ ad alterutrum, de his quæ ambo petitis, scripsero, minime repetere. unum namque me crederem eidem sæpe quod nauseam inducit recitare; quom non ita aliter quicquam referri possit, quin idem intra sapientum aures, si fuerit idem tinniat dictum satis. Inter multa quæ cupere de rebus Hispanis vestræ literæ videntur, caput hoc adnectitis: Undenam sibi Catholici Reges, hujusmodi pii, quod nunc geritur, belli, sumpserunt occasionem, & vos nostræ religionis solidi postes pie interrogatis, & ego ista quæ pia sunt, libenti animo recensebo. Domesticis rebus vix bene compositis, ut Aragoniam, & reliqua hæreditaria Regis inter Hispanias regna, quietis animis percurrere quirent, ac visere, pacem cum finitimis omnibus Regibus ineunt: cum Regibus, utpote Portugaliæ, Navarræ, & quamvis barbaro, Granatensi. Barchinone ociabantur, quando Mauros Zaram oppidum, illis finitimum, noctu imparatum ac fidens, fuisse ingressos, cepisseque per celeres nuncios, majoraque damna parare defertur. In Castellam redeunt. Methymnæ campi Castellæ veteris, Emporio nundinario morabantur, quando post menses aliquot, in hujus rei vindictam, intra Regni Granatensis viscera fuisse captam Alhamam urbem nunciatur. hinc cœptum est nova arma parare, lanceas tergere; quomodo id factum, quid etiam inde successerit, alias longius. Ex superbo tamen Mullei Mullaceni, regis Granatensis, responso dato regio nomine pactum tributum petentibus, tributarius namque erat, captam fuisse belli causam aiunt nonnulli. de responso non inficior. fuerunt namque hæc barbari Regis verba: *Solebamus Granatenses Reges Zaienes duplas quasdam Castellæ Regibus in tributum pendere, sed ea officina qua moneta illa cudebantur, hastarum nunc ferreæ cuspides hæ* (lanceæ namque ferrum manu corripuit) *fabrefiunt, his agendum est posthac, non auro.* Fuisse hoc nuncio perturbatos Regem & Reginam fatemur; sed inde sumptum belli initium, fabulosum est. Non licet per tabellarium ulterius. Ergo vale. ex curia. III. Idus Augusti. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXIII.

Quid obstet vatibus. recusat Salmanticam. Quæ sit harmonia Poësis.

P. M. A. M. Petro Pontensi Moghera Toletana Vice-scholastico Salmantino, Jureconsulto.

SCribis te sapientibus Salmantinis solum, quod sim vates persuasisse, nihilque ultra museos modulos, si accessero quæsituros, & id quidem dixti ut libuit, ad plenumque

numque iterum illos, ac teipsum fefellisti. omnia namque mihi desunt ad eam ardeam capiendam, ad sidera demptis pennis accipitrem volitasse repetisti, egregium tu vatem pollicitus eum, qui per alienas terras anxius peragrat, cui cuncta ad animi quietem desunt. quæ duo, etiamsi furor ille cælestis, qui (teste Platone) in Poëtis infunditur, pectus mihi totum irrorasset, sterilem & infœcundam tamen mihi linguam facerent, ac hebetarent ingenium. Haudquaquam enim potest ille, cui nulla sedes, volitantis Pegasi lorum gubernare, aut efficacem illam harmoniæ cælestis imitatricem Poësin, quæ divinæ Ambrosiæ alimentum est simillimum, exercere, non apte ad divinos sensus exprimendos, quod Poëtæ proprium est, rapietur à Musis, qui terrena fece gravatus ab eruditorum & librorum commercio semotus, peregrinus oberrat. Nyctimenen igitur pro Junonis ave vendidisti, Vice-scholastice, vafer es mercator, illustris Comitis tui honori consulentis, ne ulterius suadeas, ut ad eos eam, est sententia. capito ejus monitus, id si feceris, & vates ego, & veridicus Pontensis Jureconsultus, quem mentiri non decet, à Salmantinis ita persuasis existimabitur. Guadalfagiariæ agimus ocii causa dies aliquot, dum Rex Verenses agros percurrit. Vale. Guadalfagiariæ. pridie Idus Augusti, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXIV.

De amoris vinculo.

P. M. A. M. Gabrieli Mendotio Viro claris moribus & genere insigni.

UT in amicitiam te Gabrielem Mendotium mei Comitis consanguineum recipiam, tua petit epistola. Nobile genus, divitiarum honesta, & vetus copia, propriæ multo magis virtutes me cogunt, ut non mediocriter gaudeam, si me in tui clientelam admiseris, quid beatius quam vetustam aut inermem casulam tales habere postes? quibus ne corruere possit, adhæreat. Observabo igitur (ut æquum est) Gabrielem ego Mendotium bonorum omnium optimatum Hispanorum consanguineum. Si licet in parvis uti grandibus exemplis, tali me hodie sibi vinculo Gabrielis humanitas devincit, ut adamantina nihil possit cathena fortius adstringi. Gabriel autem quandoquidem fidejubet amorem, tutelam pollicetur. amor enim solo amore quæritur. quare, qui amari exoptat, laboraret incassum, nisi prior certaret ante, caperetque amorem. qui vero amat, nunquam deserit. Ego igitur tot fretus insignibus patronis, per hoc ingens Hispanum pelagus erecta fronte, ac sine ullius scopuli formidine, jam tutus navigabo. Ais te Bononiæ literis operam dedisse, tuæ ita indicant epistolæ, quod Italiæ præstantiam degustaveris, uberiore me inde spe replebis. Ergo Vale. pridie Idus August, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXV.

Forti nil malum: delicato cuncta. Quam tutum sit scire tolerare.

P. M. A. M. Lucio Marineo Siculo Poëtico amico.

QUod ignominia te jurgiosa quadam Nebrisensis Grammaticus insignis affecerit, conquestus es. infantes quando vicimus aliquis coævus nucem illis, aut castaneam, vel hujuscemodi se daturum negavit, ad nutrices talia deferunt. ad nutricem igitur ista censeo deferenda, non ad Martyrem, qui nomine duriorem habet cutem, & blanditiis fores occlusit. Didici ego, non solum jurgia & ignominias, sed & injurias esse ferendas. Didici mali nihil esse in hujusce fermento, nisi quod quis malum esse judicaverit. adolescentulus nemini, vel levibus aliquando verbis, fervidus excandescebam, ad vindictam protinus mihi cristæ insurgebant. Ita sæpe accidit, quom in coævum petulantem flammeus irruerem, ut in verbera verba verterentur, & qui me verbis contentus irritaverat, pugnis concussum domum mitteret. Vici etiam aliquando, & tunc quid vindicta ferret expertus, majore me oppressum injuria, quod injuriam intulerim, reperi, quam quum fueram ipse perpessus. De vindicta igitur si consilium vis, bone vir, minime cogitato, ne apem, quæ lacessentem subito mordens seipsam interimit, imiteris. Periculosum est vasi vitreo cum marmoreo globo confligere. ille namque procerior, & pluribus amicis fultus, quod civis ipse, tu peregrinus. Vis paucis Marineu Sicule, quid sibi reportet, qui vindictam quærit, cognoscere? Experto crede, seipsum torquet, cruciat, macerat heautontimorumenon tandem. lædenti autem ut iterum, ac tertio lædat, materiam præbet, ac risum. Igitur ne credas injuriam tibi posse fieri, & ita in injuriantis caput injuria recudetur. Si leo vel equus me calce percusserit aut dente, injuriæ id adscripsero? non equidem. sit satis, ubi sis cogita, tutius vitam agit sopita vulpecula, quam ursus hians. Vale. idibus Augusti, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXVI.

Sero elige amicum, tamen serius dimitte.

P. M. A M. Alfonso à Silva, viro generoso.

TAlem te non reperisse Franciscum Lupum, qualem, cum in amicitiam illum admitteres, fore, existimabas, perturbari te ajunt. Si Pythagoræ dicto paruisses, minime unde angereris accidisset. vult is diuturnam esse de amico eligendo deliberationem. postea vero quam admiseris, qualiscunque emergat, ne leviter elegisse videaris, ferendus est. ast si forsan, postquam venit in amicitiam, mores mutavit, dato operam, ut omnes intelligant, ab illius commercio te invitum discedere, nec per te stetisse, quin servaretur. infœlicissimum prædicat is idem, & periculosum amittere, quem semel admiseris, & quem semel amasti, turpissimum est odisse. Fer igitur æquo animo illius, si insolens effectus est, totis viribus insolentiam, aut mature prudenterque paulatim ab illius te commercio eximito. Sed quid sint homines de te locuturi, semper habeto ante oculos. si me noveris posse meis monitis, aut increpatione in illum proficere, significato. ex Curia. Idibus Augusti, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXVII.

Qui patriis contenti delitiis, in patria marcescunt, ignavi & pusillanimes.

P.M.A.M. Antonio Geraldino Amerino Protonotario, primogenitæ Reginæ præceptori.

AMicorum, Optimatumque in Urbe degentium dissuasiones me ab Hispania deterrere conabantur. Fere pedem reflectere, vertereque ad Italiam gressum adegerunt. præter cætera namque virum Italum, cui pensi aliquantulum esset, in Hispaniam descendisse, nullum multi ferebant. Nesciebant arbitror, quid esset Hispania, quot etiam ex regionibus variis ad Hispaniam itinera diversis pateant hominibus. pusillanimes ipsi, aut fortunæ cathenis impliciti, quæ sibi difficilia fore credunt, aliis minime possibilia, vel saltem incomposita esse dijudicant, omniaque (quoniam neminem ad Hispaniam profectum fuisse unquam inquiunt) se scire arbitrantur. Jaceant illi clari, Giraldine vates egregie, inter amœna vireta, fortunæque blando sinu viva morte gaudentes ociosi peregrini terræ, clavam erecto jam ad ictum gravem lacerto raptam quantumlibet exspectent. animum mihi præbuisti, & ab ingenti me cura levasti. insanosque ego posthac exemplo tui cunctos vocabo, qui me insane elegisse ulterius improbaverint. vivamus igitur nos à fortunæ calcibus tuti, mi Geraldine, & suam illis fluctuantem Italiam relinquamus. Alexandro fratri tuo juniori dici velim meo nomine salutes. Vale. XIV. Calendas Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XXXVIII.

Nullam vivit horam qui leviter credit. Malis autem displicere honor est. Quomodo dominabimur astris.

P. M. A. M. Alexandro Beraldino Amerino.

PEto à te, mi Alexander, ne ita facilis in credendo sis, Martiamque naturam tuam, quæ te semper trahit in præceps, benigno aliquando Jove, aut jocosa Venere temperare mediteris. possumus, modo velimus, astris dominari, quia minime cogunt. Ea est, mi Alexander, virtutum maxima frenare motus proprios, id perniciosum leviter credere facit, ut leviter judicemus, loquamurque non graviter, quæ minime sunt sapientium præceptis consentanea. Volunt enim ut hominibus tarde credamus, tardius judicemus, tardissime loquamur. Sit tibi exemplo frater tuus Antonius Protonotarius, cujus modestiam, gravitatemque tota hæc Curia admiratur. Scrutatus sum ego ipse, & vestigavi diligenter, quid animi haberet amicus ille erga te, dissimulanter tamen, ne videremur illum facere tanti, ut metueremus, minime corruptum reperi. Sed dato corruptum. Dato etiam ut millenis te vulneribus à tergo despumans transfegerit, ut ad cubitum usque (ut ajunt) in nostri nominis sanguinem suis verbis lacertos immiserit. quid inde, quid mali potest? Invideant, esto, dum non misereantur. Velim igitur, amantissime Alexander, ut his, qui tranquillitatem animi tui delationibus hujuscemodi perturbant, fores occluderes. si namque tali pesti præstiteris aures, ne unam quidem horam in vita bonam te habiturum exspectato. Ignosce tibi ipsi quæso, nec ad omnes catellorum latratus terga vertenda esse putato, invidorum oblocutiones (post-tergales præsertim) salutes ego existimo; maximum namque est bonitatis argumentum, malis, ignavisque hominibus displicere. Vale. quarto decimo Calendis Septembris. M CCCC LXXXVIII.

EPIST

EPIST. XXXIX.

Excusativa. Congratulativa. Laudativa.

P.M.A.M. Fernando A Talavera Episcopo Abulensi, Regio Confessori & Consiliario.

MArtyrem quod ad te rarius proficiscatur, quam debeat, in ingratitudinis & negligentiæ crimen incidere insinuasti, prudentissime Antistes, per patronum, & ductorem meum Comitem accusas, lætor non mediocriter, quia me ab hujusmodi culpæ nota purgatissimum esse cognosco. amoris namque accusationis genus istud est argumentum. si, uti suspicari videris, beneficiorum erga me tuorum oblivione id accideret, utrumque posses jure merito redarguere. sed cum sæpius ad tuas, Præsul optime, fores accedam, continuisque negociis te implicitum reperiam, quia orbis Hispani tota moles, tuis humeris veluti cœlum Atlantæis inhæret, demisso capite, qua veneram, redeo. minime igitur quod me reprehendas doleo. immo ab ea quæ me angebat solicitudine, quod tanto viro frui non liceret, quom non staret per animi tui humanitatem, quin sacrum ad conspectum tuum admittar, levatum me esse sentio. Vale igitur, & me (uti facis) sapientissime Præsul, continua erga me tua benignitate beato. in Calendis Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XL.

Alhama capitur. & quando Rex Alhamam munit.

P. M. A. M. Joanni Arcimboldo Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi.

LActuculam sale & aceto perfusam, quæ appetitum excitaret, non quæ famem excuteret, in patellam me tibi conjecisse conquereris, quando captam urbem Alhamam, indeque belli Granatensis rixam exortam, nec ultra processerint, enarravi. si te Miloneum habere pectus credidissem, magno te bove donassem. Sed cum bene vestros calleam stomachos, qui ultra passulam nauseant, ac vos Rhinocerotis rugis, & gravi supercilio ad omnes, quæ paginæ decimam partem superant epistolas, oculos torvos injicere sciam, primordio tantum vos esse contentos arbitratus sum. Scribam posthac longioribus. sed ne expectetis ad saturitatem, volo vos continue suspensos, potiusque famelicos, quam turgentes. Quascunque ad vos mitto literas stans pede in uno, ut Lucilius ille centum carmina, exaro, nec pergo tantillum fesso pede. Ad rem suam Alhamensem, quam jubes, ut ab ovo ad volatum usque referam, devenio. cape, uti relatum est. Rodericus Legionensis qui Marchio tunc erat Gaditanus, mense Februario anni à nostra redemptione secundi & octuagesimi supra quadringentesimum à millesimo, captæ Zaræ ultionem quærente fortuna, Alhamam ab urbe Granata passuum millia viginti distantem exploratam prius noctu, cum delectis militibus impetit, hostes id minime timentes, quia in Regni utero multis urbibus, ac munitis oppidis circumsepti jacebant, adoritur. furtim capit, aptos ad arma cives trucidat, fœminas cum pueris servat, spolia colligit, urbem sustinet. Granatenses qui Regem habebant Mulleium Bulliacenum, ita senio confectum, quod esset jam cæcus, & invalidus, ubi sese intra viscera Christianos habere senserunt, perniciem, nisi protenus inde Christianos expellant, præsentaneam animadvertunt. Collectis igitur circiter quadraginta (ut aiunt) hominum millibus, Zagallo Regis germano ducente, morituri potius, quam inde re infecta redituri, Alhamam rabidi proficiscuntur. Urbem obsident, tormentis quatiunt, acerbe oppugnant, multi occiduntur, laboratur utrimque vehementer. Marchio interea periculum cernens, quod diu noctuque nunquam eum, suosque milites quiescere à pugna Mauri sinerent, per hostium excubias, nuncios Arabicum callentes idioma, qui Duci Methymnæ Sidoniæ hactenus inimico referant, quo in statu sit, è manibus demittit. præteritæ obliviscatur inimicitiæ, illique suppetias ferat, per literas orat. illico sumens belli gloriam ante oculos, quæ se offerebat, non quas cum Marchione simultates ab incunabulis exercuerat, suos Dux convocat centuriones, quid sese offerat, ostendit. se ad bellum accingant, milites aggregent, imperat, de proprio ærario stipendia per præcones cuique volenti edicit, exercitum comparat. Ex Bætica præterea interiore multi equites, peditesque ducentibus illos Cordubensi, Hispalensi, cæterisque ipsius Bœticæ gubernatoribus, concurrunt, ferunt petitas suppetias. obsidione milites inclusi liberantur. neque enim ausi sunt novum exercitum quod ingens esset exspectare Mauri. Exiit Marchio, Ducem complectitur hactenus hostem, conciliantur, liberatoribus gratias agit. Auri, & argenti, & supellectilium, mancipiorumque prædam sic volentibus, qui succurrerant Ducibus Marchio & sui milites reportant ac redeunt incolumes.

Urbem

Urbem Regi, qui re nunciata ex Methymna Campi longis venerat itineribus, relinquit. Rex præsidio tria hominum millia Duce primum aurato equite Didaco Merulo, dehinc Claverio Calatravæ, Aloisio postmodum Osorio, belli peritissimis ducibus collocat. obsidentur & ipsi, oppugnantur, sese viriliter tuentur, annum isti Alhamam tutantur: Exercitu regio, bis eo tempore summo cum periculo & impensa ad eos eunte. Anno altero creditur hæc provincia amico utriusque vestrum Comiti Tendillæ, quo duce me contuli in Hispaniam. Mauri quoties illum adeunt, toties male saucii plangendo sese redeunt. cætera quæ inde evenerunt, ne solus hoc pabulo fruare, ne etiam in fastidientem caulem lactucula convertatur, ad illustrissimum & Reverendissimum Ascanium exaro. Ergo vale. ex Guadalaiara quo secessi è Curia animi causa cum meo comite. tertio nonas Septembris. MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XLI.

De muris Albami cadentibus. de papyrea moneta. de capta Togiara. ager Granatensis populationi obnoxius. Coinum & alia municipia capiuntur.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ Vice-Comiti, Cardinali Magni Ludovici Germani.

SIngulari doctrina, præcipuisque virtutibus egregius conterraneus noster Joannes Arcimboldus rubro & ipse galero insignitus, quoniam ad eum veluti ad amplitudinem tuam hactenus de meis successibus, Hispanisque rebus non scripserim, minitanti similis conqueritur. isthæc mihi grata est Zelotypia; lucrum est hæc æmulatio mihi paritura. Si namque vestrum alter me aliquando deseruerit, ad alterum confugiam; vult & ipse à me literas, cupio illi satisfacere. nam si in me sævierit, fabam cudet in frontem mihi, nec tueri tu me (quamvis eo potentior) valebis, quia prudens est. ense necdum nudo vulnera incutit, quæ donec medullas læserint, non sentiuntur. est igitur animus alterne scribere, si tua id bona venia facere licebit. O quam lynceos oculos hodie sum assecutus, Romæ agentem Ascanium; ut Arcimboldum ejus sacrum collegam scribere possim, annuentem ex Hispania video. alterutri ergo posthac negocia significabo. ut una tantum pupilla contentus vivam, potius extorquebitis, quam ut de re eadem singulas ad vos literas exarem. Sum namque pigerrimus in scribendo. Prosequar, illustrissime Princeps, quæ facta sunt, de Alhama, retroactisque nil aliud præterquam duo belli pericula, quæ Comiti contigerunt amicissimo tuo, anno quo Alhamam tutabatur, repetiturus. Pars mœnium, qua facilior erat Mauris ingressus, noctu ultro corruit, qui fuerat antea concussa; defueruntque illi, differente Rege ob Maurorum potentiam commeatus, ad stipendia militibus persolvenda pecuniæ. mœnia dum vera reficerentur ex tela, mœnium ipsorum colorem ita sudibus intexuit, & erexit uno die, ut nihilo differre viderentur à veris mœnibus. Mauri de casu mœnium certiores effecti accurrunt, stratagema non sentiunt. mentitos qui id retulerunt arbitrati redierunt. pecuniam vero confringit ex chartæ frustulis, suis quibusdam signis inscriptis, suam quodque monetam denotantibus. edixitque renuenti magis id pecuniæ simulacrum, quam si ex auro & argento decussum esset, fore capitale, jurejurando tantum promittens adveniente exercitu pro sua cuique moneta fidem habiturum. ita & à militari se tumultu, & civitatem à rabie Maurorum liberavit. his ita stantibus, magnum Reges comparant exercitum. restat (uti consuevit) auxilia commeatusque immissura Regina. Ducit exercitum Rex. ex itinere. Taiaram oppidum bene munitum, continuis quatuor diebus, & noctibus, castris positis, arietibus cæterisque tormentis bellicis quatit, scalis vineisque expugnat, funditus evertit. procedit, septos Alhamenses, ac famelicos reficit, fessos educit, recentes sufficit. agrum Granatensibus depopulatur. nec enim ausi sunt Mauri concurrere. exercitus magnitudine confisus Loxiam urbem montanam, natura & mœnibus tutissimam obsidet. Duce Zagallo Mauri ad nostros erumpunt, per collium latera cingunt, ex altis rupibus feriunt, profligant, in fugam vertunt, cum ingenti damno & ignominia discedere cogunt, multos interimunt. Petrus Gerio præter cæteros, cujus erant annua sui status quinquaginta millia ducatorum vectigalia, Calatravæ magister, interficitur. Anno altero qui fuit quintus & octuagesimus, comparato ingenti exercitu itur ad hostes. Coinum oppidum Rex sepit, obsidet, adjacet Coino in conspectu ad passus tercentum oppidulum ab ipso Coino diminutivum nomine *Coinegium*. una obsidetur Coinum, & oppugnatur Coinegium. hoc ubi capitur, illud metu perculsum sese dedit. nam ante Coinorum oculos ex Coinegiensibus centum viginti viri, quod obstiterant, patibulis suspensi. fœminæ

minæ autem eorum cum pueris, & omni supellectili in prædam tractæ. Dum hæc gererentur, cum exercitus parte mittit Rex magnum ensiferorum magistrum obsessum, oppugnatumque Carthamam, vicinumque illis Cazarabonellam oppidum aliud, capitur utrumque. Carthamam itaque Rex proficiscitur, inde versus Malacham collecto exercitu toto movet, ad suburbia illius simulans castra locat. nec enim ad tantæ urbis obsidionem bellicos advexerat aptos apparatus. Mauri milites, qui per aliorum erant oppidorum præsidia divisi, stratagemate dedecepti, Malacham omnes relictis oppidis è vestigio concurrunt. Rondam versus, oppidum præter cætera montanum, inaccessum & inexpugnabile, quod sit natura & arte munitissimum, Gaditanum Marchionem cum tribus equitum millibus, peditibusque ad rei exigentiam, qui vias compendiaque occupent omnia, ne præsidia ulla Rondam petant, advolare jussit. aliò se iturum simulat Marchio. Mauri de Ronda nihil soliciti decipiuntur. Ubi ubi per Marchionem omnes aditus esse occlusos, compendiaque occupata, certior efficitur Rex, ex insperato cum toto exercitu Rondam imparatam adoritur, impetit, militari reperit præsidio desertam. Oppidani (quantum hominibus bello minime aptis licuit) sese tuentur, machinis tormentisque multiplicibus quatiuntur, oppugnantur, insuetis tonitruis & concussionibus territi fœdus ineunt, ut salvis capitibus, & fortunis, oppidum relinquant. Per sequentis anni mensem Maium Alloram ad montana Regni vestibulum, & ipsius validissimum, Setenillumque per autumnum oppida munitissima capiuntur. Sed uti sui juris est æterni fortuna, novercales rugas aliquantisper contraxit. Inter hæc fœlicia, suavesque blanditas funestum munus immiscuit. nam Compostellanus ille idem, qui Carthamam, & Cazarabonellam ceperat, magnus magister, Calatravense potentior, una cum magnanimo Marchione trophæis onusto cum equitibus tribus millibus, peditibus autem (uti creditur) viginti, incursione Malachensem agrum vastaturi, montem qui *Lombas* dicitur, in nonis Aprilis alterius ab Alora & Setenillo amni transgrediuntur. in ejus profunda valle Zagallo duce Mauri nostros circumsepiunt, rotatisque per rupium declivia saxis ingentibus, nostros dispergunt, disturbant, profugant, sternunt. fit miseranda clades, pauci evadunt, quin aut trucidentur, aut captivi ducantur. multi aurati equites, inter quos & Comes Cifonteus interioris Bæticæ Prorex, qui cum auxiliis venerat Hispalensibus, capiuntur. Duces autem ambo primarii ungulis adjuti equorum, suisque speculatoribus, qui locorum naturam, & angustas callium semitas callebant, per montium anfractus, & opaca nemorum illos ducentibus, vix evadunt, suos inter luporum fauces lacerandos deserunt. Jam sentio vobis tam longa scena calce tragico peruncta delicatos stomachos perturbari. mensa igitur attollatur & vale. Idem velim Arcimboldo dici. ex Curia. in nonis Septembris, MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XLII.

Quare virum non salutaverit, causæ morales.

P. M. A. M. Francisco Nigro Protonotario Apostolico urbis pro Innocentio VIII. gubernatori, civi Mediolanensi.

ARguis me, quod ad multos quotidie ad urbem literas destinem, nullas autem ad te, in ipsa Urbe mihi quondam patrono, quomodo tui magistratus fuerim (ut vulgus inquit) Secretarius, tibi pro Innocentio VIII. Pontifice Maximo Urbem moderanti. Annum etiam quod tecum egi eodem loco Perusii memorans, in me videris incuriam aut negligentiam improbare. Nisi tu in superbiæ suspicionem apud me incidisses, faterer ego ingenue utrumque. Sed quomodo naturam tu meam perbelle noveris, qui nisi calcaribus adigar acutissimis, calamum sumere ad scribendum nequeo, sagitta in te, qui me literis tuis nunquam excitasti, revertitur. amorem, veluti meum, ego nemini præsto, præterquam eodem à me comparanti. ita & epistolas ad eos tantum exaro, qui suis à me meas exigunt. Si scrutatus diligenter fueris Ascanium eundem tibi principem & patronum ac mihi, ad me non pauciores literas dedisse reperies, quibus meas extorsit, quam ad illum ego, quas te in manibus habuisse dicis. Ab Arcimboldo, & cive, & archiepiscopo, cardineoque insignito galero totidem, quot ab Ascanio, accepi. Præposuisse etiam forte me tibi Bracharensem ac Pompelonensem Antistites Hispanos, qui literas à me & ipsi habuerunt exprobrabis. malleis me illis scopulisque ac securibus concusserunt, qui à me veluti ex duro silice decuditur ignis, literas habere nixi sunt. tu autem quod vitæ necisque in urbe jus habeas, te ipsum fallis, quia tanta turgidus potestate sub pedibus etiam te habere occidentem arbitraris. In tuto sumus, bone vir, libe-

liberum est vivere, ut lubet. Si à me quicquam volueris, non levius quam à te vitam miseri isti, quos vinculis, cathenis, compedibus, dirisque suppliciis crucias, exorabis. rerum est omnium vicissitudo. tuum erat hactenus imperare, nunc autem meum est, si libuerit obedire. Joco dictum puta; re ipsa scribam ad te, quandocunque per tuas meas te cupere testibus angelis, ut verbo utar tuo, asserueris. gesta meorum Regum, nostræque religionis per eorum felicia auspicia argumentum Ascanianæ Arcimboldanæque literæ indicabunt. Scio namque te ab utroque amatum iri, ob tuas virtutes, & dulcissimæ Patriæ communitate. Vale igitur. ex Curia Hispana. in nonis Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XLIII.

Quod nequeat præceptor non amare discipulum, & pater filium, & quid sibi invicem debeant.

P: M. A. M. Pompelonensi Episcopo Bracharensique Archiepiscopo.

ARbitror, uti jam scripsi, haud aliter vestras esse, quas ad Reverendissimos purpuratos Ascanium & Arcimboldum exaro de rebus Hispanis, quam si ad vos illas destinarem, est eorum humanitas mirabilis, sunt vestra ob fortunas genus & auctoritatem tanta merita, ut nefas esse crederem, si aliud quis existimare auderet. solet namque uterque omne genus hominum ex innata naturæ benignitate magnifacere, summoque amore quos in familiaritatem admiserint prosequi. Vos agitur ambos ab illis non modo diligi, sed & fere observari merito putandum est. quapropter si non tot misero ad vos vestro nomine epistolas, quot forte cuperetis, id esse causæ quod illarum ad vos missas credam existimate. colo namque vos uti decet, multoque nunc majoris facio, ex quo patriam hanc vestram, qua tanta memoratu digna geruntur, degustavi, quam tunc faciebam quando præsens vobiscum corpore versabar. major namque mei pars, quæ est anima, vobiscum continue vivit, & eo efficacius vobiscum, quia de illius fructibus comedistis, de his quæ intra ipsam generantur habitibus, vobis plerosque exhausistis. Vos autem date operam, ut Martyris sæpe nomen in ore habeatis, in pectore semper inclusum servetis, nisi in eam qua sæpe filii erga parentes labe tanguntur, incidere parvifacitis. respondent namque raro paternis affectibus. Scitis sapientum esse testimonio comprobatum, non minus præceptoribus ab arte discipulos quam filios parentibus Jure naturæ debere. & valete. ex Curia. in nonis Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XLIV.

Quæ Principi conveniant, & quomodo debeat excoli.

P. M. A. M. Joanni Velazquez uni de Principis Catholici custodibus.

DE surgente Serenissimo Principe tot Regnorum hærede primario, quid sentiam, qualemve Regem (si vixerit) futurum arbitrer, eques candidissime interrogas. advertisti enim (ut ais) & recte quidem, oculos in illum fixo me intuitu aliquando direxisse, physiognomiam ejus animo colligens, verborum tinnitum, qui an fidelia integra sit, judicium affert, actus denique omnes contemplans, clarum judico. tria namque naturæ dona, quæ perfectos faciunt & consummatos viros, si consentanea illis educatione excolantur, ingenii utpote acumen, memoriam & magnanimitatem, igniculos, solidissima fundamenta possidere illum animadverto: Sed excolere opus est Joan. Velazquez, naturæ istam quæ paucis impenditur, benignitatem. Si torpescere, aut ad ludos, aliaque futilia divertere ingenium ejus desiveritis, memoria corrumpetur, magnamitas in audaciam, prodigalitatem, aut petulantiam, in feritatem tandem commutabitur. ille enim qui ad rerum humilium exercitationem his dotibus utetur, veluti faber argentarius ligonem aut rusticanum aliquod instrumentum hujuscemodi in sua ex argento cudens officina preciosa abutitur materia. ipsa enim in egregii opificis manibus formata compositior exit, atque formosior, quam exstet in seipsa. quam igitur in eximiorum opificum manibus, parentum scilicet ac vestris preciosissimam esse materiam, aperte cognoscam, qualem evasurum existimabo, talem arbitror, ut cum nostro Sulmonense cantare merito, quod ille de Solis regia, de nostro nos futuro Rege *materiam superabat opus* aliquando valeamus, quam dicto parens, parum pervicax blanditiis mollitur, nec frangitur, valetudine si aliquando laborat. O quam mihi ipsi indies magis ac magis placeo, quod tali me tempestate, quam felices hi Reges fœlicem faciunt, in Hispaniam contulerim. bona est res spes non inferior. Ergo vale. ex meo contubernio. tertio idus Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XLV.

Quod inane sit impleri vacuo: quam turpe, rite intelligere, & male operari. quam se decipiant homines.

P. M. A. M. Didaco Muro magnifici Cardinalis Hispaniarum Secretario, Decano Compostelano, viro valde perito.

HEraclitum aliquando, interdum & Democritum, ambos etiam una hora plerumque, vir optime Mure, mihi videor induisse. hircosi quam plures ex his vestris centurionibus, ventoso quodam folle nobilitatis turgidi, me quotidie inopinatum, etiam quandoque sermonibus hujuscemodi aggrediuntur: quid tibi de hoc mundo, Martyr, videtur, quantum in eo decipiamur, quantumque sit oppletus miseriis, curis, solicitudinibus, anxietate, labore? fallax est profecto mundus, fallacia, Martyr, sunt ejus blandimenta. hæc atque alia, Mure, nec insulse quidem. pollent omnes ingenio, sed cuperem ut illorum buccæ sclopos, capitis inversiones, Mure, & quam ore rotundo ista proferant, contemplareris; scripta sono carent ac gestibus. Ita sentire (uti prædicant) putares. accedunt alii reboantes, Virtutem eam esse unicam, quæ coli debeat ab hominibus. Socraticos existimares & Stoicos, velle aliquando (si per necessitatem qua se angi conqueruntur) alii, alii si per ardentes ac fatuos amores licuerit, ad studia literarum se conferre. Jureque id jurando asserunt, sed in crastinum se id differre ajunt: ac si crastinum aliquod aliquando venisset, ita irretiti crastinum expectantes, mundum qui pulcherrimus est & optimus à pulcherrima & optima causa dispositus, tanquam malum ac turpem, quia in ipso turpiter vivunt, temerarie incusant, opinionemque suam, id est, insatiabile rerum visibilium & corruptibilium desiderium, necessitatem quà implicantur, appellant. Hos quomodo videam insanabili morbo valetudinem, qua urgentur oppressos, cognoscere, nec medicum, ut medelam sumant, sed tantum ut ægritudinem detegant, adire crastinumque expectare profiteantur, in Heracliteam aliquando miserationem, interdum in Democriteum cachinnum erumpo. Dixi tamen aliquibus profuturum credens, esse iter ad virtutem apertissimum, nihilque esse homini turpius, quam recte cognoscere, & oblique operari. Nil inanius quam impleri vacuo quærere. Nil levius quam ventum pugno stringere velle. quam facile sit superfluarum rerum contemptum ardentem, quæ homines macerat, sitim extinguere. quam miserum, quom cuique liberum sit à cœnoso luxu, quo immersi vivunt, se non liberare. Sed quid, Mure, contra torrentem? sine amplustre in cassum omnia longioribus, sed frustra prædicavi. Annuunt, laudant, admirantur de virtute sermones, vitam se mutaturos inquiunt. At tamen cras. Tu igitur, Mure, qui incola es, de Hispanis sapientibus unus, horum hydropisin curato, & Apollinem te, aut cum Podalirio & Machaone Æsculapium eorum genitorem, quorum ænigmata Hippocrates enodavit acutiorem esse judicabo. Et bene vale. ex meo contubernio. Idibus Septembris, MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XLVI.

Quæ sint grandia. Qui felices, qui cæci. à quibus cavendum.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio Tendillæ Comiti, Duci & Patrono suo.

SOlet Sortes tibi sororius, illustris Comes, inter ignaros mortales satis gnarus, nos, quod literas tu secteris, ego præbeam, increpare, *Homines*, inquiens, *literis deditos, ad humana minus aptos esse negotia*; ac si humana ea essent, quæ felices homines facerent. Vult, & conatur hic Terræ filius aliquid egurgitare. Sed optato nescit scopo sagittam figere. In genere namque de his, qui sese bonis artibus dedicant, inscius, quid ferat, obloquitur. Literas ac bonas artes eas esse, quæ mundi pulchritudinem, & concordiam forment, regant ac sustineant, quis non videt? Nec recti quicquam ex hominum (ut ajunt) manibus cadere potest, nisi alicujus sapientis consilio dirigatur. Ex literarum igitur studiis & bonis artibus Mundo claritas atque omne, quod bonum est, assurgit. Is autem, ut errorem suum tueatur exemplis quibusdam, manibus se complicat. *Multos se vidisse literatos* (inquit) *ad negotia penitus hebetes & inutiles*; *sine literis autem plures ad quacunque grandia peragenda, mira quadam dexteritate aptissimos*. Ac si *litturatos* inter, quid sit, ac *literatos* discriminis calleat. primum *Humana* falso vocat *grandia*. Sed fac esse grandia; ignorat variam esse erga homines naturæ beneficentiam. Qui natus est ingenio hebeti ac tetrico, ad rura pronior colenda, quam ad grandia negocia pertractanda, quid culpæ est in disciplina, si semper hebes vixerit? Ex inerti per fessoris laborem poterit asinus, quod minus iners evadat,

dat, ambuletque sauvius, instrui. sed qui ex asino, ut equus efficiatur, institerit, operam perdit, atque impensam. Est præterea genus hominum aliud, rebus humanis inutile, sed felicissimum sibi, ac beatum: Eorum scilicet qui mortalia respuendo, longo tempore à negociis ad solitudinem secesserunt. Hi si ad orbis habenas revocentur, veluti à solis radiis, ad desuetas tenebras tanquam allucinati transeuntes cæci pererrant. Inclusi autem hi sunt, qui umbratilia hæc deserentes, suæ mentis perspicacia nobis ad supremi Boni fruitionem (si auscultare illis voluerimus) iter aperiunt. hos iste tuus, mi Patrone, sororius inutiles esse homines, blaterat asinos, heroibus permiscens idem, sine distinctione: quæ sit inter utrosque differentia, haudquaquam intelligit. Improbandus is igitur est, & ab eo cavendum. En dic, sapientissime Comes, si tuo genere, paternaque hæreditate (quamvis optima) contentus sine literis domi, sicut ille, torpuisses, volitaresne per ora Italorum omnium gloriosus? fuistine minus aptus ad negocia durissima, quod literas colueris? Rejicienda sunt itaque *illius* verba, atque à talibus hominibus, tanquam à pernicioso monstro fugiendum est. Vale. ex meo contubernio. XV. Calend. Octobr. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XLVII.

Quæ spes de Principe Ioanne. Quam tuta sit possessio Virtus. Quod instrumentum sit in Principe sapientia. Quomodo quærenda.

P. M. A M. Joanni Serenissimo Principi Hispaniarum.

NUdius tertius, Catholice Princeps, quom ante optatum conspectum tuum admissus starem, injecta in me cælesti tua, quæ me beavit dextera, quod ad eos, qui divinorum parentum tuorum jussu, tibi sunt ex equestri Ordine perpetui comites, epistolas exararem, ad te autem nullas, increpasti. Sereno atque hilari vultu inquiens; *Sumne ego, Martyr, deterior istis, ut minoris me facias?* Tu hæc idiomate patrio, fælix tot Regnorum hæres, ac talibus parentibus felicior, joco protulisti. Ego autem serio innatam istam benignitatem tuam pro maximo jam collato beneficio suscepi. Sed ignosce quæso, ad amicos hos custodes tuos, qui jam ætate maturi literas dedicerunt, serio vel jocose, uti libuerit, scribere fas est. Tu autem, qui *Vice-deus* nobis es in terris (sic enim Reges Philosophi appellant) divina quadam summissione quærendus es. Retinendæ sunt tecum potius habenæ, in Temeritatis crimen ne incidatur, quam solvendæ. Copiosius, quid dicere vellem sentio, quam dicam. Admiror in ætate tam tenera, ingenii tale acumen, in tam insigni Principe eam humanitatem colo. O qualem te Regem fore sperandum est, qui nihil fere unquam exerces puerile. Ultra quam sufficit ætas (uti mihi retulit præceptor tuus) cupis, apprehendis, retines. De magnanimitate nihil ausim dicere, incessu, vultu, sermone, omnibus demum tuis actibus, maximos naturæ igniculos inesse tibi ostendis. Quid dicam de te? qui à parentibus de rebus arduis consultaturis aliquando in consilium admissus, seniles plærumque sententias ad justum & æquum tendentes protulisti. Nil igitur est, quod ad Te scribi possit, ultra gratulationem. Quapropter tibi gratulor, quod in tanto fortunæ gradu, teneraque ætate ita Deum timeas, ut Quantum sit ille, & Quo Modo timendus, inspexisse in ipso Deo videaris. Disciplinamque bonorum artium hæreditatem non grandines, non fulgura, non vim hominum extimescentem, ac si per literas tibi victus esset quæritandus, amplecteris. Gaudeo vero gentilibus Regnis tuis, Rebusque publicis, quæ satis euntibus Ordine suo *Regem*, sunt habitura, qualem sapientes optare solent, *sapientem*, scilicet. Neque enim Regi minus necessariam esse volunt sapientiam quam Animam corpori. Ea res morum habet & bellorum vim. Ea felicissimos homines facit: felicissimam igitur se fore sentit Hispania (modo vixeris) veluti namque sub ignaro Principe omnia corruunt: ita emergunt & prospero flatu navigant, quæ sub sapiente. Vale, magnanime Princeps, & uti cepisti, prosequere. ex meo contubernio. XIIII. Calend. Octobr. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. XLVIII.

Cui debeant reverentiam eruditi. Parum prodest alto sanguine natum esse. Quæ sit hominum vertigo.

P. M. A. M. Alfonso Carrillo Episcopo Pompelonensi.

ABs te plerasque ex meis literis, quas ad Ascanium & Arcimboldum reverendissimos Cardinales exaro, Præsul optime, vidisse: mirarique te dicis animi mei libertatem, inferre volens, quod non voce tremula, non summissa facie, sed jocose interdum, interdum etiam mordicus agam. sine illa quæ tantis Principibus nostræ Legis Cardinibus, vah atque alto sanguine progenitis debetur reverentia, aliquid velle effodere,

dere videris, quod te invenisse pœniteat, Pompelonensis. Nusquam legi, didici nunquam fortunam, nisi à Fortunæ servis debere adorari. Isthæc quam tu pingis reverentia, tremulus iste quidam pavor, degenerem arguens, sacro debetur incorruptibilique, cui nihil cum orbis fece, cum morte tandem cuncta humana æqua lance claudenti, si non sum ego præsentaneus Dinomaches aut Cecropius, nec de ima plebe, à majoribus autem ipsi norunt, quæ taceo, quia parum prodest. Ex Arcadico quis pastore natus erit, an ex Romano Dictatore nil refert: Cicero vero quis sit, an Statilius, plurimum. Ah dices, ad Gratianum Ausonius, ad Trajanum Plinius, ad Augustum Virgilius, multique ad multos hujuscemodi Principes, tanquam ad sacra Numina scriptitabant; panegyricis alii, alii concinentibus hymnis, & carminibus, illorum laudes heroicas summo cum vultus rubore, colli inflexione, totius denique corporis prostratu prosequebantur; Æquare autem sese jocando quisquam eorum minime audebat. Adhuc nesciebam, Pompelonensis, unde ista quam tu mihi exprobras, emerserit libertas. beasti me hodie. ex tuismet sermonibus me liberum esse, jure merito fateris, qui consulatum non expecto, ferri sexta cervice per Vesuvios vapores non datum est. Mantuana extorris prædiola, opimioremque gradum nullum accepi. Antisteas dignitates non affecto; quandoquidem igitur quæ homines in vertiginem ita rapiunt, ut se natos esse liberos obliviscantur, animum mihi minime perturbant. Unde hæc mea Libertas proficiscatur, desinito quærere. Inde namque est. At tamen amborum ego virtutes, quæ sunt extra fortunam, admiror, sed ita ut non formidem potentiam. Quis namque Ascanio magnanimior? est ipsa magnanimitas. Quis humanior Ancimboldo? quis doctior? quis elegantior? quis denique Cardineos inter Proceres his duobus præstantior? Decus Italiæ sunt. Hoc unum abs te peto tamen, per animi gratitudinem discipularem, & generis tui excellentiam, ut an joco id scripseris, an serio, & an illis hæc mea scribendi libertas ingrata sit, aperias. Aut enim (quamvis durum sit veterem exuere pelliculam) mutabo naturam, aut scribere ad illos desinam. Quæ vero hic aguntur, alter ipsorum, quibus es familiarissimus significabit. Vale idem Bracharensi dici velim. Ex Curia. XI. Calend. Octobr. MCCCCLXXXVIII.

EPIST. XLIX.

Baudillus Mullejum Bullacenum Regem patrem tetro claudit carcere, & se Regem facit. Conflictus & captura Baudilli.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ Vice-Comiti, Cardinali.

PEr quæstorem regium, qui se destinaturum ad Urbem celerem ob Regis negotia tabellarum ajebat monitus, quamvis necdum bene frigidas in vestris manibus plerasque deditiones, Loxeamque ac Lombeam ærumnosas ignominias existimem, calamum sumpsi. Gemina illa victoria, Loxea scilicet ac Lombea elati Mauri, Zagallo duce, quem ut bene fortunatum adorabant, ad quindecimum usque lapidem ab urbe Corduba, Castrum rivi incursionibus perturbant, infestant, depopulantur, ingentes prædas abducunt. Majora moliuntur. Sed fati necessitas divina providentia, cujus nutu cuncta reguntur, cadunt vel emergunt, aliud consilium adstruxit. Mullejus Baudillus Regis primogenitus, confectum senio patrem, oculis captum, qui Rex Christianis formidolosus fuerat, Regno abdicatum, in tetrum mittit locum, ubi post paucos dies tædio vitæ confectus moritur. Regnum capit. Regem se nominat. Is patrui successibus invidens ad capiendam cum suis incolis (si quid præclare gesserit) benevolentiam, exercitum comparat. Sequitur illum tota Granatensis nobilitas, sequuntur & inutiles multi saccis & cistis sparteis ingentibus jumenta onusta, in quibus se Christianorum prædas conjecturos (de victoria nil ambigentes) ajebant. Lucenam, ejus qui Damicellorum *Alcaidus* (id est *præfectus*) appellatur, oppidum adit, agrum vastat, quæcunque se offerunt, depopulatur. It fama per vicinias, Mauros cum ingenti exercitu pervagari. Comes Caprensis, qui Damicellorum præfecti patruus, vicinior cæteris erat Proceribus, cum equitibus quadringentis advolat, afflictum reperit nepotem, qui adolescens erat. ad hostium conspectum cum non pluribus quam quingentis equitibus, peditibus autem mille sexcentis, utrimque collectis advenit; in septem acies, suas divisisse copias, hostes reperit. Præsagiente quodam Titillo, pugnare Comes optabat. Oculos in hostes fixo intuitu attollens, de confligendo loquitur. nullo pacto tanti exercitus tentandam esse fortunam, cum tam parva manu nepos ajebat. ad quem patruus: Dominus exercituum, in cujus manu cuncta sunt posita, majora ali-

quando

quando permisisse reperitur, nec attonitus, ac nescio quo spiritu flammans inspicit quemquam. Hæc ita dum bellico furore percitus obloquitur; ecce à Maurorum latere per declivem collem Christianas quasdam clangere tubas, tympanaque reboare Mauri in obscura nebula percipiunt. Erat enim is dies Aprilis primus & vigesimus nebula obvolutus. adventabat namque, sic hæsitantibus nostris, cum sexdecim tantum equitibus ab ea parte decurio quidam Comitis, qui feliciter arma à pueritia exercuerat. ajunt enim hunc singulari certamine, & in acie pluries collatis signis se strenue gessisse. Mauri totam adesse Bæticam arbitrati, divisas acies in unum globum reducunt. *Ad illos, ad illos* (tanquam insanus) clarissima voce, fugiunt namque, fugiunt, Comes inclamitat. conserunt manum, præcipites nostri ruunt, hostes fugiunt. insequuntur, multos trucidant, plures capiunt. Quas Mauri sparteas attulerant sportas, Christiani de Maurorum præda complent. Regem & universam fere Granatensem nobilitatem, in fossis ac fluminis ripis collapsam prehendunt. nam sese in occurrentibus fluviis, ac de celsis rupibus viarum ignari, fugientes præcipitabant. Rex ipse in peditum Lucenensium manus ultra ripam fluvii *Rianzur*, id est, *fluvio testi victoriæ* nomen incidit. En habes, illustrissime Princeps, quantum sit rebus humanis fidendum. Alienis exemplis brevi tempore mutari (volente Deo) fortunam edoceamur, à parvis & quandoque catellis leones posse domari, doctum cognoscamus,& vale.ex Curia.Idibus Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. L.

Quanti faciendus sit Salustius.

P. M. A. M. Didaco à Corduba Capræ Comiti.

PLacere tibi Salustium, clare Comes, & illius fortunatissimi Regum raptoris hæres bene merito scribis. cupereque te inquis, ut aliquando Baënam tuum oppidum insigne (uti relatum est) casu aliquo adductus me conferrem, ut passus aliquos tibi minime pervios enodem. fateris tibi esse duriusculum, quoniam à teneris prima literarum erudimenta, peritorum inopia minime fueris adeptus, nec reperire te, qui ejus nodos aperiat, retulisti. quam tibi placere Sallustium, generose Comes, tu mihi significasti, tam mihi tuas placuisse literas pro Sibyllæ folio habeto. Indies magis ac magis quanta sit ingeniorum Hispanorum vis, quanta sit ad virtutes Nobilium mens erecta, conjicio. quantum proniores ad virtutem cognovero, tanto mihi spem majorem apprehendam, me si pedem in Hispania fixero, amatum iri à bonis omnibus. proclives namque ad virtutem neminem oderunt, & eos qui ipsorum judicio literas amplectuntur, amant, amando tuentur, & fovent. Quod Autorem istum feceris, totis viribus suadeo. in manibus semper illum (ut Cicero Terentium) habeas, & colas hortor. Is enim est Imperatoribus, & bellorum ducibus dignissimus Achates. neque philosophantibus inutilis. is tersus & succo plenus. is brevis & dilucidus. is denique ita decorus & compositus, ut de illo demere quicquam, aut addere, vel mutare nemo possit, quin totus, veluti à suo subjecto substantia corrumpatur. Audi quid de illo Bilbileus vates Hispanus uno Carmine referat, & quanti faciendus sit existimaveris. Ait enim:

Crispus Romana primus in historia.

Ad castra propediem cum Regibus me conferam. Quia militari sum in eorum stipendio sacramento adstrictus, adibis & tu majores tuos imitatus, te conveniam, tibi obsequar libentissime, affer pro Othoneo speculo inter sarcinas tu militares Salustium, & vale. ex Guadalajaria tuæ genitricis patria. Idibus Septembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LI.

Qualiter suscepti fuerint Capræ Comes & Alcaidus Damicellorum. Idem Comes profligatur ad Moclinum. Combilum & Alabarum oppida capiunt. Rex captus solvitur obside dato filio. Intestino se bello fatigant patruus & nepos in Granata.

P. M. A. M. Joannes Arcimboldo Civi & Archiepiscopo Mediolanensi, Cardinali S. P.

POmpelonensis Episcopus vobis ob ejus virtutes, & generis nobilitatem familiaris de mea, nescio quid, in scribendo ad vos, Libertate cornicatus est. claudo ab hac die bellorum portas, nec à me literas, præter has, ullas exspectetis, quoad, an vestra id mente scripserit, certiorem feceritis, ut meas ad illum literas ostendat cogite, & quid scripserit, quo etiam, ut ad vestros navigem portus, vento opus sit, intelligetis. ad rem deveniamus. Illustrissimo ac reverendissimo Ascanio scripsi Mullejum Baudillum Mullei Bullaceni Christianis formidolosi quondam Regis filium, per Comitem Caprensem patruum & Damicellorum præfectum nepotem, captum

captùm. longe aberat eo tempore Rex & Regina Gallicis acti negociis. Victoriæ namque oppido Gallis inter Pyrenæos finitimo tenebantur, Baudillo in fida custodia relicto. Tam insignis delphini captura, non parum alacres piscatores, Reges adeunt honorifice, quales tantæ rei auctores decebat; à Regibus suscipiuntur: *æquum esse*, inquiunt Reges, *ut qui Reges vincunt, apud Reges sedeant, in eorumque mensa comedant.* Neminem Hispani Reges, Reverendissime Purpurate, mensa Regia dignum, præter eum qui aut Regem ceperit aut servaverit, efficiunt. Sederunt igitur & in mensa, cunctis spectantibus, de lance regia cœnaverunt. Post hæc magis donatos muneribus & insigni præcipue stemmate, dimidio utpote coronati Regis corpore catenato, duobus & viginti quæ ceperant vexillis circumscepto, decoratos remittunt. Reges post paucos dies illos Cordubam in Bæticam sequuntur. Cordubenses namque & ab his qui Cordubam in Christianorum manus conjecerunt oriundi ambo Baudilli captores erant. adeuntibus, Rex Baudillus per captores obsignatur. Interea dum Baudillum ita detinent, cum ingenti exercitu Moclinum oppidum inter nubila erectum ab urbe Granata millia passuum novem, obsessurus Rex movet. Priusquam Rex cum exercitu adventaret; Comes idem Capræ, qui Baudillum cum nepote ceperat. præcucurrit se castrametaturum, venturoque exercitu stationes pro cujusque gradu assignaturum existimans. Delecti Granatenses, qui bene fortunatum erexerant in Regem Zagallum, eo duce Moclini partim, partim per vicina nemora in insidiis latitabant. Exeunt tanquam è speluncis, ubi filios lactant rabidissimæ tigres, impetunt, nostros profligant, in fugam vertunt, trucidant circiter duo millia. re infecta vix Comes graviter vulneratus evadit. His auditis, Rex aliud iter capit, duoque inde distantia adoritur oppidula, Cambilum scilicet & Alabarum, ea quamvis natura munitissima, quod essent in excelsis quibusdam rupibus ædificata, vi tormentorum concussa, capit tamen. Cordubam ad Reginam redit. Proceres an remittendus, an dimittendus, ut per eum discordiæ seminaria inter Mauros jaciantur, Baudillus Rex sit, ad consilium vocant. Variæ feruntur sententiæ in diversa diversis tendentibus. ex ipsius tandem Comitis Caprensis consilio relicto in obsidem filio, ac fide præstita de adversando patruo, nostrisque rebus favendo dimittitur. Granatam pergit Baudillus, invito patruo, Civitatis partem quæ dicitur *Albaizinum* (civibus ejus advocantibus) occupat. *Alcazavam* partem aliam Zagallus retinet, mutuis sese invicem, & plus quam civilibus die noctuque præliis conficiunt. Patruus tandem à nepote cui centuriones duos Gundisalvum Fernandum de Corduba, & Martinum Alarconum cum sua quemque centuria nostri Reges in auxilium dederant, victus fugatur. Malacham se ejectum recipit Zagallus. Urbs Granata Regni caput Baudillo nepoti libera restat. Sol inclinat, cursor ad discessum se apparat, Regius quæstor ut dem literas in fascem includendas instat. Ergo valete. Sat prata bibere. ex Curia. XVIII. Calendas Octobris, MCCCCLXXXVIII.

EPIST. LII.

Vocatur Auctor Salmanticam.

P. M. A. M. Gutterrio à Toleto Regis Consobrino, Scholastico Salmanticæ.

UT ad vos eam, Illustris Gutteri, rogando imperas. Constitueram profecto passerculus ad accipitrem minime proficisci. Sed quom tu aquila, Regulum sub alas allaturum defensurumque pollicearis, ab instituto discedere est consilium. quia præsertim donec belli tempus ad aliquam obsidionem adveniat, ociosus ago. Justa enim hæc arma dum sufficit ætas & corpus non invalidum, ne frustra in Hispaniam hac tempestate me contulerim, sequar. Ibo ad vos interea, & quandoquidem tu, qui es Regis consobrinus, ejusque præclaræ Academiæ Scholasticus, nec minus ob animi magnanimitatem & mansuetudinem, quam ob genus ac divitias moderator sapientissimus, ita jubes. Hoc unum tamen scias velim, Petrum Ponteum Jurisconsultum, qui vices tuas gerit, labia de me nimium protendisse. Mogueram ejus patriam cum superioribus diebus in oppido Mondeiar illi propinquo apud Comitem ducem meum ociarer, animi causa illum adivi, Tetrastichon ibi jocans excussi. Inde commotus, nec aliud ultra quæritans, talia esse omnia & quæcunque latebant, existimavit. Judicium quale voluit, aut arbitratus est fecit, majora Vobis de me, uti video quam ego sentiam persuasit. abibo tamen inter tertium diem, istam omnium bonarum artium officinam, ut vos jam tandem ab hac Pontea fraude exsolvatis, petiturus. Vale. data Guadalfagiaræ. X Calend. Octobris, MCCCCLXXXVIII.

EPIST. LIII.

Semiobrutus Salmanticam appulsus est Auctor.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio Comiti Tendillæ, ductori suo.

GUadalfagiaria (uti meministi) quarto decimo Calendas Aprilis à Te, Comes illustris, Salmanticam tuo jussu petiturus discessi. Austrum habui toto itinere ita comitem, quod non magis tu sis Tendillæ Comes. hospitabar tota vespera madidus adusque viscera. exorto mane, vestibus nec bene siccatis abibam. obrutus cœno ad uterum equorum tota die pergebam. Cedrones rivulos in Nilos, Padosque reperiebam versos. Pergere per viam non valebamus, nec via exire fas erat. in via cœno impediebamur in agris, quod diuturna pluvia mollefacti essent, summergebamur. existimas forte, Gasparem tuum, cui cognomen à te impositum est *Bona guia*, quod me comitaretur, quicquam profuisse? nec Gaspar de malis viarum ductoribus qui tantillo me labore levaret, nec *bona* unquam fuit *guia*. Appulsus tandem fui quinque continuis actis diebus, sine solis aut stellæ ullius adspectu x. Calendas Octobris. imbribus excussis, & siccatis vestibus, urbem perambulo, Gutterrium Scholasticum, Petrumque Ponteum tibi amicissimum meumque raucum præconem adibo; tuo nomine (uti jussisti) salutabo. quid inde eveniet, significabo. Salmanticæ IX. Calendas Octobris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LIV.

Non semper operam esse ab amicis exigendam.

P. M. A. M. Lucio Marineo Siculo, viro Poëtico, Salmanticæ profitenti.

HEri noctu, Marineu Sicule, ubi me advenisse intellexisti, ad me subito profectus es. Nullius certe gratior (mihi crede) fuit salutatio. quos namque literarum eadem disciplina animis copulavit, adspectu corporeo (nisi adsit invidia) connectere amor desiderat. accedebat eandem esse mihi, quæ tibi, patriam. Exiguo quamvis dirimamur freto: non potuere tamen infames illæ navium atque hominum voratrices Scylla & Charybdis, quin pars Italiæ semper Sicilia vocaretur, efficere. ut quæ ab autoribus, quod una fuerit eademque tellus referuntur, omittamus. Quo igitur animo ista sentirem, quia tunc verbis (ut verbis verba redderentur) salutatoribus aliis erat satisfaciendum, tibi vero corde, re, ac totis viribus: volui prius illis quam tibi, ne succenserent, satisfacere. Ignosce igitur, mi Sicule, si suscipiendis aliis qui me salutabunt implicitus, oculos sermonemque à te, quem perpetuum fore addixi, aliquantulum converti. succinctè tamen ad aurem, quomodo se tecum haberent Salamantini, quom interrogassem, non deesse qui te mordeant, respondisti. voluissesque (ut animadverti) longioribus expectorare; sed novi turbarunt, quos vicescholasticus adduxit, salutatores. sensi tamen quo tenderes. itaque paulum commoratus ut te accirem, circumspexi. me inscio discessisse te retulerunt. ne iratus abieris opto. nec debes quidem. non enim ab amico semper est opera exigenda. nisi tu me adieris quam primum domo exiero, te ipsum ego perquiram. hæc pauca quæ strato surgens exaravi, in animi mei argumentum accipito. Vale. ex meo contubernio. IX. Calendas Octobris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LV.

Quis sit miserrimus. qua ratione judicent homines de hominibus. Discrimen periti ab imperito. Quod crimen pœnam secum ferat.

P. M. A. M. Lucio Marineo Siculo Salmanticæ profitenti.

HOc, Marineu Sicule, dum cœnà paratur, quod mihi nocturni temporis superest, amico tibi est animus condonare. Nequivi voce viva heri tui conquestui, ut te solarer, respondere. invidere tibi plerosque, dehinc mordere, anxius inquis. quam diverso nati sumus fato. unicum ego in terris eum esse miserrimum judico de quo siletur. De hominibus igitur coguntur homines loqui. Inutiles prorsus mortui vivunt, quia non sunt digni ut de ipsis mentio fiat. Mentio de hominibus non secundum hominis de quo sermo est, bona vel mala merita fit; sed juxta de homine loquentis affectum. Hi soli sapientes sunt qui pro cujusque meriti ratione prævia verba proferunt. De Salamantinis sapientibus, quamvis numero pauci sint ubique sapientes, scrutatus ego ipse sum ab his qui me venerunt salutatum, quid de te sentiant. quod mitissimus, quod etiam sis huic utilis universitati fatentur. carpsisse autem neminem testor. de cæteris quid tibi est curæ? An nescis, oppositis opposita semper adversa fuisse? Peritus ab imperito non minus distat quam validus ab invalido; imo & quam medicus ab inobedienti ægroto. Validis

invidetur: invalidis autem miseremur. aut igitur invideant necesse est, aut misereantur. Elige quid velis. Obtrectatores infernis canibus comparantur, qui suo se latratu cruciant: fortes vero minime exterrent. Morsus tu invidorum latratus appellas; vindictam ego peccati vocito. nullum est namque peccatum quod vindictam secum ferat eo plenius. cæteri errores censoria nota plectuntur: hunc nascentem præsentanea pœna comitatur. Memini me tibi, ni fallor, idem consilium præbuisse, ferendo scilicet ac plaudendo, in alienis præcipue terris, esse vincendum. ergo vale. VIII. Calendas Octobris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LVI.

Quanti sit ponderis, affectus amici; eruditi præcipue.

P. M. A. M. Antonio Nebrissensi, Oratori, amico.

EO libentius me Salmanticam advocatus conferebam, quo meum Nebrissensem, qui se in Italia decennium inter odoras lauros, & virentes hederarum corymbos consumpsisse, lætatur, reperturum arbitrabar. veluti namque sitiens ager opportunos imbres affectat: ita qui amat, præsertim (virtute trahente) virum amatum toto pectore complectitur, in eoque seipsum reperit. Non enim nos ibi esse, ubi nostrum est corpus, vere dicemus. umbra quidem corpus hominis est; animus autem homo. Itaque ubi major pars hominis exstet ac melior, quæ est animus; ibi hominem jure esse merito dicemus. Cum igitur animum ob tuas tibi virtutes dediderim, majorem mei partem condonavi. quapropter quam molestum mihi fuerit, quod te hic non repererim, tu ipse conjectator. Delectarunt me tamen non mediocriter quædam tui simulacra, tui nominis scilicet exsuscitatores, juvenes eloquentia pollentes, discipuli tibi haud aliter grati, quam suo Socrati divinus Plato. semel tantum ad me, postquam ad hanc tibi patriam me contuli, Vir insignis, literas dedisti. Velim sæpissime, ni sit molestum. vale. ex meo contubernio. Salmanticæ. VI. Calendas Octobris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LVII.

Professus est Autor Salmanticæ. Multa & jocosa & moralia.

P. M. A. M. Eneco Lupo Tendillæ Comiti, ductori suo in Hispaniam.

DIes agitur tredecimus, ex quo per terrarum atque imbrium graves labores, uti per aliam Epistolam tibi significavi, Salmanticam adveni. inclusi domibus propter inauditas nives, quas oppositus Austro rigidus Boreas demisit, continuos egimus tam adverso tempore quatuor dies. scholarum ac vicini templi foribus in hujus Universitatis laudem affixi, decem tantum carminum epigramma. propterea in me totius Universitatis amor convertitur. cogor aliquid profiteri. Ponteus igitur ad me veniens, ut me includam, ac diligenter quæ lecturus sim, percurram, rimer, perfricem; me esse Salmanticæ meminerim, hortatur, monet ac solicite rogat. Me esse Martyrem, de quo tanta promiserit, petiturumque dum suggestum adscendero, *quid velint profitear*, respondeo. Ille verba hæc Temeritati adscribens subtristis recessit. Ego autem quando illa protuli tumida, quæ dicerem, non ignorabam. Sciebam namque de Juvenali qui mihi est familiaris, ducturos ut profiterer; imo & fueram arcane monitus, ut joci causa his verbis Ponteum deterrerem. Itaque post meridiem hora secunda, crastina die, peregrinum hominem de Juvenali professurum per præcones edicitur. Erat is dies Jovis, quo vacatur à publicis lectionibus. tanta priorum accurrit multitudo, ut scholas ingredi minime potuerimus. Doctores plerique ut scholastico militi (quem *Bidellum* vocant) ad iter aperiendum faverent, lanceis ac fustibus se accingunt: inclamitando, minando, percutiendo fit via. capior ego hominum cervicibus & ad suggestum pensilis feror. cuculatus unus Gometius à Toleto tibi à Comitissa Coriana ipsius matre consanguineus, Alfonsusque Acevedus Archiepiscopi Compostellani filius, & inferiores alii plures è multitudine semisuffocati efferuntur. cripidæ innumeræ, pilei non pauci amittuntur. pallia lacerantur. purpuream inter cæteros amisit Bidellus, quæ illi deciderat, lacernam. an me cujus causa illam amiserat, ad ejus solutionem compellere possit, Doctores consulit. irridetur. Sed ad nos redeamus. Quom noster sit iste dies, ex suggestu *quid velint*, interrogo. Secundam

cundam Juvenalis satyram Marineus Siculus, qui Poësim hic profitetur, pro cunctis assignat. Ultra Sauromatas, nives collectum illos mitto. ante horam destinatam quam secundam diximus adscenderam, ad tertiam usque sine tumultu ullo, sine strepitu, sine motu exspector, arrectis auribus audior. hora tertia jam me arguente quod prolixus essem, duo juvenes, ut moris est, pedibus terram perfricant. improbantur à senioribus. prosequar, orant. perfecto quod inceperam capite, veniam petens descendo. Domum tanquam ex Olympo victorem primarii me comitantur. est operæ pretium adhuc trementem Ponteum, illustris Comes, tuum quamvis gaudeat intueri. Qui arcani sunt participes, illum veluti noctuam joco insectantur. adhuc sedare perturbatas aristas nequit. Sed tu, Patrone, me alium scito quam à te discesserim rediturum, hominem sacrifices oportet, si meo volueris posthac colloquio frui, qualem sis ad Triumphum, quo à tam celebri victoria redeuntem ad te Martyrem suscipias, currum quadrijugem structurus, curiose meditator. Per viatorem quendam qui se Guadalfagiariam Concham iter facturus retulit, ampullosa hæc multa habeto. Quam cretatum hodie palponem me esse cognosces, nemini (ne te ipsum lædas qui me adduxisti) enarrabis. Triduum adhuc aut forte quatriduum hic me, dum in itinere conceptum frigus humidum è medullis eruam, continebo. Vale interea. Salmanticæ. IV. Calend. Octobr. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LVIII.

Panegyricus sub specie gratiarum actionis.

P. M. A. M. Gutterio à Toleto Scholastico Salamantino, Regis consobrino.

ALtilia, ortygias etiam volucres ad me, generose Gutterri scholastice, misisti, amoris erga me tui, ut lator inquit, monumentum. ad hoc quom nihil parvum esse possit, quod à magno proficiscatur tuo nomine, *munusculum* appellavit, te præterea resque tuas quod mihi debeas obtulit. à Gutterrio genere, fortunis, honoribus, quamvis non ad merita, virtutibus denique omnibus ornato per internuncium hæc prodierunt. Obmutui ego hæsitavique diu, nec ullo pacto quid illi responderem, occurrebat, gratias agerem, nec me aliquantulum pensitavi. umbram namque tenuem pro arbore maxima, suavibus honusta fructibus, pendere velle videbar. Referre autem nec poteram nec debebam si potuissem. quia neque id Amplitudo tua expetit, neque mea sufficit fortuna. isthæc relatio inter privatos aut æquales potest ac debet accidere. Quid namque beneficii potest cuniculus præstare leoni? tanta igitur occurrebant, ut nullo pacto vel ad minimam eorum quæ sentiebam partem sermo suppeteret. Familiarem igitur tuum me responsurum, inquiens, remisi. non ut ingratus, sed ut mole beneficii, non muneris externi, sed internæ humanitatis oppressus, quod te illi debere, qui tibi omnia debet retulerit. Suntne humanæ vires ullæ, quæ pretium huic mihi exhibito honori suggerere queant? Honorasti me supra quam mea exposcant merita, nec desinis honorare, atque adhuc te debere quod unico jussu tuo Salmanticam venerim, publice profiteris. Multo magis quam ego ipse unquam optaverim mihi, præstitisti, ut tanti fierem à tanto viro. quia promeruisse me, non sentio, nunquam desideravi. Magnanimitatem igitur benificentiamque tuam ad aliena refers merita. Dato, te mihi aliquando debuisse, quod accitus venerim. nonne Talentum Atticum pro exili numo persolveras? Quid opus erat, ut iterum debere te diceres, donaque impenderes extera? Ah ah scio quid feceris! mentem illam auream Gratiani imperatoris, qui debere se continue prædicabat, quamvis debita persolveret, qui etiam conferendis ullum cui semel debuisset, beneficiis finem, imponere nesciebat, imitari voluisti. Imperatorem igitur illum uti virtute ac præclara Regum consanguinitate æmularis; ita fortuna superes, ad triplicem aliquando tiaram, quandoquidem sacris initiatus es, proveharis, à Tonante nostro supplicibus votis orabimus. Vale. ex meo contubernio. tertio Calend. Octobris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LIX.

Quomodo non vivatur, vivendo. Quomodo se quærere debeant homines.

P.M.A.M. Tendillæ Comiti, patrono suo, armorum ductori.

VIvere mihi sine te (in Hispania præsertim) candidissime Comes, non est vivere. Ex his quos aut literarum, aut nobilitatis ornamentis bonos vulgo appellatis, nullus mihi occurrit, cujus humanitas animique magnitudo non placeat. Ast sine te; sine nutrice infans; sine patre filius; sine ductore miles, pererro. quid hoc sit nescio. arbitror longam id effecisse consuetudinem, quæ tena-

cem forte ob virtutes tuas contraxit amorem. Si namque dormio, matutino etiam somno (qui minus inanis esse dicitur) sum tecum. Si per viam gradior, impressam animo figuram tuam semper gero. Sive comedam, sive bibam, sive aliud quicquam operer, in meo te corde veluti me ipsum in speculo, aut nitidi fontis margine, continue intueor. Non sum igitur mei juris, quia mecum non habito. Itaque ut me quæram, ne à me ipso tanto tempore me alienum fuisse ulterius conquerar, jam compellor. Nonne hoc magnum? ut breviores fuisse menses quibus una fuimus, quam totidem quibus absfui dies opinatus sim? abibo igitur cras, Deo dante, sine quo nec folium vertitur. liquefactæ sunt jam nives, quæ ne prius discederem, impediebant. itinera erunt non ita invia, neque ad meam Eurydicen (veluti quando illi terga vertebam) retrospicere cogar, quom eam à fronte sim habiturus. concitatiore propterea gressu ad te redibo quam venerim, Salmanticam. & vale. Salmanticæ. pridie Calendas Octobr. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LX.

De Universitate Salamantica mira.

P. M. A. M. Ferdinando à Talavera, Episcopo Abulensi, Confessori Consiliarioque Regio.

APud te, Præsul optime, post reditum meum ab urbe Salamantica nudius tertius prandebam, quom ut urbem illam ejusque Universitatem tibi ego depingerem, qualem esse comprehenderam, imperasti. Sermonem ordiebar, quando veniens qui te vocavit ad regiam nuncius, intercepit. Accipito calamo, quod lingua non licuit. Novas Athenas, novumque Senatum, me vidisse, opinatus sum. Urbem vidi, severis Catonibus, ac Lycurgis, integerrimisque Solonibus, refertissimam. Apollinis educationem, Æsculapiique progeniem, eminentissimam inveni. eorum qui divina scrutantur, fricant ac terunt penetralia, copiam ingentem ibi (diversis in coronis) operæ pretium est audire, ut Podaliria alii ænigmata, cum Trismegisteis arcanis, nodos ut alii Legum exolvant. parte alia miris quodammodo modis certatim, quæ sit supra cælestium cura spiritum, quo etiam flatu jussi humana dirigant, & gubernent. neque ab atomo ad excelsos montes, quodcunque intactum relinquitur. à summa rerum omnium intelligentia cælestes orbes versanti, ad minimum elementale vel sectile exactissime discutitur. quo *pretio* quis *Deum emere* possit, eo scilicet, quo nos ipse comparavit, hoc est, *charitate*, enucleatur: qua efficimur, si eam exercebimus, super omnes homines, imo & super cælestes Angelos, ditissimi. quia Deo & hominibus thesaurum nobis amplissimum hac merce comparamus. Sed quid ego hæc? Favos apibus, piper Venetis mercatoribus, Arabicis thura Sabæis vendo. tu ista adamussim sensisti quondam, didicisti in eadem ipsa Academia, & docuisti. nunc perfectus & consummatus ista exerces, Reges instruis, ut Deo pleni, ut charitatem amplectantur. pavidi simul atque alacres, ut illum timeant, ament, colant, si se ac sua Regna servare, si Barbaros Tyrannosque sternere velint, die noctuque suades, imo & persuades. nihil enim jam illis sanctius, nihil religiosius; sunt denique ipsa Religio. Gaude igitur tu, mire opifex, qui materiam illis insitam à natura talem reperisti, ut in ea formare tam præclaros virtutis vultus, tamque cælestes mores ita facile potueris. Servet Altitonans ad Nestoris annos discipulos simul & præceptorem. Vale. ex meo contubernio. idib. Octobr. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LXI.

Quomodo sibi ipsis vitam acerbam quærant homines.

P. M. A. M. Joanni Borromeo, Aurato Equiti Aronæ & Verbani lacus Comiti.

LOnga mihi epistola, dignissime Comes, de contortis moribus, & pervicacia junioris tui erga te fratris significasti: expectorare te, inquiens, & animum ab anxietate levare aliquantisper, quando super ea materia tempus aliquod scribendo teris. Habeo tibi gratias ingentes, quod me tanti facias, ut dignum me esse, cui tui pectoris Arcana aperiantur existimes. Velle tibi consilium dare, est Salomoni sapientiam profiteri, Hippocrati vel Galeno pharmacum præbere. attamen si tritici modiolus in horreum grande jaciatur, parum licet ad ingentem cumulum augendum faciat, modiolum tamen superadditum, horrei dominus inveniet. Dicam igitur, ut meo erga te fungar officio, quid sentiam. Si, benignissime Comes, fratris angunt vitia, quod te familiamque tuam (quæ viris semper honestissimis, atque integerrimis enituit) denigrare videatur; falleris, ac sine ratione te maceras. quoniam quanto magis ille incontinens ac petulans, tanto magis tua virtus atque innocentia elucescit. Albedo namque nigredini opposita, candidior judicatur. Vertit, inquis, mihi terga, obloqui-

loquitur, detrahit, insidiatur: acerbam te vitam ferre cogi gemis; ut corrigatur, moresque mutet optares. Impossibilia velles, non optanda cupis, cupienda fugis, non timenda formidas. Canibusne tu latratum tollere conaris? Senescit Cerberus apud inferos, novi nascantur canes oportet. Studet namque natura unumquodque semel creatum, in suo genere novo semper fœtu præservare. detrahit? Vulgarissimum est, probis viris, tum ob invidiam, tum ob dissimilitudinem, improbos solere detrahere, invidere, odisse, tum pro consummato haberi, quem malus improbaverit, ac malos æquo pectore tulerit. hæc data obtrectatoribus pœna, ut quanto magis lingua (instrumento nobili) abutantur, tanto magis se polluant, minorisque ab hominibus fiant. plectitur igitur satis. Aufugit ille fratris consuetudinem, inquis; Deo gratias agito. quia te pestifera sua contagione inficeret. insidiatur? cautiorem te ac vigilantiorem efficiet. Virtus ex duro cuditur; nec itur ad astra plano pede. Aurum non aqua molli, sed igne rabido purius efficitur. Debes illi plurimum, qui tibi ut consummatior & perfectior indies evadas, materiam præbet. cujus si est natura non tuæ similis, gaudeto vehementer, quod illius similis tua non sit. utrique dabit suis operibus præmium Deus consentaneum. Mutet vulpecula mores, lupus mutet, tunc & ipse mutabit; Visne tu sideribus invitis & repugnantibus, ut qui Saturno aut pestifero Cane Syrio sit afflatus, placidæ Veneris naturam, aut magnanimi Jovis benignitatem inveteratus resumat? Laterem ut ille, & tu lavas. ergo vale. Mitte qui à me quinque solidos exigat, quandoquidem non petenti consilium dedi. ex Curia IV. Idibus Octobris, MCCCCLXXXVIII.

Epist. LXII.

Quanti Libertas æstimetur. Loxia & Hilora; Moclinum & Mons Frigidus capiuntur. Comes Scalensis Anglus vulneratur. facetum ejus dictum.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, magni Ludovici fratri, Cardinali.

VEniens à vobis placidus Eurus condensa nubila quæ in orbe nostro Pompelonensis Antistes glomeraverat, ita dispersit, ut sine tonitru, sine fulgure, serenum aërem ad vota reliquerit. turbaverat ille, quamvis jocose, de mea erga vos libertate exarasse rescripserit. quod Trehitia, vestra suaviore, vos cithara demulsistis, obsequendi vobis tanta isthæc humanitas animum duplicavit. Dicitis namque ac si ore uno vos ambo loqueremini, nihil à me scribi quod vestros oculos magis oblectet, quam scribendi modus, qui liber sit, nullis ambagibus, nulla pestifera adulatione aut sclopo turgenti fucatus. quibus ex rebus esse candidissimam erga vos mentem meam, verique medullam ea esse quæ scribo, vos animadvertere longa oratione prædicatis. Aperiantur igitur jam clausæ fores, tollanturque stipati cardines, ac de molesto silenti carcere galeatus noster Gradivus concitatus egrediatur. Anno sexto & octuagesimo Baudillo nepote Granatam regni caput, Zagallo patruo Malacham urbem primariam maritimam tenentibus, ingens comparatur exercitus. cuncti proceres auxilia pro suis quisque fortunis, ad regiones per se omnes tulerunt. Uti solitam esse diximus, Regina commeatus cæteraque tanto exercitui necessaria summissura, sequitur à tergo virum. Loxiam, in cujus agro profligatus quondam fuerat, Rex proficiscitur, sepit, obsidet, quatit, oppugnat. intra urbem Baudillus Rex cum tota Granatensi se includit militia; difficile captu suburbium illico aggreditur, irrumpunt, vi armorum ingrediuntur. Cæsis utrimque militibus plerisque, stationes figunt nostri; quotquot horis infestantur, substinet tamen Hispanus belli gloria percitus, quod præcipue contra Exleges gereretur. Ab orbe venit Britano juvenis animo, genere, divitiis ac titulo pollens Scalæ Comes, cum pulcherrima familiarum patrio more, arcubus & pharetris armatorum caterva. Is post fortia testibus Hispanis facta, dum per scalas murum inter consortes scutatus adscenderet saxo percussus ad tentoria deportatur exanimis. Chirurgorum cura exactissima vitam servat, sed anterioribus ictu saxi dentibus amissis. Reginam ubi primum ex tentorio licuit exire, quæ nuper advenerat, it salutatum. dolenti oris fœditatem Reginæ, ad ablatos dentes, Juvenis alludens, *Christo qui totam eam fabricaverat domum, fenestellam se fecisse, qua facilius quod intus lateret, inspici posset*, lepide respondit. Placuit Regibus argute dictum, atque honestis illum muneribus donatum, ad natale solum in Britanniam remiserunt. Hispanos qui sese in hac obsidione egregie ostentarunt (ne nimis longa texatur epistola) prætereundos puto. Strenue quidem innumeri, ac fortiter. Tantæ igitur virorum multitudini, tot arietibus, vineis, tormentis æneis, ac ferreis multifariam generibus, ac cæteris hujusmodi obsistere hostes

minime potuerunt. Post quartum & trigesimum itaque diem ab obsidionis primo, Loxia venit in regiam potestatem, Baudillo Regi cæterisque datur libera eundi quocunque libuerit potestas. Victoriæ afflatum sequitur (Cæsarem æmulatus Rex) his actis, præsidiis Loxiæ locatis, Hiloram Loxiæ vicinum & Granatæ oppidum, super ingenti ac vasta rupe erectum, adit. Per feciales ad deditionem Hilorenses hortatur. Potentiorum exemplo doceantur monet. Regis mandata detrectant. Exercitum operiri, constituunt, obsidentur, die quindecimo excussi expugnantur. Inde Moclinum in cælum ita tendens ut superare suo acumine nubes videatur, in cujus oppidi radicibus post Baudillum captum Zagallo ductore stragem nostri pertulerunt. Graditur Rex, obsidet. Qua vix hominibus serpere hactenus licuerat densis nemoribus, rupibus etiam constratis, boum & equorum vi, tormenta gravia vehuntur ad ictum, muris figuntur, utrinque tonitrua horrenda solvuntur. Latens hic mysterium accidit. Forte fortuna jaculatus à nostris lapideus, qui vulgo bombardæ dicitur globus, in tormentarii pulveris Moclinensium casula, ex alto cadens rupto delabitur tecto, pulvis incenditur, pleræque circumstantes domus concremantur. Tum miraculo perculsi Mauri (tum quod pulvere combusto nil supererat, quo possint in nostros tormenta jaculari) se dedunt. Colomera & Mons frigidus (oppida & ipsa munitissima) per feciales ad deditionem monita, trepida concurrunt, loca deserunt, fortunas asportant. Ita sexti & octogesimi anni gloriosi Reges per varios labores & grandia discrimina, propria exhauriendo æraria alacribus hymnis merito decantandam æstatem egerunt, exercituque soluto Cordubam rediere. vale. ex Curia. IV. Calendas Novembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LXIII.

Perturbatio nostrorum super Bellezmalacha. Quid servaverit nostros. Discordia inter Granatenses. quid de Zagallo rege. Capiuntur Malacha & Bellezmalacha. De Mauro percussore. De Zagallo & Dorduxio. de dura obsidione.

P. M. A. M. Joanni Arcimboldo civi & Archiepiscopo Mediolanensi, Cardinali.

THureo fumo, purpurate nostræ fidei princeps, odoras mihi nares opplestis. Fumo quidem sed salubri; capitis namque tenebar gravedine, non magis cuiquam Anticyræ unquam profuere meraces, quam vestræ mihi blanditiæ, vester applausus, vestra benignitas. Christianum orbem veluti Atlantes duo, humeris vestris cum summo Pontifice sustinetis, & homuncioni pusillo mihi verba scribitis amatoria, saccaro suaviora, humilia denique ambo ore uno inculta hæc mea probatis? Integritatem animi assentior ut probetis, rei autem condimentum relinquo illis, quibus natura magis fuerit in ingenii dote benefica, magisque sese excoluerint quieti. Animum igitur ad scribendum ita mihi impulistis, ut non jam quid de meis rudibus glebis sint eruditi merito loquuturi, quid malivoli latraturi, sed quos de Hispanis hortis flores fructusque colligere queam, ad vos quocunque canistro, aut qualicunque vehiculo destinandos cura sit. Annum ergo sibi exhausit Ascanius Dux noster sextum, tu ne invideas septimum, qui non inferior est, apprehendito. Nonis anni hujus Aprilis, Corduba delectus educitur, tenditur ad hostes. Bellezmalacham (insigne ab urbe Malacha oppidum) miliare quindecimum distans, cum exercitus parte, Rex obsidet. Partem namque alteram cum impedimentis à tergo Gaditanus Marchio ductitabat, necdum advecta erant. Zagallus Malacha egrediens, veluti Pœnus leo collectis repente quos potuit militibus, Regem adoritur per collem qui nostris castris imminebat. Sublato clamore furibundi Mauri descendunt. Balistis agitur utrinque ac levibus tormentulis. Opponit se venienti exercitui extra castrorum aggerem cum acie domestica Comes Caprensis, Baudilli victor. in castris nostri milites audito clamore hostium perturbari incipiunt; confusi perambulant, dissolvuntur ordines, signa deseruntur, de fuga cogitatur, Rex per castra mœstus equitans, omnes percurrit acies, lætitiam simulat; Duces militesque hortatur, bono animo sint; faciem hostibus vertant: se adesse qui Exlegum illos clamores nihili faciat, se istos sæpe vicisse, eosdem esse ac debiliores multo quam quos vicerit, quibus urbes oppidaque multa munitissima ademerit, nec ob id minus trepidi parebant. Hostes interea de nostrorum formidine ignari (nescio quo fato) in radice collis pedem sistunt, neque manus conserunt. nox supervenit. post noctem intempestam Zagallo Regi qui in nostri exercitus conspectu castra metatus fuerat, per celeres nuncios Granatam (à Benzarragiensibus primoribus Equitibus id molientibus) in Baudillum nepotem arma sumpsisse, totamque civilibus dissensionibus exardescere civitatem defertur. Primo igi-

tur diluculo copias educit, Granatam versus tendit sumptam in nostros provinciam deserit. Lætis animis nostri illos tanquam fugientes insequuntur, spolia quædam reportant, paucos interimunt. Ita neque victoria Zagallus (quam in manibus habuisse visus est) neque Granata potitur. eo namque adeunte, coorta seditio stanti sedata Baudillum confirmavit; neque Malacham regredi ausus est ulterius: sed ad urbem se contulit Guadixium. Locat igitur exercitum Rex, obsidionem componit. reliquæ adveniunt cum tormentis & commeatibus copiæ. oppidani (rebus desperatis) qui in Zagallum spem sitam habebant, de discordia inter patruum & nepotem certiores effecti, diebus tamen noctibusque septem & triginta concussi, se dedunt. oppidum deserere jubentur. liberi tamen & supellectilibus salvis abeunt. postea vero quam oppidum hoc validis muniunt præsidiis, circiter Calendas Junias Malacem, in qua fertur Crassus delituisse, quam etiam *Silius* noster *Italicus Malacen* vocat *superbam*, exercitum movet. maritima est urbs, hæc populo refertissima, ingens, diversarum gentium commercio pollens, & mercatorum frequentia opulentissima, pomœriis ac perpetuo amœna autumno, muris duplicibus ac fossis ingentibus circumductis, arcibusque plurimis munita. præerant arcibus primariis duabus Zagalli Regis nomine, Gibraltaro prærupto super saxo ædificato, Zagrillus eques bello à teneris exercitus, vir magnanimus, interior alteri Durdoxius, dives, potens, magnæ apud Malacenses autoritatis, sed magis (ut fama est) pertractandis mercibus, quam armorum disciplina clarus. Accedens igitur Rex turrita tentabat suburbia, desideratis utrinque non paucis. vi tandem armorum è suburbiis intra urbis mœnia concluduntur hostes; castra locantur, tormenta figuntur, munitiones stationesque fundantur, lorica circumducitur, cuniculi effodiuntur multi, quibus per subterranneos meatus iter ad hostes fit. inclusi qui pro natis, pro uxoribus, pro fortunis, pro vita denique ac religione certabant, acerrime propugnant. sæpius erumpunt, munitiones præsidiaque disturbant; ad id angustiæ tandem devenere, ut arborum corticibus (cæteris jam deficientibus alimentis) vescerentur. ad Primorum fores multi fame cadebant exsangues, coram parentibus filii spiritum exhalabant. Multa ibi accidere memoranda, quæ prætermittere, ne vestri gustus metas transiliam, est consilium. Sed unum hoc quod Scævolæ Romani facinus æmulatur, minime censeo reticendum. Mauri circiter tercentum veluti se diris devoventes hostibus (uti referunt) noctu è mœnibus tentoria invasuri regia prosiliunt. Magno illis conatu è munitionibus resistitur. ultro ex eis unus capi voluit; ad prætorium, Rege jam dormiente, perducitur. Regina quæ nondum procubuerat, excitari Regem non sinit; custodiatur ad mane, imperat. ad Marchionissæ Mojensis tentorium de Reginæ comitibus fæminæ primariæ, ducitur interea. Hic auro intexto vestitam Reginam arbitratur. Alvarum Portugalensem Reginæ affinem cum Marchionissa loquentem familiariter Regem existimat. truci vultu, ac torvis oculis circumspiciens, veluti aper (Melampis circumseptus) secum tacitus immurmurans despumat, ac labia mordet. sitibundum Marchionissa credens, aquam jubet afferri (nephas enim est Mahometheiis vinum bibere). ille circumvolvens parumper ignitos oculos, phanatico insanienti similis, gladium cubitalem, quem tectum ferebat, educit, Alvarum ense vibrato, letali fere vulnere ferit, irruit inde celerius vento in Marchionissam cuspide gladii, percutit acerrime intra vestes. straverat namque se in lectum, cui adhærebat à tergo. vestes aureæ quas gestabat, illam, ob duritiem, ne transfigeretur, tutatæ sunt. ruunt in furentem ministri, lacertis circumligant. gladium è manibus rapiunt. quadripartitus in urbem jacitur. Sanctum in hunc usque diem Mahumethei appellant. Jam satis evagatum; unde digressi sumus, redeundum est. Fame urgentur hostes, per Oratores propositis conditionibus deditionem offerunt. æquum esse ut victi capiant, non præbeant conditiones, respondetur. Veluti de cineribus erumpens obruta flamma (quæ cito est moritura) insperato incendio vastat aliquid vicinum: ita obsessi diebus noctibusque rabidi novis aliquibus inventis prodeunt. Rebus tandem desperatis sese ad Regum arbitrium Durdoxio negociante libere dedunt. In servitutem omnes præter Durdoxii propinquos veniunt, bona amittunt. Zagrillus Gibraltarum arcem sibi creditam renuit aperire; nec precio flectitur, nec minis. cum jam solus in arce relictus fuisset, capitur & ipse. Carmonam ducitur servus. spolia mancipiaque Proceribus qui auxilio venerant, ac militibus Reges dividunt. Ad Innocentium Pontificem Maximum quos ambo vidistis tanquam Deo primitiæ, xxx. mittuntur ex iis viri. Quintodecimo Calendas Septembris ejusdem anni, vexilla crucis in arcis eminentiore turre, cum summa omnium lætitia eriguntur. Maias & Ossunna, oppida non vulgaria, potentiorum ruina edocta, portarum claves afferunt. Captivorum Christicolarum

larum quingenti amplius reperiuntur. Sed spiritum vix dentibus (fame ita pallidi ac debiles, ut è sepulchris viderentur resurgere) retinebant. Solvunt igitur exercitum Reges victorem, ac bene fortunata victricia signa reportant. Solvo & ego ligatos calamo digitos, ampla materia, quæ parva non potuit includi tabella jam fatigatos. Ergo vale. IV. Calend. Novembris. M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LXIV.

Quare statuat novis nominibus loca appellare, nil curans de veteribus. Quomodo Vera urbs & multa praeterea dedantur. Magister Equ. Montese sagitta perimitur. Ratio quare non curet Autor de antiquis nominibus.

P. M. A. M. Ascanio Mariæ Sfortiæ Vice-Comiti, magni Ludovici fratri, S. Reverendiss. Cardinali.

SCripsimus, Illustrissime Princeps, & nostræ fidei non infirmum robur, Veram (id quod est urbi nomen) per Carthaginensem agrum, cum delectu minore quam solebat, Regem ad hostes (Reginâ Murtiæ illius Regni emporio relicta) tetendisse. Nunc quid expeditio lucrifecerit habeto. Antelatus Murciensis præmittitur qui Mauros solicitet; spem salutis, si pervicaces esse desierint, polliceatur: ruinam, si vim operiantur, enunciet: Malacensium exemplo deterreat. Imperata facit, Verenses alloquitur. Veniunt perterriti cum finitimis in deditionem, ut in avitis laribus degere, vel quocunque libuerit, proficisci liceat, paciscuntur. In ora maritima portas aperiunt, & Regem per eas admittunt. Minuta oppida novem, quorum nomina si prius pauca, quæ in mentem veniunt, enarravero, est consilium recensere. Majores nostros res gestas præcipue scribere aggredientes, de indagandis antiquioribus locorum appellationibus minime sollicitos, sed præsentibus suæ tempestatis cujusque nominibus fuisse contentos, intelligere videor. Tarentum ut puta, qui Pyrrhi auxilia suis annalibus traducunt, à spuriis Lacedæmoniis, ita nuncupatum Tarentum appellant. Neque video illis curæ fuisse, quo alio nomine prius indigenæ locum appellarint, investigare. Quid namque opus est historiam quærentibus hujuscemodi ambagibus ingenium implicare? Multa namque videmus aut bello diruta, aut vetustate collapsa, è fundis ad clivos & è collibus ad plana aquarum, aut liberioris agri colendi potestatis habendæ gratia transportata, nomina cum fundo mutasse, alia peregrinis colonis supervenientibus novam appellationem in eodem solo suscepisse. Ne igitur vagus meipsum hac inani diligentia involvam, & rem, non abstrusa nomina, quærentium caput superstitionibus obtundam, qualia apud incolas locorum occurrentium nomina repero, ea suo ipsorum nomine est animus appellare, nec horæ momentum in testimoniis Plinii, Strabonis, Ptolomæi, aliorumque clarissimorum autorum disquirendis, an hoc sit, an illud, de quo ipsi mentionem faciunt, terere constituo. Veram igitur, quæ præ manibus est, ego nuncupabo, Variam quicunque volent, appellent Almeriam, non Abdaram, Granatam, non Illiberim, Giennium, non Mentesam, quod nuncupatas ita reperio. De his jam satis. Novem quæ cum *Vera* capta sunt oppida minuta, *Biznaluit*, *Moxicar*, *Caprera*, *Teresa*, *Xorba*, *Nixar*, *Huebruz*, *Trabales*, *Albox*, in internis autem non vulgaria tria & triginta, *Gueiral*, *Silice*, *Zugeuna*, *Huercalneria*, *Lubreimum*, *Bidar*, *Xeranna*, *Lulla*, *Torrillas*, *Lucainina*, *Alborax*, *Cantoria*, *Finix*, *Ligiar*, *Codbar*, *Benitalas*, *Belisicb*, *Caxor*, *Benexano*, *Partaloba*. Inde *Febreis*, *Xarcal*, *Lullade*, *Caxar*, *Tarba*, *Xercom*, *Tabaliol*, *Benimina*, *Benitarafa*, *Haminodla*, *Aximizid*, *Oria*, *Albox*, pluraque alia turritis & ipsa mœnibus septa, quæ prætermittere, quod nobilia non sint, decrevimus. His ita felicibus avibus actitatis Almeriam versus urbem maritimam, oram illam speculatum tendit. Inde Bacam proficiscitur, urbem multis equitibus, & populo refertam numeroso. Ibi non leviter fuit Rex ab hostibus lacessitus. Erumpentes namque Baciani milites exercitum à tergo acriter infestarunt. Vulneribus ex nostris plures confecere. Impetu tandem nostrorum compressi, pluribusque ex eis interemptis retrocesserunt. Montese Ordinis Equestris Magister Valentinus nobilis, sagitta ex mœnibus transmissa percussus interiit. In hoc Bacciensi tractu habuit in potestatem octo cum bene munitis arcibus egregia oppida, *Bellez* album scilicet, ac *Bellez* rubeum, *Hoscam* insigne municipium, *Horcem*, *Galeram*, *Aztillam*, *Culiar*, in his pro re præsidiis impositis, intra diem quintum & trigesimum ad uxorem lætus revertitur. Itaque bellis anniversariis concisæ hebetantur barbararum exlegum vires paulatim, & regium imperium non sine nostræ fidei, cujus tu postis es firmissimus, gloria, tantorum Principum auspiciis propagatur. Vale. cum per tabellarium licuit, ex Curia, IV. Nonas Novembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LXV.

Discutit adulationem.

P. M. A. M. Arcimboldo Cardinali, Civi & Archiepiscopo Mediolanensi.

TU Græce, quod mihi gratis aduleris, ego Latine agam, qui blanditiis tuis satisfaciam. Tu me tuis epistolis laudas. Ego perbelle verbis tuis respondere intendo. Sit igitur in precium tibi hæc epistola, quod nullam tibi epistolam dare velim. Vale. ex Curia. IV. Nonas Novemb. MCCCCLXXXVIII.

EPIST. LXVI.

Quid sit Lex. quis fructus legis. Ubi formata Lex.

P. M. A. M. Doctori Villa Sandino, Primario Juris Pontificii Salmanticæ Professori.

QUod mihi bene cupias, Sandine, nec miror quidem; respondes namque, non vocas. Nec tui esset officii non amare, ne illum modo qui te observat, verum & hominum quemcunque tibi nunquam fuisse adversatum senseris. Imo & altius jubemur à Christo rerum autore etiam eos, qui nos oderint, diligere. Si meum igitur posthac inire per epistolas colloquium desideras, aliam tibi sumito materiam. Vacua namque tibi est de amore crumena, meam autem de laudibus tuis adeo refertam sentio, mi suavissime Sandine, sacrarum Legum divine interpres, & professor, ut qua emittere incipiam, vix occurrat. Ita igitur frustra erit, vel circiter laborare; Si quis satis posse te laudare suis verbis existimaverit. Ne etiam quis invidus, si forte ad ejus manus epistola mea devenerit, adulationis nota me dignum fuisse, cum hæc scriberem, dijudicet, quibus motus rationibus ista protulerim advertat. Legem esse in civili corpore non minus animam quam in singulis hominum corporibus addictam suam nullus negat sapientum. Multæ sunt in qualibet civitate Leges, variaque statuta ac varii mores. Ad unam tamen Legem omnia dirigantur, quæ sub recte vivendi regula ad communem omnium civium felicitatem tendere videtur. Veluti namque variæ sunt unius animæ operationes, & potentiæ: Ita & sub una Lege non diversæ dici Jure merito possunt Leges. Sed Legis unius, membra diversa, quæ à suo toto sine sui corruptione separari minime possunt. Lege cœlos gubernari, elementa regi, inferos etiam inter se, ac latrones Lege convenire, haudquaquam est dubitandum. Si ergo vicinia te tua Salamantina laudat, ita veneratur & observat, quod quæ à Prometheo, id est ab humana providentia, uti in Pythagora Plato noster ait, quæ ad victum inventa Jura, quæve per Angelos divina providentia ad beate vivendum nobis allata sunt, ita calleas, ut omnium oculi in te vertantur, omnium ora summopere profiteantur, quis me arguet? quis accusabit? Illorum ergo testimonio fretus, qui ex tua quotidie officina nova ad regnorum regimen instrumenta reportant, proferre ista ausus sum. Alias plura. nunc vale. ex Guadalagiara. quo regressus sum, & ad bellum me apparo. Idibus Decembris, MCCCCLXXXVIII.

EPIST. LXVII.

De amore quadam. ad bellum se accingit Autor, tradens; Bellum belle cum literis convenire.

P. M. A. M. Petro Pontensi, Vice-Scholastico Salamantino.

AMoris tui erga me vinculo ita me irretitum sentio, Humanissime Vice-Scholastice, ut quibus me queam pignoribus ab hoc eximere debito non intelligam. Parcius ut exhibeas obsecro, ne majore me quam jam pressseris, pondere aggraves. Non est mihi pensi tantum, ut satisfacere possim, durumque est, & grave debere cuiquam, magis quam persolvi queat, ut decoquam (uti video) mercatoris more quæritas, aut ut ingratus evadam. Deus qui verus est amor, verum tibi amoris pretium, quod est immortale, impartiatur. Ubi terrarum sim, quidve agam, percunctaris. Vah! si Martyrem nunc tuum aliqua daretur ex rimula inspectare posse, majorem tibi res hæc risum incuteret, quam citharœdi cauda magistri. Martyr ille, quem tu trepidus ex amore vehementi, tamquam in duro agone certantem, è suggestu Salamantino concionantem, togatum intuebaris quondam, nunc prætextatus lanceam ensemque tergit, apparat, vibrat, galeam experitur, thoracem induere meditatur. Giennii sum in Curia hisce rebus intentus; nempe ibi delectus omnis militum ad hostes transportandorum propediem ex edicto regio conveniet. Vah! quid Marti Musisque rei est? dices. Quinimo sine Marte contracta vivunt fronte Charites, omniumque rerum est appetitui respondens Mars, condimentum. Quid melle, quid saccaro fastidiosius? Nisi aliqua interdum acrimonia commisceatur. Legistine unquam in fabulis risisse Deos, semique ceventes

tes inspecta familiariter Dea Gratiarum? nempe nullubi. Marti vero admixta, quom primum inter mariti laqueos deprehensam viderunt, deglutire salivam, & invidia rumpi cœpere omnes. Uti res Martias igitur Venus ipsa venustate sua comit, fucat, exornat: Ita res cæteras omnes ardor Martius (si Jure modo susceptus ac Majestate) horrore etiam quodam venerabili, ac gravitate irrorat. Justum igitur laudabilemque, imo & pium hac nostra tempestate Martem complexus sum. Solones tu, Lycurgosque tuos, sive malis Egeriæ maritos, cum nostro Villa Sandino insigni viro servato. Convolvito, tractato securus, quos sis imbres, quos etiam soles sub divo perpessurus. Illustri nostro Scholastico Regis consobrino, meo nomine salutem impartitor. qui si literas dedisset, literas accepisset. In castra venturnm plerique illum mihi retulerunt. Peto à te, ut mihi, an ita sit, significes, & vale. Giennii. Idibus Decembris, M CCCC LXXXVIII.

EPIST. LXVIII.

Anima ægritudinem collachrymatur; suggerens consolatoria Philosophica, quibus probat exemplo Platonis, necessarium esse corporis flagellum ad acumen ingenii.

P. M. A. M. Ario Lusitano Græcas literas Salmanticæ profitenti, valetudinario.

IN peculiarem te nostræ tempestatis morbum, qui appellatione Hispana *Bubarum* dicitur, ab Italis *morbus Gallicus*, medicorum *Elephantiam* alii, alii aliter appellant, incidisse præcipitem, libero ad me scribis pede. Lugubri autem elogo calamitatem, ærumnasque gemis tuas, articulorum impedimentum, internodiorum hebetudinem, juncturarum omnium dolores intensos esse proclamas, ulcerum & oris fœditatem superadditam miseranda promis eloquentia, conquereris, lamentaris, deploras. Misereor quidem, Ari amicissime, tui, cuperemque te bene valere, sed minime, quod te prosternas ignosco. Angi namque nimium adversis, aut extolli prosperis, sapienti minime licet, imo & ferendos esse quoscunque fortunæ ictus, cohærenter ac indefesso spiritu prædicatur: Ad animique fortitudinem, omnium lenimen malorum confugiendum censetur. Quum igitur tu sis Græcis & Latinis literis eruditus, sisque dicendi peritus, quæ laboranti amico suaderes colligito: illaque tibi in remedium sumito, & sapiens eris. Male namque sapit & contumeliose, qui sibi non sapit. Sed novum hoc accipito tantorum solamen malorum. Si plus auri condonatum tibi repereris, quam ferri aut æris sublatum & glebæ putris, nonne majores debebis superis gratias ex munere quam conquestus ex incommodo? Nonne illos de te bene meritos fateberis? Audi ergo & hanc tuis ærumnis medelam adhibeto. Auro gemmisque preciosiores esse animi dotes, nemo est qui neget. Corporis autem gravedinem amurca & fece quacunque viliorem esse, non modo audimus passim, verum etiam videmus, ac scimus aperte. Hoc mortale, tenebrosum; ille æternus, lucidus. Servum igitur tibi rerum autor macerat, ne in te insiliat, sæviatque ac demum te possideat. Ejus frenat petulantiam, ne te præceps raptare nitatur, ne contra dominum arma sumat. Summo namque semper in discrimine juvenilis ætas, qua viges, versatur. Itaque grati erit viri officium, magis quod fœcundo polleas ingenio, quod etiam tibi, non alteri hominum cuique datum sit insignem istam urbem bonorum genitricem, Græcis quas ex Italo Musarum fonte attulisti, literis illustrare, quam quod corpore langueas. Insalubrem sibi locum ad robur corporis domandum, ne calcibus dominum impeteret, Plato dicitur elegisse, tutius esse ducens ad animi libertatem, ingeniumque altius elevandum, languoris alicujus necessitate includi virum eruditum, quam nimis prospera valetudine fidentem pervagari. Si ergo multo magis tibi sit relictum, quam sublatum, in Deum rerum principium ac finem tuos jactato cogitatus. id si feceris, non minus te felicem esse intelliges, quod nunc te Saturnus opprimat, à quo morbus iste, quam si Mercurialibus volitare per aëra talaribus daretur. Vale. Giennio in nonis Aprilis M CCCC LXXXVIII.

PETRI


PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

Epist. LXIX.

Quid pariat benignitas.

P. M. A. M. Gutterrio à Toleto, Scholastico Salmantino, Regis consobrino.



Tabellario isti Salamantino, cui ad Vice-scholasticum tuum, ad quosdam etiam alios insignes viros literas dedi, discedere paranti, literas ad te, nullas dare constitueram, quia nullas ad me miseras. Interea dum aliquid plus quam esset pollicitus, immoraretur, fuit pœnitendi locus. Quemadmodum namque cuncta tempore mutantur humana; Ita & plerumque animi hominum, quamquam ex cælesti massa procreati, nova tamen resumunt consilia. Subiit in mentem magnanimitas illa tua, subiit & humanitas, quorum alterum facit, ut nunquam satis quos honore aliquantulo dignos existimes, à te dimitti honoratos putes; alterum ut omnium ad te confugientium, ab exteris præcipue regionibus ad istam bonorum officinam, causas ita suscipias, cogit, quod non avidiore cupiditate Crassus, non ampliore gutture Midas auri possessores ambirent. Tu mentes hominum in tuum conjicis, his artibus, ærarium, illi terræ fecem, mortalesque divitias in suum glutinabant. Quapropter est animus ab omni patronum alea te in hoc secernere, scribereque ad te, ac salutare, vel insalutatus, ut salvus sis diu & incolumis, vehementer exopto. Te ad castra propediem venturum relatum est. Idne ita sit mihi significes, ne spe depascar inani. Et vale interea, Patrone mi candidissime. Giennio in nonis Aprilis, MCCCCLXXXIX.

Epist. LXX.

Progressus ad rem Bacensem. Zugiar, Freyra & Bachor opida capiuntur. It autor armatus ad bellum.

P. M. A M. Ascanio M. Sfortiæ Vice-Comiti, magni Ludovici fratri, R. Eccl. Cardinali.

Hactenus ad te misi, Princeps Illustrissime, quæ mihi per eburneam portam gesta bellica emissa sunt, id est, quæ aliorum relatu auribus exhausi. Posthac vero corneæ tibi fores, quæ tuo palato sapida dicis edulia, ministrabunt. Ad exleges namque in castra miles cum Rege profectus sum, propterea quæ videro jam, non quæ audiero, habebis. Si memores, Illustrissime Princeps, Zagallum Regem virtute bellica insignem, ac bene fortunatum, ita ut ejus ductu, nostri exercitus fuerint perpessi incommoda, Granata pulsum à nepote, seque Malacham contulisse, inde Guadixium significavi. Virtutem igitur Zagalli, vaframque Baudilli, qui se retenturum in fide Granatam fuerat pollicitus, perfidiam veriti Reges, grandes bellorum apparatus instaurant. Giemnium proficiscuntur milites, omnibus urbibus proceribusque imperant, ut in agrum qui *Sotogordus* dicitur, statuto die conveniant. Is est locus in Guadianæ fluminis, Bæthicam à Lusitania dividentis, ripa situs ager herbidus, arboriferis collibus circumseptus. Is annus qui fuit nonus & octogesimus annonæ caritatem cæli inclementia præbuit. figit propterea pedem Giemnii Regina, Rex pridie Calendas Junii exercitum adit, lustrat, instruit. Tertio ab ejus accessu die, compositis acsi per hostium arma profecturus esset, ordinibus, gradiantur acies edicit. In fronte magnum Ordinis Divi Jacobi magistrum cum equitibus mille quingentis, peditibus vero quinque millibus locat, reliquus, septuaginta quinque peditum millium, equitum autem, millium terdecim & quingentorum exercitus subsecutus. Is namque censetur militum numerus in agro qui dicitur *Torrillus*, ad miliare à Sotogordo decimum

eo die pernoctatum est. Postero vero ubi eluxit, Guadalentinum trajicimus fluvium. ad vesperam Cugiar nobis sese offert, hostium oppidum ingens, ac munitissimum. Præit ex Regis mandato magnus ipse Compostellanus Magister, hostes in colloquium vocat, ad regiam invitat clementiam. mandata detrectant, se potius morituros forti animo, inquiunt. Juvenum conventiculis accitis seniores ad patriæ propugnationem adhortantur, ne à majoribus quisquam degeneret, suadere nituntur, quos numerosioribus aliquando copiis restitisse patriamque ab acrioribus hostibus servasse, prædicabant. non contenti mœnia tutari, in hortos fossis ac repagulis cinctos, extra suburbia (ea quatuor erant) prodire audent. sagittis ac plumbatis globulis tormentariis ex aggeribus nostros excipiunt. Ex hortis tamen, atque inde ex suburbiis, sed non sine jactura nostrorum fugantur. mœnibus igitur sese includunt illi, nos tentoria ad obsidionem figimus, machinæ instruuntur primæ, ac propugnacula illico minoribus tormentis diruuntur, ad mœnia secunda fossores, calonesque omnes admoventur. mira erat murorum durities. accitur propterea majorum ænearum balistarum impedimentum quod per Gaditanum Marchionem adducitur. Nunciatur interea loci, Freyram oppidum & Bachor arcem, ad miliare ab exercitu tertium ad commeatus nostros intercipiendos (nisi de medio tollantur) fore nobis infensas. Rex igitur, amicissimum tibi, dum Oratorem ageret in Urbe, Comitem Tendillæ, cum equitibus sexcentis, peditibus duobus millibus, Freyram primum (quod majoris esset momenti) speculatum mittit. adit, illum ego sequor. tentant per transfugam Zugiarianum senem, qui ad nos suis insciis perniciem eorum sentiens noctu exierat, præfectum arcis alloquitur, pollicetur, minatur. ad oppidi mœnia præfecto arcis nil auscultante pugnam init. perimunt ex nostris plerosque, ex rupe quadam arci propinqua. per eundem interpretem Zugiarianum præfectum secundo in colloquium vocat; secuturos Freyrenses, Zugiarianorum fortunam dicit. Ita re infecta in castra revertimur. Zugiariani balistis acrioribus, quas Marchio ductitavit, concussi terrentur. ut in avitis laribus (velut hactenus) vivere liceat, cæterum se venturos in regiam potestatem per Oratores petunt. rejiciuntur. sese inclusi iterum fortiter propugnant. redit interea ad Freyrensem provinciam cum majoribus copiis Comes, secumque quotquot muliones, agasones etiam in castris erant, cum suis quemque jumentis, tanquam herbatum ducit. militibus armatis muliones, equis jumenta commiscet. ita facto grandi cuneo, qua ex arce conspici poterat multitudinem traducit, ut ad Freyrensem descendant uberrimam convallem. Secturum se prius segetes, pugnamque deinde commissurum statuit. Territi Freyrenses multitudine, quod omnes milites esse arbitrarentur, suppellectilibus salvis, pro libertate tantum paciscuntur. Freyram igitur eo die quo accessit, capit, munit. in castris tanquam rei bene gerendæ auspicia ferentem, Rex honorifice Comitem suscepit. De arce Bachoruna idem imperatum; assumptum præfectum. Zuguriani quoque vitam & fortunas vix impetrarunt, oppidum relinquunt, quocunque velint proficisci libertas impenditur. Baciam vicinam urbem, cujus Legibus parebant, quod illuc filios, uxoresque eventum belli, quem sortiti sunt timentes, præmisissent, sese conferunt. Hem quam lapsus jam ardente Junio calamum agito. Ergo vale. ex castris Baciensibus. Idibus Junii. M CCCC LXXXIX.

EPIST. LXXI.

Pericula in hortis Baciæ. describitur Bacia & situs ejus.

P. M. A. M. Joanni Arcimboldo Cardinali, Civi & Archiepiscopo Mediolanensi.

Oppidum Ascanio, tibi autem, Urbis (oppidi dominæ) obsidionem, Reverendissime Præsul, ne mihi posthac succenseas, destinare intendo. Lugiar habito in potestatem, cum parte copiarum, stantibus suo loco castris, expeditus Baciam speculatum urbem ad lapidem circiter quartum Rex adit. Ab occidente colles illi adjacent eminentes, steriles, inculti. Ab his urbem despicimus. Per eorum collium acclivia latera ad nos, pedites hostiles ascendunt: ex eorumque superciliis nos acriter sagittis & plumbatis exagitant. Scutati ad eos impetu facto mittuntur. Per collium latera hostes dejiciuntur. Datur inde nobis libera speculandi urbem potestas. Ea est in eorum occidentalium collium radice sita, super edito leviter & ipsa colle. Habens à septentrione, editulos amygdaletis plenos clivos, ab oriente vastam planiciem. Meridie ad stadia circiter novem iterum mites tumulos, quos inter urbemque Bacianam sedent prædia, quæ *hortos* vocant fructetis vinetisque plenos ad pansulas exsiccandas. ad unum namque usum eos perficit Mahumetana superstitio, domibusque æstivis perpetuo tractu, atque ita continuis textos,

ut

ut una, cum urbe sua, urbs esse videantur. Ab ea parte, qua meridiem planities spectat, levibus quibusdam præliis, Parthico more, cum hostibus à nostris antesignanis commissis, receptui Rex, post speculatum urbis situm, canere jubet, & in castra revertitur. Verum enim altero die qui fuit Junii pridie Idus, tentoria papilionesque attolluntur. Bacciam gradimur, per eosdem colles ad occidentem urbis vergentes, hortos ingredimur, ingressos fuisse pœnituit. intra irriguas namque fossas, maceriesque multiplices, ac rivorum innumeros gyros, atque arborum densitate, ita nos irretitos reperimus, ut magis septi videremur quam sepiremus. Mira fuit hostium eo die ferocitas, mirus impetus, acris insurgit pugna, cadunt utrimque non pauci. Duce *Raduam Zafargial* quondam Christiano, Mauri sua tutari nitebantur, nostri sumptam persequi provinciam studebant. Illi pro fortunis, pro libertate, pro laribus patriis, pro vita denique certabant. Nostros gloria, quam Hispanis, insitum est à natura, animæ præponere, stare contra cogebat. Raduano Zafargial strenue pugnanti, perempti eo die quatuor equi fuerunt. Reprimuntur tamen hostes, sole cadente, ac vallum in hortis, vallo opponitur, ubi non sine magno discrimine pernoctatum est. Quom primum eluxit, ex omnium Procerum consilio periculum sentiens Rex, tolli sensim vexilla, tentoriaque & castra retrocedere imperat. Validiores instruuntur à tergo acies. Cornu dextrum magno Compostellano Magistro, sinistrum Gaditano Marchioni creditur. Paulatim nos explicamus, & nisi callido stratagemate Rex hostes fefellisset, ingentem, omnium judicio, jacturam universus exercitus perpessus fuisset. Jussit namque ut eorum Ducum tentoria, qui in conspectu mœnium stationes haberent, erecta hostibus diripienda derelinquerentur. Ita prius compositis ordinibus exercitum Rex educebat, quam consilium hostes intelligerent. Regredimur ergo, sed versis in hostes vestigiis, ad eosque meridionales leves tumulos, quos supra memoravi, traducitur exercitus. Quæ deinceps tempus mihi porrexerit, tibi ministrabo. Vale. ex castris Baciensibus. Idibus Junii, Anno MCCCCLXXXIX.

EPIST. LXXII.

Consultatio de obsidione cum Regina. Fossa & castella circumducuntur. Raduan Zafargial hostium dux strenuus perimitur. Strages hortorum Damasci.

P. M. A. M. Ascanio Mariæ Sfortiæ, Vice-Comiti, Mag. Ludovici fratri, S. R. Eccles. Cardinali.

PEr meas ad te Idibus Junii destinatas factus es certior, uti per tuas colligo, Zugiar ingens oppidum, Freyramque & Bachor sub jugum missa, non mediocri dehinc discrimine Bacianos nos hortos fuisse ingressos, majore egressos. Ibi namque fere nobis contigit, quod juniores Historici, Christianis inter Damascenos hortos implicatis quondam referunt in Syria contigisse, internitiem, scilicet. Compertum quidem habemus quicquid præsidii militaris Zagallo Regi superest, intra Baciam inclusum, bellatorum xx. amplius millia obsideri. Itaque positus in tuto Rex proceres accersit, ferat quisque quid sentiat, jubet. periculosam esse provinciam, quæ sumpta est, omnes conveniunt; quare sternenda Baciana cuncta circumvicina, quo facilius anno sequenti inopia pressi, capi possent, solvendamque obsidionem censent. Multi Zagalli virtutem animumque invictum ac felicitatem qui nobis à tergo ad lapidem tantum vigesimum Guadixii est futurus, proponunt. alii non esse Baudillo ejus nepoti, qui Granatam tenet, fidendum, addebant. Qui Baudillus dato in obsidem filio (uti jam diximus) retenturum in fide Granatam pollicebatur. si namque ex urbe Granata Baudillus, ex Guadixio vero Zagallus totis viribus in nos eruperint, quid fore putandum esse ajebant, quom à fronte præcipue obsessorum tot millia desperatis animis simus habituri? neque deerant qui commeatuum penuriam, qua universa Bethica urgetur, esse non parvi faciendam commemorarent. Non defuere tamen etiam, qui nullo pacto terga esse vertenda consulerent. Variæ Procerum hæ sententiæ ex mandato Regis, ad Reginam per celeres tabellarios Gienium, ubi ad immittenda necessaria commorabatur deferuntur. à Regina literæ in hanc ilico sententiam reportantur. Capessendam animo præteritorum exemplo felicitatem, cui cælestia affuisse numina constat. eosdem esse atque jam infirmiores hostes, quibuscum actum est ad hunc usque diem; eam esse belli summam, eosdem qui prius

faverint, cælites affuturos, illis diffidere periculosum est, ne nobis ex fautoribus, infensi efficiantur; provinciam nullo pacto deserendam, se autem à mortalibus, belli nervos (pecuniam utpote) atque alimenta, auxiliaque potiora, si opus fuerit, exhausturam. Superos vero votis precibusque perpetuis, suo Virginali nympharum choro admixtam, se in eundem animum retenturam summa fide rescribit. gratos esse superos, atque piis eorum postulatis audientes repetebat. Figitur ergo pes à tergo nobis recta ad meridiem ad lapidem sextum, oppidum exstat Canillas ingens, arte ac natura munitum. Id si pro hostibus servaretur, nil minus obsessi nos, qui medii eramus, quam hostes fuissemus. mittitur idem Comes, qui Freyram. deserunt trepidi hostes oppidum, domibus prius exustis. Comitis semper ego tanquam Æneæ mei latus servo. Imus, oppidum capimus, præsidiis munimus, bonis avibus in castra revertimur. De locanda igitur obsidione ne quicquàm ad obsessos alimenti importetur, ne etiam Zagallo de rerum successu, significatum egredi cuiquam liceat, cogitatus omnis, omne consilium, omnis tandem opera atteritur, ad spem salutis hostibus demendam. A septentrionalibus (quos diximus) collibus per orientalem planitiem, ad meridionales usque tumulos, ubi exercitus insidebat, fossa ingens, ab urbe tamen ad stadia circiter quinque, circumducitur. In fossæ ad nos marginibus, Castella duodecim per suos tractus eriguntur, singulæque in singulis centuriæ delectorum militum constituuntur. Latus occidentale duces, alternatim suis noctibus invigilant. Mille interim rerum visu dignarum, inter utrasque copias singulatim turmatimque quotidie acciderunt. quæ ne grandibus elephantibus minutas ad vescendum escas porrigere videar, est consilium præterire. Diales isti nostri si aliquando prodibunt, ostendent. Hoc unum minime conticebo, ad hunc usque diem qui Augusti est pridie Idus, nullum unquam præteriisse, quin illata utrimque vulnera, quin sanguis effusus. Perimitur is qui veluti Trojanus Hector Bacensibus unica spes erat *Raduam Zafargial*, ex nostris *Ioannes Luna* Aragonius eques primarius Regi charissimus, ac universis castrensibus, annum nondum natus primum & vigesimum. Castra divisa, Princeps illustrissime, habemus hodie in collibus, quos diximus, ad meridiem, Rex ad septentrionem impedimenta missa. His præest Gaditanus non jam Marchio, sed dux. utrimque infestantur hostes, arbores illis, hortorum maceries, ac segetes indies magis ac magis abscindimus. Guadixium hinc etiam per tres egregios belli duces, Comitem videlicet ipsum Tendillæ, Alfonsum Aquilarum, Ludovicum Portucarrerium, multorum per se quisque oppidorum dominus incursione perturbari Rex imperat. adeunt ejus conspectum. Quartana Zagallus laborat. Exiit tamen cum ducentis, quos ad sui corporis custodiam equitibus habebat, peditibus innumeris, certatum est leviter. exuruntur eo inspiciente siccæ quædam nondum messæ segetes, triticeæ secantur, & aliæ. redit ille febri sua oppressus in urbem suam, nos victoria comitante ad castra regredimur. Tu autem vale, candidissime Patrone. ex castris Baciensibus. Pridie Idus Augusti, Anno MCCCCLXXXIX.

EPIST. LXXIII.

Quæ gerantur in castris. mira inter diversarum nationum milites concordia. de hospitalibus castrensibus. domus eriguntur ad hyemem ferendam.

P. M. A. M. Joanni Arcimboldo Cardinali, civi & Archiepiscopo Mediolanensi.

QUis tibi guttur, purpurate Præsul, tritici granulo quondam aut ficu exigua contentum, ita diduxit, ut Charybdea voragine protensius istud modo habeas. tu brevibus me scribere, inquis. Ego autem qui parvo labore iners æstuo, & epistolam, non legulejorum inextricabile volumen exaro, haudquaquam id fatebor, ac si forte ad eam quæ tibi proxime Ascanianæ alligata missa est, alludis; ego eam, nullam, non brevem appellarim. Sed ad nostrum inceptum redeamus. Ex castellis & repagulis, de quibus ad Ascanium, hostes exangustantur, veluti coluber qui fracta cervice, cauda minatur, erumpunt obsessi quotidie, opera munitionum disturbaturi, feriunt, vulnerant venenatis semper aliquos sagittis, plumbeisque globulis transfigunt, sed nunquam alacres, nunquam ad libitum ulti redeunt, cladibus semper ipsorum nostra pensamus vulnera. ex duodecim Castellis tamen, unum super rupe quadam, occidentem versus structum, ad vivum illis fontem, quo per urbem fluente passim pistrinabantur, auferendum, areas etiam quas sub pedibus castellum ipsum habere fonti proximas videbatur, quatiendas, ne per eas liberi (uti prius) vagarentur, miro robore impetunt, insperato tumultu adsunt, atrox pugna committitur, priusquam auxilia integra

integra è castris adventarent. quingenti è nostris vulnerati. rejiciuntur tamen votorum inanes. De circundueendis etiam per arduos occidentales colles objicibus muris, quos alternati duces perpetuis custodiebant excubiis, sermo inter Proceres coram Rege movetur, ut hostes acrius animo frangantur. De domibus quoque sibi quisque construendis cogitat. Duo interea, dum aliquid novi emergat, meo judicio memoratu digna tibi, optime Præsul, narrare intendo. Incredibile dictu est, inter tot dissimilia variarum regionum Idiomata, diversos mores, varias peditum octoginta millium equitum quindecim disciplinas, summam esse inter castrenses Concordiam. Regiæ Majestatis est tanta reverentia, ut nullus ad hanc usque diem tumultus exortus, quicquam perturbarit. nulla hic latrocinia, nulli in itineribus grassatores, singulares rixæ nullæ. Ast si quæ forte emergunt, subitis in autores severis animadversionibus cæteri deterrentur. Quis unquam crederet, Astures, Gallecos, Biscaynos, Lipuzcanosque, Cantabrorum montium intra Pyrenæos incolas, homines vento leviores, seditiosos, indomitos, pervicaces, inter eos ipsos diffidiis perpetuo studentes, ac veluti rabidas feras sese invicem in propriis domibus, quantumvis levi causa, trucidantes, potuisse cuneo mansuefactos convenire? Quis Oretanos Toletani Regni incolas, vafris ac zelotypis Vandalis connecti unquam potuisse putaret? Unanimes tamen omnes, ita militiam in una castra conclusi exercent, ita præsidum præfectorumque dictis parent, ut una domo, una lingua, eadem disciplina educatos universos arbitreris. Urbem Platonica Republ. institutam, nostra castra crederes. Hospitalia post hæc tentoria quatuor ingentia, providum Reginæ pietatis inventum, est operæ pretium videre, ad remedium hæc & medelam non sauciorum modo, sed quovis morbo laborantium erecta. Medicorum, pharmacopolarum, chirurgorumque & reliquorum ad ministeria addictorum, is est numerus, is est ordo, ea diligentia, rerum ea copia, ut neque suburbano vestro Sancto Spiritui, neque vasto illi tuo Mediolanensium cedant Hospitalibus. Regia impensa quicquid languoris, quicquid accidentis emergit, ni status cuique à natura dies assit, abscinditur. Dum geminas has epistolas cursor laturus de discessu mentitur, trecentorum amplius hostium strage, nostrorum sanguini parentatum est. ab impedimentorum quidem parte lacessiti hostes, in insidias nostras à Rege positas intra fossas inciderunt. neque enim unquam provocati certamen detrectabant, fractos posthac illos animo sensimus. ab ea namque die parcius evagati sunt. interrogati postmodum, quid spei haberent, cur ita pertinaces extrema operiri velint: hyberna frigora ac nives, quæ horrentes solent in ea regione decidere, auxilio sibi fore; interim nil defuturum, milites nullo pacto equosque sub dio noctes perpessuros ajebant. Itinera præterea si pluat, cœno, si non, concreta gelu, per asperos montes qua importanda sunt alimenta invia futura. His Reginæ nunciatis, sterni vias, super fluminibus mediis sublicios fieri pontes, montium compendia aperiri, adscensus arduos æquari imperat. in castra dehinc se venturam ad laborum & periculorum partem pollicetur. Ubedamque propius è vestigio pergit. Regina hæc ajebat, nos domos nobis, ut inanem obsessorum spem illudamus, ædificare cœpimus. Cursorem, ex sui generis instituto, mendacem, petasatum jam, ut post noctem concubiam discedat, esse scio. Claudo igitur epistolam, & vale. Ex castris Baciensibus pridie Idus Augusti, Anno MCCCCLXXXIX.

EPIST. LXXIV.

Quam lenius viro Martiali vibratur hasta quam sulcare papyrum.

P. M. A. M. F. Condulmario, Protonotario Apostolico, viro Italo, docto.

PRomere vix possum, Condulmari optime, quanta oppletus sim lætitia, quom te virum Italum ingenio à natura pollentem, ab arte vero, laboribus & vigiliis, eximia doctrina ornatum in Hispania esse intellexi. Rubore suffultus ob amicorum accusationes, rectene fecerim, quod in Hispaniam me contulerim, nec ne, solum me fuisse, qui ex viris Italis Italiam deseruerim, existimans; in deliberatione sæpe statuebam. postea vero quam te Antoniumque Giraldinum Amerinum nigro & ipsum insignitum galero, viros qui me non minus omni virtute & meritorum genere, quam luna reliqua minora sidera superatis, hanc vobis patriam elegisse cognovi, erubescere penitus desii; animum captavi, mihi ipse placui, imo & me feliciorem arbitratus sum. quid enim vobis sese clarum offerebat in Italia? quem ingenii vel infimi cibum præbeat quisquam? hacne tempestate nostri Principes Itali quicquam, à quo magnum aliquid laude dignum sperari queat, aggrediantur, tute testis es. Abrado igitur

ab

ab hac die qua te Hispanum effectum esse scio, omnem de meo adventu pœnitentiam, nihilve unquam effecisse me, quo magis delecter, posthac profitebor. Quæ in castris gerantur, per Conchenses milites, inter quos, primarios multos misistis, tibi significatum iri passim existimo. multi namque ad parentes uxoresque ac reliquos propinquos, hæc examussim vestigata scriptitant. Parcam igitur ego chartæ ne pereat, nec lacertos lanceæ gestamine fatigatos calamo lassare curabo. Durius quippe mihi est aliquando ac molestius papyros sulcare quam vibrare hastam. est mihi à natura hic torpor insitus, ut invitus calamum sumam. Ergo vale. ex castris Baciensibus. Idibus Augusti Anno MCCCCLXXXIX.

EPIST. LXXV.

Quæ vita militis. Quæ sub umbra. Quam varii sint hominum gustus & affectus. Quam tutius sit amicos quam numos thesaurizare.

P. M. A. M. Gabrieli Ciminio, Viro Italo, erudito.

EAdem ambos siderum vis impulit, ut patriam posthaberemus. Sed non iisdem regimur siderum habenis. ociosus namque tu Cardinalem sequeris Hispaniarum (hoc illum titulo Reges volunt appellari) tecto gaudes & umbra, vino de cellariis ebbis, & vegetibus exhausto, paneque recenti frueris, nos pro tecto cælum, pro umbratili galero galeam gestamus, vina sole urente corrupta, panem mucidum vix assequimur aliquando. Sed tunc præcipue blandimenta desunt nobis omnia, molliciesque omnis abest, quando (ut sæpe accidit) mutare castra, vel è castris acies ad longinquos hostes impetendos missæ, proficiscuntur. utram tamen vitam, mi Gabriel, malim si fateri coëgeris, hanc dixero. Sunt hominum non pauciores numero voluptates, quot facies. Variis agimur cæli affectibus, discolores inde res nostras, nostrosque discursus esse oportet. Dubitare te, inquis, an te, mi Gabriel, diligam, quod literas ad te crebras non mittam. Et si pauciores quam velles meas accipias, amorem tamen non propterea tollo, fœnerator sum avarissimus. Scio quanto majus sit lucrum, animos hominum aucupari quam pecunias. hæ namque si amentur, nos ipsos furantur, implicant, irretiunt, cor à nobis alienant, nec respondent amori unquam. Auferunt igitur à nobis nos ipsos sine lucro. Amare autem hominem, amore dignum præsertim, est non modo lucrifacere, sed etiam mercem præstitam duplicare. Redamantis enim animum recepimus, nisi in ingratum seminaverimus, ad nosque nostrum non minus liberum, imo & summe gaudentem redire sentimus. hinc igitur colligito, possitne, mi Gabriel, à me tui memoria dilabi, qui tanta polleas doctrina, moribusque præditus sis vehementi amore dignis. Vale. Reverendissimo patrono tuo purpurato dici velim oscula sacrarum manuum meo nomine. Ex castris Baciensibus. Idibus Augusti, MCCCCLXXXIX.

EPIST. LXXVI.

Quæ & quanta utilitas prodeat ex necessitate. quæ sit ad superos via.

P. M. A. M. Alexandro Geraldino præceptori minorum filiarum Regiarum, de morte Antonii fratris ejus Protonotarii.

EXutum veste mortali fratrem tuum Antonium Geraldinum Protonotarium significas, mi Alexander; te propterea vitam fore posthac acerbam amaramque, dum vixeris, acturum dicis, extra patriam. In illo fratre, charum parentem, tuæ peregrinationis callidum ductorem, ætatis tuæ moderatorem eximium amisisti, fateor, & vitæ magistrum. Ast si felicitatem illius tuumque commodum cum incommodo pensaveris, si illum tu æqua lance viventem observasti, uti decuit, amorque ipsius erga te intimus promerebatur, nihil invenies, propter quod torquere te debeas aut prosternere. Sub tutela tu illius, tanquam veri parentis agens mollis, blanditiosus, ac tener enutriebare, adeo ut grandævus effectus, non minus lalare tuum fuisset, quam quum mammas peteres infans. navigabas tu, illo tuam navim per fluctus regente securus, profundum dormiebas, nulla tibi erat de te ipso cura; nulla de futuro solicitudo, inermis ad negocia humana, virique officia, deliciosus surgebas. utilis igitur, non incommoda fuit illius transmigratio. disces namque per teipsum vivere, nullo (extra te) duce gubernari. polles ingenio, rerum experientia, si vitam annos aliquot excolueris, in virum evades prudentem. excutit naturam dormientem necessitas, artes invenit, quibus homines emergant. hæc de te multaque alia, quæ ne prolixus videar, est consilium præterire. De illo autem quid est cur doleas, quod ex teterrima valle miserrimoque specu ad splendidas lucidasque, ac summis gaudiis & felicitate oppletissimas

æthereas

ætheras sedes evolaverit. invidere hoc tuum erit, non amare. adscendisse vero illum ad superos, non video cur ambigendum sit. Creaveratne Deus heroicam illam animam, illam doctrina multiplici refertissimam, harmonia cælesti, poëtica oratoriaque rite cultam, ut iri eam perditum pateretur? Qualis erat Lyricis, quantus pede libero insurgebat? Quis præterea divini cultus illo curiosior? Quis sui creatoris amantior? Cum itaque extra patriam, id est, in hac peregrinatione, Deum tota mente coluerit, amaverit, adoraverit, ipsius Dei Justitia liquefieret, nisi nunc illum in proprio sinu super choros cælestes gaudentem beatumque, Deus ipse foveret. Temperato igitur ratione media quod est aliquando tempus deleturum. Vale. ex meo tentorio. x. Cal. Sept., M CCCC LXXXIX.

EPIST. LXXVII.

Salus & vita sunt Leges in bono viro: pernicies in pravo.

P.M. A. M. Joanni Mariæ Sardo, condiscipulo à teneris.

FRatris mei Joannis Baptistæ Anglerii literis literas annexas tuas habui, amice charissime. Quod raro vos meas habeatis, ego autem vestras, neque adscribendum est incuriæ, neque amoris defectui censeo imputandum. Distamus namque nimium. Legibus Jovis ac solis invento, te operam dare cœpisse inquis. laudo summopere. Spero namque te in legitimum Jurisconsultum, quia bonus es, evasurum. est quippe Legum peritia, in animo fero, in ingenio tetrico, gladius in manu furentis: in bonæ vero naturæ viro, spes & refugium miserorum, solamen afflictorum, perturbationum remedium, mens & anima, pax & bonum patriæ. Hic super omnia sidera lucidus, splendens, formosus; ille teter, obscurus, turpis. hic ad salutem omnium & commodum tendit; ille ad perniciem nititur. Sequere igitur Legibus armatus naturam ducem, æquitatem, Judex aliquando causarum creatus, sectator, & te patriamque liberabis. Vale. ex castris VIII. Calendas Septembris, Anno M CCCC LXXXIX.

EPIST. LXXVIII.

Offert fratri literas regias.

P.M.A.M. Joanni Baptistæ Anglerio, fratri amantissimo.

CUpis habere commendatitias à meis Regibus literas, ad Principem Senatumque Venetos, quorum stipendio militas. Eas propediem mittemus. imperatum namque est insigni viro Dn. Columbæ (id est Secretarii primoris nomen) ut eas conscribat, scriptasque ad Reges eorum stemmate signandas, ferat. Non licet per hunc nuncium illas mittere, cum jam calcaribus impositis, ut hoc claudam epistolium exspectet. Quod bene valeatis omnes, uti scribis, delector summopere. Valeo & ego. De his quæ in castris geruntur, ubi armatus ago, per alios intelliges, aut aliquando si dabitur, per mea scripta cognosces. Nequeo ullo pacto quæ semel ad hominum quempiam scripserim, eadem repetere. Vale. ex castris Baciensibus. V. Calend. Septembr. M CCCC LXXXIX.

EPIST. LXXIX.

Quid gubernatori aut judici servare conveniat.

P. M. A. M. Georgio, proximo à se fratri.

MEo rogatu Ludovicus pro nepote moderator Mediolanensium, gubernaculum tibi Montiæ oppidi celeberrimi est impartitus, uti fateris. Si operam dederis, ut æque justeque is populus per te gubernetur, animum ad altiora tibi quærenda præstiteris. Id autem quod óptamus, efficies, si te integrum, modestum, etiam cunctis, exhibueris, si minæ, si blanditiæ, minime te flexerint. Memineris te in eo corpore caput fore, cives autem à te regendos, membra. Quod sit capitis officium, diligenter scrutator. bonis omnibus favebis, cum his tua sint commercia, tua consuetudo. senes rerum experientia vigentes, sed eos minimè factiosos consulito, malis adversator. Datum te esse istis civibus non dominum, sed fidum ministrum considerato. quum punire quenquam statueris, cave ne perturbatus judices, ne placuisse tibi, quod delicta repereris, quisquam sentiat, reperisse crimina doleto, reperta scindito. Scito tandem imminere hominum rectoribus à Deo, quicquid ab eis inferiores extimescunt. Si ergo recta lance justitiam, æquitate semper inspecta, libraveris, & exercueris in parvis, quæ tibi sunt credita, amplior tibi ad majora campus patebit. Literæ meorum Regum ad Principem Senatumque Venetum commendatitiæ, quas à me petiit propediem, ad Joannem Baptistam juniorem nobis fratrem mittentur. Interea valete omnes. ex castris. V. Calend. Septembr. M CCCC LXXXIX.

EPIST. LXXX.

Regina venit ad castra. Quid actum. Quæ colloquia. quæ induciæ cum obsessis. dedit se tandem Bacia.

P. M. A. M. Ascanio Cardinali.

RArius ad te literas mitti, quam tua sitis exigat, Illustrissime Princeps, insinuas. Accusatione ista superbum efficis Martyrem, & ambitiosum. Grande namque quid est, algentis officinæ instrumenta, à tanto Principe, si non desiderari, quod minime putandum est, peti tamen, & quamvis succensere mihi aliquantisper videaris, serio dictum arbitror. Scis enim apud nos, neque columbas epistolarum gerulas enutriri, neque Dædaleos esse cursores, qui ab hac extrema littoris ora ad vos sine urgentissima causa curent proficisci. Ab Augusto mense nullus (ni fallor) è castris destinatus. Negligentiæ igitur aut incuriæ haudquaquam adscribendum. Sed ad rem (minutis, quod si singula vellem prosequi, tædium gignerent, omissis) Reginam scito ad castra, uti promiserat, venisse. Ea virgineo nympharum haud aliter accessit choro comitata, quam si ad alicujus filii nuptias. Nostrorum animos jam longo labore, gravibus vigiliis, æstu, algore, esurie fatigatos, adventus ejus erexit: Firmavit, induruit, hostibus omnem spem eripuit. Septimo Idus Novembris castra salutat. In tertium inde diem lustrare urbem, ut eam ipsamet speculetur, constituit. Acies, ac si cum hostibus collatis signis conferendum foret, instruuntur. Recta per occidentales clivos, qua vir exercitum traduxerat, ad septentrionale usque latus Rege illam & Petro Gonsalvo Mendotio Cardinali comitante, perrexit. Obsessi sese nobis perbelle instructi, intra aggeres ostendunt. Gaditanus interea Dux cum paucis propius accedens, per interpretem, copiarum hostilium præfectum in colloquium vocat. Lustrant cum Proceribus reliquis urbem Reges. Hic animos hostium mollire contendit, imminens prius Baciensibus quam consilium aperit. Graviora ipsis quam Malacensibus Reges minatos fuisse nunciat, sibi creditisque illi à Zagallo civibus consulat, hortatur. monet ut ad Reges supplex veniat. Se apud Eos patronum illi futurum. Regiam malit clementiam quam severitatem experiri, suadere nititur. Vanam esse illorum spem in adventantis jam hyemis horrore positam, cum ad hyberna frigora sustinenda domos sibi miles quisque construxerit, ostendit; visurum se compositam urbem, si ad castra gradiatur. Reginam præterea ad confirmandos militum animos esse in castris, quæ in avitis Regnis reliquit in mandatis, ut recentes milites, qui fessorum loco, si opus fuerit, reficiantur præsto sint. Vitam potius quam assumptam provinciam deserendam affirmat. Hæc atque hujusmodi multa, regio nomine dux Gaditanus. Baciensis vero præfectus, rem Baciensem non eo esse statu, quem arbitramur, neque tanta rerum adigi obsessos penuria, uti nos putamus, inquit. Si tamen tridui dentur indutiæ, se ad Proregem, à quo ipse una cum urbe dependet, ac cæteros plærosque aliarum arcium præfectos, sine quorum consilio supervacaneum esset quicquam tractare, rem per nuncios delaturum, unaque omnes se missuros Oratores pollicetur. induciæ annuuntur. de offensis utrinque tollendis, fœdus icitur. sese hoc triduo milites mutuo utrinque ita committunt in campo, quod utri essent hostes, utri amici, minime liceret è collibus discernere. Statuto die Oratores mittunt. Inanes petunt conditiones, ut nostri Rex & Regina exercitum solvant. In sextum se mensem daturos urbem, si Proregem præfectumque ipsum quorundam oppidorum dominos veteri statu reliquerint, si pecuniarum summam, quam ipsi petierint, fuerint impartiti. Irati Rex & Regina, tanquam delusi, fronte minaci Oratores dimittunt. Diem protrahunt ex die. Venit jam tandem Prorex ipse, se daturos urbem intra diem quindecimum, nisi Zagallus Rex ex Guadixio ipsos obsidione liberaverit, si libertatem, si fortunas inclusorum, si in patriis laribus posse manere exoraverint, paciscuntur. renuentibus hæc Regibus, tacito illis murmure ad aurem, quicquid Zagallus possidet, Prorex pollicetur. Quæ petiit, assequitur, ad obsessos regreditur. Lætos vidimus eo fœdere Reges, sexdecim primorum urbis filii mittuntur obsides. Per præfectum militum Prorex, quo in statu res sint, Zagallum monet, pacta confirmat miser Zagallus. In nonis ergo Decembris nos Baciam urbem ingredimur, vexillo crucis apposito, Vos in vestra Urbe quæ caput est Religionis, cujus estis adamantini cardines, psallite & plaudite, ac valete. ex ipsa urbe Bacia. VII. Id. Decembr. M CCCC LXXXIX.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER TERTIUS.

EPIST. LXXXI.

Deduntur Almeria & Guadix, & quæcunque Zagallo parebant. venit Zagallus. de Regis nostri susceptu. de Regum & exercitus discrimine.

P. M. A. M. Arcimboldo Cardinali, Mediolanensi.



Am vereor ne sim Ascanio suspectus, quod plura tibi aliquando majoraque significem, unam enim illi civitatem Baciam scilicet sum impartitus. Tibi vero est animus integram cum duabus urbibus & municipiis innumeris (si mei Reges patientur) regionem, victumque Regem, dum fortuna fuit insignem condonare. Baciensibus compositis rebus septimo Idus Decembris, ut alimenta sibi quisque in decimum apparet diem, signaque quocunque ierint, sequantur per præcones edicitur. Movemus versis (qua milites fessi minimè credebant) vestigiis. Ad maritima Montana præmittitur cum Prorege Bacensi & præfectis arcium quæ superant, notissimus Tendillæ Comes amicus vester; medium Rex tenet. A tergo cum reliqua parte copiarum, Regina, ne quis retrocedat, subsequitur. Ex itinere, agente Pro-Rege, Purcena insigne oppidum portas nobis aperit, multa cum eo montana oppida illius statutis parentia, una sese dedunt. Filabrium inde montem cælo æqualem, aggredimur, cum summo discrimine superamus. Inter nives ac gelu concretos rivos, sub dio pernoctavimus. Jumenta plæraque, peditesque non pauci, ea nocte frigore riguerunt, atque animam exhalarunt. Erat ventorum fera rabies, tanta ut vix equis stare liceret. Fuit dispersis summo adjumento mirus ille dux Gaditanus, qui in montis cacumine castra metatus est, ignesque passim incendi maximos jussit, ut illis ducibus per invia nemorum ac rupium anfractus devii regerentur. Postero nos die Tabernas Porcenna majus oppidum excepit. In ejus planitie castrametamur, ut postergatæ exercitus reliquiæ colligantur, unum ibi diem commoramur integrum, noctesque geminas. Albam, Calahoram, Fignanam, Sergam & Laurocennam, oppida cum suis quodque vicinis oppidulis in Guadixensis agri gyro sitis, Prorege quem omnis ea regio mire observabat, persuadente, per Comitem in Regiam potestatem venisse nunciatur. Eademque hora ab Guadixio, Regi egregius mittitur à Zagallo sonipes, quem illico victum Regem ad victorem suum venire supplicem, qui nunciat subsequitur. Ut brevius igitur fiat, adventanti Zagallo, iter, utque institutum Rex prosequatur, movet ex agro Tabernarum, decimo Calendas Januarii. Ad tertium inde lapidem ex transverso à longe prodeuntem, vidimus Zagallum Regem. Obviam illi Proceres quidam, quibus & ego me addidi viæ comitem mittuntur, adeuntem, nos ex Regis nostri mandato, Regem salutamus. Ductus ad Victorem victus, ex equo supplex humilisque evestigio descendit, manum Regi osculandam, in servitutis argumentum, instanter petit. Fortunam, purpurate Præsul, animo dimetiens, illi fere condolui, exlex erat ac barbarus, fateor: Rex tamen, atque idem egregius virtute bellica. Demissionem ejus Ferdinandus improbavit, ejusque rei consultores accusavit rusticitatis, non decuisse Regem, quamvis Regno spoliatum, Regi, licet victori, ita dejectum assurrexisse, in equum ut statim reponatur, imperat. atque ita passibus æquis, ad tentoria nostra, quæ in Almeriaco littore, ad lapidem à Tabernis undecimum, ad ipsius Almeriæ prospectum posita erant, una proficiscuntur, icta per Proregem Præfectumque militum Baciensem ipsius nomine fœdera firmant. Postero vero die ex imperio Zagalli sese nobis Almeria dedit. Almeria domus Veneris, autumnus perpetuus, stridentibus alibi horrenti frigore cunctis, decantatos hic hortos Hesperidum reperimus. In ejus arce summa, Dominicæ natalis diem nostro ritu festis solennibus per Reginæ (quæ & ipsa præsens erat) initiatos celebramus. Almeria præsidiis ad rem munita per angusta montium compendia, per ignotas homini rupes, per valles teterrimas, ex quarum fundis vix oculis cælum patebat, Guadixium ducimur.

Ah victorum temerarios ausus mille in locis! nisi attrita formidine pectora hostibus fuissent, interceptos Regem & Reginam, & quicquid erat Hispanæ nobilitatis, adeo habuerunt, ut si nobis insano aliquo excitatore duce, triginta tantum armati angusta vallium occlusissent, ad unum licuisset vinctis post terga manibus, captivos abducere. Guadixium tandem longis itineribus, & (ne pœnitentiæ locus detur) celerrimo passu gradimur, in ejus planitie castrametamur. Popularis tumultus in urbe exoritur, eademque hora, venti adeo atrox vis insurgit, ut tentoria everteret. Popularis per Zagallum tumultus, & ventorum furor, per auroram sedantur. Guadixium ergo capimus & præsidiis munimus. Zagallus Rex præfectique arcium omnes, pro sua quisque dignitate donati, icto fœdere ut in Africam trajiciant, ne victi quicquam sub eorum spe moliantur. Exhaustum erat regium ærarium, pecuniæque deerant, propterea ad persolvenda quæ Zagallo promiserant, quicquid argenti cælati, quicquid toreumatum apud Proceres repertum est, mutui sumpserunt. Ita jam tandem, longa belli molestia fatigati, Giennium pridie nonas Januarii alterius anni, quo die, Reverendissime Præsul, ad te hanc epistolam destino, regredior. Vale. Gienni, post felicem de truculentis hostibus victoriam, pridie nonas Januarias Anno M CCCC XC.

EPIST. LXXXII.

Qui homines sint viri, & quæ animalia bruta.

P. M. A. M. Protonotario Condulmario.

INvitas Martyrem, ut, si aliquando incolumis è castris evaserit, ad te Concham proficiscatur. ubi te domum dicis habere opulentam, lautaque promittis convivia. nec me opulenta tua domus tangit, nec tua movent convivia. Ibo, quia te virum egregium virtute, conterraneum mihi, propter te ipsum, non propter tua te cupio videre, alloqui, complecti. Solos namque illos esse homines, re ipsa judico, qui virtutibus pollent, cæteros nomine tantum, re autem animalia bruta, ut quisque appetitu regitur vario, diversa censeo. Feros homines à leonibus, timidos à leporibus, rapaces à lupis, à vulpibus dolosos ac fallaces distare, parum animadverto, quia neutrum ratione ulla, utrumque dominante appetitu regitur. Mortalia igitur ista tua, quæ possides, mortalibus impartitor, mihi animum tantum servato amicum. Gienni parta victoria VI. Idus Januarii, M CCCC XC.

EPIST. LXXXIII.

Quis artis Physicæ fructus. Quid sit officium Physici. Quis adulter Physicæ. Quid trahat hominibus animi quietem.

P. M. A. M. Baptistæ Sardo, condiscipulo in patria à teneris.

PHilosophiæ ac Physicis, postquam jam grandior effectus es, Catonem imitatus, operam dare cœpisse, ut fratrem tuum Legibus, alias audiveram inquis, perseveres necne, exopto cognoscere. hoc namque virtutis est ac rationis, illud autem voluntatis. nam neque probandus ille, qui provinciam aliquam, etsi laudabilem, sumpsisse videtur, nisi ad finem usque perseveraverit, neque prudentis erit ab initiis rerum, judicium de rebus ipsis temere facere, cave ne te difficultas terreat, neve ab incepto desistas. quanto namque durius quid assequimur, eo dulcius illo fruimur acquisito. Habeto semper ante oculos, ignominiosum esse decidere à bono proposito. Bene eligere, fortiter apprehendere, vigilias, laboresque ociosæ vitæ præponere, tranquillitatem animi, bona etiam cuncta pollicentur. Perseverantia vero, quæ illæ promittunt virtutes, sola impartitur. Sed præter cætera, hoc unum animadvertito, ne te prius Physicum esse foris profiteare, quam verum te Physicum boni omnes amici judicarint, ne te (uti Plato inquit) Physicæ adulterum, non maritum merito quis possit appellare. quandoque tandem per dura peritorum examina & coronas, per igneas atque ardentes officinas, ad artis exercitationem prodieris, ita pecuniarum aviditatem fugias, ut Philosophum te esse memineris. Ita pecunias ad necessaria comparanda exoptes, conquiras etiam, ut hominem oportet. neque enim illas nimium affectare decet sapientem, neque sine illis, honesta habere fas est cuiquam. Tenebis igitur medium, mi Baptista, si aliquando ad concursationes ægrotantium deveneris, & summe laudaberis, tibique cuncta Numina favebunt. Et vale. Fratribus tuis Philippo & Petro, Mariæ dici velim meo nomine salutes. Gienni post stratos à meis Regibus feros nostræ Religionis hostes. VIII. Idus Januarii, M CCCC XC.

EPIST.

EPIST. LXXXIV.

Quid actum anno sequenti. de Mauris ejectis. Primogenita Regis Portugallo nubit. Lucani origo. Alendinum amittitur. Regina febricitat. Guadixii & Almericenses ejiciuntur. quæ acta sunt cum Baudillo Rege Granatæ.

P. M. A. M. Ascanio, &c.

QUas ulmos Christianæ viti, quas etiam columnas Apostolicæ tiaræ, felicibus Regum meorum auspiciis nonus & octogesimus annus supposuerit, habuisti hactenus, illustrissime Princeps, quom tibi cænam Bacensem, Mauris minime sapidam exposui, in cujus margine ad Arcimboldum alias insignes urbes duas Almeriam & Guadixium, unumque Regem supplicem vobis præbui. Nunc autem quid nonagesimus attulerit, est animus (ut tibi, quem unice observo, satisfaciam) recensere. Guiennio nos Ezigiam, ea est conventus Astigitanus, contulimus. paucos ibi dies commorati, Hispalim, quæ dicitur Sevilla, proficiscimur. Primogenitam ex quatuor quas habent filias, unico Portugaliæ Regis filio despondent. est Portugalia, partem habens in Lusitania, partem in Bæthica interiore, extremi orbis in Hispania angulus. Sponsalia ludis Troicis hastiludiisque, in quibus Rex hastas & ipse ad metam perfregit, cæterisque solemnibus hujuscemodi, qualia tantos decuit, celebrata, virginalibus choreis noctes Regina exercebat. Per Oratores paulo post nuptiis peractis ducitur illa in Portugaliam; nos Cordubam, Maurorum inde reliquias, revocato exercitu, salutaturi regredimur. Dies aliquot Reges ibi pedem sistunt. Præmittitur ad hostes interea dum ipsi sese apparant, Comes vester Tendillæ, cui ego, veluti fidus Achates, addo me socium, habita à Regina venia, simul & militem. Per Spegium, præfecti Domicellorum oppidum, ubi galeam, ensem & pugionem Baudilli Regis quondam capti, manu ipse ego pertractavi, Vaennam avitum Capræ Comitis domicilium, ubi vexilla duo & viginti, cum eodem Rege capta, cernere licuit, perreximus. Inde oppidum Luchem, à quo oppidani Lucani genus originemque habuisse jactant. Ad Alcala Regale super nubila in conspectu Granatæ erectum, ad stativas, Comiti per Reges destinatas, proficiscimur. damna hostibus inferre intendimus. cum tribus in eo municipio Centuriis Comes figit pedem, cæteri per vicina loca Centuriones dividuntur. Illorum ut puta Gundisalvus Fernandus Aquilarius, Alfonsi Aquilarii junior frater, Comitis amicissimus, & ipse bello aptus, Martinus Alarconus, Moclinum cum sua quisque centuria secedunt. Crebris incursionibus ager Granatensis quatitur. Captivi agricolæ multi; multa pecora abducuntur. Rabidi hostes Alendini, in conspectu Granatæ, oppiduli arcem obsident, oppugnant. Vocatus Rex ipse cum auxiliis, Giemnio, Ubeda, Baëzia, proximus urbibus imperatis adventabat. Sero adest. capiunt hostes Alendinum, nostra tamen remittunt præsidia. Redit Cordubam Rex ad Reginam, quæ febri laborabat. Didacus Pachecus Villenæ Marchio, cui sororius Comes est, confinium mittitur Pro-Rex, collegis illi Comitique additis, Alfonso Aquilario, & Ludovico Portucarrerio, Palmæ Domino, egregiis bello ducibus, hostilis bellicæ disciplinæ, præter cæteros peritissimis, quod nati educatique, & exerciti à teneris in armis Mauris finitimi fuerint. Prodeuntes sæpius tanquam scintillas sopitas, excusso cinere, hostes frenamus. cum jactura remittimus; nostra tutamur. Eorum fines invadimus, damna inferimus. Sed ne resumendi spiritum jam fractis locus detur, Rex advenit cum exercitu. in planitie Granatensi castra metatur. monetur Baudillus, ut urbem dedat, si filium obsidem, si cætera quæ pacti fuerant, dum solveretur, servari velit. non esse se sui Juris respondet. daturum se arcem Alhambram, quam ipse possidet pollicetur, cætera sine Granatensium consensu haudquaquam posse. vereri se, ne ab eis trucidetur, si de deditione illis sermonem fecerit. per internuncios hæc, & his similia acta sunt utrimque, nec se staturum promissis, cum ipse promissa non servet, Rex illi nunciat. Simul & rura dirui, segetes, vineta fructetaque, ad milliare tamen ab urbe quartum, neque enim ausi propius, diripi imperat. Hostiliter tandem agitur, uti decebat. intra diem quinquagesimum ut sese milites reficiant, apparentque in sequentem æstatem, exercitum Rex dimittit. Ad Reginam ipse, quæ nondum convaluerat, Cordubam revertitur. nos Guadixienses, Bacienses que, & Almerienses (quod quotidie defectioni studerent, novisque rebus inhiarent) ejectum ex urbibus Mauros, qui in eis relicti erant à Rege mittimur. Contentos esse patentibus campis, & villis dirutis jubemus. Illis ejectis ad hyberna Granatensibus opposita revertimur. En, illustrissime Princeps, quæ una æstate peracta sunt, unica hac conclusi tabella sero fabricata, quia non occurrit, qui ad nos concederet. Vale. ex Alcala. IX. Cal. Septembris, MCCCCXC.

EPIST. LXXXV.

Ex ſtativis centum equites hoſtes capiuntur. uruntur noctu ſegetes in areis. ad Granata mœnia fit incurſio.

P.M.A.M. Arcimboldo Cardinali.

NE te jactes, opimiora ſemper ad te mitti, libet quæ hyemantes tantum egerimus tibi, nec ultra quicquam ſignificare. Stativa hyberna, uti anno ſuperiore feciſſe diximus, in regali Alcala oppido, circumvicina, velut ex alto æthere, deſpectanti nobis elegimus. Eadem finitima loca centurionibus iiſdem obveniunt. Inde quiſque ſuos exercet regionis peritos, ſpeculatores. Privatim quiſque gloriæ ſtudio incenſus, jacturæ hoſtium inferendæ, intendit. Per transfugam Maurum, egreſſos urbe Granata centum viginti equites, qua noſtros minus cautos repererint, longe à nobis damna laturos didicimus. Arma capiunt cum Comite egregii duo centuriones Gonſalvus Fernandus ex Illora, Martinus Alarconus ex Moclino, cæterique per finitima ſtationarii, qua iter facturi hoſtes erant, latent in inſidiis. Nocte concubia imparatos in anguſto nemorum compendio, ſublatis à fronte & à tergo vocibus, adoriuntur. intercipiunt, ſternunt, capiunt. vinctos ad Regale Alcala ſtativa Comitis ſub jugum miſſos trahunt. Non multos poſt dies Marchio ipſe Villenæ Prorex, ad ſororium Comitem & ſororem, quæ nuper ad virum venerat ex oppido Turximeno, à tergo nobis in interius ubi hyemabat, acceſſit. Majoribus cum eo copiis comparatis, crebris hoſtes incurſionibus ad pomœria fere, hoſtes conſternamus. In areis una noctium autumni tempore collectas ex montanis & ſuburbanis prædiis, meſſes, ipſiſmet Granatenſibus, ex feneſtris ignem deſpicientibus, exurimus. Proh! quam fractis clamoribus ululatibuſque fœmineis, incluſi urbe eo caſu, nobis audientibus replebant. Milites vero uti per auditos lituorum clangores, tympanorumque reboatus, conjectari fas fuit, convocati ſunt. Sed inſidias veriti, intra urbem ſe continuerunt. ad nos & ipſi veluti prædones interdum acie ordinata rabidi ac frementes, præſentanea pernicie deſperati, percurrunt. Sed, uti parum fideliter extinctus ignis flammam inſperatam evomit aliquando, eveſtigio tamen moriturus, votis fruſtrantur. circiter vero Idus Januarii anni jam primi & nonageſimi, duobus levis armaturæ militum millibus, quinque autem peditum, clam per oppidum Montem Frigidum, fines hoſtium noctu ingreſſi, caprarum oviumque & boum, circiter tria capitum millia amplius, una incurſione illis ex ſuburbanis raptavimus. ea fuit incurſio hoc ordine ſtructa. Gondiſalvus Fernandus, & Martinus Alarconus ejus amiciſſimus, cum expeditis duabus centuriis, ducibus peritis, ſpeculatoribus antelucano inter elatos parumper duos tumulos, ſeſe abdunt. denſa cohors à tergo cum Marchione, Comite Alfonſo Aquilario, & Ludovico Portucarrerio, de quibus ſupra mentionem fecimus, inter Alendini nuper ab hoſtibus diruti oppidi ruinas, latitat. Speculatores duo, rei motores, fultas frondibus ſingulas arbores ſurrepunt, ad ſolis ab horizonte horam, paſtores cum pecoribus, aratoreſque in aperto eſſe dant ex arboribus ſpeculatores ſignum. Tranſiliunt ex inſidiis latentes. His & ego ſocius, qui per tetram noctem errabundus, à cohorte prætoria diverteram. Illico ſeſe nobis in proximorum collium vertice, circiter centum quinquaginta equites hoſtiles, præſto in armis offerunt. Pugnam cum eis primus ante alios Gundiſalvus Fernandus certamen inivit, ſequimur & nos. Ecce dum ſic pari Marte levibus pugnis non conſerto prælio certatur, prætoria cohors à longe utriſque ſpectantibus, veluti mobilis implens gradum aliquo maturo paſſu ad nos graditur, trepidi fugiunt hoſtes ad munita repagulis duo adhuc inacceſſa nobis oppidula turrita, quæ *germanas* appellant, ſeſe recipiunt. Nos libere agrum percurrimus. collectaque præda priuſquam urbs monita nos adoriatur, ad ſtativa revertimur. His atque aliis hujuſcemodi blandimentis, hoſtes donec Reges veniant, extremam falcem huic meſſi impoſituri, ſalutamus. Tu autem vale. ex regali Alcala in ſtativis. XII. Calend. Februar. MCCCCXC.

EPIST. LXXXVI.

Quare diſſona natura appetant homines. Quare proprias minus quam alienas quærant multi ſua relicta patria.

P.M.A.M. Alfonſo Carillo, Epiſcopo Pompelonenſi.

MEcum ſæpe cogito, Præſul, genere & virtutibus egregie, quid hoc ſiti in natura, ut tam diverſo guſtu homines appetant diverſa, nauſeamque multis incitet quod multos delectat. Vidi ego utputa homines, qui ſolo guſtu mellis ita perturbentur, ut ſe helleborum aut cicutæ vaſculum ſumpſiſſe exiſtiment. Hoc ipſo tempore, quo hanc epiſtolam ſcribo, epoto lacte familiari cuidam meo Hiſpa-

Hispalensi, adeo viscera commoventur, ut evomere ad sanguinem usque cogatur. Melle autem & lacte quanta hominum multitudo nutriatur, quam sint amica hæc, & hujuscemodi cibaria naturæ, notum est hominibus. Eandem in cunctis rebus esse varietatem animadverto. Quam dulce sit & quam suave omni hominum generi, imo & omnium animantium patrium solum, patriique cæli afflatus, nemo ignorat. Multos tamen videmus propria relicta patria, alienas quæritare. Quod si negare tu & ego voluerimus, multique alii, res ipsa arguet. Sed quid causæ nos adigit, dices: quod hoc sit Arcanum, scire vellemus omnes, quid ego sentiam habeto. Formosa pulchraque sectamur omnes à natura. Formosum est cuique, quod maxime placet: id si cum patria minime quis se sperat habiturum, tanta est hujusce rei vis, ut extra patriam quæritet, patriæ ipsius oblitus. Exempli gratia. Galerus iste tuus viridis, lineaque super togam candida texta, qua tu cæterique tui Ordinis homines tegimini, ambitiosique ac superbi inceditis, non minus mihi risum incutit, ac Democrito concitaret. Nec minus ea fastidio, quam lactis haustum meus familiaris, mellis quam multi, galea tersa fulgidoque thorace, ac lucidæ lanceæ cuspide gestio. Vos propterea vestra relicta patria, eam, ubi ista appetitui vestro consentanea assequeremini, quæritastis. Ego quam vos deseruistis adivi, quia quod mihi pulchrum suaveque videbatur, in ea invenire speravi. Mediolani latius reperisses, ubi ista cuduntur, inquies, & me deridebis, in Hispania dico, ubi ista juste, honeste, pie decoreque exercentur, & risum in vos excito, tanquam in Terentianos milites gloriosos, Rhinocerotisque nasum excutio. Valete & discite, *quid sit Vivere*. ex stativis in Regali Alcala XII. Calend. Febr. MCCCCXC.

EPIST. LXXXVII.

Quis tranquillus sit status. Qui infelices. Quibus curis acquirantur opes. Quibus serventur. Quomodo dolore amittantur.

P. M. A. M. Archiepiscopo Bracharensi, Viro Portugalensi.

QUid mihi fortuna præstiterit in Hispania, percontaris. Multo magis respondeo, quam suum sit dare. dedit semel quod amplius auferre minime potest, ut scilicet venerim. cætera per se tempus tulit. satisfeci animo in Hispania. desiderium saturavi meum. Multa audivi, vidi, sensi, quæ necubi potuissem terrarum. de cætero, neque deest quicquam ad animi quietem; neque ea est rerum copia, quæ impedire mentem queat. Eam teneo mediocritatem in hac Curia, quæ ad Musas alendas suppetit. non affecto majora, quia jucundiorem tutioremque hunc humanæ vitæ statum, qui nec inopia premitur, neque opulentia turgescit, existimo. Quid aliud ferant quam curas ingentes certissimamque servitutem isti Fortunæ (si Fortunam licet Christiano dicere) tumidi ventosique flatus, non intelligo: quid aliud de se Crassus Midasque reliquerint: quod ingentes auri atque argenti cumulos coëgerunt, præterquam perditorum hominum & iniquorum nomen, non sentio. Virtutum igitur, meo judicio, desiderandi sunt nervi, qui beatos homines reddant, quomodo liberos, jucundos, tutos heroasque tandem faciant, non magna pecuniarum pondera, quæ servos homines tristesque, ac solicitos reddunt, appetenda. Hæc summo cum labore & vigiliis acquiruntur, ingenti cum solicitudine servantur, immenso cum dolore relinquuntur. Illæ vero parantur faciliter, suavissime retinentur, supremo etiam cum gaudio possessorem suum in morte comitantur. Itaque cum ista semper præ oculis habeam, minime quibus artibus majores mihi divitias comparem, quam peregrinationis meæ requirat commoditas, invigilo. Id si & vos feceritis, quæ sit tranquillæ vitæ felicitas, experiemini. Et valete. Dictum idem velim Pompelonensi ad quem scribo quæ videbis. Ex stativis in Regali Alcala. XII. Calend. Febr. MCCCCXC.

EPIST. LXXXVIII.

Quid sit orationi solutæ Carmen immiscere.

P.M.A.M. Pomponio Læto, Antiquitatis magistro doctissimo.

CAdere in Poëticos modos epistolarum sæpe mearum narrationes, pedibusque progredi ac numeris compositis aliquando, te advertisse inquis. Quid dicas, non intelligo. Neutro enim me valere profiteor, neque est ea in me naturæ benignitas, ut Poëtico pollere ingenio, aut pede libero posse concinere doctrina suppetat. Ingenue semper fassus sum, me vix Phæbei luminis fores contigisse. Peritis ista relinquo illis, & quorum animus à mundi fluctibus secessui addictus solam hanc actionem complexi sunt, in eaque vitam exercuere. Mihi vero sit satis, qualicunque sermone amicis patronisque de re, non de fuco satisfacere. Detur tamen, observande Pomponi, ita uti tu inquis, accidere, velim à te scire, vitio id des necne? Decorem id, non turpitudinem in locutione allaturum multorum sapientum exem-

exemplo arbitrabar, qui non modo in modulos aliquando, orationes casusque terminare ac formare studebant, sed integros orationi solutæ versuum tractus immiscebant. Quid de Platonis stylo prosam inter & carmen surgenti, Aristoteles, Quintilianus ac Cicero retulerint, te non latet. Audio & apud Hebræos à linguæ peritis, Davidem multosque Prophetas alios, carminibus solutam contexuisse orationem. Idioma etiam Ægyptium harmonia poëticisque numeris Mercurius dicitur exornasse. Sed hæc missa faciamus, generalique rerum natura quadam contentus esto, quæcunque sunt, sive apud superos inter cælestes orbes, sive inter semina rerum à Deo creata, suos habent concentus explicandique mentis affectum, modos quæque viventia varios sunt assecuta. Diverso inter se vocis strepitu, diversa conveniunt, coëunt, & discordant animalia. Diverso animos cantu concitant, placant & demulcent volucres. varii & sunt hominum affectus, ex variis naturæ studiis pullulantes. Viguit heroico Virgilius numero. Sulmonensis vates, cui Propertium alii, alii Tibullum præferunt, elegiaco valuit. Soluti pedis palmam Ciceroni communis tribuit sententia. Venusinus autem ille Horatius Philosophus Lyricos sibi vendicavit. Ego quoque inter volucres graculus informis, nativo, qui mihi præstitus est, sono cornicando, quæ à me Patroni atque amici petierunt, egurgito: quoquo modo, quid intra memoriæ meæ officina ad intellectum per phantasiam decussum, linguæ porrigitur aut calamo, ut ad vos, qualecunque est, proficiscatur. Si raucam mihi natura præbuit sambucam, haudquaquam delicatis auribus vestris Orpheis possum fidibus gratas epulas ministrare. Ergo vale. ex Regali Alcala. XII. Calend. Februar. MCCCCXC.

EPIST. LXXXIX.

Quæ sit decennii substantia ultima. Obsidio Granatæ.

P. M. A. M. Cardinali Ascanio.

VEluti substantiis, ita & numeris vicissitudinem deberi rebus promissam animadverto. Impari gaudere superos, bona Procerum pars prædicat. Parem ego ab illis minime neglectum pluribus exemplis annotavi, ut cæteros omittam, quid decennalis parere soleat numerus, Trojanum decennio confectum bellum, à Cæsare Gallicum, indicabunt: tertio nostrum hoc Granatense, quod radicitus propellit ex Europa exlegum mala germina, ostendit. Ab anno quippe quo captam ab hostibus Zaram nostris, in ultionem Alhamam, scripsimus, si bene dinumeres, hunc esse decimum, qui primus est & nonagesimus competies. Cujus anni vere primo octoginta bellatorum millium exercitu coacto, ad urbem Granatam jam trementem, tanti Regni truncum manibus pedibusque caput, deventum est. Sparsa per municipia vicinasque arces præsidia paucis ad eorum custodiam relictis, accersuntur. Corpus efficitur unum militare, tentoria papilionesque ibi, ubi castra posita locantur: quibus minor erat facultas, ramis sibi frondentibus, scenas & mapalia, ut se ab æstu tueantur, exstruunt. Ad miliare ab urbe circiter quintum castrametamur. nec ausi propius, ob bellatorum multitudinem. bello namque, si ætas spectetur, aptorum hominum urbi huic inesse millia centum quinquaginta putantur. hi, si forte ut Martis exigit regula, eruperint, si nos vicinos imparatos adorirentur, palantes facile profligarent. Castris igitur, fossis, repagulisque uti decuit circumseptis, cuique duci intra castrenses aggeres loca pro conditione per metatores assignantur. Vigiliæ, excubiæ, & castrenses custodiæ per centuriones constituuntur. Nocturni exploratores, qui locorum gnari propius urbem, si quis in urbe motus militaris insurgat, rimaturi, noctes agant alternas eliguntur. Omnibus juxta militarem disciplinam, ita dispositis, vocati Proceres in hanc omnes sententiam conveniunt. Urbem turritis atque iisdem miro robore saxorum exstructis mœnibus septam, quam Genuenses mercatores, qui in ea versantur, totius orbis hospites, urbium sub sole mœnibus cinctarum esse maximam uno ore omnes affirmant, virorum vi, aut industria ullisve machinis haudquaquam posse debellari. abscindenda illi paulatim membra, si quæ supersint; plumas, pennis jam ablatis, demendas. ut sua sponte impotens viribus, oppressa egestate, ad regios prolapsa pedes corruat, sancitum est. Tertio itaque quoque die, Ordinibus non secus ac si collatis signis cum hostibus esset conferendum, instructis, ducente Rege, itur ad segetes in pabulum nostris jumentis, & hostium perniciem diripiendas. Præsto in armis semper hostes reperimus. Levibus nos pugnis semper invitant, totis namque viribus concurrunt. Paulatim semper illos per antesignanos, reliquis sequentibus copiis, retrocedere cogimus. Nos quæ tentamus, assequimur, sed sine vulneribus, sine aliquorum nece, nunquam ad vesperam in castra revertimur. Ita modo à dextra, à læva modo cuncta vastamus rura, villas, prædia quæque obvia evertimus. Propius indies accedimus. hebetantur illi magis ac magis. In spem habendæ urbis maxime nos erigimur. Hæc breviaria ex Castrensibus nostris excerpta Dialibus habeto. cætera tempus dabit. Vale. ex castris Granatensibus. VIII. Calend. Julii, MCCCCXC.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER QUARTUS.

Epist. XC.

Regina Granatam lustrat. Orator Gallus adest. quam læta dies & quam vespera tristis.

P.M.A.M. Arcimboldo, Cardinali.

DOnec cœnæ tempus adveniat, prandium accepit Ascanius Granatense, prandium tu quo melius sapiat, condimentum apponito. & torquium aliquando perpendiculi, majoris quam ipsimet torques emi solent, cœnarumque margines quam ipsæ cœnæ sæpe chariores. Ex multis quæ in re tali solent accidere, singularia tibi plæraque est animus referre. turribus ad lapidem ab urbe sua secundum, in gyrum structis, fossisque ac præsidiis munitis intra se, tanquam in sinum, segetes ac fructeta quædam suburbana, hostes cinxerunt. herbatum quicunque ad tormentuli vel sagittæ ictum turribus appropinquabant, transfixi revertebantur, vel cadebant illico. Incredibile memoratu hoc unum habeto, ut quæ solo nutu cælesti cuncta perficiantur, uti summa plærumque ab imis prosternantur, uti fortibus infirma interdum resistant, conjectari queas. Ex turribus adit unam diruturus Franciscus Boadilla cum auxiliis Cordubensibus, Cordubæ namque Gubernator erat. dum nos in aperto segetes secamus, pauci ex turri non vulnerati discedunt. plerique interempti, per commilitones reportantur. Re infecta, ductor eorum mœstus discedit. Ad duo inde stadia (tantum namque inter se turres distabant) aliam gregarii quidam soluti pedites invadunt, impetunt. per pugiones infixos parieti ad turrim hostium, quod in ipsius erat umbilico, solus pedes serpit. Ex hostii limine dari sibi ignem à commilitonibus petiit. Incendit, urit hostii valvas, ingreditur. tres intus Mauri erant, hos tum fumo obcæcatos, tum formidine stupidos, ita reperit attonitos, ut solus de victis unum per pinnas nobis inspicientibus, qui rei miraculo permoti accurreramus, dejecerit, alios confoderit. privilegio nobilitatis pedes hic, & digna factis stemmate, turri utpote apparentibus in ejus vertice tribus hominum capitibus donatus, honoratur. diruitur igitur hæc turris. Cæteræ quoque per statos cælo dies, licet non sine jactura, dejectæ tamen. his amotis, propius ad urbem patet accessus. Præcordia hostibus magis corrodimus. circiter Calend. Julias, ut ordine utar præpostero, constituit Regina velle urbem, quæ laboris, pecuniarum & sanguinis tantum constiterat, & ipsa intueri à cortice, dum à nucleo non liceat. instruuntur igitur acies, Caroli Francorum Regis nuncium qui in castris erat, secum ducit. Is erat, quem Galli *magnum* vocant *panetarium*. Procerum educit acies quisque suas. compositis per Regem ordinibus, à septentrionali occidente, ubi castrametabamur, ad clivos qui in radicibus jacent montium, re & nomine nivalium, gradimur. hii montes urbi adjacent ab utroque oriente solstitiali, æquinoctiumque utrimque ab his urbi exoritur. Imminentes urbi hos nivales montes miræ ubertatis regiunculæ, quas *Alpuxarras* vocant incolæ, intertexunt. Ad vicinos ergo montibus colles, Reges sese conferunt. ordinum vero ductoribus, in fronte ad hostes jam apparentes, assignatur loca; Gaditano utpote duci, Villenæ Marchioni, Tendillæ Comiti, Comitive Caprensi, Comiti Urveniæ, Alfonso Aquilario sapientissimo Optimatum, qui titulos à Regibus ultro sæpius oblatos renuit. Alterque ab eo Ludovicus Portucarrerius Palmæ Dominus, simul & Regii centuriones, quibus omnibus accitis, Reges imperant, ne signa deserere, ne manum cum hostibus etiam lacessentibus, ne ordines disturbentur, conserere quenquam patiantur. Venisse tantum se ut civitatem lustrent, Regisque Galli nuncio ostendant, Regina monet: Fame cogendos, non hominum vi Exleges hos capi oportere inquiens. In stationibus quisque suis captis, multi quom jam gravis vigente sole meridies adesset anhelantes fame sitique discumbunt. provocant hostes & lacessunt, ac stimulant nostros antesignanos centuriones. contumeliis ab ea parte quam Compostellanus quidam Commendatarius Ribera carioris Reginæ cubicula-

riæ

riæ Mariæ Methinnæ maritus, servabat, lacerant simulque irruunt, ac disturbant. Ribera jam concitus illorum insolentia sese cum acie integra illi credita, præceps in hostes fundit, per colles umbrosos nostris hactenus ignotos, lacessentes hostes fugat. Insequitur, in insidias cadit hostiles inter fructeta latentes. trucidati ad unum fuissent, nisi evestigio relictis mensis, à sua quisque ducum statione transsiliissent. Servantur nostri, intercipiuntur per fructeta tuti vagantes, quia id minime suspicabantur Mauri. Capti, trucidatique mille quingenti amplius, ut ajunt. Libere jam colles urbi propinquos, quos nunquam se amissuros hostes crediderant, adscendimus. Ut libet urbem despectamus, dolabris & securibus, per calones oliveta & vineta per eos colles sparsa, abscinduntur. Sole vergente ad occasum, ad castra vesperam non minus mœstam habituri quam lætum diem senserint, regrediuntur. nam Urveniæ Comes, Alfonsus is Aquilarius, de quo sæpius, & Gonsalvus Fernandus ejus frater junior, cum suis quisque manu strenuis familiaribus, & centuriis ita quod quinquaginta essent equites, non contenti facto, ad noctem exspectant in insidiis, ut Mauros ad colligenda suorum cadavera exituros, imparatos capiant. In laqueum cadunt, quem posuerunt Senserunt hostes consilium, insidias illis parant, lacessunt. Intra fossas quasdam novas exploratoribus eorum non intellectas, per atram noctem, per ignota nostris loca, inter sagittarios & sclopetarios pedites, trahunt, stimulant & disturbant, fundunt, profligant, multi mactantur, ducibus ipsis omnibus equi vulnerati, Gunsalvo Fernando is quo vehebatur interemptus est. Ipse autem per irriguam quandam fossam cœno, gutture tenus obrutus, vix pedes evasit. Ubi primum fossam Gundisalvus superavit, fratris ejus Alfonsi familiaris Chironomus, equum cujus ipse sessor erat, Gundisalvo tradidit, hæc inquiens: *Esto memor uxoris & filiorum meorum, & vale.* Vix in equum Gunsalvus insilierat, quum ecce hostes adventant, miserumque fidum familiarem, ante illius oculos lanceis transfodiunt. Vide igitur, Purpurate Præsul, quam parum secundis rebus fidendum sit, & vale. ex castris Granatens. III. non. Augusti Anno MCCCCXCI.

Epist. XCI.

Castra cremantur. Gener Regum equo lapsus periit. Filia laborat febri. Medina campi exuritur. De urbe sancta fidei & carminibus in ea sculptis.

P. M. A. M. Ascanio Mariæ Sfortiæ Vice-Comiti, Cardinali.

Fascia stringitur, Illustrissime Princeps, truncata Granatensium in latera coarctantur fame. Urgeri hostes per transfugas nunciantur. Pertinaces tamen & ipsi, uti Baciensis hyemem exspectat. Sed frustrantur spe sua, domos jam nobis, uti in castris Baciensibus factum esse diximus, struere sibi quisque apparamus. De conficienda in ipsius Granatæ conspectu, nova urbe cogitatur, sed priusquam ista exactius discutiam, non absonum mihi fore videbitur, si casum qui consilii conficiendarum domorum maturandi causa fuit, aperiam. Inter regia in castris tentoria tabulatorum, ut arbitror, trium qua tota poterat despici planities, lignea turris, regium habitaculum erecta est. Turrim tentoriaque scenis, has vocant Hispani *ramatas*, circumsepserant. una noctium, Rege jam dormiente, cælitum supplicibus Regina precibus intenta, invigilabat. Proh! cum sit cælo statutum, haudquaquam potuit evitari, è Reginæ manibus, in sericeam lecti cortinam, accensa facula decidens, Regiam incendit. Arida erant atque sole exusta omnia, ignis vires capit. Semisopiti omnes, ad multam noctem, quid hoc mali sit, ignorantes, debacchantur, arrepto super lineam, qua sola tegebatur, textam, scuto Rex & ipse inscius, unde ignis tam atrox emergeret, prodit in publicum. Oh visu miserandum! fere tota castra, quom aura non levis afflaret, exuruntur. Regina chirographorum arcanorum arrepto inter ulnas scriniolo, de viro tantum ac filio solicita, per se ipsa vagatur. Parvulus Princeps Fernandus, ab incendio raptim, asportatur humeris. de thorace suisque libellis angitur, de cætero nihil curans. Ita confusi omnes attonitique, quid consilii capiant inscii, mussitant aliquandiu. Rex tandem, quom salvam esse Reginam, è cujus cubiculo emissus fuerat, Regina quom salvum esse virum, uterque filium senserunt, conveniunt, sese invicem solantur. suppositum ab hostibus sub aliquo stratagemate incendium arbitrati Proceres, turbati vagabantur, errabundi. Evestigio sese ad arma accingebant. Canere ad pugnam omnes, signaque tolli, acciri milites, imperant. Tanta stupent novitate.

novitate. rem ubi intellexerunt, ſedatis animis Reges adeunt, quid imperent ſciſcitantur. Verumenimvero paucos poſt dies triplex Regibus triſte nuncium affertur. Generum, quem unicum habebant, atque eum chariſſimum Portugaliæ Regis unicum, lapſu equi, infelici caſu, morte immatura periiſſe. Cordubæ filiarum unam febri correptam extremum vitæ diem fere attigiſſe. Methimnæ campi nundinario Caſtellæ inſigni emporio, quadringentas amplius domos, ut ipſa caſtra, in cinerem verſa. Nec fracti animo provinciam ob id deſerunt. Sereno vultu ſeſe exercitui oſtendunt. Fortem animum ſumunt, Prætorium ſibi, ac ſi perpetuo foret duraturum, exſtruunt. itidem & reliqui, pro ſuis quiſque fortunis, facimus, domos ædificamus. non ſub divo, non ſub pellibus, Illuſtriſſime, ſi ad nos venires, tantarum rerum deſiderio tactus, ſed ſub crepitanti tegula ſuſcipieris. Sulco interea urbs ſignatur, urbem namque, etſi parvo capacem, jubent appellari. Quadringentorum paſſuum in longitudine, trecentorum vero duodecim in latitudine, exſtruitur mœnibus, pinnis, propugnaculis foſſiſque ac validis turribus munitis, quadrata orthogonia fere ſignatur, platea in medio ſinitur. Ab illa quatuor in ſingulis lateribus portæ relictæ circumſpiciuntur. tanta fuit dirigendæ cura rubricæ. Domus ſtructæ, ut in eis equi ſtabulentur mille, ſeſſores vero in ipſarum tabulato unico hybernent. Erigendæ autem urbeculæ conſilium fuit, ut ſi forte re infecta diſcedendum foret, præſidiis ibi relictis, quæ diebus, quæ noctibus hoſtes quaterent, quieſcere neminem, aut ſerere quicquam, illos paterentur. tanta ferbuit operis diligentia, ut intra octogeſimum diem cœpta perficerentur. Caſtrorum à tergo exſtruebatur, propterea & nos, qui quotidie ſurgens opus viſebamus, Ciſontei Comitis rogatu, cui erat lateris occidentalis cum auxiliis Hiſpalenſibus, quorum & Prorex & ductor erat, cura demandata (per provincias namque erat opus diſtributum) tetraſtichon edidimus, quo & conditorum nomina, & condendæ urbis cauſa, nomenque ipſius, ac nominis ratio includuntur. Propterea ineptum, quia præbita adſtrictum materia nimis coarctatur. marmore id ſcriptum eſt, in occidentalis portæ limine, cujus exemplar accipito. Vale. ex caſtris Granatenſibus pridie Calend. Novembr. M CCCCXCI.

Rex Ferdinandus, *Reginaque* Heliſabeth, *urbem*
Quam cernis, minima conſtituere die.
Adverſos Fidei erecta eſt, ut conterat hoſtes,
Hinc cenſent dici, nomine Sancta Fides.



PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER QUINTUS.

EPIST. XCII.

Granata deditur. Quæ cum Granatensibus fœdera. Iudæorum domus Christianis in Granata donantur. Iudæi ex universis Castellæ regnis eliminantur. Abulensis Episcopus fit Granatensis Archiepiscopus.

P. M. A. M. Joanni Arcimboldo Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi.

HIc finis Hispaniæ calamitatis, hic exitus fatorum felicium hujus barbaræ gentis, quæ octingentos (ut ajunt) annos Juliano ducente cœptæ comite ex Mauritania, unde *Maura* semper nomen retinuit, transportata, superbe victam Hispaniam, crudeliterque oppressit. Proh dolor! quanta fuit hactenus horum erga captivos Christianos feritas, inhumanitas, truculentia. In præceps tandem sævam eorum tyrannidem mei Reges Deo grati, anniversariis fractam ærumnis detrudunt. Adverte ad superiora callidum stratagema. Parvulam eam urbem, quam ad Ascanium sub Sanctæ fidei nomine erectam scripsi, ut à longe appareret, candido dealbari gypso imperant, eam ex urbe sua conspicati hostes, quid sibi velit illa strues sciscitantur. Quamprimum quomodo sit, curve condita intellexerunt, ad sepulchra parentum mœsti fluunt, illorum Manes vocibus lacessunt. Mahometis sui auxilium supplices implorant, alii, quod eos deserat, exsecrantur. Matres complexæ filios gemitibus atque ululatibus sidera feriunt. Primores in arcem Alhambram regiam antiquam, ad Baudillum Regem eunt, redeuntque frequentes. Sui impotes quid velint ignorant, concursationibus crebris continuisque concionibus deliberando dies protrahunt ex diebus, conventiculis urbs tota repletur. dolore animi cruciantur. sese macerant. cadunt tandem, & colloquium petunt. audiuntur. Pacis fœdera hujusmodi jaciuntur, ut Baudillus Rex urbem, arcesque dedat quascunque in fide ad eam usque horam retinuit. Ipsa Andaraxo insigni inter nivales montes municipio, cum Alpuxarensibus quibusdam regiunculis contentus vivat; ex primoribus, qui ductare soliti sunt ordines, ne populum seducant, neminem in urbe relinquunt. Populo, ut in avitis laribus legibusque vivere liceat, novis quibusdam tributis impositis permittitur. Venit igitur priusquam decimus ab exordio belli annus expleatur, per Baudillum, qui & ipse supplex, uti patruus, ad Reges venit, tanta urbs in Regiam potestatem. Judæis ex composito ejectis, eorum domos Christicolis ibi figere pedem volentibus, assignantur. Abulensis Episcopus in Granatensem Archiepiscopum transmutatur, templum D. Mariæ erigitur. Sacerdotum ordo numerusque, ut par fuit, addicitur. Canonicus & ego, cessante Marte, ad Saturnum effectus confugio. Ubi Christi nomen ignominiis hactenus ac injuriis lacerebatur, ibi nunc colitur. Alhambram, proh Dii immortales! qualem Regiam, Romane Purpurate (unicam in orbe terrarum crede) Tendillæ Comiti urbisque Regimen credunt. Præsidia præbent militaria. Grandem aliam evestigio Provinciam aggrediuntur. Cum namque viderent, Judæorum tabido commercio, qui hac hora sunt in Hispania innumeri Christianis ditiores, plurimorum animos Christianorum corrumpi ac seduci; diem illis certum, post quartum ab edicto mensem ad profectionem statuunt. Quicunque ultimo sanciti termini die non remigraverit, ad reperientis libitum aut captivus educatur, aut trucidetur. Per præcones per omnia eorum ditioni Regna parentia, enunciatur. It præceps in exilium tandem gens hæc, extorquendarum pecuniarum ubicunque illas latere senserint sagacissima; subdola aurum animo, Deum ex Lege veteri, ore colens. Granatensi igitur mole duobus his senibus Archiepiscopo & Comiti longa rerum experientia prudentibus, relicta, ex utraque Bætica in veterem Castellam, pedem referunt. Summis populorum applausibus, summa cum lætitia, veluti felices de tam truculentis hostibus triumphatores, passim suscipiuntur. Ægre arcanorum ipsius parti-

participem, pontemque illi ad Deum, si quum prolapsa fuerat, facientem Archiepiscopum Regina reliquit. Ex itinere, quacunque iter est, quem illius loco sufficiat anxia, cucullatos omnium ordinum accersit, quem fama ferat inter Sanctos viros abstinentia, rerumque contemptu, præcellere cæteris, solicite vestigat. De moribus, de fidei fervore exactissime scrutatur, unica hæc illam impræsentiarum, uti relatum est, cura solicitat. Ego autem per aliquot menses, ut apud sanctum hunc virum, habitum ex Romuleo in Pompilianum vertam, vitamque novam, veterem pelliculam exuendo, complectar, in hac urbe, ad cujus perniciem pars una fui, pedem fixi, vos vero à me rarius literas habituri quam hactenus. Bene valete. ex urbe Granata. V. Idus Martii, M CCCC XCII.

EPIST. XCIII.

Consolatoria de morte Principis Portugalliæ.

P. M. A. M. Alfonso Carrillo, Pompilonensi Episcopo, de morte Principis Portugaliæ.

AD Ascanium utriusque patronum scripsi, Portugalli Regis filium unicum Regni hæredem, meorumque Regum generum, currentis equi lapsu morte insperata periisse. Ad Bracharensem id minime volui, ne subito pressus dolore nimium se torqueret. Tibi autem, quia non tam interest, rem aperio, solutis habenis, ut nobilium moris est adolescentium, in universa Hispania, equum miser adolescens Regius, ex legitimo thalamo unicus, calcaribus in stadio agitabat. Ex adverso, puer ignotus forte fortuna stadium trajicit. Incidit in transeuntem sonipes, in caput rotat, superque pectus adolescentis convolvitur. Costulas illi teneras in stomachi arculam confringit, infra tertiam (ut ferunt) horam mutus moritur. Voce tu illum viva, cujus major est vis quam epistolæ, quæ sono carens ac mortua videtur, solaberis. Ambibis hominem circumloquiis, prius de humanis erroribus & fluctibus, de mortalium corporum fragilitate, de animorum è corpore exeuntium libertate, de fati necessitate, quæ nos ad mortem compellit, quando generat; tum struere nobis infelicitatem parat, quando prosperitate demulcet, sermonem prius cum illo inibis, quam ad molestum illi devenias casum, prudenter, ne quorsum tendas intelligat, homines esse stellas in terris à cælo mutuatas, qui solutæ vinculis mortalibus ad superos, tanquam ad patriam, à qua profectæ sunt, ab exilio & somniis, ad bona vera pervolant prædicabis. Longe dehinc ætatis quæ sint fastidia dinumerabis. Satius esse homini florentibus annis, dum futuræ in illo probitatis spe populi depascuntur, de medio tolli, quam gravante senecta, generibus morborum omnibus circumseptam vitæ tædium ac gentium odium ob imbecillitatem decidere, ostendes. Quando hinc rite persuasum videris, præsentis fortunæ ludum, nubilaque patriæ ejus, & alternas vices significabis. Ob eam forte causam, quod unicus esset Regni hæres, torquebitur, patriæque ob id metuens, ingemiscet. Reges qui nobis imperent, nunquam defuturos respondeto; Sapientisque esse divinæ se accommodare voluntati, fortitudinemque ex necessitate extorquere. Hic adolescens mori nunquam felicius potuisset. Reliquit namque de se ora hominum, ut ajunt, sapida. Si vero vixisset, alium forte Regem quam hæres Regis polliceretur, induisset. vidimus namque ex optimis adolescentibus, in ineptos sæpe viros, sed Reges præcipue evasisse. Gloriosus igitur abiit qui forte longioribus annis discessisset inglorius. Scit Bracharensis, propterea hæredes patriæ non defuturos. Emanuelem namque virum jam probatum, ætate maturum, vis ei ducem ducemque Gimarani, & Bregantiæ, Jaimen, claris moribus & doctrina pro ætate ornatum adolescentem, principem fore eorum. Ad Dionysium Juniorem Jaimis fratrem, ipsius Regis omnes consanguineos, qui ad Regnum adspirant, optime novit. Regis filii sint nec ne, quid ad patriæ salutem? Ut Regno dignus sit quicunque nobis sit imperaturus, exoptandum est. Sapiens est ac fortis animi Bracharensis noster, facile tibi auscultabit amicissimo. Ergo jam valete ambo. ex urbe Granata XV. Calend. Aprilis, M CCCC XCII.

EPIST. XCIV.

Quare ad Urbem sæpe tabellarii, rari Mediolanum. Quid à Roma exhauriatur; cum epilogo de rebus Granatensibus.

P. M. A. M. Joanni Borromeo Equiti Aurato Comiti Alonæ.

LIteras quod raro ad te miserim, conquereris. Si quanta tibi debeam libraveris, si ex desiderio id tuo dimensus fueris, quod gesta meorum Regum vehementer te scire voluisse ostendis, merito jure accusabis. At si quali locorum intercapedine distemus,

pensitaveris, à culpa me liberabis, cum tu Mediolani agas ab itinere ad Urbem semoto, velut in abdito, lates. Qui namque Mediolanum sint profecturi, pauci admodum occurrunt. Mercatores plærique Mediolanenses commercii causa in Hispania versantur, sed hi nundinalia quærunt emporia, ad Curiam minime sæpe divertunt. si qui forte fortuna accesserunt, literas illis ad te fratresque meos continuo dedi. Mediolanensibus nostris purpuratis Principibus, qui Romam incolunt, me crebro literas destinasse ais, nec falleris quidem. nescis in urbe Roma ligones, marrasque & sarcula, reliqua etiam instrumenta, quibus saxosum spinisque implicitum & vepribus asperum, ad cælos iter, lene, apertum, ac pervium efficitur, fabrefieri? nescis Avaritiam præpetibus pennis per aëra volitare? nescis Auri cupiditatem Demogorgonei gurgitis voraginem superare? ea, raptatos habitu suo tabellarios, uno spiritu ab extremo Zephyro, dispositis equis, ad Romanos Euros jaculatur. Nihil est quod ex vestra urbe Mediolano, in Hispaniam utilitatis censualis possit afferri. Ex urbe Roma Pontificali, sola membranula, ingentia quotannis auri pondera, per tabellarios importantur. Canonicatum hic, gradum ille altiorem quæritat. Episcopatui alius inhiat, litibus alter exagitatur. Ita pecuniarum hæc immensa sitis, hæc animarum procellosa tempestas, per vastam locorum distantiam aspera quæque disrumpit, montes invios aperit, alas quibus ad illos volitent, hominibus imponit. Accersite ad vos Pontificem, ex cujus sinu major Auri copia, quam ex Arabicis auri fodinis exhauritur, ex cujusve potestate itur ad superos, Tartareæque portæ clauduntur, & crebras à nobis literas habebitis. Accipe igitur per Franciscum Adam concivem nostrum ad vos pergentem, de bellis gestis nostra tempestate, hoc tenue breviarium. Stravere Græci decennio Trojam, decennio subegit Gallias Cæsar, octingentos circiter annos Hispaniam infestantem gentem hanc ex Mauritania transportatam, bellis decennio mei Reges anniversariis hebetarunt, vicerunt, habitisque in potestate duobus eorum Regibus, tandem radicitus everterunt. Judæos gentem fallacem, quod Christianorum animos suis fœdarunt superstitionibus, quamvis innumeros, Christianisque opulentiores, ejecerunt. Comiti Tendillæ, qui à vobis Mediolani, quom in patriam ab Innocentio VIII. P. M. rediret, honorifice susceptus est, Granatensis Regni relictis habenis, cætera ipsi avita Regna triumphantes percurrunt. in hac ergo urbe per aliquot menses Canonicus immorabor. late aliquando tibi, si per vitæ datorem licuerit, nostri Diales castrenses, quæ intelligere cupies aperient. Vale interea. ex urbe Granata. XIII. Calend April. MCCCCXCII.

PRÆROGATIVÆ GRANATÆ URBIS.

EPIST. XCV.

Arguit Granatam urbem præcellere cunctis urbibus, si cuncta metimur.

P.M.A.M. Petro Gonçalo Mendocio, Hispaniarum Primati, Cardinali, Archiepiscopo Toletano.

Erat mihi onerosa profecto à vobis, Purpurate Princeps, alterque à Regibus in Hispania Rex, absentia mea, tum quod in Curiis educatus à teneris, in secessu vivere nesciebam; tum, quoniam major est virorum semper in Regiis, veluti magnorum in vasto mari piscium copia, quam in una, etsi ampla, civitate. Omnibus quæ sole ambiuntur, quas ego viderim urbibus, est, meo judicio, Granata præferenda. Aëris quippe temperie, quæ ad alicujus patriæ felicitatem imprimis quærenda est, præcellit. Adverti namque graves minime hic esse calores æstivo tempore, minime acre frigus hiberno. nives in montium cacuminibus adjacentium, urbi perpetuæ, vix ad milliare sextum ex urbe conspiciuntur: ad urbem vero rarissime descendunt. Ex nivibus illis, quæ facile afferuntur, si forte ardente Julio intensi aliquando vigeant calorés, ad vina diluenda ita frigescunt aquæ, ut nives ipsas exsuperent. Si vero, quod in concretis Saturni adspectibus ad Solem plærumque per frigidas domos evenit, per paucos aliquot dies insuetum frigus ingens emerserit, per vicinas in montibus ipsis densas sylvas facile illi occurritur. Deambulatoria vero ad animi aut laboribus aut curis fessi levamen, quæ his similia regio ulla per naturæ benignitatem consecuta est? Stringuntur solo mari miraculosæ Venetiæ. Planitie tantum gaudet opulentum Mediolanum. Florentia montibus solis contenta, hyberna omnia horrentia perpetiuntur. Roma continuis agitata flatibus Austrinis, qui ex Africa morbosos afferunt halitus, & palustribus Tibridis vaporibus oppressa, paucos ad senectam ducit. Urgentur æstivis caloribus, qui lassos reddunt, & fastidio replent habitatores. Granatæ saluberrimus est Adarro fluvio, qui urbem

urbem interlabitur aër. Granata montibus gaudet ac lata planitie. Granata perpetuo lætatur autumno. Cedrinis arboribus, aureisque malis omnis generis & amœnis viridariis gaudet. Hortos Hesperidum æmulatur, ex vicinis montibus insurgunt uberrimi passim colles, ac lenes tumuli, vinetis myrteisque passim referti nemoribus, odoratisque arbustis, omnia circumvicina suaviter compta, Elysios sapiunt, irrigantur hæc lymphis universa (uti nosti) purpurate Princeps. Quos generent novos Spiritus, quantumve fessos recreent rivorum per umbrosa hæc oliveta fructetaque decursus, ego ipse sentio. Hem satis evagatum dices, mi Patrone clarissime, satis quidem, sed dixisse volui hæc, ut scias quanti vos Curiamque vestram faciam, vilescunt omnia, nauseam inducunt mihi universa, stomachum pariunt hæc blandimenta naturæ. Felicia hæc deliciosi prædicant, magnorum me virorum sola commercia beant. De nepotis ex fratris tui, Comitis Archiepiscopique consuetudine nescio, quid dicere videaris. placent quidem, observoque utrumque, sed cum sint numero pauci, naturæ meæ haudquaquam satisfactum iri sentio. Quapropter onerosam mihi prius vitam, onerosiorem tuis literis, quibus me revocas, effecisti, excussisti, si non dormientem, sopitum tamen currere cupientem, calcaribus agitasti. Dabo igitur operam, ut me hic quantocyus exsolvam. Vale ex urbe Granata. III. Cal. April. Anno MCCCCXCII.

Epist. XCVI.

Quam preciosior sit hominis quam auri thesaurus.

P. M. A. M. Didaco Muro, Decano Compostellano, Viro Probo.

Quis Patronum istum tuum, Mure, vir sapiens, fefellit? Aut quidni me sentis tu, qui nares habes odoro cane acutiores? cur à tanto Principe tanti fieri debeam? Ad Curiam me nititur suis literis, suprema humanitate refertissimis, revocare; id mihi gratissimum, ast illi quid cum Martyre? Hominisne cujusquam obsequio tanta pollens autoritate inter Cardineos proceres potest indigere? Qui tertiam in Regnorum habenis dexteram tenet: te res meas apud illum, uti per conjecturas colligo, commendasse animadverto. Cognitus ipse eram fateor, sed minime familiari consuetudine devinctus. Conciliatum igitur, si tu mihi reddidisti, uti bonum decet virum, operatus es. Bonis namque à naturæ benignitate insitum est, homines diligere: omnibus pro virili sua, bene cupere, & quomodo possint benefacere. Sed si forte prætergressus es in laudando metas, utrum mentiri liceat, consule Jurisperitos. Quorum scripta examussim calles, utrum, quacunque ratione suscipere causas amicorum, naturæque suæ igniculis, quamvis bene consulentibus, uti fas sit, diligenter inquirito. Ah scio quid te attrahat, Mure, ut semper inhies ad favorem auxiliumque hominibus, pro cujusque ingenio, aucupandum. Fenerator es callidissimus, nosti animos hominum, beneficiis cuique consentaneis, devincire. Sentis multo tutiores esse preciosioresque hominum quam pecuniarum thesauros. Propterea tibi, non horrea tritico, non ærarium auro fulcire conaris, sed prudenti nexu, quod sit animal Deo proximum, hominem ex homine studes irretire. Ut de te honorifice sentiam, sola me cogit opinio. Quid putas fore, si re ipsa te ad priscum patroni tui erga me inchoatum hactenus amorem, additum aliquid te autore persensero? Grati quippe me animi, nec degeneris quidem natura formavit. Ad Saturnum, cessante Marte, sub hujus sancti viri Archiepiscopi umbra tento transfugere; à thorace jam ad togam me transtuli. Dragmatis Cantica Canonicus in collegare cœtu exerceo. Durum esse hoc laboriosum ocium naturæque meæ, quia semper idem, adversum, sentio. variis namque delector actibus, variorumque hominum commercio pascor libentius. Ibo igitur ad vos, quandoquidem vocatus, ut arbitror, propediem. Ex urbe Granata. III. Calend. Aprilis, MCCCCXCII.

Epist. XCVII.

Quanta sit vis custodum in erudiendo Principe.

P. M. A. M. Ludovico Torres de quatuor Principis custodibus, Aurato Equiti, literis ornato.

Saturavit epistola tua, Ludovice Vir omni laude digne, appetitum meum, non quod meum ad Curiam accessum desiderari à plerisque Primatibus, significes, neque enim, qua in re utilis esse illis possim intelligo. Sed quia fuit index ejus erga me tui animi, quem ego cupiebam. Elegans ipsa fuit epistola quidem, & sublepida, quadam gravitate perspicuæ contexturæ. Scribis inter cætera puerum adhuc Principem, necdum pubescentem gravissima indies magis (mirandi ingenii argumentum) verba, tenero

tenero formare palato, quibus in summam spem erigimur, omnes qui apud eum versamur, veluti ex subterraneis radicibus herbarum, varios flores, ita ex obruto ætate illius animo, majora indies futuræ magnanimitatis & prudentiæ signa pullulare prædicatis. Isthæc de Principe laus, apud me jam senuerat, quoties ego ipse prædixerim, sub ejus corculo ferventes eximiæ virtutis igniculos, veluti favilla ætate contegi? Vos testes estis. vivat modo, felicem cum Hispania Christianum orbem videbitis. Ut propterea me acrioribus ad Curiam calcaribus concites, diligi me ab ipso, de meque sæpius eum interrogasse (superis etiam testibus) asseveras. His haudquaquam stimulis indigeo, cupio nihil magis, insilivit tamen præ lætitia cor, oblectationemque mihi verba hæc tua parturierint, nec quia puer est muteturque in pueris ad horam voluntas, lætari desino. De humilibus id dictum puto, quibus deest ad Pythagoræ literæ dextrum cornu, dux, eruditio, callidive morum magistri, custodes. in regia vero sobole multo secus. Hæc namque rite fundata à natura, cum per egregios opifices gubernata increverit, cum ætate magis ac magis coalescit. Jure igitur merito gratulor mihi, ipsique gaudeo vehementer, agellum istum opulentissimum, glebulamque preciosam, mei nominis semina concepisse, ac tenerum istud arbustum aureum, in quo seminea inter se crepitant bractea, tanquam inserti in ipsum rami spinei, mentionem de me aliquando fecisse; cælestia precor cuncta numina, ut surgentem istum Regem futurum, quacunque iter fecerit, comitentur, vosque ipsius custodes una tueantur. Et vale. ex urbe Granata. III. Calendas Aprilis Anno MCCCCXCII.

EPIST. XCVIII.

Laus & exhortatio ad rectum; & utilitas recti. de Principis Ioannis vita.

P. M. A. M. D. Joanni utriusque Hispaniæ Insularumque nostri maris hæredi Regio.

MIrande in pueritia senex salve. Quotquot tecum versantur homines, sive genere polleant, sive ad obsequium fortunæ humiliores, destinati ministri, te laudant, extollunt, admirantur. Sublimis hæc est ac tutissima possessio rerum omnium thesauros exsuperans, amari, coli, observari. virtute media memor esto, fortunate Puer, arborem te esse surgentem in immensum, sub patula cujus umbra recreatum iri oportet multorum labores populorum, ex cujus etiam ramis velut à parentibus hirundinum pulli, fructus ad vescendum innumeros colligere necesse est. Memineris tot tibi credendas, ad pascua illis præbenda oves, quot hominum capita tuæ ditioni subjacebunt. Fructus præstabis uberrimos, mirande Puer, si uti cœpisti, arborem tuam literarum disciplina clarisque moribus cohærenter, ab omni vitiorum nota semotus, irrigaveris, umbramque porriges recumbentibus ad levamen directam, si teipsum direxeris prius. Nec aliter quidem sperare de te fas est, indolis eximiæ Princeps. Sint namque tui cogitatus omnes, ut parentes, qui nulli sunt Regum in orbe secundi, æmuleris, à quorum semper labiis aperto (ut ajunt) ore dependes, apprehendere quæ dixerint paratus. Tibi major est in tenera ætate cura, ut in Regem bene merentem evadas, majorque ut Regno dignus sis, quam ut Regnum assequaris solicitudo. Ex tui ingenii instituto facile conjectatu est, optimam te habuisse, cum formareris obstetricem. Itaque si à bonis tuis initiis meliores produci cupis eventus, bonum illud à quo bona proveniunt, clausum in pectore semper habebis. Ille Rex Regum, ille dominus exercituum, ille amantes se maxime diligit, regit, tutatur, his bona impartitur omnia. Hæc pauca, non ut te meis monitis indigere, Clarissime Princeps, existimem, qui tali sis ingenio præditus, talesque apud te habeas vitæ magistros, sed ut mei sint erga te amoris monumentum, sereno ista vultu quo soles aliorum dona, benignus accipito, & vale. ex urbe Granata. III. Calendas Aprilis, Anno MCCCCXCII.

EPIST. XCIX.

Quam longe sit felicitatem in humanis quærere.

P. M. A. M. Petro Nunio Gusinanno de Principis custodibus.

BRevem, sed ingenuam, gratitudine sententiisque refertissimam accepi, Petre Nugni, vir non minus virtutibus quam genere ornate, epistolam tuam. Ea multa mihi hactenus cognita confirmavit, te scilicet absentem eodem erga me esse animo quo præsens fuisti: quom ex officina mea (ut inquis) cum Tendillæ Comite Didacoque Hurtato Mendotio Hispalensi Archiepiscopo ejus fratre, in castris, tollendi ocii causa, aliquid semper exhauriebas. Ex sapientum namque sententiis, quos me profitente, audiebatis, mens illa sana quæ imprimis ad beandos homines

mines in sano corpore requiritur, facile ebibitur. neque enim in sana hac corporis sanitate, neque in fallacibus fortunæ bonis, quæ bona tamen essent, si bene illis uteremur, illa consistit felicitas. Sed in his quæ ad eum, qui est summum Bonum, nos elevant mediis, summa reperitur. Te igitur meo pollice ita confictum prædicas, ut in meliorem te hominem conversum esse fatearis: te jam qui frueris noscere inquis; quam inutiles quamve sibi mortui sint qui literas penitus ignorant, indefesso spiritu proclamas. Misereri te, inquis, magis hujuscemodi hominibus quam Regibus invidere. A beluis parum distare homines, literarum ignaros, contendis. Torpore oppressos, cæcosque ac mutos, immo & vivendo mortuos appellas, de quorum vita nulla cum virtute mentio. quandoquidem igitur ita ferax est hic tuus agellus, ut sata perbelle conceperit, optandum tibi est, ut longo tempore valeas. Quanto namque bene valendo longius vixeris, tanto eris nostro futuro Regi, apud quem diebus noctibusque versaris, utilior. quod autem tu, reliqui etiam collegæ tui reditum meum ad Curiam cupiatis, ut si qua mihi plumula est, eam expiletis, id cupitis quod ego maxime desidero. Sed cum verear, ne Curia tanto viro privata, quantus hic est noster Granatensis Antistes, sub cujus ductu, sacrisinitiari velim, auspicia sortemque mutaverit, refrigescit animus aliquantisper. Dabo tamen operam, ut vobis mihique aliquando satisfiat; utque ego vestra amicitia fruens, gaudio veræ fruar amicitiæ, quod unicum est ac verum in seculo gaudium, ex ipsorum numinum gaudio & harmonia cælesti, quæ solius amoris instrumento cunctos versat orbes, proficiscens. veram namque esse religionem, sine qua non datur amicitia vestrum istud proborum apud amplissimum Principem collegium, cogor judicare, cum nulli unquam inter vos præterquam de virtutibus sermones colloquiaque agitentur. Vale. ex urbe Granata. III. Calendas Aprilis, M CCCC XCII.

EPIST. C.

Transit Autor à pretexta Martia ad mitralem togam. Que sint Curie cura.

P. M. A. M. Guterio à Toleto, regio Consobrino, Scholastico Salamantino.

QUid nunc Granatæ faciam, interrogas? pro thorace, quem me in castris gestasse vidisti, lineam (quam dicitis superpelliceam) porto; pro ocreis, talarem vestem, pro lancea peltaque in manibus est horarium. Si quid temporis superest, ad assuetas Musas confugio, non ut cuiquam propterea placeam, non ut me oblectem solum, sed ut me fallam. donec namque vatis alicujus aut Philosophi scripta pervolvo, aut aliquid in mea, quamvis algenti, aut rubiginosa, cudo officina, ab externis quæ sollicitos, anxios ac misertimos homines faciunt, discedo. malo equidem ego illa meque ipsum fallere, quam falli ab ipsis. Quid tamen hoc mali sit, non intelligo. Secessus, animi solet tranquillitatem parere, me autem affligit. Scio & longo didici experimento, Regum domos curis ingentibus oppletissimas, agi velut tempestatibus crebrisque procellis. Curiales omnes agnosco, momento quolibet cuncta mutari, in eodem statu, velut in fortunæ rota Poëtæ fabulantur, nihil diu permanere. Regum favores, quos imprimis homines sectantur, vento mobiliores, inanesque esse video. futilia simul & lubrica quæcunque ex laboriosis in Curiales agros sementibus jactis colligi possunt, meismet oculis in aliorum multis capitibus contemplatus sum, proh! & quod miserabilius, apta magis, ut nos ab eo sejungant, sine quo ipsa non sunt, cujusve manu nobis cum facta sunt quam ut gradus nobis ad illud adstruant. Felicitatem unicam in hujusmodi amore consistere, qui unus est amor, verum bonum à quo bona cuncta proveniunt, aperte intelligo: Curiam tamen affecto, licet curarum aream, bonorum (quæ bona sunt) aridam, quam facto agmine noxia cuncta circumsiliunt, cui sunt ob invidiam timor & dolor perpetui comites. si quod appareat inter Curiales gaudium, breve id, ac simulatum, felleque mixtum ebibitur. Cum à veritate uno temporis momento discedere sit infelicissimum, inhumanum, obscœnum; quot ora Veritatem proferant, aut quæ verba sine doloso fuco prodeant, qui corda hominum scrutatur, novit. Et hinc multa. sed me miserum; rapior tamen ad Curiam. vocor ab amicis; fateor; ne credas tanti esse communem hominum amicitiam, ut in manifestam se quis voraginem immergat. Urgemur omnes fati quadam occulta necessitate, ut video. Furor, stupor, stoliditas, vertigo nos circumvolvunt. Velut aviculæ bubonum noctuarumque simplices sectatrices, deludimur, irretimur, perimus. Edocetor igitur exemplo nostri, tu mi Scholastice, ne illaqueatus decidas in nostrum aucupium. Et vale. Hic patronus noster Archiepiscopus te salvere jubet. Ex urbe Granata, in Calend. April. Anno M CCCC XCII.

EPIST. CI.

Consolatoria de morte Cardinalis Arcimboldi.

P. M. A. M. Ascanio Vice-Comiti, Cardinali, de Arcimboldi Cardinalis morte.

O Quam merito fallacem esse humanam Prosperitatem, sapientes omnes, uno ore judicant. Christiano namque satius est id hoc nomine, quam Fati aut Fortunæ vices appellare. Hei nobis! dimidium animæ tuæ, alterumque à te patronum mihi Jo. Arcimboldum concivem Cardinalem, vita functum relatum est. neque enim mihi præ dolore significasti, arbitror. Ex humanæ felicitatis melle, fel istud solet passim scaturire. Hinc nosces quam parum sit temporum applausibus fidendum. Qui non aliter mendaces esse perpetuo reperiuntur experimento, quam malus dæmon, qui tot adstruit ex suo instituto mendacia, quot temporis momenta volvuntur. momenta vero quæ fuerunt, quæ futura sint, Arithmetici numerent. Veræ felicitati infestissimam hostem ac semper adversantem Felicitatem humanam Philosophi non injuria censuerunt; hujus quippe retibus impliciti, minus ad illam tendere iter possumus. O fugacem ac volatilem delectationem humanam, quæ tanto longius pervolat, quanto firmiorem proximioremque esse arbitramur. Quare perniciosas hujus illecebras & pollicitationes fallacias potius ac veneficia quam Felicitatem judicabimus. Quid illi sanguinis nobilitas? Quid divitiæ? Quid ingentes tituli profuerunt? Tu videris. Inde jam tibi exosam esse opulentiam, tibi genus illustre nauseam incitare, tibi Cardineos inter Proceres Primatum, non ultra bene sapere, tali dempto collega proclamas. Zizaniam tibi in escas, & in potum conjectam quereris. Hæc tu, uti mihi significatum est: quid autem me soletur, qui jacturæ hujus sum particeps, advertito: illum, nos quoque, omnes homines denique veluti bruta ex quatuor corruptibilibus compositos scio. Elementorum partem quodque suam à generali massa se movere trahereque ad se, perpetuo inhiat; generare ex corruptis, generata rursus corrumpere, illorum studium. Quom igitur animadverto, vitari nullo modo potuisse, quin aliquando solveret, quod in eo, veluti in cæteris tam varie compactum erat, necessitatem in solatium verto, quia non eum, sed ejus umbram periisse, migrasseque ipsum à cœno ad fontem nitidum, non interiisse existimo. Umbram namque hominis corpus esse, animam vero hominem, quom à digniori nomen sumatur, merito sapientes statuerunt. Vivit ergo vinculis solutus, liberiorque est, non periit. beatior est, non infelicior. Si à cujusque peregrinatione transitus est judicandus, ad cælestem ille patriam à terrena fece prosiluit. Amabasne tu in illo quod jam periit? non profecto. Sed quid? animi dotes, virtutem eximiam, bonitatem immensam? animam igitur in corpore, & non corpus ipsum admirabare. Quare si candidissimam illius animam nunc ex tui pectoris secessu contemplareris, illo tanquam puriore materia beatius fruereris. quo tui pectoris amaritudinem alio possim melle temperare, non occurrit. Ergo vale. ex urbe Granata, in Calendas Aprilis, Anno M CCCC XCII.

EPIST. CII.

Quomodo fallamus nos ipsos. invitatur Autor à Regina ad eruditionem Procerum.

P. M. A. M. Petro Gonzalo Mendotio, Cardinali Hispaniarum ac Primati, Toletano Archi-Antistiti.

NItimur errores nostros honestis velaminibus, virtutumque appellatione aliqua depascere, nolle in amœno secessu decem lacertarum dominatu esse contentum, quom unius esse aliquid noster Aquinas moduletur, errore trahi, manifestum est. Cymba si quis inter gravidas fluminum ripas tantum sibi piscium quantum ad saturitatem suppetat, suis reticulis vel hamatis harundinibus sedens captare securus potuerit, cur se vasto mari ad præsentaneæ mortis periculum, majore navi exposuerit? ut se hominibus utilem, rhombos mullorumque jubas quæritando præstet, piscator inquiet. Neque enim hominem dicet esse sibi soli natum putare, cum nostri partem tum patriæ, tum omnibus, ordine suo, mortalibus, debeamus; eumque pluris jure merito fieri, qui majorem affert generi hominum commoditatem, disputabit. Hoc tu me hamo, hac esca, Reverendissime Purpurate, vis apprehendere. Ais enim fore ut Optimatibus qui Curiam sequuntur, utilis sim futurus, si ad Curiam venero, qui procul ab omni virtutum cultu vanis amoribus impliciti cum summa Reginæ molestia inglorii vitam transigunt; daturamque mihi Reginam laborum præmia, qualia decebit, insinuas. Eo ad vos, tum lubens, tum quod ita conducere dicatis. Tunc mihi factum satis fuisse profitebor, Reverendissime Purpurate, quando me aliquantulum in excolendis talium adolescen-

lescentium ingeniis, vos me profecisse indicaveritis. durum quippe suggestum exercere ac molestum. Quia difficile est effrenes ebullientis ætatis annos moderari, eorum præsertim, qui laute libereque educati, graviter quæ minime assueverunt, auscultare mutareque institutum patiuntur. Alcibiadem pluresque cum eo Procerum filios, Socrates cultu impares ad virtutes direxit. Alexandrum Macedonem Aristoteles, multos & divinus Plato (ut ais) erudierunt, parentumque loco magistros illi habuere. Ingens latumque chaos inter præteritos præsentesque magistros fateor: sed non strictius inter auditores sentio interesse. illi namque ab atavis illiteratum hominem à belua nil distare crediderunt, eamque sibi in maternis uteris opinionem induebant, Hispaniæ contra juvenes ab avis proavisque, ad nostram usque tempestatem, eum minoris esse faciendum, qui literas sectetur, falso arbitrati sunt, quia militiæ, cui soli invigilare honorificum putant, literas esse impedimento hactenus crediderunt. Sed cum ingenio polleant Hispani, sintque à natura magno dotati animo, forte levius quam suspicemur, ad literarum amorem, quarum est gustus suavissimus, inducentur. Scis namque Platonis dicto, virtutis esse mirabilem, si conspici posset, delectationem. Eo igitur, quandoquidem Regina virtutum omnium fautrix, tuque ita vultis, experiar, quid concedatur in illos. Abibo, Deo dante, ut ad vos proficiscar postridie. Vale interea, Patrone omnium eorum, quos bonos esse putas, candidissime. Ex urbe Granata in nonis Aprilis Anno M CCCC XCII.

EPIST. CIII.

Quæ spes de juvenibus Proceribus. Quid suis Optimatibus & populis exemplum Principis.

P. M. A. M. Didaco Muro, Decano Compostellano, magni Cardinalis Hispaniarum Secretario.

SErpunt aliorum verba in mentes hominum paulatim, sensimque in agentis inducunt sententiam, tui autem patroni, Mure vir sapiens, scripta unico me stimulo, unica utpote suasione concitarunt. Sive id fati necessitate cogente accidat, sive quod à tanti Principis mandato referre pedem hæsitareque minime liceat. Sit utcumque. ita est. inani me gloria oppletis. futurum in Curia hospitium meum bonorum Academiam, in contubernio me habiturum quotquot juvenes habet hac tempestate Hispania Proceres, enunciatis; allicitis quidem animum, & ad spem veræ gloriæ quam nemo bonus rejicere debet, erigitis. Velut namque gloria illa, quæ ex animi perturbationibus, ex auris scilicet popularibus, ex opulentia, ex titulorum honoribus, veræ gloriæ formam, pulchritudinemque corrumpit, adumbrataque est gloriæ imago: Ita quæ à virtutis excitatione proveniet, solida reperietur ac stabilis. Ad aliam dehinc quæ æterna est, hæc iter aperiet. illa vero ex aspero accessibilem reddet. depravatus hic in Hispania mos (ut ais) eradicabitur. opinio de literarum studiis falsa hæc, obliterabitur. existimabat namque nobilitas, atque absurde arbitrabatur, militari disciplinæ literas adversari. Inde ab illis tanquam ab hoste infensissimo, tergiversata est hactenus, ex instituto majorum. Speras, ut inquis, facile futurum, ut sese literis juventus nobilis accommodet, quia nihil magis usitatum ab æterno fuit, quam ut Principum sibi mores cæteri suapte natura & ultro imbibant, induantque. literis ex parentum præcepto, Regnorum hæres, qui habet in se versos omnium oculos, sese exercet, ut ais; ergo & cæteri sui Principis exemplo, ad literas confugient. Illi est honor arti cui Reges favent; non inepte arguis, Mure, facilisque solutionis est controversia. Id ita fieri solet. ad vos igitur eo. Hospitium mihi patronus tuus per metatos Regios, quandoquidem tertius est in occiduo Rex, tuo rogatu, Mure bonorum fautor, ni molestum est, parari jubeat. Et vale. ex urbe Granata in nonis Aprilis. Anno M CCCC XCII.

EPIST. CIV.

Se suaque nihili debere fieri Autor arguit.

P. M. A. M. Joanni Velazques, nobili viro, de Principis Custodibus uni.

TEstes adhibeo superos, Jo. Velazques, me nescire quibus meritis vos tantopere, ut ad vos eam cupiatis, quidve possitis ex meis vos hortis, unde famem, qua urgemini, explere valeatis, colligere non intelligo, non ita me deprimo tamen, ut me frustra natum esse confitear. literarum namque aliquantulum degustavi, vatum & Philosophorum scripta pleraque evolvi, vidisseque à me ipso interdum aliqua haud inficior. Quare nec penitus hebes sum, aut protinus inutilis. Sed profecto de me longe alia sentitis, quam ego ipse cognoscam. Vereor ne assentemini, aut imbecillitatem aut vires meas

non intelligatis. At si utrumque deest, summa laboratis egestate. Oculorum orbibus caretis, qui Ætneum Cyclopem tanti facitis. In comparationem aliquando veteres trahitis Optimatum magistros. Valde fallimini, summaque illos afficitis injuria. Quotquot namque juniores terram pedibus terunt, exiles sunt, ad elephantem culices. utcumque sit, hordeaceum hunc panem nostrum, quem pro tritico vobis comparare ad vescendum optatis, ad vos importabimus. ad vos ibo qualecunque est, viretum ego vobis meum aperiam. Ex ejus arboribus, quoscunque fructus repereritis, decerpere fas erit. Et si ramos amputare, radicumve fibras evellere, animus surrexerit, per me licebit. Serenissimo Principi, tot Regnorum unico hæredi, in quo Christianæ quietis futuræ sita omnis spes est, meo nomine dices manuum oscula, reliquis etiam tuis apud illum collegis salutes impartire. postridie, Deo dante, discedam. ut mihi hospitium per Regios metatos paretur, operam date, & valete. ex urbe Granata in nonis Aprilis, MCCCCXCII.

EPIST. CV.

Quanta sit præstantia unus aliquando vir apud Reges. de Granatensi Archiepiscopo. quidam frater Franciscus Ximenez confessor Reginæ.

P. M. A. M. Fernando Alvarez, regio à Secretis primario.

APud Petrum Nunium de Principis custodibus unum, reperisse te meam Epistolam inquis, in qua animadvertisse scribis, dubitasse me, Granatensis Antistitis carentia, ne curia sortem fortunamque mutaverit. Serióne id dixerim, an jocose interrogas; innuere quasi volens, injuriam fuisse his verbis Sapientibus illatam (quos apud se habent Reges innumeros) consultoribus. Tu illique ad Regnorum habenas, ad negocia pertractanda subditorum, ad cætera hujuscemodi, apti estis, Regibusque commodissimi, sed quid hæc? Satisne vos illis ostendere iter ad superos calletis? Gressus eorum dirigere ad precium quo preciosa summi boni merces comparetur? Vestrisne consiliis tranquillitatem unquam animi consequuntur? Vos videritis. Tu igitur inter utrumque, mea tene dicta, & tutus evades. Si veterum scripta percurreris, unius sæpe sancti viri, *sancti* dico, non callidi, non vafri, non ea, quam vos falso putatis, sapientia humana pollentis, ingenio, parvas urbes ignotasque regiones nomina sibi comparasse, ex imo res multas crevisse ad summum, felicibus auspiciis adnavigasse, emersisseque supra sidera reperies. illoque deficiente, illico lapsa corruisse. Iisdem consultoribus & Reges felicibus avibus sua Regna gubernasse, diversis autem prostituisse didicimus. Ah dices! Summa est in nostris Regibus rerum experientia, supremum ingenii acumen, quibus dotibus Mundi pulchritudo harmoniaque parantur, gubernantur, & coalescunt. fateor & ego idem, Fernande Alvares, sed minime absurdum est credere profutura & illis eorum quos diximus consilia. Præterea nonne tu sanctissimum quendam virum à solitudine abstrusisque sylvis, macie ob abstinentiam confectum, relicti Granatensis loco fuisse suffectum, scriptitasti? In istius facie obducta, nonne Hilarionis te imaginem aut primi Pauli vultum conspexisse fateris? Ad vos eo, Patrone mi, ut vestra fruar & ego bonitate, fructuque amoris vestri erga me, quem non parvi facio. Vale tu filiique tui omnes quos unice diligo, non modo quod tui sint, sed quod literarum studiis deditos esse audiverim. Valete jam omnes Regii Curiales, qui me vestris literis, ut ab ocio ad solicitudinem & curarum aream prosiliam concitastis. dexteram sentio tot epistolis ad vos exaratis uno die confractam. Ex urbe Granata, in nonis Aprilis, MCCCCXCII.

EPIST. CVI.

It Autor ad Curiam.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio, Comiti Tendillæ, Regni Granatensis Proregi.

DIscedenti mihi abs te, Comes Illustris, nec sine utriusque animi molestia, ut passim tibi quæ mihi acciderent significarem, imperasti, libens tibi ego assensi, tum quod in brutum animal me conversum ex homine cogerer fateri, si mandatorum tuorum vel minimo detrectarem: tum quod lenire mihi mœrorem, quo angor, absens à te dexteræ agitatio in scribendo videtur. Tudertaniam omnem jam Oretaneosque montes & Carpetanos populos sum prætergressus. Non longe à Segovia fuit mihi obvius hic tuus à pedibus, qui ex Curia ad te veniebat. Prosequor iter meum; ut ex verbis tui hujus tabellarii colligo, assequar in Valleoleto hujus provinciæ oppido celebri Reges quos oppidani, ut idem inquit, triumphantum similes suscipere apparant. Si spectaculo (uti fore arbitror) adero, quæ fient, Tibi sanctissimoque isti Simeoni nostræ tempestatis Archiepiscopo, significabo. Interea

Interea vale. ex urbe Segovia qui retrocedere tabellarium feci, ut ad te epistolium hoc scriberem. VI. Calend. Maii, Anno MCCCCXCII.

EPIST. CVII.

Quam durum sit novas quarere amicitias.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

INcolumis ad Segoviæ usque finitima, ubi fuit mihi obvius iste mei Comitis familiaris, perveni. Ægerrime fero, quod absim à vobis, nec exhilarari possum. Quare peto ab utroque vestrum, ad me (veluti discedenti fuistis polliciti) literas sæpe detis, vir Sanctissime. Sub umbra alarum vestrarum vivebam sine cura & solicitudine, tutus ab omnibus hominum spirituumque pravorum insidiis. Erunt mihi tuæ Comitisque tibi in regendis Regni Granatensis habenis collegæ literæ non levi solatio. Bonos quidem scio me plures in Curia reperturum, sed durum est novas inire amicitias, novos patronos inducere. quid haberem præ manibus video: quid habiturus sim, incertum adhuc est; conducturum mihi sit, necne, in dubio est. Et valete felices ambo virtutum omnium habitacula, ex urbe Segovia. VI. Calend. Maii, MCCCCXCII.

EPIST. CVIII.

Quantum valeat apud Reges unus vir Sanctus. de fratre Francisco Ximenez qualis esse dicatur.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ, Ductori suo in Hispania, Proregi Granatensi.

HÆc quarto nonas Junii ad te scribo, Comes Illustris, neque prius licuit, ob nuntiorum inopiam; circiter Calendas Majas ad Curiam veni. Hastiludiis, taurisque Hispano more solutis, Troico, reliquisque ludis festivis, à Valleoletanis Reges suscipiuntur. Laudantis populi voces ad sidera sublatæ, canticis puellaribus, hymnisque & choreis multiplicibus, toto die finditur aër. Nil denique quod ad resolvendos in lætitiam animos faciat, prætermittitur, Reges, tuusque patruus ab eis ad gubernaculum tertius, Hispaniarum Primas & Cardinalis, sine cujus consilio nil grave decernitur, optime valent. Ut ad Aragones proficiscantur propediem, juxta omnium opinionem movebunt. Regina (quia Dei sit timida observatrix) quod ad vota usque optaverat, Virum scilicet cui possit sui pectoris arcana, si quando forte in incuriam prolabatur aliquam, tuto credere, consecuta esse putatur, lætaque est ob eam causam non mediocriter. quandoquidem in hunc incidimus, si qualem esse referant homines enarravero, haud absurdum mihi fore videbitur. *Franciscum Ximenez* appellari virum, sub divi Francisci norma habituque, inquiunt. Hunc ajunt fuisse quondam in Siguntina Cathedrali Ecclesia pollentem dignitate honorifica, reditibus amplis & autoritate inter Petri sacerdotes, atque honoribus ornatum. humana hæc omnia negligens, mundi fluctus, & insidias dæmonum tremiscens, ne perniciosis seculi oblectamentis, & illecebris irretiretur, cuncta reliquit; non ergo rerum indigentia, ut multi, non animi pusillanimitate parum de se fidens, ut plerique; non ut ociosus marcesceret, ut alii; non ob scelera, Prætorum timens judicia, ut nonnulli; ad arctissimam vitam, & semotam solitudinem, ab amplissima libertate, secesserit. Industrium hunc hominem & bonitate pollentem, ac doctrina singulari oppletum, prædicant. Ingenii acumine Augustinum, abstinentia Hieronymum, fidei erga discolos fervore Ambrosium, ut ajunt, æmulatur. nemora hic abstrusa, concursus hominum fugiens, adamabat. Silentes nudis pedibus quæritabat sylvas, sacco indutus, parvo contentus stramine dormitabat. Vigiliis verberibusque ne in dominatricem animam servus petulans sæviret, in abdito corpus macerabat, ne corporea fece oppressus, torpesceret. divinis tantum intentus contemplationibus, vilium ciborum, & eorum exigua quantitate, vitam, ut ajunt, agebat. Raptum præterea in spiritu, veluti de Apostolo legitur, hunc sæpe ex illius confratribus plerique attestati sunt. Hæc & hujusmodi multa, de hoc homine prædicantur; si regii forte Curiales mores ejus aliquando mutaverint, uti mutare solent, si favoribus turgescet, in vertiginem raptus ambitiosam, væ homini! impræsentiarum beata est ejus fama. Nimirum igitur, cum tales sibi comites ac vitæ magistros Reges habere nitantur, si ad vota omnia, si cælestium spirituum, quocunque pedem ferant vel referant, perpetuo illos caterva comitatur. Hinc inaudita insolitaque hactenus in Hispania Pax. Hinc mira Concordia. Hinc Astræa, quæ reliquas videtur provincias deseruisse, passim beatæ lancis ostentatrix, hæc Regna perambulat. Inde hic favor, inde tot parti de truculentis hostibus celebres Triumphi. Nullus sub eorum

ditione tumultus, nulla tempestas, quieta omnia, omnia tuta, plura sentio, quæ gestire videtur animus, promereque desiderat, sed palato verba deficiunt. cætera tu, qui vivacissimi es ingenii, gloriæque hujus particeps, conjectator, tuaque disertissima promito eloquentia, & vale. ex Valleoleto. IV. nonas Junii M CCCCXCII.

EPIST. CIX.

De morte Laurentii Medices. qualis & quantus fuerit. quæ dissidia ex ejus morte & incommoda exspectet Italia.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ, Ductori suo in Hispaniam.

QUibus verbis triste nuncium referam, non succurrit, referam tamen oportet, tibi præcipue, qui virum nosti, & admiratus es aliquando. Egregius ille Laurentius Medices, Laurentius ille, sub civili toga trabeatis Regibus non inferior, qui à suis non modo civibus, sed ab Italia universa *Pacis auctor* & *Patriæ Pater* jure merito poterat appellari, reddidit animam superis. Annum agentem vix tertium & quadragesimum, Aprilis illum abstulit mensis. Proh! quam vereor, Comes Illustris, ne calamitatem aliquam Aprilis hic aperiat Italiæ, veluti telluris poros, ad flores ac fructus quotannis generandos, solet aperire. Inter perturbatos Italorum Principum stomachos Juliam illam Pompejam, interque rabidas undas, ne invicem collidantur, invictum scopulum, natura in Laurentio formasse videbatur. Florentina Resp. illius felici ductu augustata & tranquilla pace fruens, mortem ejus immaturam, uti generalis omnium parentis, gemit, suspirat, collachrymatur. Plangendo sese, hic viri recitat beneficentiam. Ille sapientiam extollit, protentis ad cælum manibus. charitatem in eo periisse, alius proclamat. Ingenium & animi fortitudinem ejus exsuscitant alii enarrando: Qualem se gesserit, Anno M CCCC LXVIII. quo tempore frater ejus Julianus per adversæ factionis conjurationem interemptus, ipse vero graviter vulneratus fuit. Quibus autem vocibus pietatem ejus erga patriam proferant alii, conjectator. Aliquando ad Fernandum Regem proficiscens, vel pacem se relaturum, vel propriam (ne sui causa pateretur) vitam amissurus, à suis civibus egrediens cunctis audientibus disseruit. odio namque in ipsum (quod esset Principibus ejus virtus formidolosa) non in ejus patriam, sta fieri credebantur. Ivit, Fernando Regi affuit. Non modo confecta Pace (ut quanta fuerit ejus prudentia, judicemus) sed ita charus in patriam gloriosus rediit, ut admissus in amicitiam, nihil unquam ulterius grave eo inconsulto peregerit. Quibus autem luctibus eruditi omnes portum suum ac refugium & spem unicam prosequantur, in quo mille Mecœnates, Doctorum omne genus reperiebat, existimato. Quis Mirandulas ultra? Quis Ficinos, aut Politianos ac Landinos, & reliquos id genus fovebit suo sinu, si abierint? Quis magnos Legum enodatores amplexabitur? Linguarum omnium bibliothecas (magno libris per universum comparatis) erigere quis jam curabit? In hoc uno tandem multas Italas columnas corruisse pro Sibyllæ folio habeto. Oh filios reliquit, dices. Veluti avum ipse Cosmam, generis eorum suscitatorem, & Petrum genitorem Laurentius est imitatus: Ita & filios ejus non degeneraturos sperandum est. Deus faxit, bone Comes, multis quippe conduceret. at ambigo. Propaginem earum vitium majorem natu Petrum (ab Urbe in Hispaniam iter Florentia facientes) ambo vidimus. Non ea mihi visa est juvenis physiognomia, ut eam spem præberet. De incuria præterea & lascivis moribus ejus nescio quid immurmurabatur. Non desunt qui reliquos ejus fratres magis parentum virtutes æmulaturos arbitrentur. At quid? nisi ad eos qui minores sunt habenæ devenerint? De adolescentis nunc Cardinalis indole, studioque ad bonas Artes, præclaros audivimus sermones. Sed quid hæc ad præsentem temporum necessitatem? Si præcipue vepres aliquæ in Italas segetes novæ pullulaverint. Dentibus namque frendere ac labia mordere in Ludovicum Sfortiam, DucatusMediolani pro nepote moderatorem Alfonsum, inquiunt, Aragonium Calabriæ Ducem, Regni (si ordine suo fata cucurrerint) successorem. Quia solvere Ducatus gubernaculum Galeatio juveni jam maturo, Alfonsi genero recuset Ludovicus. Ut in Ludovicum arma capiantur, ut etiam extera advocentur auxilia, si domestica non suffecerint, genitorem Regem stimulare non desinet. Qualis ergo sit ignis emersurus extincto extinctore Laurentio, nec alius superfit, tu judicato. Pio est Italia orbata parente, utinam evadam mendax. Nosco Alfonsi pervicaciam esse adamantinam. Scio dulcedine imperii rhombum, quem manu tenet, Ludovicum non facile soluturum. Tu vale, & vive. ex Valleoleto Idibus Maii M CCCCXCII.

EPIST. CX.

Ebullit bellorum suspicio cum Gallis. Laus Amicitiæ Philosophica.

P.M.A.M. Archiepiscopo Granatensi.

QUid novi de Curia habeatur, longo satis sermone ad illustrem Comitem ProRegem, tecumque Regni moderatorem, ductorem meum in Hispaniam, exaravi. Scribebam hactenus de Castrensibus cæterisque Rebus, quæ in Hispania gerebantur, ad Cardinales duos, Ascanium Sfortiam Vice-Comitem, Ludovici Ducis fratrem, Joannemque Arcimboldum Archiepiscopum Mediolanensem, quibus eram conterraneus alternasque illis Epistolas dirigens, quod uni significabam, minime alteri repetere cura erat. Ad utrumque scriptum intelligebatur, quod ad alterum. Identidem est animus, vobiscum agere. non enim existimo minus tenacem, intimamque esse inter vos ambos senes omni virtutum genere pollentes, Illum sub equestri, Te sub sacro habitu amicitiam, quam illi duo inter se. nec duo hæc nostræ tempestatis amicorum paria Lælianæ, reliquis etiam, de quibus sæpe legimus veterum amicitiis (si res venerit in controversiam) cedere velle videbunt; vestram scilicet, duorumque illorum in Urbe purpuratorum. Vidi namque dum apud vos hoc quadrimestri versatus sum, tantam esse inter vos animorum unionem & vinculum, ut alter ab altero diem integrum nesciat abesse, neque grave quicquam accidat alteri, quin alter, sive id jucundum, sive solicitum sit, efficiatur particeps. conjecturis ebullire ex Gallia colligo, nescio quid. Quare ituros propediem Aragoniam & Laletaniam versus, regiones, uti nostis, Gallis finitimas, ab Herculeo freto Reges arbitror. Quæ fient, quæve ab exteris regionibus ad Curiam deferentur, ambobus, sed lege Ascaniana significabo. Valete interea ambo mihi æqua lance patroni. Ex Valleoleto quarto nonas Junii, M CCCC XCII.

EPIST. CXI.

Diversis referta Philosophicis dicteriis. Invitatur ad certamen amicum.

P.M.A.M. Didaco Villascusæ, Theologorum Candidissimo, Decano Granatensi, Provisori Giennensi.

QUid ad te potissimum scribam, cum potissimum velim, quia debeam, non occurrit. Negotia inter utrumque nulla. De literis, si tecum egero, sonipedem in stadio testudo segnis agitabo. tacere nephas arbitror. nec licet, quia ut scribam jubes. Tua vero jussa (quia judex es) tremisco; ob honores, quia metropolitanæ tu Decanus, tuus ego Canonicus, colo, ob sapientiam observo. quo igitur me vertam, ignoro. scio, quo tendam, Villascusa. Vah teneo te, Patrone mi sapientissime. subiit aliquid in quo superari à te minime posse putem. Prodi armatus in campum, galeatus ad bellum te exspecto, pedibus velim aut equo Martyrem ferratum à vertice capitis ad pedum plantam invenies. exercuit me Hispania tua. Quantum & conviviis valeas expertus sum, quum me Gienni, quod Mentessam creditis, ubi Provisor, ut ajunt vulgo, pro istius urbis antistite jura dicis, & in choro iter facientem me Canonicum septem tantum ferculis invitasti. Cocum habeo, qui struere eduliorum lauta octo cibaria perbelle callet. Mitiores & tibi de Bacchi prelis, quam tu mihi dederis, liquores pueri ministrabunt mei. Peto à te ut an mecum certare intendas, significes. Insufflavit ex adverso in horoscopum nascenti Mars mihi. In portu vivere nescio, quibus cum hoc aut illo modo pugnas ineam, cogar perquirere. Ad alium me convertam, nec deerit quippe, si tu, aut negligentia, vel animantis tubæ tremore, vel forte tanta turgidus potentia, detrectaveris. Vale ex Valleoleto, quarto nonas Junii, M CCCC XCII.

EPIST. CXII.

De discessu in Aragoniam.

P. M. A. M. ad Archiepiscopum Granatensem, & Comitem Tendillæ, Regni Proregem.

EX quo singulas ad vos Epistolas ex Valleoleto destinavi, neque nuntius occurrit, qui ad vos proficisceretur, neque accidit quicquam, quod scribi oportere ad tantos viros arbitrarer. Hoc impræsentiarum Epistolium accipite. In diem quartum, aut quom serius quintum, Reges, uti rumor viget, discedent, ut ad Aragones, inde ad Laletanos, quos *Catalanes* dicitis, se conferant. Valete. Calend. Augusti, M CCCC XCII.

EPIST. CXIII.

Proceribus Hispanis ludum Autor aperit literarium. Argumenta futuri dissidii. Ascanius commendat Autori suos familiares Hispanos.

P. M. A. M. ad Ascanium, Vice-Comitem, Cancellarium.

SIgnificavi, ut existimo, Tibi, Princeps Illustrissime, discessisse Reges meos ex urbe Granata, post victoriam de exlegibus partam, triumfantumque similes avita Castellæ Regna percurrisse; meque ut sacris, sub sancti hujus viri Granatensis Antistitis jugo, initiarer, Granatæ permansisse, scriptum puto. Institerunt multi & ex his potentes nonnulli, ut me juberet Regina ad Curiam accersiri. imperata reflectere non licuit. In Curia igitur sum, Reginæ, quæ bonarum artium cultrix est, imperio Hispanis Optimatibus ludum aperui literarium, ut Atheniensibus Socrates, ut multis Plato, diversi longe præceptores, diversi sed etiam discipuli. Illi namque literarum amatores, observatores, cultores: hi à literis abhorrent. Putant quidem literas militiæ, cui soli studere gloriosum dicunt, esse impedimento. Agri semina hæc nostratia recusant. Semen est quale nosti, Princeps Illustrissime, tenue scilicet atque aridum. Conjectator inde, quas messes sit agricultura hæc paritura. De cætero Hispanorum concursationes ad Gallos, Gallorumque ad Hispanos crebras sentire videor. quid portendant, necdum scio. Ad iter ut ad Aragoniam indeque ad Laletaniam Gallis finitimas regiones, qua Pyrenæi montes utramque disterminant provinciam, pergant mei Reges, sese accingunt. Quæ evenient, per me habebis. Ut Hispanis familiaribus tuis navem, si quid operæ indiguerint, apud meos Reges pro viribus, illosque habeam commendatos, scribis. Isthæc, Sapientissime Princeps, ad pares quisque solet scriptitare: Ego autem, qui me de illorum numero in tui observantia unum, uti domus tuæ commembrum esse glorior, vel catellos ad me venientes complectar, hospitio suscipiam & cibabo. Apud Reges vero, si quid mihi est auctoritatis, animo id impertiar libentissimo. Vale. ex Valleoleto, tertio Calendas Augusti, M CCCC XCII.

EPIST. CXIV.

Alfonsus Regni hæres Neapolitani patrem Fernandum Regem concitat in Ludovicum Sfortiam Ducatus Mediolani gubernatorem. Francorum etiam Rex excitatur contra Ludovicum.

P. M. A. M. Tendillæ Comiti.

HEm! Comes Illustris, viget rumor, Alfonsum Fernando Regi Parthenopeo futurum successorem, patrem induxisse, ut de ejiciendo è gubernaculo Ducatus Mediolani Ludovico Sfortia, cum Carolo Rege Francorum agatur, quia Ducatus habenas Joanni Galeatio juveni, Alfonsi genero, primi Galeatii Ludovici fratris, uti nosti, filio solvere recuset, cum sit jam Galeatius ætate bona, & ad imperii regimen aptus. tenet namque nepotem & uxorem ejus Alfonsi filiam oppressos Ludovicus, ne insurgant ad eum detrudendum. Jam utrimque fœdera solvebantur. Icti fœderis tabellæ à Fernando Rege atque Alfonso primogenito ad Carolum ferebantur, ut scilicet utrimque, Carolus ex Gallia, Alfonsus cum Regni viribus ex Hetruria, Ludovicum armis impeterent. Tabellarius qui literas ad Carolum Regem gestabat, Alexandriæ dicitur interceptus. Conquerenti de fraude Ludovico, Fernandus fraudem negat. Suppositas fuisse, simulatasque literas perhibet. Excusationem Ludovicus minime admittit, quia Fernandi Regis dextera signata se reperisse chirographa conqueritur. Alfonsus hæres patre concitatior, sese macerat. Fernandus Rex, tum ætate maturior, tum rerum experientia sapientior, & Ludovici prudentiam timens, frenare filium & studet, & nititur illi suadere, ut aptiorem exspectet occasionem. hæc feruntur, hæc accipite. in Calendas Septembris. M CCCC XCII.

EPIST. CXV.

De Regina studio, ut Proceres literis incumbant, agitur. De habendo Perpiniano Carolus Rex concitatur contra Ludovicum.

P. M. A. M. ad Bracharensem Archipræsulem, & Pompelonensem Episcopum.

SUblatum è medio Joannem Arcimboldum Cardinalem, virum elegantia morum egregium, literarumque præstantia insignem, vehementer condolui, ut ad Ascanium

nium ſcripſi. Sed quid me de illius morte ſoletur, longioribus ad eundem. reſtat, ut vobis ſuperſtitibus gratulemur, vobiſque ob id dum Rerum volet Auctor, gaudeamus. Non multos namque poſt ſolis ambitus, aut de me vos, aut de vobis ego lugubres emittemus voces, triſtia inibimus colloquia, miſeram hominum ſortem lugebimus. Præoccupemus igitur quod eſt tempus ſua ſponte laturum. mœrorem ſi licet excutiamus. de his ſatis. Bellis, felicibus avibus, jam de Mauro Rege peractis, quid nunc agitem, ſcire vos velle dicitis. Domum habeo tota die ebullientibus Procerum juvenibus repletam. Ab inanibus quibus, uti optime calletis, à teneris male aſſuefiebant, amoribus ad literas jam paulatim ſe convertunt. Literas non eſſe impedimento militiæ, uti falſo illis fuerat à majoribus imbibitum, diſcere jam incipiunt. immo & grandi eſſe adjumento fatentur. Perſuadere illis nitor, neminem poſſe vel pace vel bello clarum aliter evadere. Palæſtra hæc noſtra, Reginæ viventi in ſceptro regio omnium virtutum exemplari, adeo placet, ut Gimarranneum Ducem ipſi conſobrinum juſſerit domum ut frequentet meam; itidem Villæ Formoſæ Duci Regis ex fratre nepoti eſt imperatum, ab eaque nunquam per diem, ni cauſa ingruerit urgens, diſcedant. hos, quotquot Hiſpania utraque, juvenes habet Potentatuum hæredes, ſequuntur. Singulos ducunt audituros una pædagogos, quibuſcum domi Grammaticæ præcepta ex meo inſtituto pertractent; Et quæ audiunt, una repetant. Hæc ego. Vos autem quibus artibus, ut ad altiores fortunæ gradus in Urbe emergatis, innitamini mihi ſignificate. Barchinonam proficiſcimur; cum Gallis de redimendo Perpiniano Comitatu Roſilionis, res habenda eſt. quæ fient intelligetis. Intelligamus & nos per veſtras literas, qui motus ferveant taciti in Italia. Seminaria namque ſimultatum ſparſiſſe inter Ferdinandum Parthenopeum & Ludovicum Sfortiam Ducatus Mediolani moderatorem pro nepote Joanne Galeacio, Carolus Rex Francorum dicitur, qui Ferdinandi literas, ſi ita eſt, voluit Alexandriæ intercipi à Ludovici miniſtris, quibus iniſſe fœdus conſtat Ferdinandum cum Carolo, de movendo in Ludovicum exercitu, ut è gubernaculo Ludovicus dejiciatur. Et valete. ex urbe Cæſar-auguſta in Calendas Septembris, MCCCCXCII.

EPIST. CXVI.

Papa moritur. quæ vita & mors illius.

P. M. A. M. Bartholomeo Scandiano, Innocentii VIII. Pont. Max. in Hiſpania nuncio, de morte patroni ipſius.

QUod Innocentius VIII. Pontifex Maximus, cujus tu vicem hactenus in Hiſpania geſſiſti, Chriſtum viſerit, quem in terris referebat, duplici functus eſt fido clientis officio. Vocatus namque illico reſpondit, ac dominum, ut propius illi obſequeretur, adivit. Moriens, ut ajunt, ſuos ad ſe familiares quoſcunque cum ipſo evexerat Cardinales, juſſit accerſiri, exemplo ſui, quid mortalis tandem pareret ineptia, quid humana fragilitas ſecum trahat, quam parvo facienda ſint hæc momentanea terræ blandimenta, perdiſcerent, fertur prædicaſſe. Oculos eſſe ad ſuperna dirigendos admonebat. Belle quidem Patronus tuus, Scandiane, quamvis expers literarum, diſſeruit. Sed famelicis memini depaſtus & ego, Scandiane, ſuadeo ſæpe, ne comedant; turgentique mihi, ſi nitido ſim fonte prolutus, aut Lyæo, bibaces nauſeam irritant. Dapibus potuque ob valetudinem amiſſo guſtu, minime opus eſſe proclamo. Si Pontificatum, quom illi offerretur recuſaſſet inire: ſi divitias quas Pontifex aſſecutus eſt, quom illis frui licebat, neglexiſſet: ſi non fratris ipſius nepotem neptemque ad viros inſignes virtute, conatus fuiſſet erigere, rerumque in horum manibus habenas poſuiſſet, ad aſtra ego patronum tuum hunc, Scandiane, tollerem, ſed quæ morienti laus, ſi de rerum contemptu diſputaverit? Vixit tamen ſatis compte, ſatiſque commode, ſi non perfecit, ut ad tiaram uſurpata redirent, tentavit tamen. non licuit per tyrannorum invidiam, à majoribus perdita recuperare. Bono vixit animo. inter bonos igitur ad aſtra virum volitaſſe putandum eſt. Quam ob cauſam dolendum minus. Tu ſi prudentem eſſe te vis prædicem, fer æquo animo incommodum tuum, quod non eſt, ſi ad Fortunæ Bona reſpexeris, mediocre fateor. Si autem ad te ipſum, nec lene quidem. ſapientis namque eſt, interna ſolum Bona, quibus tu es non medocriter ornatus, magnificare. Vale. ex meo contubernio, in Cæſar-auguſta. in Calendas Septembris, MCCCCXCII.

Epist. CXVII.

Creatur Pontifex Borgia. Quid ejus ingenium. Quid ab eo speretur fore.

P.M.A.M. ad Franciscum Pratensem Oriolanum, Alexandri jam Pontificis, familiarem.

PAtronum tuum ad triplex diadema, post Innocentii VIII. mortem, evectum, Alexandrique VI. nomine voluisse appellari, relatum est. Tibi quippe, cui sum amicus, gratulor, sinamque. ex illius furfure dapes, quibus vescereris, hactenus collegisti. libet credere nunc triticea ex ejus farina meliorem te panem deprompturum. Verumenimvero nobis Christianæque Religioni gaudeam, necne, adhuc versatur in deliberatione. Hinc namque spes lenit, inde timor urget. pollet ingenio vir iste, magnique animi argumenta præ. se tulit multa. Quæ duo salutem, aut veluti gladius in manu furentis, turbines parere solent. Si esse cupidus desierit, si ambitiosus, si filiorum, quos sine rubore ostentat, oblitus ad Ecclesiam augustam se converterit, felicem fore sedem Apostolicam judico. ast si, cum majore potentia, filialem cæcitatem adauxerit, in præceps omnia ruent, concutietur Italia, Christianus orbis tremiscet, multa subvertentur. Novimus namque hominem alta semper agitantem, vesanoque amore, ut filios ad summum evehat, rapi. Dubius igitur inter spem & metum vivo, nec quid velim, intelligo. Sicuti vocabimur, ita & respondebimus. Ad aurem susurro quidam insonuit mihi, nescio quæ turpia, sacrilega, nefanda, gradus utpote sibi patronum tuum ad id rerum culmen, non literis, non continentia, non charitatis fervore, sed auro & argento, pollicitisque grandibus, scalam sibi construxisse. Id si ita est, Paradisi muris scala hæc, ut Christus dejiciatur, apposita est, non ut colatur, ad gloriam capessendam. Nil credo, donec mihi tempus ista latius aperiat. De te autem audivi, quod in Bartolomei Scandiani, pro Innocentio, locum suffectus sis in Hispania. Nolim assentatione mixta dictum putes. Si non infirmius sedem suam patronus tuus solidaverit, quam spero te nuntium acturum, bene, ut arbitror omnia succedent. Et vale. ex meo contubernio. Cæsaraugusta XIV. Calendas Octobris, MCCCCXCII.

Epist. CXVIII.

Præsagia de Pontificatu. de natura Pontificis. de jactatione filiorum, quid Rex & Regina senserint.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio, Tendillæ Comiti, Regni Granatensis Proregi.

VIta functum fuisse Innocentium VIII. Pontificem Maximum, cui tu, pro tuis Regibus, ineunti Pontificatum, cuncta illis subjecta Regna obtulisti, illiusque in sedem Rodericum Borgiam, Valentinum Cardinalem, Vicecancellarium, Calixti Pontificis nepotem fuisse suffectum, nuper ad nos tabellarii ab Urbe detulerunt. Quid hoc portendat, Vir illustris, nequeo intelligere. nullus est ob hanc rem in Regibus animi motus ad lætitiam, nulla frontis serenitas. tempestatem potius in Orbe Christiano, quam tranquillos portus, præsagire videntur, magisque quod sacrilegos se habere filios turpiter glorietur, angi cognoscuntur, quam quod ductionarius illorum sit. direptionem Petrææ tiaræ affore suspicantur. Arguunt namque veluti exerciti Logici, remque sumunt à fortiori. Cardinalis ille tantum, patrimonia filiis, ingentesque titulos omni nixu quæritabat, quid fore sperandum est in summa licentia? Majorem natu, cum summa pecuniarum largitione, Gandiæ Ducem Cardinalis effecit. Regem, si poterit, Pontifex, vel rumpetur per ilia, efficiet, è converso inquiunt. Si forte paternam naturæ vim, Christiana charitas superaverit, pontem Christianis omnibus, sublicio aut lapideo fortiorem, ad superos stabiliet. Hi sunt varii de Alexandro, cui tu in Urbe familiaris fuisti, nuper evecto sermones. *Alexandri* namque nomen assumpsit. Deus faxit, ut ad meliorem eum partem direxisse ingenium, quo maxime pollet, audiamus. Tu Vale. ex Cæsaraugusta. IX. Calendas Octobris, MCCCCXCII.

Epist. CXIX.

Corripitur Ascanius, quod suffragia dederit Papæ. Præsagia contra domum Ascanii.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

VEnit ad me Petrus Morillus familiaris tuus, nomineque tuo petiit à me, ut Joanni Cabagnæ Chironomonti Pontificio faveam

faveam totis viribus, ne mei Reges illi, in habenda Diaconatus Tudellani in Cantabria, quem ei Pontifex impartitus est, possessionem adversentur. Scito, Princeps Illustrissime, Regem Navarræ, quæ partim Cantabria, partim Vasconia est, tanti facere rem hanc, ut supplex à meis Regibus, eorum apud Pontificem autoritatem imploraverit, innititurque vehementer, ne de manibus cujusdam sui familiaris primarii, sedes illa evadat. Momenti quippe plurimi est, necessariusne sit, an alienigena Diaconatus ejus possessor. est enim de Pontificiis in eo Regno potestatibus altera à Pompelonensi Antistea. Sunt incolæ Regi suspecti, quod sint intra Iberum in Aragonia. ut supplici ergo illi mei Reges gratum faciant, se intercessuros apud Pontificem Regis Navarræ nomine sunt polliciti. Duriuscule igitur hoc tractabitur. Experiemur tamen, ut obtemperemus tibi. Sed hoc habeto, Princeps Illustrissime, nec placuisse meis Regibus Innocentii Pontificis mortem, neque Pontificatum ad Alexandrum, quamvis eorum ditionarium, pervenisse. Verentur namque ne illius cupiditas, ne ambitio, ne (quod gravius) mollities filialis Christianam Religionem in præceps trahat. Nec tu nota cares, qui suffragiis illum pluribus, hominem, ut eveheretur, diceris adjuvisse: Atque ut Deus bene vertat, faxitque, gratum erga te familiamque tuam servet animum. Vulnera, calcesque ab eo magis quam gratitudinem, aut linguæ lambentis medicamina, suspicamur preditura. Tempus erit rerum index. Vale. ex Cæsaraugusta. V. Calend. Octobris. M CCCC XCII.

Epist. CXX.

De conventibus Aragonicis. de Perpiniano. Conveniunt Anglus & Germanus cum nostris Regibus in Gallum. Italia sibi gladium quo juguletur cudit. Lud. Sfortia Carolum concitat in Regem Neapolitanum.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ, & Archiepiscopo Granatensi, Patronis.

IN Cæsaraugusta diu morati Reges, Comitia tandem peragunt, sese ad iter, ut Barchinonam proficiscantur, accingunt. Cum Carolo Francorum Rege de redimendo Perpiniano, Galliæ Narbonensis ingenti municipio, dato pignori quondam Aloisio Caroli genitori, à Rege Joanne Aragonio, Ferdinandi mei Regis parente, negotia sunt cœpturi. Recusat Carolus, uti referunt. instant mei Reges totis viribus. Summos pecuniarum acervos exhibitos, tum mutuo datos, tum in muniendo tutandoque municipio, inquit Gallus. Se quicquid debeant exposituros, mei Reges offerunt. Diem ex die Gallus protrahit. Arma parant mei Reges, ut vi extorquere tentent, nisi verba suffecerint. Legati, qui utrum malit, Bellum an Pacem, Gallo edicant, missi jam sunt. In fœdus amicitiamque adducere, Romanorum & Britanniæ majoris Reges adnituntur, qui uno tempore Galli fines impetant, si reddere Perpinianum recusaverit. Vertunt vices in suam ruinam Itali Principes, uti sentio. Ira concitus in Ludovicum Sfortiam, quia Ducatus Mediolani habenas linquere Alfonsi filii genero Ludovico nepoti nolit, Ferdinandus Rex, ut referunt, Carolum Francorum Regem in Ludovicum concitavit. Ludovicus fertur, ubi hæc præsensit Oratores ad Carolum misisse, ut ambo in Ferdinandum moveant. Ita gladium, quo se juguletItalia, cudit paulatim. Valete. Que succedent, intelligetis. ex Cæsaraugusta. IV. Calend. Octobr. M CCCC XCII.

Epist. CXXI.

Prognosticon de Italiæ ruina. Quid à Gallis speretur.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

NOvos armorum parari sentio crepitus, Illustrissime Princeps, novaque ac perniciosa, de vocandis in Italiam Gallis, consilia versari exhaurio. Væ, væ vobis, si vera sunt quæ prædicantur. Alfonsum Regni Neapolitani hæredem, de adimendo Ludovico Ducatus Mediolani gubernaculo, ut Alfonsi genero Jo. Geleatio, vobis nepoti, barbato jam, remittatur, veluti par esse videtur, fuisse minitatum, inquiunt. Ludovicum vero fratrem tuum de incitando in Alfonsum Carolo Gallorum Rege, sub prætextu Juris antiqui Angiovinæ domus deliberare perhibetur. Quid hoc mali sit, quæ ab inferis sit raptata Tisiphone, ut obcæcati perniciem vestram non sentiatis, mussito. Proh! durum est à sceptro ad servitutem descendere, dicit Ludovicus: Proh! nullum violentum durabit, inquit sapiens. Ego vero qui patriæ doleo, cui semper fuerunt Galli hostes infensissimi, non esse reor scorpionem aut viperam in lectum suum immittendam, ut veneno vicinum inficiant. Proh Dii mortales! quis furor hic? abstinebit ab inimici oris morsu coluber bene depastus, & leonino calore superbus; Vos videritis. Carolus

lus si sapiens est, occasionem tantam amplectetur. Quæ sunt ex Hispania, sapite, mei Reges Barchinonæ agunt. A Gallo & ipsi Rosilionis Comitatum repetunt. Vale. ex urbe Barchinona in Laletania. v. Idus Octobris, MCCCCXCII.

EPIST. CXXII.

Controversia & pernicies Italiæ. occasio habendi Perpinianum. Ætas & mores Caroli Regis.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ, & Archiepiscopo Granatensi.

CUm sit Hispania mundi angulus, vosque in Hispaniæ angulo degatis, succurram in anguli angulo habitantibus. petitis, ad vos, si licet, ut crebras mittam, de his quæ per orbem accidunt Christianum, literas. Quotienscunque nuncius aliquis ad vos iturus sese offert, quæ alicujus esse momenti sensero, vobis me significaturum polliceor. Sed non quotidie, ob locorum distantiam, habentur nuncii. distamus namque milia passuum septingenta amplius, cum vos Granatæ, nos Barchinonæ, Pyrenæis finitimæ agamus. de repetendo Perpiniano missos fuisse Oratores, scripsi alias. ab Italia fertur Ludovicum Sfortiam Ducatus Mediolani pro nepote Jo. Galeatio moderatorem, ab Alfonso Parthenopeo Galeatii socero dissentire; instat Alfonsus, ut nepoti ex fratre, genero suo jam barbato, Ludovicus habenas solvat. Ducatus procurationem Ludovicus deponere recusat. Minatur Alfonsus, patre dissuadente, armis impetiturum, ni cesserit. Ludovicus cum Carolo Rege Francorum, anno nondum nato secundum & vigesimum, rerum novarum studioso agit, ut provinciam sumat debellandi Alfonsum; se ad rem laturum suppetias promittit. Auscultat mandata Carolus, accenditur, orditur sibi ex hac controversia perniciem Italia. nostris Regibus assequendi quæ petunt. optata præbetur occasio. Ut namque se Carolus ad transportandum in Italiam exercitum, explicet, ne si rem capesset, unde cogatur vertere faciem, à tergo exoriatur, Pacem quæritare incipit, quam assequi minime potest, nisi quod ipsi postulant, Perpinianum scilicet, ejusque Comitatum Rosilionis restituat. hæc impræsentiarum. Et valete. Barchinonæ. XIV. Calendas Novembris, MCCCCXCII.

EPIST. CXXIII.

Protestatio de non scribendo iterum ad Carolum pro Ludovico. Anglus Rex Bononiam obsidet Gallicam. Quid Cæsar. quid Veneti. de brucho & locusta.

P. M. A. M. Eneco Lopez Mendotio, Tendillæ Comiti, Granatensis Regni Proregi.

AD nostrum Simeonem raras destinare literas volo. Quia nihil nunc accidit, quod ad viros contemplationibus deditos scribi debeat. Emergit namque nihil præter simultates, pullulat nihil præterquam miserandi tumultus inter Christianos. Ad te omnia qui Auratus eques militiam profiteris, qui etiam regiones, in quibus tot mala exoriuntur, & earum Principes nosti. Ascanius Sfortia Vice-Comes, nunc Sedis Apostolicæ Vice-Cancellarius, Tibi, quom Romæ ageres, amicus, à fratre ipsius Ludovico, pro nepote, uti præsens nosti, Ducatus Mediolani moderatore, vocari Gallos in Ferdinandum Regem, quia postulet Alfonsus ejus filius, ut habenas genero suo remittat, ad quem attinent, mihi significavit. Galeatius Sanseverinus, quem Mediolani in cubiculo Ludovici, in lecto laborantis, quom redires in patriam, vidisti, ad Carolum Regem à Ludovico ad rem pertractandam, Orator missus est. Jam perfecisse dicitur cum Carolo, ut in Alfonsum & Ferdinandum provintiam sumat. Adversantur Regi suo Parisiensis Senatus, qui *Parlamentum* dicitur, Procerumque & Sapientum bona pars. Juvenum autem pars major Regem stimulat. Duram esse provintiam, Senatus proponit. Ab Italorum prudentia cavendum esse, Carolo nituntur persuadere. Carolus tamen, cui ætate ac patriæ natura, sanguis ebullit, Ludovici mandata per Galeatium Sanseverinum exhaurit, auscultat, studio rerum novarum accenditur, rei magnitudine erigitur, Perpinianum Rosilionisque Comitatum, nostris Regibus se redditurum vel gratis promittit, si libere ad Neapolitanam provinciam illum ire patiantur, nec Parthenopeis suppetias ferant. Rex majoris Britanniæ trajecit in Galliam, Bononiam obsidet Gallicam. Maximilianus & ipse Rex Romanorum, arma jam sumit. Nostri Reges, ut arbitror, si steterit promissis Carolus, cum eo fœdus inibunt. Ita Italiæ turbo ingens Hispaniæ lucrum pariat. Christianus orbis laborat. Sua mole pressi Principes Itali, sibi ipsis ruinam adstruunt. Veneti,

neti, qui prudentissimi ex aliorum incommodis sua semper augent commoda, veluti è tuta specula, quid ferveat, taciti inspectant. Galli veluti bruchus verno tempore arborum folia, quæritant. sed & cum foliis bruchus interibit. Gallus ficuum sapore, uvarumque dulcedine pellectus, gestit jam, sed pellem, uti soles, Galle miles, relinques. Folia corrodere dabitur, ficus uvasque deglutire licebit: ast sanguine tandem tuo damna quæ inferes, pensabuntur. Perimeris, Galle, ex majori parte, nec in patriam redibis. Jacebis insepultus; sed tua non restituetur strages, Italia. Nimium præ dolore sum evagatus, Comes Illustris. Ignosce jure merito stupenti, & vale. Barchinonæ, III. Nonas Novembris, MCCCCXCII.

EPIST. CXXIV.

Assentitur adventui Gallorum Papa. Exhortatio ut Ascanius obstet adventui. Prognosticon, si non fiet.

P. M. A. M. Pompelonensi & Bracharensi Antistitibus.

Rideis, ut arbitror, Hispani, qui Romam incolitis. Ridetis Italorum Principum cæca consilia, qui etiam, Alexandro Pontifice consentiente, simultatibus diffident, ita ut ex leonibus, effecti lanigerum pecus, lupos ad sui salutem vocare nitantur. Proh sensus perditos! proh miseram conditionem! Gallos in Italiam Ludovicus potius quam Alfonso conciliari, mavult immittere. Putant Veneti, qui taciti rerum eventum exspectare velle prædicantur; putat Pontifex (qui rei assentitur) se lucrifacturos. Dum res ferbuerit, forsan de miserorum visceribus omentum aliquod Veneti abripient, sed caveant ne forte navem simul & naulum pirata superveniens, si victor evaserit; abducat. Ascanio dicetis vestro meoque nomine, ut scrutetur diligenter, quid Græcis Philippum Macedonem in eorum dissidiis ad se vocantibus, acciderit. Quid ut propiora exempla petamus, Cappadocibus, dehinc Thracibus, qui Othomannum magni Turci protavum, in adversæ factionis vires, è montibus Scythicis, accersiverunt, evenerit: Quid demum cæteris hujuscemodi perturbationibus laborantibus, sors tulerit. In quas deciderint Charybdes (si nescit, interroget) Scyllas putantes evitare, alieno ut damno doceatur, monete, fratri Ludovico persuadeat; ut sibi, nepoti, propinquis, patriæ, Italiæ denique universæ consulere velit, orate. Cogitare incipiat, quam grave, quam molestum, quam mortiferum tunc pœnituisse, quando nullus pœnitentiæ relictus est locus. Si minus vestra meaque dicta profuerint, Ludovicique pervicaciam, si videritis superasse prudentiam, qua pollere illum fama est, si domo, avara iracundia rationem expulerit, in tuto vos recipite. Non exspectetis fortunæ sævientis novercales calces. Redite in patriam. hic enim, veluti conjectari licet, cum neque ab ea quicquam petatur, neque habito Rosilionis avito Comitatu illi restet, quod ab aliquo velle exigere videatur, summa pace, inter communes aliorum tumultus, fruemini. Valebitis, si mea non aspernaveritis consilia. Barchinonæ. IV. nonas Novembris, M CCCC XCII.

EPIST. CXXV.

De vulnere Regis nostri.

P. M. A. M. ad Comitem Tendillæ, & Archiepiscopum Granatensem.

Excutite sopitum ingenium, Viri celebres. Quæ legistis quondam de rerum mortalium volatu nequissimo, nunc palpate. majus hoc quippe, majus antiquis omnibus exemplum. Alexander Macedo veneno, in suæ felicitatis vertice, præreptus est, fateor: sed à suis qui apud eum familiarissime versabantur necessariis. Pompejum Fotinus obtruncandum Ptolomæo persuasit, sed hospes adstruxit scelus; sed Cæsareum veritus victorem. Cæsar in Senatu tribus & viginti vulneribus confossus exspiravit, sed à potentibus illiusque laudis æmulis. Ferdinandum vero plenum triumphis, homo inglorius, ignotus, egens, solo ductus furore, Regem quem nunquam viderat, impetiit. Is natus ruri à Barchinona milia passuum novem, nomine *Cagnamares*, ubi adventasse Regem sensit, clam se contulit in urbem Barchinonam. Intra divæ Mariæ sacellum, in Regiæ veteris vestibulo, ad dextram introëuntibus erecto, exiturum Regem, qui jura ibi dicebat, deambulans exspectat. Efficitur obvius exeunti; transire Regem aliquantisper sinit descendentem à primo marmoreæ scalæ gradu ad secundum, ex alto, vibrato dicto citius ense, à tergo percutit in collum, qua caput illi annectitur. Aureus torquis perpetuum Regis gestamen, ne caput amputaretur eo ictu, tutatus est, ictumque sustinuit. lethale tamen vulnus intulit, nec bene fidunt Medici, evasurusne sit Rex, nec ne. Percussor tribus illico vulneribus confossus, imperio Regis, ut quo consilio id egerit, intelligi possit, servatur. Fuit hic infaustus dies Decembris

 bris

bris septimus, circiter meridiem, sub sole nubilo. Regina, tristi accepto nuncio, ad atrii ubi morabantur posticum, ad littus apertum, triremes quasdam jubet adduci, nescia unde malum emergeret, ut parvulum imponeret Principem, si quid ultra ingrueret, ipsa ad maritum convolat. Medicorum chirurgorumque cuneus accitus est. Dies syderei annotantur. Inter spem, metumque laboramus. Valele. Barchinonæ. VI. Idus Novembris, M CCCC XCII.

EPIST. CXXVI.

Quid siderales dies Regi attulerint. Quo in vita discrimine Rex.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi, Prælato suo.

DE illato Regi vulnere, Pater optime, per alios vobis nuncios significatum fuisse existimo. Ad Comitem collegam tuum pauca ego, quæ scripsi, minime repetere est consilium. Quædam alia quæ ex casu emerserunt, audite. Paganus ille pecuarius percussor Regis fateri coactus, quid illum, ut tale facinus patraret, stimulaverit, spe sola ductum, ut si Regem perimeret, fore ut Rex ipse crearetur, publice privatimque protulit. Nec extorqueri ab eo potuit vel tormentis aliud unquam. consilio cujusquam motum se fuisse, negavit semper. Id testes, id tortores, id judices referunt. Regina quæ Principem Nobilibus Castellanis omnibus circumsepserat, ut cum eo biremes ingrederentur, & abducerent, si forte Laletanorum insidia id actum fuisset, ne illum, ad tollendam de tam fœdo facinore vindictæ occasionem raperent. Ubi nullam conjurationem intercessisse intellexit, redire parvulum in atrium facit. Ipsa vero ad maritum, in veterem Regiam, quæ in urbis fere medio super tumulo parum edito erecta est, ubi languidus jacebat Rex, advolavit. Hic dies, quo literæ scribuntur, est ab illato vulnere nonus, septimus luctu Curiam replevit, exspiraturum Regem, neque visurum ejus diei vesperam, rumor vagabatur. Illas tamen cæli minas evasit, hesternus, qui octavus fuit, spem attulit, in melius namque surgere res visa est. Hodie iterum timor est, ex debilitate exortus, exanimis effectus Rex, linguam emisit turgidam. Rubor ingens igneus sparsus per genas, oculi adversi; contusis geminis, cor nebula recreatur confusum. in se versus est, ac cibum Reginæ manu porrectum, sumpsit. Hæc ad nonum. Et valete. Barchinonæ XIX. Calendas Januarii, M CCCC XCII.

EPIST. CXXVII.

Quid undecimus dies, quid cæteri sint operati in Rege. Quando se ostenderit Rex.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.

QUæ ad Simeonem nostrum senem, vel sanctum Josephum, collegam tuum Antistitem rescripserim, legito. A nono laboravimus vehementer; terruit nos undecimus maximopere. Duodecimus jam lætitiam tulit, quia ad salutis spem, in melius à duodecimo res cessit, indies magis ac magis. Liber est jam tandem Rex ab omni suspicione periculi. Videndum se præbuit, sed ex atrii fenestra. Domo nondum ad hanc usque diem, quæ Decembris est tertia & vigesima, ex Medicorum consilio profectus est. Montes, valles, litora, & in terra, quacunque Divorum sita sunt facella, genus omne hominum lustrat. Serratum montem (sic vulgo dicitur) progenies omnis Regia pedibus conterit. Genibus & nonnulli nudis per hujus montis aspera pergunt, Deo sic ex voto pro Regis incolumitate polliciti. Metitor ex his, Comes Illustris, rerum quæ sub cælo sunt, volubilitatem. Et an sublimium rerum supremi Cardines obstent, quin ab exili etiam culice, post celebres Triumphos verberemur, meditator. Quis hac nostra tempestate Ferdinando felicior? Quis potentior? Intra natales tamen lares, in caput ejus, vilis bubulcus insidias struit, apparat, perfecit. ictuque uno tantum Triumphatorem obtruncasset, ni ex divinæ providentiæ consilio, torquem sibi aureum, uti erat solitus, collo implicuisset. Tali ergo, mi Patrone, exemplo parum fidere mortalibus edoceamur. Et vale. Barchinonæ. x. Calend. Januarii, M CCCC XCII.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER SEXTUS.

EPIST. CXXVIII.

Multa de Perpiniano. Cæsar. Anglus. Proclamatio in Italiam.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.



Upis (uti per tuas literas video) intelligere, quid hic sit, quod à Carolo Gallorum Rege repetant mei Reges, quo etiam in statu res inter eos sint. Hæc habeto. Joannes Rex Aragonum, junior frater Alfonsi Regis Neapolitani primi, cui Philippus avus tibi maternus non modo libertatem (cum eum in potestatem haberet) verum etiam pecuniarum ingentes cumulos condonavit, quibus Regnum Neapolitanum adeptus est, ut pecunias, quibus, deficientes ab se Laletanos frenare posset assequeretur. Perpinianum ingens in Gallia Narbonensi ad Pyrenæorum radices situm municipium, cum ejus Comitatu, qui dicitur Rossilionis, octoginta milibus auri dragmis, *ducatos* dicit populus, pignori dedit Gallo Regi, quia in ipsa Galliæ Narbonensis planitie Perpinianum jacet. Durum est tale municipium solvere de manibus, causas innectit innumeras, diem protrahit ex die Gallus Rex, tanti momenti rem complectitur tenacissime, recusat pro viribus restituere. Britanniæ majoris, quam dicitis *Inglaterram*, Rex meorum Regum suasu trajecit in Galliam, Bononiam obsidet Gallicam: ut ajunt, Maximilianus Rex Romanorum Galli fines armatus jam parat impetere. Imminens periculum Gallus timens, Pacem & Perpinianum offert, modo cæteris relictis, fœdus ineant amicitiæ cum eo, ne proficisci ad Neapolitanam provintiam volenti, sint impedimento, ne ferant suppetias Neapolitanis. Hæc utrimque agitantur, concursationes formicarum agmina superant. Res stringitur, deliberatio hæc inclinare videtur. Væ tibi Italia! Væ vobis hujus navis ductoribus, si optata vestra consequimini. Oh insolens est Alphonsus, inquis, Regni hæres Neapolitani, intolerabilis est illius superbia; jurgiaque, & contumelias in me conjicit, proclamans, se abrasurum mihi verticem, Cardineumque mihi Galerum combusturum in caput blacterat, inquis. Rosæ sunt hæ, Princeps Illustrissime, vernique sunt flores sapidi, muliebria hæc, si quæ autoribus Gallis perpeti soleant victi pensaveritis. In victos hostes nostros quamcunque velint crudelitatem exerceant Galli, dicis. Putasne temperaturos, quin vos sint subito impetituri, quum se vestrorum hostium victores esse senserint? Num bene calles, cum magno imperio famem augeri imperii? Cavete, cavete miseri, quodvis malum potius quam Gallorum sævitiam experiri velitis, tolerate, absorbebimini; veluti à bibula harena cadens aquæ guttula, absorbebimini; vobis, dum licet, consulite. Et valebitis. Barchinonæ in nonis Januarii M CCCC XCIII.

EPIST. CXXIX.

Exhortatio ad studia literarum & laus exercitii.

P. M. A. M. Gilberto adolescenti, Jo. Borromei Comitis filio.

GEnitor tuus, qui plerumque ad me scribit, tuo me nomine jussit aliquando salvere, literas autem ad te misit nullas. Quid igitur respondebo non vocatus? Hoc tamen unum habeto, adolescentibus pulchrum esse literis, maturiores ætate excitare, ut rasæ ipsi tabulæ, ex antiquorum picturis, quid ipsi valeant inscribere, effurentur. Id si rubore ducti, quamvis erubescere sit ingenui, facere recusaverint, minus culti minusque utiles viri evadent. Non hoc ratione mei dictum velim existimes: (parum namque tibi, aut cuicunque prodesse mei possunt sermones,) sed ut te exerceas sedulo, ad multos ex tot virorum numero, quot nostra pascit Italia, scribendo, teque excolas exercendo. Isthæc quidem exercitatio ingenium acuit, memoriam amplificat & confirmat, copiamque ad pertractanda negocia, postmodum & vocabulorum præbet & sententiarum. Hortarer te propter eum, quem generi tuo debeo amorem,

amorem, ad assiduam, dum teneres, librorum lectionem, à quibus omnia bona animi (veluti ex hortis Hesperidum aurea poma) colliguntur, si opus esse putarem, sed quom proclivem te ultro ad virtutes surgere genitor mihi tuus significaverit, non opus esse ad eam rem calcaribus video. Propterea, ut te exerceas tantum moneo. Parum enim, vult noster Cicero, eruditionem posse sine exercitatione, prodesse hæsitareque videtur, utrum malit, si de duobus alterum esset eligendum, immo & in exercitationem ire pedibus fere cognoscitur. Literas igitur tuas, Gilberte mi, crebras videamus. Et vale. Barchinonæ in nonis Januarii, M CCCC XCIII.

EPIST. CXXX.

Epilogus de casu Regis. & multa præterea. quid ab Indis Columbus. prædicit ruinam Italiæ.

P. M. A. M. Jo. Borromeo, Aurato Equiti.

SI forte quicquam ad vos fama de percusso Rege meo detulerit, ne fallamini. Scitote, non malivolentia, non invidia potentis cujuspiam, non ut se quisquam ab injuria, Regibus peculiari nota, exsolveret facinus accidisse. injuriam namque nulli viventium unquam mei Reges præterquam Judæis aut Sarracenis intulisse reperiuntur. sunt quippe justissimi, integerrimi, religiosissimi rectores, non Tyranni. furore ductus Tartareo, vesanus quidam, humilis opilio, id patravit. Vivit tamen Rex, evasit apud infernos manes exstructum scelus illud. Post paucos inde dies rediit ab antipodibus occiduis Christophorus quidam Colonus vir Ligur, qui à meis Regibus ad hanc provinciam tria vix impetraverat navigia, quia fabulosa, quæ dicebat, arbitrabantur: rediit, preciosarum multarum rerum, sed auri præcipue quæ suapte natura regiones illæ generant, argumenta tulit. Sed aliena omittamus, Comes egregie, omittamus. In Italiam vocantur Galli. quibus colubris agitamini misselli homines! Sentio te domumque tuam à Ludovico dissentire, sed prodesse parum. Stupet namque jam Ludovicus amore Regni pellectus, nec demersus ebullit ultra. Ex Hispania hæc fervent. Ut in Italiam Gallus traducere queat liber exercitum, fœdus parat inire cum meis Regibus, quæcunque volunt, illis impartiens, pacem & cum Regibus Romanorum & Britanniæ majoris, qui ambo in Gallicos fines armati irruperunt, eadem ratione quæritant. Væ tibi Italia bonarum artium genetrix, & disciplinæ militaris magistra! Si vires tuas cum Gallo commiscueris, si Gallum in tua viscera admiseris, peribis misera, universam dabunt in prædam. Proclamate omnes, rumpite vocibus ilia in immissores. Quodvis malum potius inter vos sustinete infelices, quam in errorem tantum præcipites cadere velitis. In Gallia qui Perpinianum & Rosilionis Comitatum dedent Oratores, jam parantur; assentiri videntur mei Reges. cæteri collegæ, in Galli potentiam conjurati, meorum Regum (ut arbitror) judicium sequentur, fœdusque una cum Gallo jacturos esse arbitramur. Hæc omnia ut vos liberius à lupis rapacibus, quos miseræ oves in caulam, ut vos à catellis tueantur, immittitis, deglutiamini. Vestra res agitur. Eo minore ego dolore conficiar, quo minus angit aurium sonus quam oculorum prospectus. Vale. Cleofæ uxori tuæ, & utriusque natis meo nomine salutes impartitor. Barchinonæ pridie Idus Maii, M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXI.

Exemplo percussi Regis de contemptu Mundi. de percussore. Perpinianum deditur. proxima pernicies Italiæ.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

PRoh miseri mortales! Proh vos miserrimos qui fluctibus agitati internis, in vosmet ipsos & vestrum sanguinem rabidi insultatis. Ab inani vulgo beati falso credimini, quia purpuratos vos longo cernunt hominum ordine vias implere. Ediscite miseri, ediscite, quam fragili loro gubernemini. Majori cognoscite in discrimine vestræ vitæ habenas, quam cerdonis aut piscatoris, quia vobis magis invidetur, versari. Magistri hoc exemplo, quod vobis referam, si vivitis integro sensu, efficiemini. In summo rerum culmine sedentem invictumque bellatorem Ferdinandum Regem, vilis quidam sine nomine ruricola, Idibus Decembris septimis, circiter meridiem, sub cælo nubilo, gravissimo percussit in collum, qua caput illi connectitur, vulnere, ad necem ducto. cecidissetque in terram caput obtruncatum, ni partem ictus torquis aureus magni ponderis collo implicitus suscepisset. Ad eum paganus hic statum perduxit Regem, ut septimo, nono, undecimo ab illato vulnere diebus faciem viderit immaturæ mortis. Plena luctu curia, horrore vesano referta,

terdecim

terdecim egit continuos dies, spe de Regis salute amissa, publica & privata vota naturæ deficientis vim erexerunt. Evasit Rex tribus confossus vulneribus. Rege ita jubente, ut res detegeretur, an conjuratio intercesserit, percussor servatur. Capitur, in vincula conjicitur, per lictores prætoresque cogitur causam fateri. Nihil propter furorem ediscunt affuisse. vidi ego hominem in vinculis atque allocutus sum. sexagenario senior visus est, cano capite, acuto productoque mento, statura gracili, alta, oculis porcinis, nigris, tenuibus, obductis, genis effossis, sermone rarissimo, Saturno plenum esse aperte cognoscitur. Se fore Regem jactat, si Regem peremisset; ut facti pœniteret, extorqueri ab eo nunquam potuit. Ignosci ejecto illi Rex imperavit; sed patria id jura minime sunt passa. Exstructa igitur ex more quadriga, per vicos & compita, frustatim (strangulatus tamen prius, ne desperaret) ductus, secatur. de hoc satis. Jam proxima est, quam tota mente petitis, vestra calamitas. Fatales vobis Galli, ut se liberius in vos accingant, quæcunque volunt, meis Regibus per Oratores condonant. Perpinianum insigne oppidum, Rosilionisque Comitatus, per Episcopum Albigensem, atque etiam gratis est receptum. Valete, si potueritis. Barchinonæ. Idus Junii, MCCCCXCIII.

EPIST. CXXXII.

Laus Io. Ruffi Episcopi. Quid sint Charites.

P. M. A. M. Protonotario Condulmario viro, Italo, Conchæ degenti.

CUi magis invideam hodie, quam tibi, Condulmari observande, vivit nemo. lucidissimam intra vestra isthæc mœnia margaritam decidisse relatum est, hanc si non vides, cæcutis: si non olfacis, saxum es; si non sentis, stupidus. Jo. Rufum Foro-liviensem pro Sancti Georgii Cardinali ejus Antistæ Domini, Concham adventasse fama est. Qualem præ manibus virum habeatis, ne tanto bono oblato fruendi occasionem omittas, præbeto aures. In urbe versatus ego sum decennio, quem homini præferrem, nullus eo tempore occurrebat. Sedem in homine sibi tres Orpheas Gratias, si hominem tractaveris, delegisse comperies, integræ mentis scilicet splendorem, corporis elegantiam, & animi hilaritatem. His nascentem illum dotibus natura confinxit; ast si quibus eas artibus per labores & vigilias excoluerit, vestigaveris, ut majori notam mercem tibi studeas comparare, quæ sibi heroës viri singula consequi curaverunt, omnia iste complexus est, omnia & assecutus. Adi hominem, Condulmari, illius explora naturam, ingenium scrutare, humanissimum reperies, Mercurio acutiorem. Si de literis quas tu profiteris, periculum feceris, vatem invenies nullum cujus hunc vel unicum lateat carmen, & quod majus est, memoria non teneat. Oratores habet Historicosque non minus familiares sibi, quam sua præcepta Grammaticæ simplex Grammaticus, nata formataque in ejus officina, cuncta hæc existimabis. Quid ultra? neque magis Platonicum dices Platonis hospitem, Marsilium Ficinum, neque magis Aristotelicum Mirandulanum, nostræ tempestatis Philosophiæ clara lumina. Ah! vereor jamne, si hos processero limites, adulator judicer potius quam veridicus. Dicam tamen quæ audivi, quæ oculis meismet prospexi. Cum egregiis de Medicina Medicis differentem virum aliquando deprehendi, admiratione intuebar detineri Medicos, qui solam Artem illam profitebantur: Unde sibi de ipsorum fluentis vir occupatissimus alieno, ut ita dixerim, pane depastus tot tantaque potuerit ebibere. Comis est iste vir ac lepidus, gravitate quadam admixta, quæ virtutes cæteras condit. Si post hæc de negociis egeris, in negociis dexter, agilis, expeditus, resolutus, integer. Habes igitur omnem apud te in uno homine hominem. Istum amplectere, Condulmari, istum observa, quoadusque licebit. Et vale. Barchinonæ. Idibus Junii, MCCCCXCIII.

EPIST. CXXXIII.

Mira de novis terris & nudis gentibus.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ & Archiepiscopo Granatensi.

ATtollite mentem, Sapientissimi duo senescentes, audite novum inventum. Meministis Colonum Ligurem institisse in castris apud Reges, de percurrendo per occiduos Antipodes, novo terrarum hemisphærio, meminisse oportet. Qua de re vobiscum aliquando actum est. Nec sine vestro, ut arbitror, consilio rem hic aggressus est. Is rediit incolumis, mira se reperisse prædicat: aurum, aurifodinarum in eis regionibus argumentum ostentat. Gosampium aromataque, tum oblonga, tum teretia, Caucaseo pipere acutiora, detulit. Quæ, simul & coccineas arbores suapte natura tellus parit, occiden-

dentem secutus, à Gadibus millia passuum, uti prædicat, quinque millia, in plures incidit insulas. Inter eas unam captavit, quam majoris esse ambitus, quam Hispania universa, asseverat. Homines reperit natura contentos, nudos, cibis depastos nativis, & pane radicali, ex spitamalibus quibusdam fructetis internodiis plenis, quæ ipsi terra suis contegunt temporibus, ex quorum internodiis singulis, singuli turgescunt globi, in pyri aut cucurbitulæ similitudinem. Hos maturos, uti nos rapas, & rafanos eruunt, ad solem siccant, scindunt, terunt in farinam, pinsunt, coquunt, comedunt. vocant hos globos *Ages*. Cætera ex arboribus, ut plurimum edulia, à nostratibus diversa. Quadrupes nullum insula gignit, præter immensas lacertas, minime tamen noxias, & cuniculi quoddam parvuli genus, quod nostros mures æmulatur. Reges habet gens hæc, & alios aliis majores, sudibus arundinibusque adustis præacutis, & arcubus intra se certant. Viget inter eos, quamvis nudi sint, imperii cupido, uxores ducunt. Quid colant præter numen cæli, nondum didicit. Tria Colono dederatis navigia, in ejus insulæ littore, illisum super rupe aquis cooperta, plana, grandius amisit. cum duobus reliquis minoribus regressus est. octo & triginta viros, qui interea dum ipse revertatur ad eos, locorum naturam scrutentur, in insula reliquit, commendavitque Regulo ejus provinciæ, quam trivit, nomine *Guadcanarillo*, nudo & illi. major paratur Classis, redibit. Quæ succedent, per me, si vixero, scietis. Valete. Barchinonæ. Idib. Septembr. M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXIV.

Multa de itinere ad Indos. de Caroli Regis cogitatu post præbitum Perpinianum.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

TAnta est obsequendi tibi, Princeps Illustrissime, mea cupido, ut etiam summis rerum fluctibus implicito, gratum facturum putem, si quæ accidunt apud nos, tibi significavero. Mira res ex eo terrarum orbe, quem sol horarum quatuor & viginti spatio circuit, ad nostra usque tempora, quod minime te latet, trita cognitaque dimidia tantum pars, ab Aurea utpote Chersoneso, ad Gades nostras Hispanas, reliqua vero à Cosmographis pro incognita relicta est. Et si quæ mentio facta, ea tenuis & incerta. nunc autem, ô beatum facinus! meorum Regum auspiciis, quod latuit hactenus à rerum primordio, intelligi cœptum est. Res sic se habet, adverte Princeps Illustrissime: secutus occidentem solem à Gadibus, Christophorus quidam Colonus, vir Ligur, præbitis illi à meis Regibus, tribus navigiis, perrexit ad Antipodes, milliaria supra quinque millia. Tres & triginta continuos dies, cælo tantum contentus & aqua, adnavigant. Terram posthæc, è cavea grandioris navis, qua Colonus ipse vehebatur, speculatores proclamant. Insulas percurrit ab æquore sex. In ipsarum una, quam Hispania majorem esse cuncti, qui sunt illum secuti, rei novitate pellecti prædicant, in terram descendit. ibi dies aliquot immoratus, aurum, gosampium, aromata oblonga, in cinamomi formam, & in piperis teretia, arbores coccineas, succinum, colorem glaucum, multarumque rerum apud nos preciosarum, copiam, terram illam suapte natura gignere comperit, ex quacunque re, in argumentum tulit tantillum. Reges habet insula plures, sed nudos, & cum eis omnes utriusque sexus, quamvis natura contenta, utpote nuda, solisque arborum cibis, & radicali quodam pane gens illa vescitur: Imperii tamen est ambitiosa, sesequeinvicem arcubus, & præacutis adustis sudibus, mutuis bellis ea cupiditate conficiunt, cogiturque victus Regulus, Victori parere, ac si *Meum* ac *Tuum*, veluti inter nos, inter eos versaretur, lautique apparatus ac pecuniarum cumuli desiderarentur. qua namque re indigere nudos homines putabis. Cætera quæ succedent, si optare ista Galli permittent significabo. Fertur Carolum Regem dato jam Perpiniano per Episcopum Albigensem de illustri Ambasiæ familiæ genere, accingere se ut ad vos eat. Dii bene vertant. Vale atque utinam bene. Barchinonæ Idib. Septembr. M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXV.

De inventis à Castellanis & Portugalensibus in Occiduo. Pacta Caroli cum Regibus nostris. Fit Pax dato Perpiniano.

P. M. A. M. Archiepiscopo Bracharensi.

COnsuevi hactenus de una tantum re scribere, tria tibi nunc est animus significare. Colonus quidam, occiduos adnavigavit, ad littus usque Indicum (ut ipse credit) antipodes. Insulas reperit plures, has esse, de quibus fit apud Cosmographos mentio extra Occeanum Orientalem, adjacentes Indiæ arbitrantur. Nec inficior ego penitus, quamvis sphæræ magnitudo aliter sentire videatur. neque enim desunt qui parvo tractu à finibus

bus Hispanis distare littus Indicum, putent, utcumque sit, magna se reperisse prædicant. De his quæ dicit, signa tulit, majora se inventurum pollicetur. Nobis satis, quod latens dimidia orbis pars, in luce veniat, & Portugalenses indies magis ac magis æquinoctiali se circulo subjiciunt. Ita ignota hactenus litora, pervia cuncta, efficientur propediem. alter namque alterius æmulatione, sese laboribus ac periculis exponit ingentibus. ad cætera veniamus. Carolus Francorum Rex, quom primum vulneratum fuisse Regem meum intellexit, oblatum misit Perpinianum Rosilionisque Comitatum, quem Rex petebat, aviti quondam Juris Aragonici, distulit tamen in Septembrem mensem. Quo tempore Oratores destinavit plures. primatum inter eos tenet Episcopus Albiensis de illustri familia de Ambasia, qui sui Regis nomine Perpinianum reddant, dummodo libere provinciam in Alfonsum Neapolitanum Regem sumere liceat. Hinc atque hinc multa agitantur, Pacis tamen fœdera instituuntur, ut amici sint utrique alterutri amicis, inimicique inimicis. De Neapolitano vero Rege, ut Carolo Regnum petere Neapolitanum armis liceat. si Jura ipsius potiora esse constiterit. Perpinianum his compositis receperunt. Meis Regibus id adnitentibus, Cæsar & Rex Anglus, cæteri collegæ ab armis in Gallum discedunt. Restat tertium. Carolus militibus jam instructis, ad Italiam vocatus à miseris obcæcatis armentis, ut lupus à catellorum latratibus inermibus, ipsa tueatur, iter cepit. Vos mihi credite, Caucaseas rupes in Italiam casuras, & Acroceraunia fulgura imminentia fugite. nec vobis ignoscetur Hispanis, quum vagari solutis habenis Galli incipient. Roma illis iter est, Romam deserite; si minus auscultaveritis, pœnitebit, quando pœnituisse nil proderit. Vale. Barchinonæ. Calend. Octobr. M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXVI.

Laudativa. in qua Moralia multa.

P. M. A. M. Jo. Ruffo Forjuliensi.

QUom primum te, Vir insignis, in Hispania esse sensi, insiluit animus præ gaudio. Spero fore, ut aliquando ad Curiam te conferas, à qua discedere minime licet mihi. assiduo quippe magnorum Procerum commercio, qui me audituri, quamvis cornicantem, contubernium à mane ad vesperam implent meum, sum implicitus. Nec prætermittere cœptum opus quirem, quin ingens illis ex interceptione incommodum eveniret. Qui namque hactenus à literis erant aversi, ab eisque abhorrebant, illarum jam nunc gustu pellecti, neminem posse, qui literas ignoret, rite hominem appellari, prædicare ipsimet incipiunt. Ignosce igitur quæso, nisi protinus me accinxi ut ad te (ubiubi te applicuisse Concham sensi) proficiscerer. Scio te natum ad præstandam hominibus utilitatem, non ad eam cuiquam auferendam, sed dic, quæ fuit cæli erga te benignitas tanta, ut hac tempestate, qua Italiæ cælestes omnes potentiæ ruinam minitari videntur, ex illis te fluctibus exemeris; in Hispaniamque tranquillo portu sedentem, contuleris. Nunc aperte video apud superos esse, de sapientibus tutandis (ne labantur) curam ingentem, ex cælesti consilio factum arbitror, ut patronus ille tuus, crista insignitus rubra, te unum ad hujus Antistæ, quæ illi paret, gubernaculum, ipsiusque negocia cum meis Regibus pertractanda hodie delegerit. Sed miser ille, quid sine te, qui Gratiarum solus apud eum hospes eras jucundissimus faciet? Quis ea corporis præstantia, quam tu præ te fers, nulli æqua illius atria replebit, introëuntesque primarios viros, ut moris est, in procerum palatiis, prior occurrens suscipiet? quem tibi similem retinuit? Cum sit in te is mentis splendor, innata ista cordis hilaritas; miseret me hominis profecto, qui se tanta felicitate abdicavit, nisi illum, quanti boni possessor esset, ignorasse putarem. Ignoravit quippe gallinæ filius albæ, quanti precii lapillum manibus teneret. Pati propterea potuit, à seipso ad res exteras suas tanti pretii faciendum dimittere virum. Ipse viderit. Tu vale, sapientiæ mirum exemplar. Beabis me, si ad me scripseris. Barchinonæ. nonis Octobris, M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXVII.

Baudillus Granata Rex ex Hispania dimittitur.

P. M. A. M. Ascanio.

ALias Baudillum Granatæ quondam Regem juvenem, regno spoliatum, per me intellexisti. Nunc is Andaraxium oppidum, reliquas etiam terras, à meis Regibus, in montibus, quos *Nivales* appellat vicinia, illi concessas, precio solvit. sive invitus, sive libens id fecerit, rerum alienarum curiosiores perquirant. mihi sat est. Hispaniam deserit, in Africam se transfert, exilibus Regibus futurus incola, qui magnus quondam Hispanisque omnibus formidolosus. Ita sublata jam est omnis de defectione Exlegum, suspicio. Raro namque po-

pulus tumultui aut defectioni studet, ubi duces desint, à quibus sperent gubernari. Vale. Barchinonæ. pridie Idus Novembr. M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXVIII.

De morte Regis Portugaliæ. Columbus cum ingenti classe remittitur.

P. M. A. M. Ascanio Cardinali, Vice-Comiti, Vice-Cancellario.

VEnit ad nos Garsias Cagnas, Alfonsi Cagnas familiaris tui cubicularis germanus, cum tuis ad me literis, ut regium habeat Chirographum petit, quo possessores templorum Marchienne ac Tevardale extra urbem Hispalensem in ejus diœcesi & Sancti Romani intra ipsius urbis mœnia sitæ parochiales, & unius de sex Præstimonialibus Antecheræ de veteribus possessionibus ejiciantur, quorum titulos Pontifex Alexander ad te transmisit, quom eos ipse Cardinalis haberet, quia sic per Prætorium, quod *Rota* dicitur *Pontificum*, datis Exsequutorialibus decretum est. Multi veniunt de re hac conquestus, graves agitantur querelæ, suspiria gemitusque acerrimi. Teveardales rector sese torquet, qui annum octavum & vigesimum sese redditus illos nullo perturbante possedisse ait. Quid hoc nunc mali emergat, se non intelligere proclamat. Jure ipso se liberatum ab onere regressus, quo ab Alexandro premebatur Cardinali, quom primum Pontifex effectus est, minimeque fieri solitum, ut per accessum ad Pontificatum idem restet super beneficiis pondus, vocibus Curiam obtundit; Supremam esse dicens feritatem, si de loco, ubi tot annos sacra ministravit, dejiciatur, se non audito præsertim. Et si Legibus forte contra se decernentibus, de regressu, justam solverit, ut ajunt, pensionem, tolli minime debere probat. Hic acrius torquetur quam cæteri, qui opimiori fruebatur sacculo. Post namque stratos Granatenses, qui regiunculam illam incursionibus jacere incultam cogebant, adeo coaluit, ut reditus ipsius dragmas attingeret, *Ducatos* vulgus dicit, septingentas. Hoc si homini tollatur, in desperationem incidat oportet. Supplicabo tamen tuo nomine, tu autem qui petis & illi qui concessuri sunt, si concesserint, literas, humanumne sit an immane, æquum an araneæ tela, videritis. Eadem est aliorum querela, licet non precio par. Bracharensi Archiepiscopo significetur Joannem Portugaliæ Regem, qui illum & patruum ejus Cardinalem erexit, interiisse, magni quippe animi Rex erat. Colonus ille novi Orbis repertor, Archithalassus (quem Hispani *Admiraldum* vocant) maris Indici ab occidente à meis Regibus effectus, cum decem & octo navium classe milleque armatis, & opificibus omnifariam, ad novam urbem condendam remissus est, animaliaque ac sementes omnis generis secum affert. Valete, si per Gallos ad vos euntes licuerit. in Calendas Novembris. ex Curia. M CCCC XCIII.

EPIST. CXXXIX.

Quartana Italiam raptat. Ferdinandus Neapolitanus Rex moritur. Gallus jam transit. describitur futura calamitas. de Cæsare. de Anglo. de Venetis. de Turco. it Fonseca ad Carolum. quid nostri Reges.

P. M. A. M. Comiti suo Tendillæ.

MIsereat Italiæ trepidantis proxima febri te, Comes Illustris, misereat, quandoquidem patriam illam tibi super omnes, quas sol ambit provincias, nec Hispania posthabita, placuisse semper prædicasti. Andromedem, qua illam dentibus frementem contegamus, præsto paremus, atque eo apertius, quia Ferdinandum Parthenopeum Regem prudentissimum, ubiubi Ludovicum Sfortiam cum Gallo Rege convenisse ad sui exitium sensit, vitæ tædio confectum periisse fama est. Heu! quam furibunda Italiæ quartana fimbrias rodit. Alpes naturæ aggeres Gallis oppositas, Galli transiliunt. major exercitus pars transportata. Strata est machinamentis multiplicibus via, sequitur præmissum Carolus ipse exercitum insultans. Lambunt jam sibi labia spe prædæ petulantes Galli. salivam degluttiunt. victoriam in manu, ut vulgo dicitur, se habere putant. nec aliter ego, quia ab ipsismet Italis & his fortioribus immittuntur. facile namque arietibus lupos in caulam vocantibus, lupis in caulam patet aditus. Sed nec arietibus cornu impetere jugulatis ovibus, nec terram pedibus spargere, nec balatus misericordiam implorans proderit quicquam, quin ipsorum sanguis exsugatur à lupis. Quis obstare jam quibit sublatis objicibus? sublatis? immo & in vicinos armatis. Fuerunt namque Mediolanenses hactenus, veluti tuta propugnacula, ne in Italiam Galli, ne Germani Alpibus finitimi transirent, transitumque tentantes Helvetios, mea etiam memoria, sæpe non modo sustinue-

sustinuerunt, sed profligaverunt. Non penitus tamen Mediolanenses accuso imprudentiæ. Sentio namque majori ex parte concives meos extorqueri, cernereque à longe futuram præteritorum exemplo calamitatem; sed illorum sessor est Ludovicus, etsi non legitimus: manibus tenet habenas, calcaribus ilia ferit eorum; inde rem perfectam putato. Alfonsus prior dissipabitur, qui mortuo patre Regni sumpsit habenas, sed in nostros postmodum faba cudetur. Veneti quia sic cum Ludovico conventum, rem inspectant, dissimulant. quid adstruant, nescitur. In armis & ipsi sunt mari terraque. Maximiliano Regi Romanorum cuncta displicent. nec Britanno placent: patiuntur tamen animo quamvis iniquo. Turcus nostris gaudet factionibus, arma & ipse suscitat. Hæc à tabellariis, qui volitant redeuntque creberrimi, perferuntur. Nostros Reges icti cum Gallo fœderis, uti conjectare possum, pœnitet. Oratorem mittunt Antonium Fonsecam tibi amicum, armorum & ipsum, quom bella in Granatenses gererentur, ductorem, qui Carolo ferat; meminerit ejus capituli, ut Alfonsum impetere illi tunc liceat, quando potiora esse Caroli quam Alfonsi jura decretum fuerit. Rem reminiscatur, adhuc in deliberatione versari. hic est eorum quæ geruntur epilogus. Ex Curia. IV. Calend. Decembris, M CCCC XCIII.

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER SEPTIMUS.

EPIST. CXL.

De Indicis rebus. Admiraldus vocatur Columbus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUæ de bellico tumultu accidunt, ad Illustrem nostrum Comitem scribo. perturbari namque hujuscemodi cruentis narrationibus sanctum animum tuum per supernos orbes continue incedentem, nequaquam licere arbitror. Colonum ex ea provincia honorifica redeuntem, Admiraldum Oceani maris Rex & Regina Barchinonæ erexerunt, sedereque illum coram ipsis, quod est (ut nosti) supremum apud Reges nostros benivolentiæ & honoris ob res præclare gestas tributi argumentum, fecerunt. Dehinc classem illi decem & octo navium munitam, qua regressus est, sunt impartiti. Magna pollicetur se detecturum, ad occiduos antarcticosque Antipodes. Nil aliud est, quod nunc referri possit. propediem Complutum, quod *Alcala de Henares* dicitur, proficiscemur. Inde recentiores habebitis literas meas, qui propiores eritis nobis. Ex Valleoleto. pridie Calend. Februarii, M CCCCXCIV.

EPIST. CXLI.

De Gallorum futura strage, per comparationes. quid Pontifex. quid Ludovicus. quid Veneti. quid nostri Reges.

P. M. A. M. Theodoro Papiensi, Regis Galli Medico & Consiliario.

IN Hispania provintias Oretaniam utpote atque Carpetaniam, esse duas, in Regno, quod *Toletanum* dicitur, velim scias. Has invadunt aliquando volitantium locustarum agmina, veluti callidi tonsores, segetes abrasas ita abmetunt, ut nil præter gemitus, agrorum dominis ex calamitate relinquant. Unum tamen dominis assurgit solatium, quamvis tenue atque inane, quod locustarum major pars ibidem corpuscula deponant, ubi segetes corroserunt. nec in alterum, ab illato damno, superstites vivant annum. Intellige parabolam, tu qui locustas in vicinorum segetes comitaris: Italiam, mortuo præ dolore animi, uti nobis relatum est, Ferdinando Rege Neapolitano, Galli à Ludovico Sfortia vocati, in Alfonsum, Ferdinandi successorem, pervagantur, deperiturum Alfonsum simul & in prædam iturum Regnum Neapolitanum, tali fautori putandum est, quom præsertim Veneti rerum eventum taciti exspectent, ex composito & icto fœdere cum Ludovico; Pontifex vero assentiatur. neque enim

poterit Alfonsus Rex, suis populis invisus, utramque potentiam sustinere. Sed neque Ludovicus tandem ab locustarum genuinis evadet, nec locustis dabitur post segetes depastas diu supervivere. Expergiscentur namque multi qui nunc dormitare videntur, ex proximi Ucalegonis incendio, ne in suos domos ardens scintilla prosiliat verebuntur. Verumenimvero, Theodore, quando te in castris esse contra patriam intellexi, majorem in modum fui admiratus. pergis, quo te cunque herus ducit tuus, inquies; Nec posse te obsistere, quin ista eveniant, dices: vocatur ad novum Regnum, quod illi, uti suadent, ex jure Angioviæ domus attinet. In manibus illi, quod avitum esse videtur, conjicitur; quid faciet? Talemne occasionem amittet? Non amittat, annuo & ego illius proposito, laudoque animosi Regis fortitudinem; voti compos arbitror, tali ductore præsertim, efficietur. Sed quin patriæ doleam, quam in præceps video ne labatur, vis naturæ integra non valebit efficere. Miserator & tu mecum, Theodore, saltem, paulisperque defuturam lachrymator, quandoquidem alio non licet nobis clypeo illam protegere impræsentiarum. Nil aliud præterquam susurros quosdam de suppetiis Alfonso contra herum tuum ferendis, quod Regis mei affinis sit, scribere ad te possum. Obviare ne discerpatur Alfonsus, pro viribus intendunt; profuturum sit, an non, viderit Altitonans. Parum ego, aut nihil existimo, quia sero excitantur. Nunc enim ipsi cogitant, quod Carolus jam fere perfecit. Alpes namque jam prætergressum, è Ticinio Hetruriam versus movisse, ad nos nuncii detulerunt. Vale. ex Valleoleto. III. Calend. Februarii, M CCCC XCIV.

EPIST. CXLII.

Epilogus præteritorum, & negociatio duplicis matrimonii inter Cæsarem & nostros Reges. de Indis.

P. M. A. M. Jo. Borromeo Aurato Equiti, Civi Mediolanensi, Comiti Lacus Verbani.

DEcembri mense anni secundi & nonagesimi à quadringentesimo supra millesimum, benignissime Comes, Triumphatorem Regem meum, fuisse ab insano percussum ruricola, oratoresque destinatos à Gallis fuisse, qui nostrum Rosilionis Comitatum, in Galliæ Narbonensis visceribus situm, dederent, & Gallos de armis in Italiam ferendis cogitare, per mensem tibi, ut arbitror, Februarium sequentem scriptitavi. Nec minus tibi (ni fallor) latentes hactenus Antipodes per Christophorum Colonum Ligurem fuisse repertos significavi, ab eo die, quo ad te profecturus esset nuncius, ad hunc usque, qui alterius anni Decembris est vigesimus, nullus occurrit. accipito igitur brevibus, quæ apud nos eo temporis intervallo gesta sunt. Perpinianum ad veteres Dominos Reges meos, per Septembrem anni tertii cum suo Comitatu redactum est. Fœdus cum Carolo Rege initum est. De re autem Neapolitana conventum est, ut ajunt, tunc liceat Carolo armis Neapolim repetere, quando potiora constiterit sua esse quam Alfonsi Regis jura. Sumpsit nihilominus, Ludovico Sfortia stimulante, provinciam in Alfonsum Carolus. Icti fœderis jam meos Reges pœnitet, nec ut Alfonsus Rex eorum affinis discerpatur, patientur, si poterunt; per oratorem, Carolum monent, ut abstineat, donec quid Juris decernatur. pergit tamen Carolus. apertius ista vos quam nos cernitis. à vobis igitur ista nos exspectamus. Nos autem impræsentiarum duplices excitamus Hymenæos. Unicum habet Maximilianus Romanorum Rex, marem filium Philippum, unicum & mei Reges Joannem, nubiles uterque filias alterne filiis despondent. Ita vinculo adnectuntur invicem duplici. Mira indies magis ac magis ab Orbe Novo per Colonum cum Ligurem præfectum maritimum, ob res bene gestas à meis Regibus effectum, afferuntur. Auri copia ingens, in terræ superficie reperitur. percurrisse inquit, se ab Hispaniola rotati orbis ad occidentem tantum terræ, ut auream fere Chersonesum ab Oriente cogniti orbis termini ultimi attigerit, duas tantum horas de quatuor & viginti, quibus sol ambiens perlabitur; universum se putat reliquisse. homines reperit humana carne depastos, *Canibales* vocat vicinia eorum, & hos nudos, veluti universa est gens illa. Libros cœpi de tantæ rei invento perscribere. Si dabitur vivere, nil memoratu dignum prætermittam, qualescunque decussi evadent, illorum ad te mittetur exemplar. Præbebo saltem viris doctis, magna scribere aggredientibus, ingens ac novum materiæ pelagus. Valete. ex oppido Compluto in Oretania, quod dicitur *Alcala*. XIII. Calendas Novembris, M CCCC XCIV.

EPIST.

EPIST. CXLIII.

Ægrotat Card. Hispaniarum Pe. Gonsales. Quo exercitu Rex Gallus eat. Visit Rex Ducem nepotem. infirmum. procedit Carolus. Ludovicus eum comitatur. Moritur Dux nepos. Ludovicus regreditur.

P. M. A. M. Eneco Lopez Mendotio, Tendillæ Comiti.

PAtruus ille tuus, Comes Illustris, in regendis tot Regnorum habenis, tertius à Regibus, ægrotat Guadalfagariæ; nos autem agimus Compluti, ab eo millia passuum sexdecim. quantum id molestiæ in animis Regis & Reginæ attulerit, non facile scribetur. Ad eum visendum utrumque propediem iturum arbitramur. Magnam sui partem se putant amissuros, si tantum virum, cujus sæpe consilio regebantur, amiserint. Ex Italia fertur Carolum Gallorum Regem cum quatuor & viginti millibus armatorum Florentiam usque in Hetruriam penetrasse. scribitur Exercitum visum fuisse nostra tempestate nullum unquam nitidiorem. Et qui futuri sunt calamitatis participes, Carolum aciesque illius ac peditum turmas miris laudibus extollunt; sed Italorum impensa instructas. ducenta namque dragmarum auri millia, quas *ducatos* appellant, à Ludovico Sfortia ductore præbita, pro certo habetur. Impartiti sunt & cæteri Potentatus omnes, Venetis exceptis, suam quisque portionem. His itaque bellorum nervis, his miserorummet adminiculis fretus, ubi Alpes transiliit, in Hasta oppido insigni ad radices Alpium sito sistit pedem. datum quondam à Joanne Galeatio primo Duce Mediolani in dotem id oppidum Valentinæ filiæ novi Ducis Aurelianensis aviæ fuit. Ludovicum Sfortiam, ubiubi Hastam advenit, accersiri ad se Carolus jubet. Ludovicus, etsi jam pœnitentia tactus, ut suspicionem tolleret, ad Carolum concessit. Procerum, qui apud Carolum erant, major pars, ut Ludovicus caperetur, consulebant. Vetuit Carolus, non decere magnanimum Regem dolo aut insidiis, fidentem præcipue, quenquam circumvenire. Hospitii jus reliquit illæsum. Papiam igitur, quæ Ticinium est, una proficiscuntur. Comitem & secum habuit Ludovici uxorem, Herculis Ferrariæ Ducis filiam, suis decenter nymphis comitatam, è quibus unam forma egregiam adamare, in ejusque pulchritudine fractos oculos jacere, Carolus cœpit. ubi Papiam Carolus petivit, lecto ægrotantem Joannem Galeatium Ludovici nepotem, cujus causa hæc bella surgebant, visit. in quartum inde diem longis itineribus Ludovico comite suum iter arripuit. Placentiæ paulum commorantibus, mortuum esse Joannem Galeatium, quem reliquerat ægrotantem affertur. Ludovicus à Carolo veniam petiit, ne quis Mediolani tumultus exoriatur: Mediolanum se iturum, inquit, compositis rebus se propediem rediturum pollicetur. detinendum Proceres secundo Ludovicum Carolo persuadere nitebantur. Obstitit iterum ejus fatum. Mediolanum igitur regressus est, quid nepote mortuo moliatur, non bene intelligimus. Carolus ergo misso Januam Ludovico Aurelianensi Duce Coronæ Gallicæ, si Carolo proles mascula defuerit, hærede, ad parandam classem, ut terra marique Neapolim impetat, iter inceptum prosecutus est, habitis in deditionem per Petrum Medicem magni Laurentii filium Petra Sancta, Sergiana, Sergianella, Pisisque Florentiam petiit. Ibi à tabellario, per quem hæc ab amicorum literis habuimus, relictus est. Vale. Compluti. VI. Calend. Novembr. M CCCC XCIV.

EPIST. CXLIV.

Quid cum Carolo Fonseca. quid Carolus. mittuntur Neapolin auxilia. de matrimonio. de Orbe novo. Fonseca. Io. Emmanuel.

P. M. A. M. Bracharensi & Pompelonensi Antistitibus.

QUæ in Italia gerantur, vos aptius (quia factis propiores) assequimini. A nobis hæc habetote. Antonius Fonseca vir Equestris Ordinis, & armis clarus ad Carolum destinatus est Orator, qui eum moneat, ne priusquam de Jure inter ipsum & Alfonsum Regem Neapolitanum decernatur, ulterius procedat. Fert in mandatis Antonius Fonseca, ut Carolo capitulum id sonans ostendat, anteque ipsius oculos (si detrectaverit) pacti veteris chirographum laceret, atque indicat inimicitias. Instruitur & in statione Malacensi classis, qua militum quidam numerus, Gonsalo Fernando Aquilario Cordubensi Duce, Neapolim transportetur. Parte alia, quod forte nondum attigit vestras aures, nostri Reges per Joannem Emmanuelem, Januenses, per Alfonsum à Silva Ludovicum Sfortiam in Carolum ni provinciam deserat, concitare nituntur. Periculum imminens utrisque opponunt. si Carolus Neapolitanum Regnum possederit, reliquum se usurpaturum facile, ostendunt. Venetis quoque, ut suis & ipsi rebus consulant, suadere

dere faciunt. Quid à victoribus Gallis possint exspectare animadvertant, itidem & Alexandro Pontifici summo Hispano viro, dici imperant. dum ista Mars ventilat, ex Germania per tabellarios allatum est, prope conclusum esse, ut Margaritam unicam Maximiliani filiam, Joanni nostro Principi, tot Regnorum hæredi, Maximilianus ipse despondeat, dentque illi mei Reges in nurum Joannam, ex quatuor quas habent filias, secundam. De nuper autem ab occidente hemisphærii Antipodum rebus repertis hæc audite. Idem Colonus præfectus maritimus cum decem & octo navium classe, ut in ea insula, *Hispaniola* ab ipso vocitata, ubi pedem fixerat, civitatem condere studeret, missus est, cæteraque ut ulteriora litora percurreret, classis partem majorem remisit. Mira referuntur. hæc ut conscribam, nuncii celeritas non patitur. nec jam sapida fore arbitror, quia non recentia. Methymnæ namque agebamus, cum ea classis advecta est; quid novi aliud referam, non occurrit. Ascanio meo nomine si divertere à Gallis, qui ejus ad Italiæ perniciem implicant animum, aliquando licuerit, ista dicetis, quandoquidem estis illi familiares. Et valete. Compluti pridie Calend. Novembr. M CCCC XCIV.

EPIST. CXLV.

De Salustio. De Catonis & Cæsaris institutis ac moribus & eruditione.

P. M. A. M. Comiti Caprensi.

A Teneris tibi gratum semper fuisse Salustium, Comes ornatissime, & tu secundo prædicas, atque id ego ex tuarum imitatione ac stylo literarum colligo, sed duplicatas tibi tunc fuisse genii vires, inquis, quando propositum istud tuum laudasse me per epistolam ad te missam sensisti, qua ut Salustium tu, velut Cicero Terentium die noctuque in sinu haberes, & domi familiarem, & viæ comitem consului, sed unde id eveniat, quod de Catone ac Cæsare clarissimis viris, tam diversa sentientibus, autor ille referat, summam sibi gloriam assecutum utrumque fuisse cupere te ostendis. Si attente utriusque Orationes perlegisti, quæ utriusque fuerit natura, doctrinaque cognosces. Ut honeste tamen isti tuæ satisfaciam cupiditati, pauca ego, unde sibi quisque sub diversa natura diversas induerit opiniones, superaddam. Catonem veluti prædicant, qui eum intus norunt & in cute clari Senatores, natura formavit honestum, gravem, temperantem, magnanimum, justum, excelsum denique ad omnia virtutum genera. His fuit Epithetis non semel in frequenti Senatu, omnium consensu decoratus. Cæsari paulo minus his additis tamen Clementia & liberalitate, alienis à Catone, tribuuntur: à magistris vero, Stoicos secutus, Zenonis sectatores Cato hausit, sapientem gratia moveri non debere, peccata esse paria, universa sentire, delinquenti nullo pacto ignoscere oportere, mutare sententiam, esseque misericordem non decere, non exorabilem denique, non placabilem vivere debere. longe aliter Cæsar, à Peripateticis atque Academicis didicit apud Sapientem, gratiam aliquando valere, peccatorum varia genera varias exposcere pœnas, viri etiam boni esse misereri, ignoscere, exorari, placari, sententiam pro tempore mutare, atque irasci interdum fas esse. Præceptorum igitur ista varietas, diversa utrique præbuit instituta, nec abfuit ab utroque (uti vides) summæ laudis insigne, quia uterque diversis quamvis itineribus, ad bonum tendere videbatur. Vale. Compluti. IV. nonas Decembris, M CCCC XCIV.

EPIST. CXLVI.

De secunda navigatione ad Indos. de Canibalibus. Recusat secundas nuptias vidua regia filia. Quid extollatur. quid prematur. Emmanuel Rex Portugaliæ. Laus Hispaniæ.

P. M. A. M. Pomponio Læto, Viro insigni, amico.

MIrari te dicis, Pomponi, quod in tanta Italiæ perturbatione, neminem videas, quem Italiæ pro Italia, tanquam patria cadente misereat. Quo tempore bonis ac fortibus viris quondam imperii dignitatem, & veram Reip. gloriam Roma deferebat, haudquaquam satis multi cives boni ac fortes reperiebantur, qui vero dissidiis studerent, ad Reip. perniciem tenderent, illamque vexarent, violarent, perturbarent evertereque conarentur, innumeri. Quid miraberis igitur hac nostra Sirio cane infecta tempestate qua nullus non Tyrannus Italas regat habenas? si rabidis videas affectibus, spumas ad interitum mandere rabidos homines, alios in damas excitando molossos, alios dissimulando formidine perculsos, vertere terga, alios sibi, non Reip. Italæ consulendo, nulla vis animi jam, nulla majorum ad libertatem tuendam, Italiamque ab exteris conservandam cura, nulla fortitudo, cæci omnes, nemine excepto, suum dedecus, suam ruinam non vident: aut si conspiciunt, suum tamen patiuntur incommodum æquo animo, dum vicinorum prius animas perturbent, prosternant, suffocent. Inter has

Italiæ procellas magis indies ac magis, alas protendit Hispania, imperium auget, gloriam nomenque suum ad Antipodes porriget. à Bracharensi & Pomplonensi præsulibus quærito, quæ ad illos denuper altero ab occidente hemisphærio reperto, scripserim, tuque illis hæc superaddita referto, quom eos habeas (quia sunt amatores bonarum artium) in amicorum numero. Ex navibus decem & octo, quas à meis Regibus ipsi Colono, *Almirante* (ut ajunt Hispani) præfecto maritimo datas, ad secundam navigationem ad eos memini me scripsisse, duodecim rediere. suapte natura referunt, qui ab eo hactenus orbe latenti redeunt, tellurem illam coccineas, ingentes sylvas, gosampium, atque alia multa apud nos preciosa, enutrire; sed præter cætera non parvam auri copiam. Proh mirum, Pomponi! in terræ superficie globos reperiunt aureos, rudes, nativos, tanti ponderis, ut pudeat fateri. Unciarum ducentarum quinquaginta nonnullos reperere, multo majores se reperturos sperant, uti nostris insinuant nutibus incolæ, quom noverint nostros aurum magnifacere. Nec fuisse Lestrigones vel Polyphemos, humanis carnibus depastos, dubites, adverte; & cave, ne horrore tibi insurgant aristæ. Quom ex *Fortunatis* (quas volunt aliqui *Canarias*) movetur ad Hispaniolam, hoc namque nomine insulam, in qua pedem figunt, appellant, proras aliquantulum si verterint ad meridiem, in insulas inciditur innumeras ferorum hominum, quos vocant *Canibales* sive *Caribes*, hi quamvis nudi, bellatores sunt egregii. Arcubus & clava maxime valent, lintres habent unilignoos, multicapaces, *Canoas* vocant, quibus ad vicinas insulas mitium hominum trajiciunt turmatim. Pagos incolarum adoriuntur, quos capiunt homines, comedunt recentes. Pueros castrant, uti nos pullos. grandiores pinguioresque effectos jugulant, comeduntque. argumento nostris id fuit, quod applicantibus se navigiis, insolita mole navium territi, domos Canibales deseruere, ad montanaque ac densa nemora profugere. Ingressi domos Canibalium nostri, quas habent ex trabibus erectis constructas, sphæricas, appensas trabibus sale concoctas hominum pernas, ut nos suillas solemus, & nuper occisi juvenis caput, adhuc sanguine adspersum, atque in ollis elixandas, anserinis & psittacinis permixtas, ejus juvenis partes, & verubus assandas, igni appositas alias reperere. una navi Cannibalicam Reginam comitatam filio, sexque aliis viris deprehensam, venatu redeuntem, apprehenderunt; ex incolis neminem consequi potuerunt. Triginta utriusque sexus tamen ex his, quos veluti in stabulis comedendas vitulas servabant, ad nostros profugere, quos ex vicinis insulis raptaverant. ab his multa didicere, quæ aliquando habebis. Dic Præsulibus istis meo nomine salutes, Ascanioque ipsi, si à lachrymando Gallorum commercio invenerint aliquando explicitum, easdem si velint, impartiantur. Nescio, an Bracharensis, qui Portugalius est, ignoret, Johannem Regem Portugaliæ obiisse, coronatumque fuisse non Georgium, quem Rex voluisset, Regis spurium, sed Emmanuelem Regis sororium, & eundem alias affinem, Bisci Ducem, meis Regibus illi, quia recta ad eum attinebat, faventibus, huic mei Reges Elisabetham primogenitam & Joannis Portugaliæ Regis unico filio, qui equi lapsu dum in castris Granatensibus sederemus, interiit, viduam despondere vellent, atque id magis cupit Emmanuel, sed ipsa virum se velle alium recusat cognoscere, renuit secundas nuptias, ad hanc usque diem, vinci nequaquam potest. Quæ solebam ad Ascanium, dum liber viveret, ad vos nunc alterne scribam. Vale jam, cave ne quibus inter istas procellosas cautes ictibus concutiare. Compluti in Oretania, nonis Decembris, M CCCC XCIV.

EPIST. CXLVII.

Moralis persuasiva, ut propriis quisque virtutibus inhiet non contentus factis alienis. Historica quædam.

P. M. A. M. Joanni Portugallico Brigantiæ & Gimaranis illustri Duci discipulo.

CUm apud me versareris, una cum cæteris Hispanis Optimatibus in Curia Castellæ adolescens, nihil magis Tibi cæterisque tuis condiscipulis persuadere conabar, quam ut à vobis ipsis per virtutes, fumosis majorum imaginibus parum fidentes, famam & gloriam quæreretis, multisque id vobis probare argumentis auctoritatibusque pluribus & exemplis innumeris adnitebar, suorum operum præmium unusquisque secum, quocumque ierit, affert. Ab atavis illustribus, & opulentia paterna, nil præter lumen vobis inhæret, quo qui sumus inspiciamur ab hominibus. Si mites igitur, si liberales, si prudentes fuerimus, si virtutibus denique cæteris prædíti, quicunque nos noverint prosequentur. Ora hominum bonis erga nos sermonibus implebimus, corda exhilarabimus; verum-

verumenimvero si lasciviæ, si inertiæ, si superbiæ, & imperitiæ dabimus operam, si pecuniarum, non hominum thesauris inhiabimus, duo illa tanto amplius quanto majora nocebunt, animosque vicinorum in odium gravius & linguas in acriorem obtrectationem convertent, volui hæc pauca absenti tibi ad paternamque potentiam, post Joannis Regis interitum, evecto, repetere, non ut ingenio tuo aut memoriæ diffidam, sed ut eandem esse tui apud me rationem absentis, quæ fuerat præsentis, agnoscas. Almirantus Aragonius Cardonæ Ducatus hæres, & Villæ Formosæ Dux Regis ex fratre nepos, condiscipuli tui, te salvere jubent. Posthac ut ad Te exercitationis gratia scribant, operam dabo. non licuit ipsis impræsentiarum per tabellarium tuum, qui ad vos, jam accinctus ad iter venit. Hos tuo nomine salutavimus. Dionysio fratri tuo juniori dici cupimus salutes, nostro nomine. Et vale. Compluti VII. Idibus Decembris, M CCCC XCIV.

EPIST. CXLVIII.

De Morte contemnenda. de fastu & opibus. Pulchra quid trahant. de animæ origine & fine.

P. M. A. M. Alfonso à Sylva, Cifontei Comitatus hæredi, discipulo ægrotanti.

LAborantem aliquantula febri te, nudius tertius, mi Alfonse, quom adiissem, timore te vidi mortis perculsum, non desii, hinc admirari, atque hinc misereri. dolebam, quod tenellas istas carnes tuas adolescentulas ardor ille febriceus urgeret, videbarque ego ipse capitis illa gravedine premi, qua torquebaris. Sed excidisse tibi de memoria, quæ nobis legentibus, à Philosophis de contemnenda Morte didiceras, aliquantulum fui tibi subiratus. Evasisti, ut censent Medici, omni discrimine, sublata penitus febri, propterea succensere nunc tibi absens parumper intendo. legistine crebrius quicquam à Philosophis repetitum, aut efficacioribus probatum argumentis, quam ex naturæ insigni munere datum esse hominibus, ut aliquando moriantur, unáne id ratione, unóne argumento, una auctoritate confirmatum advertisti? Oh nollem tam cito, Martyr, nollem adolescens, acerbus, ætate florida, nollem dices, durum est mundi hujus blanditiolas, ephebum non invitum postergare; nimium est grave delitias, quibus nos opulenti Procerum filii fruimur, relinquere. Hæc tibi naturæ vis, quæ resolutioni manibus pedibusque adversatur, persuadere nititur; ast si recte conjectaberis, neque opulentiam illam, quæ majora secum fert incommoda quam oblectamenta, tanti facies, quoniam summo cum labore merces ista comparatur, cum ingenti cura custoditur, vehementi cum dolore relinquitur; quove magis ea homines implicantur, eo atrocius cruciantur; quanto minus illis cibus potusque somnusque sapiunt, tanto levius iter ad inferos panditur: quotquot avarus quisque auri pondo conjicit in thesaurum, tot sibi saxa congerit ad struendos aggeres, quibus illi occludatur via, quæ ducit ad superos. Mundi vero carnisque illecebras, cœnosas esse fœtidasque massas, vasti ponderis, ac dira retia, scito, quæ animam, ex cœlesti habitu formatam, pessundant aggravantque ita, ut è corporeo tandem carcere exsoluta, attolli in altum, ut ad æthera revertatur, nullo modo queat. Unde fit, ut terrena fece compressa ex pura, simplici subtilique ac preciosa materia, mixta crassa, vilisque effecta, ad Tartareas cavernas ire præceps adigatur. Quapropter si te ultra senseris aliquando gravari, ad naturæ beneficium fortiter amplexandum, animum disponito. Nec adolescentem posse mori quenquam, aut puerum, putato. Statutus namque animalium cuique nascenti, ultimi finis suus est dies. Quem quandocunque attigerit, senex moritur. scito etiam hominibus in longiori ætate graviora surgere indies incommoda, quæ sæpe faciunt, ut fuisse natos pœniteat. Vale. Compluti V. Idibus Decembris, M CCCC XCIV.

EPIST. CXLIX.

Ludovicus mortuo nepote se Ducem facit. Non mortuum veneno nepotem, quod multi suspicantur. Carolus Romam proficiscitur. Ferdinandus juvenis Regni hæres Romam deserit. Quid fugiens Pontifex. quid Carolus cum eo. Alfonsus Regno se abdicat ac fugit in Siciliam. Protestatio in Carolum. Carolus abducit Turcæ fratrem. Finem Italis & Hispanis minatur Carolus.

P. M. A. M. Eneco Lopez Mendotio, Tendillæ Comiti.

TE rariores à me superioribus diebus habuisse literas meas, quam hactenus solebas, scripsisti. Proh Comes! Quis sumere potest calamum vir Italus quin collachrymetur? quin liquefiat, quin stupeat præ mœrore? Ludovicus, audita nepotis morte, Mediolanum rediit. Ducatus titulum usurpavit: putant

putant alii interceptum veneno nepotem. Ego minime id arbitror, sed præreptum assidua febri, qua ex nimio coitu urgebatur. neque enim ab uxore etiam ægrotus abstinebat. sit utcunque, Dux est creatus Ludovicus. Carolus Rex processit. Romam invito Pontifice armatus ingressus est. Ferdinandus Alfonsi Regis filius, Regni (si fata volent) hæres, qui Romæ cum quadam militum copia agebat, adveniente Carolo, propere terga dedit. vis, prædæ, rapinæ, etiam Carolo vetante, sunt, quales à vagantibus Gallis solent exspectari. In Hispanos quoscunque reperiunt, irati sæviunt, multos trucidant. Pontifex Alexander in Adriani molem, quæ Sancti Angeli Castellum est, inclusus latuit aliquamdiu. Fide tandem accepta à Carolo, in palatium se contulit, pedem illi Carolus est osculatus. Cardinalem Regis rogatu, Joannem Materonem Caroli scribam, pecuniarum sagacem extortorem, Alexander creavit. minuta prætermitto reliqua. Ex Ludovici & Ascanii Cardinalis ejus fratris consilio, Regno se abdicat Alfonsus Rex. Ferdinando filio Regni habenas credit. In Siciliam profugit miser, Ferdinandum (quia utriusque ex sorore nepos erat) Ludovicus & Ascanius tutari intendunt, Carolum, ne Ferdinandum jam Regem lacessat, protestantur. Fœdus eorum cum Carolo, in Alfonsum hostem, non in Ferdinandum nepotem, ictum dicunt, nepotem se non deserturos inquiunt. Ita in meos Reges prius, in Ludovicum & Ascanium secundo, iratus Carolus, vindicaturum fremens minatur. Hispanos simul & Italos rabidus, *infidos* vocat, suæ inscitiæ immemor. processit tamen Roma Regnum versus, secumque Zizimum magni Turcarum Principis fratrem, quem Innocentio VIII. Pontifici datum meministi, ducit. Hoc in statu res Italæ sunt, de cæteris quæ in Hispania & cum nostris Regibus extra Hispaniam geruntur, tui te familiares, quos hic habes assiduos, certiorem facient. Vale. Compluti. Idib. Decemb. M CCCC XCIV.

EPIST. CL.

Quare in Potentia cruciatus. Quæ sint vera bona de tribus. attende Lector huic Paradoxo. invigila.

P. M. A. M. Petro Fagiardo, Novæ Carthaginis Domino, discipulo.

QUid causæ insit humano generi, Fagiarde charissime, ut nullum unquam in Curia (ubi natus es & continuis passibus educatus) ad hanc usque vix juvenilem ætatem, quæ te versat contentum videris, admiratus es aliquando, majora ex tui genitoris, & Gutterii Cardinensis, qui duo Proceres opulentissimi, primos obtinent favores Regios, quam ex ipsorum servorum pectoribus prodiisse suspiria, sæpe te sensisse retulisti. In arcanis & Reginam, quam totus orbis partim observat, partim tremiscit & admiratur, mœstam, ut inquis, quom ad eam liber sit tibi aditus, aliquando reperisti. Quid cogitent, quid sibi velint, quid cupiant, cur non bonis, quæ possident, contenti vivant, cur non fruantur fronte serena, percunctatus es. Audi, amantissime, & à natura bene institute juvenis, ex tribus, quæ in hominibus bona esse dicuntur, fortunæ utpote, corporis & ingenii, sola quæ sunt ingenii, vera esse bona reperiuntur. quæ namque Fortunæ sunt, opes scilicet, honores, dominatio, benevolentia, ea fragilia, corruptioni subjecta; opes, quia non propter se amantur; nullius namque potestatis per se sunt aurum & argentum: honor & benevolentia labuntur, quia ex alterius nascuntur arbitrio. cogere namque possumus neminem, ut nos amet, ut honoret: dominatio vero, cujus cupiditas raptàt homines in præceps, malis venenis imbuta, quo altior, tanto gravior. quanto namque pluribus dominamur hominibus, tanto atrocioribus angimur sollicitudinibus, pluribus subjacemus periculis, pluribus implicamur negociorum retibus, plures nobis hostes, ob invidiam Potentiæ comitem fidissimam conflamus. Robur autem, bona valetudo, & forma quæ bona sunt corporis amittuntur, deciduntque brevi tempore; non aliter subjacent injuriæ, quam ardenti soli verni flores. Dotibus igitur ingenii, dilecte fili, si de felicitate, quam in humanis consequi licet (si qua est) partem cupis ebibere, insudato; sed ita insudato, ut ingenium tibi profuisse, quod & nocere aliquando solet, si eo adverse utemur, gloriari nos possimus, qui ad dextrum Pythagoreæ literæ cornu totis viribus & omni conatu intendimus dirigere. Et vale. ex Curia. XIV. Calendas Januarii, M CCCC XCIV.

EPIST. CLI.

Subtilia Theologiæ veteris ac novæ dicta.

P.M.A.M. Didaco Villascusæ, Decano Granatensi, Provisori Giennienſi, Divæ Joannæ Archiducissæ Austriæ Capellano majori.

NEque minis, neque blanditiis elicere à te potui vel epistolium, Villascusa. solent, qui Antisteis gradibus proximos se esse putant, velut ex alto pusillos homines despicere. solent quidem, sed inepti, sed qui humanas potentias tanti faciunt, ut eas pro Diis habeant. Tu vero qui cælestia calles penetralia, non minus quam quisquam hominum suæ domus cubicula jure merito sub pedibus ista, veluti momentanea tenebis, nec inflare te ita ut hominum quenquam parvifacias; hæc mortalium pro Diis simulacra valebunt. O intelligo, Villascusa, cur forte turgeas. Theologos, inquies, ætatis nostræ, qui jam veri luminis splendore irrorantur, non decet, tanquam cælestes viros, mortalium commercio admisceri, familiaresque se cæterarum scientiarum cultoribus reddere nequaquam convenit. Vellem à te scire, Villascusa, putesne illos tantum esse Theologos, qui clamosis pulpitariis oratiunculis, populares sibi aures conciliant? arbitrarisne & nos ignorare unum esse quid æternum, perfectum, super omnia sedens, quod creavit universa, fovetque creata? Invisibile, cuncta videns? cui a dextris sapientia, cui à sinistris amor insideant? Quorum harmonia cuncta suavissimo ducuntur ordine. Virtutem hanc providentem, & mentem illam vivificam, quæ ratione cuncta producit, hominem quem in Idea ab æterno formarat assumpsisse, jam pueri credunt, quia id non modo credi jubetur, sed apertis jam fere rationibus probari posse videtur, si latentem hunc intelligentiarum spiritum, qui supernis nudus, inferioribus contectus, incommutabilis sedet, appellavit Jovem antiquitas, cui in læva sceptrum, in dextra vero Aquilam imponebat. si trunca parte aliqua, quæ de illius potentiæ perfectione nunc agitantur, veteres Theologi reliquerunt, si unire essentialiter, si distinguere personaliter nostro more nescierunt, æterno id consilio statutum est. Servavit ad hæc tempora velle apertius intelligi, quid culpæ priscis impartiaris? cur eos ipsorumque sectatores floccifeceris? Utere malvis mollibus, mihi crede Villascusa, ut turgidum ventrem evacues, nec in te Regius iste favor, quod Reginæ filiæ proximus sis, intumescat, si Poëticos vis aculeos evitare. Et valebis. XII. Calend. Januar. M CCCC XCIV.

EPIST. CLII.

De Orbe Novo multa.

P. M. A. M. Pomponio Læto, Viro insigni doctrina, amico.

PRæ lætitia prosiliisse te, vixque à lachrymis præ gaudio temperasse, quando literas adspexisti meas, quibus de Antipodum Orbe latenti hactenus, te certiorem feci, mi suavissime Pomponi, insinuasti. Ex tuis ipse literis colligo, quid senseris. Sensisti autem, tantique rem fecisti, quanti virum summa doctrina insignitum decuit. quis namque cibus sublimibus præstari potest ingeniis isto suavior? quod condimentum gratius? à me facio conjecturam. Beari sentio spiritus meos, quando accitos alloquor prudentes aliquos ex his qui ab ea redeunt provincia. Implicent animos pecuniarum cumulis augendis miseri avari, Libidinibus obscœni; nostras nos mentes, postquam Deo pleni aliquandiu fuerimus, contemplando, hujuscemodi rerum notitia demulceamus. Habebis ista igitur, Pomponi, modo liceat per Bracharensem Pompilonensemque meos Præsules, ad quos scribere ista soleo, postquam desii ad Ascanium, quem procellis undique circumseptum variis, animum curis gravibus habere pessundatum video. Ad rem veniamus. Prima navigatione Colonus maris Indici præfectus (dicitur Hispanice *Almirantus*) in Hispaniola octo & triginta viros in Guadcanarilli Regis, & ipsi nudo, provinciam reliquerat, qui telluris illius naturam, dum ipse rediret, explorarent. Hos reperit omnes, quum rediit, trucidatos, & aggeres, quos ad habitaculum illis & tutelam condiderat, æquatis solo fossis, discerptos combustosque. Guadcanarillus, qui nostris adventantibus, profugerat, tandem repertus coactusque de viris, in ejus custodia relictis, rationem reddere, Cannaboam Regem montium, eundemque potentissimum, ipsius Regnum armis invasisse, quod nostros suscepisset, nostrosque eo invito, lachrymis etiam obortis, & de Cannaboa conquerens (uti per signa colligere fas fuerat) trucidasse innuebat. Rem dissimulare Colonus ipse Almirantus satius duxit, ne insularum animos perturbaret, in alia tempora, hujus admissi sceleris vindictam, statuit differre. Qui rediere cum duodecim illis

illis navibus, quas supra memoravi, mira de regionis illius ubertate, de spe reperiendarum plurium, de aëris temperie, quamvis sint proximi Tropico Cancri, nam æqua est illis fere diei toto anno nox, de aurea illorum incolarum ætate, de moribus referunt. Urbem condere Colonus, uti ad me nuper scripsit, nostras sementes jacere, animalia nutrire nostratia, incipit. Quid jam mirabimur Saturnos, Ceceres & Triptolemos, nova inventa hominibus præbuisse? Quid Phœnices ut Sidona, ut Tyrum conderent? Quid Tyrios ipsos, ut alias regiones inhabitarent, ad alienas terras migrasse, novasque urbes erexisse, novos populos formasse? Miratur gens illa tubarum tympanorumque sonitus, machinarum stupet tonitrua, equorum gressu, cursu, ornatu mussitat, hæret ab omni rerum nostratium adspectu. attonita pendet ore aperto. Ex cælo missam gentem hanc putant, sed tunc pro Diis colere nostros cœperunt, quando captos ex itinere septem Canibales cum eorum Regina, qui eos comedunt, trucullentos ostenderunt, vinctos etiam horrore summo cum pavore videbant. aversa illos facie spectabant. Hispaniola hæc insula, folii castaneæ formam æmulatur. ajunt è septentrione arcticum elevari polum gradibus sex & viginti, à meridie vero unum & viginti, ab oriente ad occidentem produci inquiunt, & elongari sphæricæ longitudinis gradus decem novem. A Gadibus per occiduum distat gradus, ut ajunt, qui accurate rem dimetiuntur, novem & quadraginta. Hæc pauca nunc habeto, habiturus aliquando plura. Et vale. scribo ista, non quando accidunt, sed quando à te de mea evocantur officina. IV. Calend. Januarii, M CCCC XCIV.

EPIST. CLIII.

Paradoxa Platonica.

P. M. A. M. Garsiæ à Toleto, Ducatus Albensis hæredi, discipulo.

TE angi cruciarique animo, inquis, quod à tuis condiscipulis, & meo contubernio tamdiu absis, tum quoniam coævorum æqualiumque, quod est naturæ amicissimum, ita commercio delectabare, ut nulla re magis, tum quia suspicaris veluti rota posterior à tergo illos quibuscum pari gressu in nostro Olympo certabas, subsequi postmodum cogaris. neutrum te fallit, & suavi cares ephebus naturæ gustu, tetrico patri inhærens, longe ab ephebis. Et tui jam condiscipuli, ex quo te à nobis genitor abduxit, multa ex officiis Tullii, & ejusdem orationibus non pauca, suxerunt. Novæ Rhetorices secundum fere librum exegimus. Solutæ namque orationi annum hunc impendere est animus, quom duos egerimus præteritos vatum ænigmatibus enucleandis. Quare si genitorem tuum reditum ad Curiam dilaturum senseris, supplex ab eo petito, ut te remittat, pretiosiora esse multoque meliora, quæ ex Sapientum libris colliguntur, quam quæ ex opimis avorum patrimoniis exspectantur, proclamato. Æterna illa, dulcia, cælestia, incorruptibilia genitori esse arguito. Ista vero mortalia, venenis malis imbuta, terrena, corruptibilia esse illi dicito. Cum sit expers literarum, penitus hæc ignorat. quid tibi auferat, non intelligit. conqueritor apud eum, tantam decoctionem ne tibi filio charissimo pater invideat proponito. Hæc si tu feceris, paternam forte avaritiam vinces, neque enim alia (ut arbitror) de causa te extra Curiam tenet, nisi ut Curiales impensas fugiat. interea vero ne desuetudine, rubigine ac situ ingenium torpescat, crebras ad me tuosque condiscipulos, etiam non lacessitus, literas scribito. Si namque priores literas nostras exspectaveris, jam ex debito scribes, nec erit cur tibi debeamus. Amoris namque signum est illud, hoc mercatorium; qui sua sponte aliquid impartitur; amans est. Qui vero provocatus, fœnerator, quia ni accipiat, dare recusat. Et si nihil sese offerat, quod scribi dignum putes; id tamen nihil sese tibi offerre quod scribas, scribito. Hoc erit in lucro saltem, de nostra alterne valetudine certiores invicem fiemus, quod non est parvifaciendum, vicissim nostros recipiendo, quantum in stadio quo tu versabaris, tui currant condiscipuli, ut valeant, quantum te optent intelliges. Iterum ut genitorem calcaribus adigas, repeto. ne te perdat, prostratus orato. acrimoniam aliquando admisceto, conqueritor. Genitorem saltem delectabis, quum te senserit animum habere pronum ad virtutes. sub acrimonia (mihi crede) putabit mentis affectum latere, saccaro dulciorem. majorisque te faciet, & sibi eleganter placebit, quod talem filium genuerit. Coætanei se tibi commendant tui. Vale. Compluti. III. Calend. Januarii, M CCCC XCIV.

EPIST. CLIV.

De Caravaialli galero.

P. M. A. M. Gartiæ Lupo Caravaiallo à Placentia Hiſpano Equiti.

NUper ab Urbe allatæ ſunt ad nos literæ quibus ſignificatum eſt Bernardinum Caravaiallum fratrem tuum, Novæ Carthaginis Antiſtitem, virum optimis virtutibus ornatum, Theologum, ad Ordinem Cardineum, atque id omnibus Cardinalibus cum Alexandro ſummo Pontifice aſſentientibus, fuiſſe aſſumptum. Id noſtri Reges, ob veſtræ familiæ in ſe fida obſequia Alexandro ſacroque Cardinalium Senatui per Didacum Lupum de Haro, Regium Oratorem ſupplicarunt. At tamen non parvo fuit adjumento, ad eum gradum attingendum, quod ea vigeat diſciplina, eas calleat literas, quibus homines ſuperas ædes ingenio tranſiliunt, & noſtræ fidei, ſi quid in eam perfida gens aliqua ſuis pſeudorationibus moliri tentaverint, veritas enucleatur. In eum Ordinem admiſſum collegam exiſtimamus benemeritum, idque ſentiunt univerſi. Non dubito quin ad te quoque literas hic idem tulerit tabellarius, ſed volui ego tanti honoris in domum hodie veſtram conjecti nuncium mittere priorem, ut noſcas me non minori refertum eſſe lætitia, quam teipſum, cuja tantum intereſt. nunc, ſi recto res ordine proceſſerint, ſupremum aliquando Tiaræ triplicis gradum videbimus (modo vixerimus) eum adſcendiſſe. Nullus namque in eo Senatu, fratre tuo doctior, nullus univerſi decoris, nullus Eccleſiaſticæ Libertatis amantior. Aptus quippe ſeſſor hujus ſonipedis habenas perbelle gubernabit. Peto autem à te, ut quando ad illum ſcripſeris, tuis me illi literis commendes, deſque operam, ut in eo, quem fuit aliquando pollicitus, erga me amore perſtet, tuque dum à nobis abſueris, quid per me fieri velis in Curia, jubeto, quod tibi tantoque fratri conducat, id ego libentiſſime complectar. Vale. Compluti quarto nonas Februarii, M CCCC XCIV.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER OCTAVUS.

EPIST. CLV.

Discursus Caroli. Quid Galli de Neapolitanis. Quid & quanto quisque tempore Neapoli imperaverit. Quid Fernandus juvenis. Quid Veneti. Quid Ludovicus.

P. M. A. M. Eneco Lopez Mendotio, Comiti Tendillæ.

INsperata strages, subitaque direptio Italiam invasere. Quacunque perrexit Carolus Rex, in prædam versa omnia, quamvis urbium municipiorumque portæ, nullo obstante patuerint, à vi tamen & injuriis minime continuerunt. Esse namque mites in victos, Italos præsertim, quos, à majorum instituto, capitali semper odio sunt prosecuti, alienum est à victoribus Gallis, ab eorumque natura abhorret. Imperat Carolus eorum Rex, ne cuiquam incommodum inferatur. Sed quis victorum dexteras evinciet? Capua illis iter fuit. Hanc Virgilius Ursinæ domus primarius, & Nicolaus Ursinus Petiliani Comes, ejus propinquus, præsidio servabant. Hi fortunam cadentis Regni timentes, sese Carolo dedunt. Capuam Carolus ingreditur, Duces deditores secum trahit vinctos. Neapolim profectus, à civibus, ejecto Fernando juvene, suscipitur. Haud minus libere jam hoc tempore, qui est anni quinti & nonagesimi mensis Januarius, Neapolim Galli perambulant, ac si ab avitis eorum sceptris nunquam discessisset, ac si Lugduni agerent, nisi solitam in Neapolitanos sævitiam exercerent. Jubet Carolus Rex magnanimus profecto, pœna etiam capitis apposita, ut abstineant, ast incassum. Audiunt milites edicta, faciunt assueta. à se clitellam veterem ejecerunt Neapolitani, uti moris est eorum, novam sumpserunt. His Roma CXXXV. annos imperitavit. Germania LXXVI. Gallia CLXXVIII. Arragonia LXXIX. Fernandus Rex ejectus, in Isclam insulam secessit, quæ Neapolitano portui proxima est. ibi dies paucos, rerum eventum exspectans, quom omnia ire in præceps cognovit, ne classe Gallica obsideretur, Messanam in Siciliam (uti relatum est) quo pater prius profugerat, trajecit. Reliquæ Regni urbes oblatis clavibus certatim concurrunt. nil relictum est Arragoneis Regibus, præter paucas arces in Calabria. Veneti simul & Ludovicus Sfortia Dux Mediolani, nostris Regibus id suadentibus, cum generalem videant perniciem, ni surgentem ignem protinus exstinxerint, in Carolum conjurant. imponere jam Leges omnibus Carolus cogitabat. Classem qua se in Turcas trajicere velle ajebat, à Venetis, eorum impensa instructam, poscebat. Veneti se dare Leges esse solitos, non accipere à quoquam respondent. Excedat lubens ex Italia, Carolum exhortantur. si detrectaverit, arma exspectet Veneta, cum cæteris, ad quorum natus est incommoda. Dum hæc à nostris ad Carolum geruntur, Ludovicus Dux Aurelianensis, Carolo si discesserit sine maribus, successor, qui Genuæ ad comparandam classem, qua mari etiam gereretur bellum in Neapolitanos relictus fuerat, Novariam urbem, Januensi provincia relicta, cepit, per civium proditionem. Hi erant Ludovico Sfortiæ infensissimi propter gravia tributa. Se ejecturum Ludovicum Sfortiam, è Ducatus Mediolani gubernaculo, Aurelianensis, quia ad se pertinere dicat, minatur. Ludovicus Sfortia nil ultra dubitans, apertas in Carolum, qui talia concesserit, inimicitias provulgat, quoscunque potest in Carolum concitat. novum exercitum instruit. Novariam, in eaque Aurelianensem Ducem obsidet. Veneti, Ludovico suppetias ferunt, Mantuæ Marchionem generalem eorum imperatorem cum suis copiis ad obsidionem Novariensem mittunt. Carolus de discessu suo ut in Galliam, relictis in Regno aptis præsidiis, redeat, cogitare dicitur. Hæc per tabellarium, qui nuper ab Urbe ad nos venit, ab amicis relata sunt. patruus hic tuus rubro insignitus galero, lux nobilium Hispanorum, graviter ægrotat Guadalfagiariæ. Nos Compluti agimus, ad lapidem (uti nosti) quintum decimum ejus eventum exspectamus. Medici parum sperant, mœsti vivunt tanti viri valetudine

dine Reges. Vale. Compluti. pridie nonas Januarii, MCCCCXCV.

EPIST. CLVI.

De gradibus Hispaniolæ. De illarum terrarum & cæli natura. De modo vivendi. de Regulis & domibus. sunt nudi.

P. M. A. M. Pomponio Læto, Viro singulari doctrina, amico dilecto.

VIs, Pomponi mi charissime, ut latius, ut capacioribus tibi tabellis minuta quæque de Novo Orbe recitem. non detrecto mandata tua, vir insignis, sed eo pedibus in jussa tua. Vis locorum tractus? vis longitudinis & latitudinis gradus? vis terrarum & gentium naturam? De his omnibus non multis ante diebus ad te scripsi: sed cum (uti video) intercepta fuerit epistola, aut forte, si portum attigit, cum hæc tua à te dimitteretur, nondum tibi fuerat in portu porrecta, brevibus pauca repetam. Scripsi longitudinem ejus esse graduum polarium, decem & novem. latitudinem quanto distare ajunt à Gadibus per longitudinem orientalem, gradus quadraginta novem, non recta tamen penitus ad occidentem. elevatur enim Gaditanis polus gradus nondum sex & triginta, insularibus vero illis unum & viginti à meridie, à septentrione vero sex & viginti. varii tamen de gradibus varia sentiunt. stellæ polaris motum errorem istum arbitror enutrire. sunt namque qui tollant, quique augeant rationem utramque. terræ illius natura fortunatur uberrime. Quantum preciosis rebus abundet, scripsi alias. Radicali patriæ illius pane vesci malunt nostri quam triticeo, quod sapidi sit gustus, faciliusque stomacho concoquatur. utrumque sunt experti. ajunt à nocte toto anno parum discrepare diem. nec sphæræ ratio adversatur: nec vigere ibi calores immensos, nec ulla frigora, inquiunt. Id arbitror accidere propter imbres quos ajunt cadere creberrimos, aliter enim cum sint æquatori proximi, æstuarent acriter. arbores esse ajunt proceras, altissimas. herbas in pratis ita densas altasque enutriri, ut pedibus aut equo nequaquam iter ad illas findere possint, armentaque ibi nostratia nasci corpulentiora, majoraque multo evadere, propter pinguiora pascua referuntur. Hortensia sataque reliqua, ad illos allata, mira temporis brevitate, coalescunt. cucurbitæ, melones, cucumeres cæteraque hujuscemodi à jacto semine intra diem sextum & trigesimum, comeduntur; lactucæ, raphani, boragines cæteraque id genus olera intra quindecimum. Ex vitium satione, secundo anno se ajunt suaves uvas collegisse. Cannas ex quibus saccarum extorquetur, intra diem vigesimum prodire cubitales prædicant. uterque sexus universa in insula nudus agit, præter corruptas mulieres, quæ femoralibus quibusdam gosampinis pudenda tantum contegunt. suos habet quæque provincia Reges. Domos habent sphæricas, ex diversis trabibus constructas, palmarum foliis, aut quarundam herbarum textura contextas, à pluvia tutissimas. trabium fixarum terræ ita coëunt cuspides, ut castrenses æmulenter papiliones. ferro carent. Ex fluvialibus quibusdam lapidibus fabrilia formant instrumenta. lectos habent pensiles, gosampinis quibusdam lodicibus, ad trabes deductis funibus, lodici alligatis. Funes ex gosampio vel herbis quibusdam sparto tenacioribus contorquent. Vocor ad Curiam, disceditque tabellarius. Ignosce si sum brevis, & propterea obscurus. Vale. Compluti in Oretania. IV. Idus Januarias, MCCCCXCV.

EPIST. CLVII.

Epilogi rerum gestarum. nostri Reges Catholici *à Pontifice appellantur.*

P. M. A. M. Ferdinando à Talavera Archiepiscopo Granatensi.

QUid hoc sit, Præsul mi sanctissime, ut ad Comitem Tendillæ collegam tuum in istius Regni habenis gubernandis, sæpissimas dederim literas, ad te autem raras, percunctaris. accipitribus, quæ sunt adspersa cruore cibaria, porriguntur: mitibus autem columbis, triticea vel his consanguinea grana; si abunde præbuerit annus, aut cum hæc defuerint, amaræ viciæ sementes sparguntur. Ad Comitem propterea, quia Auratus est Eques, & clarus armorum ductor, quæcunque memoratu digna ex Italia sunt allata, consilium est scribere, quia illi isthæc audire conveniebat. quæ vero tuas aures attingere merentur, ad te directa præsertim ad hunc usque diem nulla evenerunt. Ast impræsentarium, Epilogo brevi est animus tibi quædam sanguine (quamvis funesta) haudquaquam madida significare. Quantum sit humanis bonis, quæ tu parvifacis, titulorum utpote ac potentiæ illecebris, parum fidendum. Fernandus primus ejus nominis in Regno Neapolitano, qui dolore animi, quom jam cerneret, Duce Ludovico Sfortia, moventem arma Carolum Regem Gallorum

lorum putans evitare, Regno abdicavit, in Siciliamque trajecit. postremo Fernandus II. hujus Alfonsi filius hæres, Regno nuper. spoliatus, nullo in Carolum arma capiente Ista latius ad Comitem, qui te (ut arbitror) omnium, quæ novit, participem facit. tu autem hæc qui illi versa vice referas habeto: nisi per familiarem suum aliquem ista prius assecutus est. Alexander VI. Pontifex Maximus Regem & Reginam Dominos Hispaniarum, quod Maurorum sævitiam ex Bethica eruerint, Regnum Granatense suæ ditioni subjecerint, Judæos eliminaverint, Hæreticos attriverint, fidei denique nostræ terminos sua bonitate propagaverint, ex suo plumbato membraneo chirographo *Catholicos* vocat. Novo igitur titulo posthac illorum nomina ornabimus, *Catholicos* appellabimus, & jure merito. Vale. Compluti nonis Februarii, MCCCCXCV.

EPIST. CLVIII.

Mors & laus Card. Petri Gonsali. Cedit Helisabeth vidua voto parentum. Affinitas cum Cæsare. de Antipodibus pauca.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

NOlui ad Comitem ista, quæ nunc referam, scribere, ne subitus illum dolor conficeret. Accitum collegam tuum, priusquam adventent aliorum literæ, quæ sunt in itinere (si illum amas) solator. circumito. communem esse sortem hanc moriendi, & necessariam disputato. Æquo animo ferenda, quæ suo natura trahit ordine, prædicato. Sapientis esse accommodare se necessitati, suadeto. Sed quorsum tendas cave intelligat, donec aperiendi quid velis tempus esse duxeris. Periit patruus ejus Petrus ille Gonsalus Mendotiæ Domus splendor, & lucida fax; periit, quem universa colebat Hispania, quem exteri etiam Principes venerabantur, quem Ordo Cardineus collegam sibi esse gloriabatur. Hæc ad te, mi Antistes, sed amaram hanc viciam, induxisse tibi nauseam sentio: triticeum aliquid suave exspectes, æquum est, candida columba; aures præbeto. Helisabetha Regum primogenita, ex hærede Regni Portugaliæ vidua, quam parentes cupiunt inire nuptias cum Emanuele (post Joannis Regis mortem) Portugaliæ Rege, recusat. cedet tamen aliquando. instant namque justi parentes. Cum Maximiliano Romanorum Rege duplici propediem adstringemur vinculo. Filiam namque ipsius, filio unico dabimus uxorem, ejusque unicam nostro Principi adjungendam accipiemus. nollet Gallus. rem disturbare per mille ambitus intendit. tantam namque potentiam, grandi sibi fore periculo à longe videt, sed frustra laborat. est fere in tuto res. Ex Antipodibus indies, magis ac magis grandia referuntur. Prætermitto de opibus, quæ tibi sunt parvæ curæ. ad Christianam religionem hominum ventura multa milia speramus. & cum hoc suavi postico margine cœnæ valeto. Compluti. propediem hinc discedemus, ut Burgos proficiscamur. XVIII. Calendas Februarii, MCCCCXCV.

EPIST. CLIX.

De morte Comitis Ioannis Borromei. Vide quid ferat longa ætas. Quid sit Italiæ status. Oratores à Venetis & Ludovico veniunt.

P. M. A. M. Tendillæ Comiti.

INdies magis ac magis, quid sumus, alienis casibus edocemur. Joannes Borromeus, vir ille inter Mediolanenses Optimates primas, titulo quo tu insignitus, multorum oppidorum Dominus, qui adventanti tibi à Pontifice Innocentio Mediolano obviam, ut te honoraret, exivit, concessit naturæ. Vidistin' Comes Illustris, hominis corporalem habitudinem & eximiam elegantiam? Si familiarius cum illo versari aliquando datum tibi fuisset, ut mihi qui à teneris eum intus & in cute novi, meliora multo atque elegantiora, quæ latebant, judicasses. nil tamen illi profuerunt opulenta majorum testamenta, non ornamenta titulorum, non quæ potiora erant virtutum in eo amplissima insignia, quin ab hominum abiret commercio. Verumenimvero, si viri humanitas, qua in te usus est, si bonitas, qua summo opere vigebat, te forte pellexit, ut illum diligeres, sortem ejus minime collachrymator. non potuit felicius animam superis, à quibus illam mutuo acceperat, reddere. Si namque diutius vixisset, multa indies, quæ videre molestissimum esset, conspicere illum irata in Italiam Fortuna coëgisset. Quas perturbationes, quos dolores afferat longa dies, quid attrahat hominibus adveniens senectus? dicant non à longe Nestor, non Priamus, non Pompejus, sed exemplo priori Fernandus Rex primus Parthenopeus, qui gravante senecta solicitatos in se videt Italiæ Potentatus, & Galliam universam ad sui perniciem, quam cum præsentaneam cerneret, vitæ tædio confectus, animam exhalavit. Dicat & filius ejus Alfonsus, vix bene coronatus, è Regno profu-

giens. testabuntur & propediem alii complures, nisi verterit aversam faciem ab Italia Altitonans. Quom igitur vir hic eximius, nil dulce, nil jocundum, spectare ultra posset in vita, quia trucibus aquilonibus Itala navis inter diros scopulos agitetur, quandoquidem, si non exacta, matura tamen ætate vivebat: nam quinquagenario durior; optime cum illo actum, quod hoc tempore sublatus sit, judicato. De rebus exteris hoc habeo, quod tibi impartiar. Postquam opima illa patrui tui magni Cardinalis anima excessit à mortali fece ad nitidum illum alterius vitæ candorem, Burgos profecti sumus in veterem Castellam. Adsunt, Comes Illustris, destinati Oratores à Ludovico Sfortia & Dominatu Veneto, pro Ludovico Archiepiscopus Mediolanensis, & Baptista Sfondratus ipsius Ludovici consiliarius, literis utriusque Juris clarus; pro Venetis Franciscus Capellus & Marinus Georgius, ambo nobili familia orti. Quid ferant in mandatis, scire cupis? Fœdus icturi cum nostris Regibus in Carolum. Olfaciunt namque, se in cæcum errorem incidisse, quod Gallos in Italiam traxerint; cuperentque, si quirent, injectam sibi sarcinam excutere. facti pœnitet, ast sero. Curia se accingit, ut ad Aragoniam proficiscatur. Tu interea vale. Burgis. IV. nonis Aprilis, MCCCCXCV.

EPIST. CLX.

Bernardinus Caravajalus fit Cardinalis. De Petro Gonsalo Cardinali. De Francisco Ximenez confessore. De Indis. De Oratoribus & Gallis.

P. M. A. M. Bernardino Caravaialo, Cardinali ex Placentia Hispana.

Rubro te galero Alexander VI. Pontifex Maximus insignivit (uti scribis) æquum nobis visum est, ut jam tandem ex ejus manibus tale aliquid prodiret, ut scilicet virum aliquem ratione dictante Senatui admisceret Cardineo. Quandoquidem appetitu urgente multos erexit, quos taceo. Gaudebimus nobis tibique gratulabimur, si eundem servaveris in nos animum ex alto, quem quom ex nobis unus eras pollicebaris. velles ut tibi quæ accidunt in Hispania significarem, nollem cuiquam injuriam facere. Ascanio ista quondam, & dum vixit, Arcimboldo Cardinali Mediolanensi, scribebam. cum uterque mihi deesset, morte ita volente alter, alter à seipso, postquam in Italiam Gallos vexit, abdicatus, extorris, stupidus, ad alterius generis heroëm Pomponium Lætum, cujus ego literas non minoris facio, quam centum Fortunæ illecebras, & ad Bracharensem Pompelonensemque Antistites, quia dum essem in Curia, discipulos, mittebam, quæ de Antipodibus ferebantur. Illa nunc tibi quæ supervenient, donec habere te in Curia Regia procuratorem aliquem sentiam, scriptitabo; hac lege tamen, ut horum nemo prætermittatur, quin per te de his quæ scripsero, fiat certior. Quæ ad illos hactenus scripsi, ab eis exigito. Nauseam namque mihi summam incitat, idem velle repetere. Habe igitur quæ subsequentur, de his nuper inventis. Cætera quæ surgunt in Hispania, tam parvi sunt momenti, ut nec illa scribere ego velim, nec deceat aures tuas rumoribus aut inanibus vel pusillis fatigare. Diversi navium ductores ad diversa alterius hemisphærii littora missi sunt. Quæ reportabunt, per me si vixero, intelliges. Quid agitemus, velles (uti scribis) intelligere. Advertito: magnus ille Cardinalis Mendotius, qui te cæteris præposuit apud nostros Reges, ut iste ruber galerus à Pontifice petendus tuo capiti imponeretur (uti nosti) mense Januario concessit ad superos. Eo vita functo, Burgos, urbem in Castella veteri tetendimus. Franciscum Ximenes cucullatum, ordinis crepidalis, Reginæ, ut vulgus vocat, Confessorem ad eam Antisteam, ut te scire arbitror, designarunt. Ajunt homines esse virum, si non literis, morum tamen sanctitate egregium. reipsa qui sit, nondum intelligo. Versatus est enim hactenus parum in Curia, quæ mutare solet interiorem hominem. Advenientes à Ludovico Sfortia Duce Mediolani, post nepotis interitum, & à Venetis, Oratores, nostri Reges honorifice susceperunt. dein, ut Galli sævientis cogitatibus occurrant, quoad fieri poterit, in Aragoniam ad habendos in illis Regnis Regi hæreditariis conventus, à quibus pecunias & arma exigant, in Gallos perrexerunt. Hic nunc agimus, Comitia quotidie fatigant Aragonica, ut postmodum cæteris, Valentinis utpote ac Lalætanis inhæreant. Propediem hæc perficientur. bono namque sunt erga Regem animo. ad reliqua properabimus. urget namque Gallus ferox, & nostros fines, qua sumus illi in Narbonensi provincia finitimi, per suos milites perturbare intendit. Tu vale. ex Cæsar-augusta III. Idus Junii, MCCCCXCV.

EPIST.

EPIST. CLXI.

Conspiratio in Carolum. Redit Carolus. Mors Zizimi. De Pisis. De Helvetiis.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio, Tendillæ Comiti.

LOngo te novi, Comes Illustris, experimento pollere memoria. Propterea prosequar de rebus Italis, quo ad te superioribus diebus ordine cœperam, nil de anteactis repetere curans. Carolus Rex; ubi sensit agi de ipsius ruina, quod hactenus memoravi, Ludovicum utpote Sfortiam Mediolani Ducem, simul & Venetos in eum conspirasse, ex Sicilia nostrorum Regum nomine arma parari, ex Hispania Gonsalum Fernandum Aquilarium Cordubensem tibi amicum militiæque collegam, dum starent Granatensia castra, in Calabria cum plerisque Hispanis equitibus terram captasse, Regni proceres factionis Aragonicæ, quid sors ferat, exspectare, mense Majo hujus anni quinti nonagesimi ex urbe Neapoli, priusquam intercipiatur, ut in patriam redeat, instructo exercitu discedit. Gilibertum Bompenserium Gallicum Equitem, in urbe Neapoli Proregem Obegniniumque virum bellis industrium in Calabria, statuit cum præsidiis, quæ satis rei factura putavit. Zizimum magni Turcarum Principis fratrem, quem habuerat à Pontifice, mortuum in Regno reliquit. Pisis, quam urbem transiens libertate donaverat, moratus aliquamdiu Rex, de illa reddenda Florentinis in servitutem, quibus eam ademerat, cogitavit, ut ab eis pecuniarum quandam summam eliceret, quæ deerat ad persolvenda militibus stipendia. Hanc urbem nostri maris & multorum Regnorum quondam dominam, octo & octuaginta jam annos Florentini oppresserant. Ne tale facinus admitteretur, obstiterant milites Helvetii, qui Gallico stipendio militabant. De se fuisse Pisanos, quom illo iter facerent, ad Regnum Neapolitanum, optime meritos inclamitant, se nullo pacto passuros, ut prodantur, hostibusque suis infensissimis diripiendi præbeantur. nec defuisset quippe ultimum internicium. tantum viget inter ipsos odium. Materonem Cardinalem, ipsius Regis quondam scribam, falacem numorum olfactorem, rem hujuscemodi tractantem, digladiare turmatim tractarunt, cunctaque in eum Helvetia murmura surrexerunt, & vix evasit. Helvetii, se sui stipendii solutionem exspectaturos in aliud tempus offerunt, ne Pisani in luporum fauces ejiciantur. hæc habemus. Vale. ex Cæsar-augusta. Idib. Junii, M CCCC XCV.

EPIST. CLXII.

Conflictus apud Fornovum. Carolum Ludovicus servat.

P. M. A. M. Inacho Lupo Mendotio, Tendillæ Comiti.

PAucis ante diebus ex Augusta Cæsarea scripsi ad te, Pisis esse Carolum redeuntem in Galliam. Conventu Aragonico peracto Tortosiam nos contulimus. Hic per cursores intelligimus, re Pisana, quam tentaverat, infecta, Carolum Apenninum transiliisse, ubi ad radices Apennini in Liguriam ad Forum novum ventum est, Ludovici Sfortiæ, una & Venetorum exercitus, Duce Marchione Mantuano, Carolo occurrunt; relictis in obsidione Novariensi quantum suppeteret copiis. instruunt acies utrimque, collatis signis confligunt. impedimenta præmittit, utili stratagemate, ex Trivultii consilio Carolus. Janiceri (hi sunt equites levis armaturæ) sese impedimentorum prædæ implicant, pugnam deserunt. tormenta multiplicia Galli supposito igni solvunt, primarios in acie Veneta perimunt multos, atrox pugna committitur, luctuosus Mars insurgit, utrimque multi trucidantur. numerosa nostrorum multitudo Gallorum tandem superavit paucitatem. profligatur Carolus. invitis tamen hostibus profugit, transiliit Tarrum fluvium. Nolens Ludovicus Sfortia Galliam in se concitare, intercipere Carolum (cum potuisset, uti creditur) veritus est. Imo & alimenta præbere evasis, per suæ ditionis terminos, imperavit. Carolus in Hastam oppidum tandem ad Alpium radices profugit. cuncta amisit, suisque à tergo majori ex parte relictis, cruentissimam hostibus reliquit victoriam. Hæc impræsentiarum. Et vale. Tortosiæ. Calend. Julii, M CCCC XCV.

EPIST. CLXIII.

Quam mutatus Ascanius. Protestatio de non scribendo. De fratribus bacchantibus.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

COnquereris, quod scribere ad te desierim, Princeps Illustrissime, Putavi supervacaneum fore, truculentis bellis implicito, lucrosa pacis munera destinare. Scio

te esse alienum, exulem, eliminatumque penitus à te ipso, ex quo te ad Italiæ perniciem, & tuæ domus ruinam propter fratrem Ludovicum accinxisti. Non es tui juris, minime tibi curæ esse possunt, quæ scribere quirem ex Hispania, cum non didicerim aërem viva voce frustra percutere, neque dare dexteram chartæ perituræ. Diverterunt ad liberos epistolæ meæ. quamobrem si de nostris nuper inventis Antipodibus ociosus aliquando velles intelligere, ut Bracharensis & Pompelonensis Antistites tibi familiares, suas & ad Pomponium directas epistolas ostendant, jubeto. Tibi vero si quicquam jusseris, respondebo tantum. Nollem enim importune dari meas, ne & ego importunus earum causa judicarer. Laurentium Vaccam Sancti Spiritus Segoviensis commendatarium, Hispanum virum, tibi familiarem, ut meis Regibus commendem, imperas. Qui è cathenis & carcere, quibus jussu Regum vinctus tenebatur, elapsus, ad te confugit, ut in gratiam redeat, ut illi ablata domus, & detenti redditus, restituantur, petis, longæ sunt ambages, vivaces causæ, cur haudquaquam debeas conqueri. plures latent. Iste rem suam, ut sibi putat conducere, enarravit, sed si Reges audires, supplicio dignum judicabis. Intendunt mei Reges lasciviam flaminum Franciscorum conventualium, qui haud secus contra jus fasque, contra jusjurandum, in opprobrium nostræ religionis debacchabantur, ut solutissimi petulantes, restringere, frenare, atque in ordinem institutæ professionis ipsorum, redigere: tuus autem iste Vacca Laurentius, sub prætextu cujusdam Pontificiæ concessionis, qua se posse, inquit, cujuscunque habitus religiosos, ad solutum Sancti Spiritus habitum suscipere, prosternebat omnes cogitatus eorum. Nemo erat qui non refugeret sui institutoris jugum subire, cum in hoc homine Libertatis medelam reperirent. Solvebat omni vinculo quos vincere suo promisso Reges nitebantur. quæ pœna posset huic incuriæ digna, rependi? Tuo tamen ego jussu Franciscum Ximenez Toletanum Archipræsulem, virum sanctimonia probatissimum (ut ajunt) ejus regulæ Franciscææ Provincialem, uti fama est, integerrimum, Reginæ (ut vulgo dicitur) confessorem pœnitentiarium, tantæ rei motorem, adivi. Veniam tuo nomine Laurentio Vaccæ deprecatus sum. Is ad me fronte rugosa conversus, inquit: *Hominem istum, Petre Martyr, qui tam sancta Regum decreta fuerit ausus commaculare, tueris?* Minatusque mihi est Reginæ odium, si verbum ullum pro eo fecero. Hic vir, Princeps Illustrissime, hic est, cujus consilio cuncta nunc in Hispania gubernantur. Is enim, quia vivacis ingenii, quia gravis & sapiens, quia sanctitate cœnobitas, eremicolas anachoretasque omnes superet, apud meos Reges tantæ autoritatis est, ut nunquam ullus apud eos tantam fuerit consecutus. Nefas esse putarent hujus consiliis contraire, non ab homine putant, quæ hic loquitur, emanare, finis tamen est rerum judex; nec aliter tu, Princeps Illustrissime, si tecum versaretur, de viro sentires. spero tamen, me aliquando illum placaturum, si hæc deviantium fratrum reformatio desierit ebullire. Impræsentiarum quo acrius instaremus, eo gravius in me concitaretur. Reges autem alloqui, hoc viro, qui princeps est hujus rei gerendæ, non prius pacato, supervacaneum foret; lavaremus laterem. Ergo vale. Tortosiæ. nonis Augusti, M CCCC XCV.

EPIST. CLXIV.

Mira de Orbe Novo.

P. M. A. M. Bernardino, Cardinali Hispano generoso.

FActurum te participem eorum, quæ scripsero ad meum heroëm Pomponium Lætum, & Bracharensem & Pompelonensem Antistites, auditores quondam meos, è quorum faucibus tu, quia potentior es, cibum arripis, fuisti pollicitus. vidisse te scribis, quæ ad illos missa sunt de Orbe Novo. alias igitur oras, atque alia litora percurramus. Ex Hispaniola quam Admirantus ipse Colonus, tanti Autor inventi Offiram Salomonis aurifodinam putat, in aliam ad Occidentem provinciam trajecit, cujus initium ab ultimo Hispaniolæ angulo, tractu distat exiguo. septuaginta namque millia passuum, inquit, cuneata est hæc regio, quam vocant incolæ *Cubam.* latus meridionale hujus terræ Colonus arripit, ad occidentem septuaginta se continuos dies naturales, per ejus terræ litora navigasse, ad me scripsit. reversus namque est ad Hispaniolam, ibique pedem fixit, & nuncios ad Reges de suo regressu destinavit. curvari ad meridiem ejus litora terræ plurimum scripsit, ita ut se proximum aliquando reperiret æquinoctio. A læva innumeras se vidisse insulas narrabat. hujus magnæ telluris littoribus in mare advertit cadere flumina multiformia; frigida hæc, illa calidissima; dulcia pleraque, alia saporis alterius. In plerisque piscium ingentem copiam, alibi multa conchylia, ex quibus uniones abraduntur, invenit. per maria se transisse inquit; testudinibus

dinibus puta majoribus fere condensata. per vadosa, lacteque albiora alia, perque torrentes inter insularum angustias gurgites, iter se fecisse dicit; per etiam turbida cœnosaque alia prædicat. Per inferiorem nobis terræ ambitum majorem se ignoti orbis partem percurrisse putat. Nec existimat se duas integras ad Auream Chersonesum orientalis termini metam horas solares, reliquisse. Nosti enim, Reverendissime Purpurate, cum doctrinæ omne genus optime calleas, pro incognito hactenus fuisse relictum, quicquid à Gadibus nostris ad Auream Chersonesum, per inferius hemisphærium trahitur. Hanc ergo terram Admirantus iste, se humano generi præbuisse, quia latentem invenerit sua industria suoque labore gloriatur. Indiæ Gangetidis continentem, eam esse plagam contendit. nec *Aristoteles*, qui in *libro* de *Cælo* & *Mundo* non longo intervallo distare à littoribus Hispaniæ Indiam, *Senecaque* ac nonnulli ut admirer patiuntur. Falcatis portubus regionem hanc esse fultissimam dicit; & in ternis grandibus animalibus plenam esse, illorum vestigia, quæ descendentibus cernere erat, indicabant: in mari vero stantibus, horrendi per. noctem auditi mugitus; magnam esse plagam testabantur. per suos interpretes insulares, quorum idioma proximum erat hujus terræ idiomatibus, nullo in loco desinere terram didicit. pro certo igitur habet esse continentem. Nudos tamen & reperit eos incolas, veluti insulares diximus. Paucis in locis ne moraretur discursu tantum, ex præcepto Regum, contentus, rediit in Hispaniolam, unde se propediem ad Reges venturum, ut late rationem de inventis reddat, pollicetur. cum amicis ista meis conferantur. Et vale. Tertosiæ. v. Idus Augusti, M CCCC XCV.

EPIST. CLXV.

Diversorum negociorum Responsiva & Commendatitia.

P. M. A. M. Ascanio Sfortiæ, Vice-Comiti, Vice-Cancellario.

PRidie Calendas Junii hujus anni quinti & nonagesimi, exaratas Romæ attulit ad me quidam ignotus homo binas ab amplitudine tua literas, per quarum alteram, Joannem de Medrano familiarem tuum mihi commendas, ut in ipsius negociis illi adsim & faveam. ad hanc usque diem talis mihi vir nusquam occurrit, quando venerit, fungar officio fidi clientis. Altera, ut literas meis Regibus porrigam tuas, quarum exemplar ad me apertum mittis, quibus Petrum Ransanum Panormitanum virum, tuum (ut vulgo dicitur) confessorem, sacræ Theologiæ magistrum, facis summopere apud illos commendatum, petisque, ut tantarum virtutum memores, in incola suo præsertim, ad Episcopatum, cujus paucis ante diebus antistes interiit, Cathinensem illum velint promovere. Sero advenerunt literæ tuæ, Princeps Illustrissime. Multo namque prius Francisco Pratensi, viro Orionalo, Nuncio Apostolico apud eos, Antisteam istam sunt impartiti. Imo & chirographa jam membranea Pontificia plumbata hic habuerat, quom tuas ad me ignotus tulit literas, Regi tamen placuit audire de hominis virtutibus. protendi ego namque sermonem, de hominis eruditione, cæterisque virtutibus, quantum licuit. Pollicitus est mihi Rex, se pro tali viro Pontifici supplicaturum, si à vobis certior fuerit in Sicilia Antisteam aliquam carere pastore. arrigat igitur aures Petrus ipse Ransanus, affines, propinquos, amicos quoscunque excitet, evigilare faciat, nos moneat, & voti compos efficietur propediem. Decanatus vero Tudelanus Cantaber, de quo alias tibi significavi, meos Reges facturos Regi Navarræ, quæ partim est Cantabria, partim Vasconia, ad ipsum Joannem Cabagnas, cui tu cupis, deveniet. solvunt namque manum mei Reges (ut vulgo dicitur) & provinciam deseruerunt, tum rogatu tuo, tum quia Pontificem Alexandrum nullo pacto deduci posse à Joanne Cabagnas senserunt. cætera ad ociosos. Et vale. Tortosiæ. XII. Calendas Septembris, M CCCC XCV.

EPIST. CLXVI.

Negociativa Moralis.

P. M. A. M. Petro Ransano Panormitano, Ordinis Prædicatorum Theologo.

QUantum divinis valeas Legibus, testantur de te Ascanius herus noster & Panormitana Respublica: quantum eloquentia, tuæ literæ indicant. cogunt ista ad amicitiam, animorumque vinculum, sed tibi succenseo, vir insignis, tuamque accuso negligentiam. In re tanti momenti, post quartum ab inscriptione mensem adsunt literæ. post vindemias (uti est in Hispano proverbio) cophinos attulisti. Jam senescunt Pontificia de illius Antisteæ electione, chirographa

grapha plumbata, in scrinio Francisci Pratensis Oriolani Apostolici in Hispania nuncii, meis Regibus supplicantibus. Legit tamen Rex, cuja interest, rebus Siculis providere, Ascanias, Panormitanasque literas. quantum valeas genere, doctrina, moribus, & vitæ sanctimonia, ex utriusque didicit literis. se tuis rebus consulturum, Rex motus tantorum testimoniorum relatu de tuis meritis, promisit, modo mane surrexeris. evigila igitur, ut prior significes. bono est erga te animo Rex: me autem habes, quia sic jubet Ascanius, tuaque virtus cogit, obnoxium. Desiit Ascanius herus noster, cum se bellis atrocibus, Gallos in patriam cum fratre ducere implicuerit, esse liber. Propterea nulla est mihi cura ulterior scribendi ad illum, de his quæ solebam. ociosis ista, liberumque animum à fluctibus habentibus destinanda sunt. Tu, mi Ransane, si mentem cupis explere rebus, quæ nuper evenerunt, de altero hemisphærio, adi Pomponium Lætum, virum eruditum, aut veteres discipulos meos Bracharensem & Pompelonensem Antistites Hispanos, ad quos ista latius scriptitavi. Et vale. Tortosiæ. XII. Kalendas Septembris, M CCCC XCV.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER NONUS.

Epist. CLXVII.

De Fernandi juvenis regressu. de Gallis. de obsesso Duce Aurelianensi intra Novariam. De Carolo. de profligatis Fernando Rege ac Gonsalvo Fernando Hispano Duce. Quid Veneti à Fernando. Quid Carolus in Gallia.

P. M. A. M. Eneco Lupo Mendotio, Comiti Tendillæ.



RAras ire meas ad te literas, jam sæpe conquestus es, ac si camelos Ægyptio Syrioque more cursores, nos habere ad hoc tantum dispositos, cerneres ista, inquis. Solum tunc ad te dare literas soleo, quom ex Italia novi aliquid affertur. id quam sæpe fieri possit conjectator. Pauci veniunt, & ex his plerique taciti, nonnulli etiam literas tantum ex Oratorum, qui rebus Italis incumbunt, præcepto, Regias portant, nullius cujusque alias. desine igitur mirari, si ad te non crebras mittimus, cum ad nos, vel amicos nostros, raro perferantur. Quæ nunc allata sunt, accipe. Fernandum juvenem Regem, cui pater Alfonsus, ex Ludovici & Ascanii consilio, Regni habenas & nomen Regis reliquerat, in Isclam, deinde in Siciliam profugisse, supra memoratum est. Is conflatis quibusdam auxiliis, ex nostra Sicilia Calabrisque paucis, adhuc in fide manentibus, Gonsalvo Ferdinando Aquilario comite, quem in Calabriam descendisse cum Hispanis equitibus, jam diximus, Obegninium Gallicorum præsidiorum ducem, convenit. Certamen est inter eos commissum, pugnatumque est (non diu tamen) æquo Marte. profligati sunt nostri, vix ambo Ferdinandi evaserunt. Strages à Gallis in reliquos facta miseranda. dum ista in Regni Italiæ geruntur calce, in ipsius initio, ab Alpibus gravi premitur obsidione Ludovicus Aurelianensis, Caroli hæres si moriatur sine masculis, intra Novariam urbem. ex oppidis Hasta & Vercellis Novariæ proximis, Carolus Rex se adventurum, cum ingenti Helvetiorum exercitu, nisi obsidione propinquum suum Aurelianensem liberaverint, acriter minatur. Ludovicus Sfortia Dux Medilani, inconsulto Mantuæ Marchione, qui aderat cum suppetiis Venetorum, belli eventum timens, hosti pontem fecit, abire permittit fame jam moribundum. Cives majori ex parte interierunt egestate. Una Carolus in Gallia Narbonensi collocaverat præsidia contra Perpinianum Rosilionisque Comitatum. paucos post inde dies juvenis Fernandus Rex, Neapolitanum portum cum quatuor triremibus ingressus est fere solus; Neapolitanorum amore erga se, & odio ipsorum in Gallos confisus, descendit in terram. territus Bonipenserius prorex, cum cæteris omnibus Gallis, in castellum novum profugit, urbem deseruit. In regem novo delectu Fernandus suscipitur. in fide multas urbes recipit. laboratur utrimque vehementer. Veneti Fernando ad expellendos è Regno Gallos suppetias ferunt, pecunias mutuant, acceptis pignori Brundusio, Hidrunto, ac quibusdam aliis maritimis urbibus. tendunt ad imperium Veneti, nisi eorum cogitatus abscindantur. Fernandus Gonsalus, collectis quos potuit Hispanis ac Siculis, Fernandum Regem nunquam deserit. consilio & auxilio illi semper adsistit. Ita Carolus Italiam reliquit irretitam, ut se exsolvere non possit. ipse vero Carolus nunc in Gallia, ludis & conviviis intentus, otiatur. meis Regibus ad animum infensus, quod ejus cogitata deturbaverint; nil de ferendis auxiliis curans illis quos in Regno reliquerat. multa simul connexui, quia multorum mensium nuncii penuria reclusit nobis algentem officinam. Vale. ex Alfaro. IX. Calendas Maii, M CCCC XCVI.

Epist. CLXVIII.

De Orbe Novo. conclusa cum Cæsare affinitas. quid Regina Navarræ. Quo Rex eat, & ad quid. nos Laureto magna classe mittimus Ioannam ad Philippum virum.

P. M. A. M. Bernardino Caravaialo Cardinali.

BRevi compendio multa complecti, angustoque tibi fasciculo Calidonias stringere

gere sylvas, intendo. Quæ hactenus scripsi, colligito, quæ impræsentiarum emergunt, habeto. Ex Orbe novo attulit Admirantus noster Colonus, ab oris quibusdam, quas percurrit. ad meridiem, ad gradum ab Æquinoctio sextum, unionum orientalium serta pleraque, putat regiones has esse Cubæ contiguas & adhærentes. ita quod utræque sint Indiæ Gangetidis continens ipsum, dies, & per hæc littora, navigavit plures, nec finem aut termini ullum se vidisse argumentum fatetur. *Pariam* ipse tractum hunc appellari ab incolis dicit, populis refertissimam. habitatores, carnibus conchylium, è quibus uniones abradunt, cum reliquis cibis vescuntur. Plerisque in locis, gosampinis femoralibus, pudibunda contegunt, alibi cucurbitula includunt, alicubi funiculo præputium, reducto nervo, ligant, ad mictum tantum, aut coitum solvunt, cæterum & ipsi nudi. Fuit magno nostris argumento, terram eam esse continentem, quod animalibus passim nostratibus eorum plena sint nemora, cervis utpote, apris & id genus reliquis, & ex avibus, anseribus, anatibus, pavonibus, sed non versicoloribus. A fœminis parum discrepare mares ajunt. Sagaces sunt incolæ venatores. quodvis animal sagittis facile transfigunt. spinteribus, tintinnabulis, calculis vitreis, & hujuscemodi artis institoriæ mercibus, uniones alacres permutant. Quorum se copiam ingentem collecturos, si nostri reversuros se promiserint, innuebant. Hæc latius in libris, quos de his tantum inventis scribo. ad alia nunc deveniamus. Superioribus diebus Dertosiæ agebamus, quom à Maximiliano Romanorum Rege, & Philippo ejus filio Burgundo, Flandriæ Comite, venerunt Oratores, ab utroque in mandatis ferentes, ut Joannam secundo-genitam ad Philippum mittamus uxorem, accipiamusque Margaritam, unicam Maximiliani filiam & Philippo sororem, Joanni unico nostrorum Regum mari filio, tot Regnorum hæredi copulandam. fœdera conjugalia jacta sunt. discesserunt oratores. Reges autem Comitia quæ Dertosiæ pro Laletania, hæc est Catalonia, & alterne in Sancto Matthæo, à Dertosia parum distanti, oppido pro Regno Valentino, celebrabantur, dissolvunt. Alfarum oppidum, in Castellæ finibus situm, Navarræ, quæ partim Vasconia, partim Cantabria est, finitimum, adeunt. Ibi qualiter decuit, Navarræ Reginam, ad Reges nostros adventantem, suscipiunt. In hujus Reginæ dotem, Navarræ Regnum cedit. paucos ibi dies commorata, magnis donata muneribus, remittitur. inde nos Almazanum oppidum petimus, unde in Laletaniam, Girundam urbem, Gallis finitimam, ut Caroli Regis, qui in Gallia Narbonensi magnum contra Perpinianum parabat exercitum, cogitatibus Rex obviaret, proficiscitur: Regina vero Lauretum Cantabrium ad Oceanum portuosum oppidum, Joannam filiam, ad sponsum missura, subtristis ob mariti à se discessum, graditur. Classis ingens, qua duæ erant onerariæ naves Genuenses (quas appellant *Carracas*) octoque supra centum aliæ caveatæ instruitur, ut ajunt hominum decem millia armatorum, quia per Gallica litora facturi erant iter, ex Cantabris & Vasconibus montanis deliguntur. duas cum filia noctes in mari Regina exegit. Undecimo tandem Calendas Septembris, anni M CCCC XCVI. vela dant. Filiam aliquantulum collachrymata, quam se nunquam ultra visuram existimat, Burgos urbem ditissimam (quia mercatoria sit) graditur in interna, ibi nunc agimus. Rex in Gallorum fronte præsidiis locatis, ad uxorem, uti pollicetur, propediem revertetur, exspectatur summo cum desiderio. Tu vale. Data Burgis III. nonas Octobris, M CCCC XCVI.

EPIST. CLXIX.

Quomodo ex hominibus homines in belluas mutentur. Quis status urbis Romæ. Salsea trucidatio. Ecclesia procellas flet auctor.

P. M. A. M. Pomponio Læto, Viro insignis doctrinæ.

NAturæ lex est, ut adventantibus per maris invia, majoribus, minores pisces ab eis deglutiantur, ni discesserint illico. Injecit sese medium, tactus arbitror æmulatione, vir clarus iste Bernardinus Caravaialus Hispanus, Cardinea crista coronatus, suisque literis à me petiit, ut quæ ad vos amicos hactenus scriptitabam, ad eum mitterem. Non licuit viri potentis mandata detrectare, se tamen cuncta, quæ ad illum scripsero, tibi nostrisque amicissimis Bracharensi & Pompelonensi ostensurum fuit pollicitus. Doctus est, summisque virtutibus ornatus, non mentietur. effectus est mendacis fortunæ filius, inquis, haud infitior. ergo mendax, ut cæteri illius filii. minime sequitur. distinguendum arbitror, id esse puto adscribendum, his tantum, quos ipsa extollit, quando jocari petulanter intendit, ut in eo reperies ordine plerosque. solent namque istæ prosperitatis humanæ blanditiæ, solent isti honores trabeati ex hominibus, clitellatos sæpe asellos forma-

formare. fateor, sed ex his, quos natura hebetes, quos consuetudo cœnosos porcos, aut efferos leones, vel fraudulentas vulpeculas effecit, intelligendum existimo. Hi virtutum expertes, appetitu regente, sine literis, vitam exigunt inglorii, obscœna præbentes cæteris mortalibus exempla, hic vero, nunc evectus est ad id culmen, virtute media. atque utinam supremum, qui restat excelsæ Majestatis thronum, jam nobis videntibus impleret, Tiphyn haberemus hujus navis gubernandæ peritum, cynosuræ luciferique non ignarum. Portum aliquando hæc misera nostra Christiana Resp. se visuram speraret, quæ jam horrendis propinqua scopulis, illisionem tremiscit. Quid sentire putas illam, cum se oppressam videat, stipatamque perditorum hominum sordibus implicitorum, ac vento turgidorum sentina, qui turbines ingruunt? quæ viget violentia? quæ hora est in Urbe tuta cuique bono? quis locus est ulli hominum præterquam sceleratis? nullum ajunt, qui ad nos ab Urbe veniunt, nullum, qui ad nos scribunt, proclamant. sed quorsum hæc? quid hoc ad superiora? nil quidem. sit satis. quæ ad Caravaialum de Orbe Novo scripsi, exigito; tuque illi dicito, Gallos, qui erant in præsidiis Galliæ Narbonensis, fuisse adortos oppidum nostrum, ex insperato, in Comitatu Rosilionis, in fronte eorum, nomine *Salsas*: illud diruisse, ac trucidasse propugnatores qui inerant, præter paucos, quos ad exigendas ab eis pecunias servarunt. sævierunt in victos more Gallico. Vale. Burgis, pridie Calendas Decembris, MCCCCXCVI.

EPIST. CLXX.

Quam impium sit onere immortali premere beneficia.

P. M. A. M. Ascanio Mariæ Sfortiæ, Vice-Comiti, Cardinali, Vice-Cancellario.

Redditæ sunt mihi literæ tuæ. Ut Chirographa impetrem Regia contra Bartholomeum Ruizium Bethicum hominem petis, quibus à possessione quorundam vulgato verbo *Beneficiorum*, quæ ad te dicis attinere, quia creatus Pontifex Alexander eorum tibi regressum fuerit impartitus, ejiciatur, cum illa, te invito, Ruizius usurpaverit. Si quid sibi juris dictus Bartholomeus Ruizius putat inesse, *ad Cameram* dicis *Apostolicam confugiat*, *ubi aqua lance Ius præstatur universis.* tua sum exsecutus imperata, ad consiliarios me suos, Reges remiserunt. ab eis, causa tua proposita, sum literas Regias assecutus. è possessione dictus possessor ejicietur. Petrus Burgensis Alfonsi de Cannis cubicularii tui, germanus cum literis in Bethicam se contulit, à qua nos millia passuum distamus circiter quingenta, æquum sit an non, *tu videris.* plærique non leviter immurmurant super hujuscemodi Pontificia concessione, de confirmandis regressibus, qui solent per accessum vel decessum exstingui, ne perpetuo premantur onere beneficia. Oh! dices: *Dominus est Pontifex universalis omnium Beneficiorum*, *ex Decreto veteri.* non negamus, sed solidam consuetudinem in adversum in multorum præjudicium infringere, longe esse à recto & æquo disputant; quæ petiisti tamen assecutus es: *tu videris.* Et vale. Burgis. IV. nonas Decembris, M CCCC XCVI.

EPIST. CLXXI.

De nostra vidua & Rege Novo Portugaliæ.

P. M. A. M. Archiepiscopo Bracharensi.

Si quæ optaveris à nobis intelligere, Pomponium Lætum, quem ego ut virtutis, non fortunæ alumnum observo, aut Bernardinum Caravaiallum purpuratum & ipsum doctrina ornatissimum, adibis. ad illum namque, postquam nobis Arcimboldum fata abstulerunt, Ascaniumque ab animi quiete, ad procellosos Gallorum scopulos, diverterunt, destinavi hactenus meas epistolas: tu vero, quia hæc ad te attinent, accipito. Helisabetha meorum Regum primogenita, ex vestro Principe Portugalico, qui lapsu equi currentis in stadio juvenilem animam exhalavit, vidua, se velle virum alium ad hanc usque diem recusavit. sobolem procreet, nepotes ipsis debitos præstet, parentes suadent, orant, obsecrant. mira fuit hujus fœminæ, in abjiciendis secundis nuptiis, constantia. tanta est ejus modestia, tanta vidualis castitas, ut nec mensa post mariti mortem comederit, nec lauti quicquam degustaverit. jejuniis sese vigiliisque ita maceravit, ut sicco stipite siccior sit effecta. Suffulta rubore perturbatur, quandocunque de jugali thalamo sermo intexitur. Parentum tamen aliquando precibus, veluti olfacimus, inflectetur. viget fama, futuram vestri Regis Emmanuelis uxorem. Ita & vos ab exterorum quacunque emersura rabie tuti vivetis, & mei Reges, quia bono Regi, viro miti & placidissimo, aliasque propinquo copulatam sentient, quam unice amant filiam, delectabuntur.

Vale. Burgis. nonis Decembris, M CCCC XCVI.

EPIST. CLXXII.

Quid acciderit naviganti Ioanna Regia filia. Quid Regina; quid homines amantes rem absentem. de morte Regina, matris nostra Regina in Arevalo. de exspectatione Margarita Casarea.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

UNdecimo Calendas Septembris, Romane Purpurate, Joannamj è quatuor unam, quas habent nostri Reges filias secundam ad Philippum Burgundum, unicum Maximiliani Romanorum Regis filium, navim in occiduo conscendisse, velaque cum ingenti classe dedisse, scriptitavi. Burgis adhuc agimus. anxia Regina sese matrem, non minus hoc tempore quo nuncios exspectat, quam absente viro uxorem, ostendit; imo de viro minus solicita, quia fixo pede Girundæ in Laletania, illum esse incolumem, octavo aut nono quoque die, per proprios, qui dispositis equis pervolant hoc iter medium, tabellarios cognoscit; de filia vero cruciabatur vehementer, quoniam incerta, quid imbelli puellæ, rabidi venti, quid procellosi æquoris immensi scopuli, quid demum varia maris pericula, natæ attulerint, Charybdeas illas Britanni gurgitis voragines evaserit, an Belgicas in arctoo Oceano Syrtes, Lybicis nihilo mitiores, trajecerit, incerta torquebitur: non modo illa, quæ accidere solent, hoc Hispanum mare percurrentibus, animo versabat, sed suspiriis agitata, quæcunque possunt evenire timebat. nautas, hujus immensi Oceani peritos, die noctuque apud se habebat, qui venti flarent, quæ causa moræ, quid arbitrarentur, incunctanter sciscitabatur, sortem suam conquesta, quod hac tempestate mittere filiam ad extremos Belgas fuerit coacta, qua invium est fere pelagus, ob vicinam hyemem, terris vero ob inimicitias Gallicas occlusam habeat habendorum nuntiorum copiam. Additur & malo malum; ecce, dum his curis animum fatigat, matrem quam adhuc in oppido Arevalo habebat, vita functam audivit. eam, licet effœtam & extenuatam senio, collachrymata est tamen. jussitque ad mariti Joannis Regis ossa, qualem decuit Reginam & matrem, honorifice, ab hac civitate Burgensi, stadia circiter decem, distans, in cœnobium de Miraflores, super edito instructum colle, asportari. quum his ita stimulis quateretur variis, adisse filiam sospitem, classemque universam affertur, præter ex carrachis Genuensibus unam, quæ intra Syrtes illas (quas *Bancos* vocant, harenis implicita periit, & è Caravellis unam, quæ illisa huic Carrachæ Genuensi scissa prius, obruta est in omnium conspectu. restat alia nunc solicitudo, quæ si non pari lance illam cruciat, fatigat tamen. Margaritam nurum designatam, quæ eadem classe importanda est, videre jam, atque alloqui, & complecti exoptat. Urget hyems. Maria hæc frequenti jam borea tumescunt. quæ fient, intelliges. Vale Burgis. IV. Idus Decembris, M CCCCXCVI.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER DECIMUS.

Epist. CLXXIII.

De Pontificis curis. de primogeniti ejus Gandiæ Ducis truculenta morte. de filio secundo. quid Papa cum nostris Regibus. conspuit Autor in mores ætatis nostræ.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.



Ccessisse Joannam nostrorum Regum filiam ad extremos Belgas, exspectari Margaritam nurum, tui quos hic habes familiares, significabunt. ab Italia hæc habeto. Alexander ille noster, pontem ut nobis ad superos faceret electus, pontem facere filiis, quos sine rubore ostentat, ut ad grandiores opum acervos emergant, intendit. Cæsarem quem ut Cardinalem crearet, probare nixus est, ex legitimo fuisse natum matrimonio, quia matris illius virum, domi fuisse suppositi testes, quum genitus creditur, natalis ejus horoscopo computato dejerarunt, nunc ut è Cardinali migret ad seculares titulos, nititur, filiumque sibi esse nunc asserit, propterea, se nolle inquit, ut statutum infringatur illud, ne quis Spurius purpura dignus habeatur. ex tribus quos habere se jactat maribus filiis, Gandiæ Ducem, qui prior erat, scisti arbitror (licet ego id tibi minime significaverim) fuisse noctu fœdissime trucidatum, projectumque in Tiberim. Nautæ cujusdam ductu dehinc, in ea parte ripæ pernoctante, fuisse repertum; prostituisse se Alexandrum, nec temperasse à lachrymis & planctibus, te non latere debet. Viget opinio, quod frater ipse Cæsar hic Cardinalis, tanti facinoris, præ invidia, aut alii pro zelotypia, fuerit autor. Quom igitur Alexandro ille desit in seculo, quamvis ex nostri Regis amitina uxore, reliquerit sobolem, hunc tamen Cæsarem, in aliquem fraterno similem titulum, sufficere est animus. Reges nostros de re ista consuluit; cui se Christianos Principes in eum concitaturos, si tam fœdum in fide nostra exemplum patrare tentaverit, minati sunt. quid successurum sit ignoramus. si mores ejus dimetiemur, persecturum quæ cogitat, in summam Ordinis Cardinei dedecus, arbitramur. Significare ista tibi hactenus non fuit curæ, quia non modo Fortunæ cachinnos istos, ac fœtidas subsannationes parvi facio, sed stomachum mihi ac nauseam incitant. aufugio percusso cane velocius, quando in hujuscemodi sermones me adstante quisquam incidit. tu ista exigis, tu habeto. Et vale. Burgis. v. Idus Aprilis MCCCCXCVII.

Epist. CLXXIV.

De interitu eorum militum, qui ad Belgas Ioannam vexerunt. de adventu Margaritæ. de lapsu ab equo Alfonsi Cardinensis & præsagium.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

SCripsi ad te paucis ante diebus, Regem esse Girundæ in Laletania; Joannam Regum filiam fuisse ad Belgas cum ingenti classe asportatam, Margaritamque regiam nurum summo cum desiderio exspectari. de his quæ impræsentiarum habentur, accipito. Girunda Rex ad dilectam consortem reversus est. Ex his, qui Joannam comitati sunt, boreali frigore concreti, & fame majori ex parte consumpti sunt. interclusi namque patriæ, illius septentrionalis, horroribus, assueti siccitati Hispaniæ, atque aëris clementiæ hybernæ, ferre densitatem illam minime potuerunt. appulsa est tandem optata Margarita, ad portum. qui eam ad soceros & pubescentem sponsum comitentur, multi proceres destinantur. It prior magnus Comestabilis. Is est apud Romanos magister equitum. quoniam per ejus ditioni subjectos iter erat factura, tres desideratæ nurui dies obvius Rex prodiit. Burgos ducitur, tempore tamen minus apto ad nuptias celebrandas. quadragesima namque, Christiano qua vetitum est incumbere connubiis. Regina intra Regiam nurum exspectat. ad aperta exiit Regiæ tabulata, quæ *corredores* Hispani vocant. nurum suscipit mira nympharum caterva circumsepta, auro ac stellarum more radiantibus lapillis. lactea erant

Reginæ nympharumque omnium colla, circumplexa, nil defuit. Personis consona ornamenta, ubiubi licuit, per sacros dies, ardens amore noster ephebus, parari sibi genialem thorum à parentibus impetrat, ad optatos tandem complexus devenitur. Ludus Troicus cæteraque solennia qualia decuit in pompa regia, instruuntur. Sed adverte, quod infaustum fellis poculum, tantæ lætitiæ fortuna more suo commiscuerit. solutis habenis, per urbis vias, aulici juvenes, certatim currebant. Alfonso Cardenas primarii illius ensiferorum majoris Commendatarii, cariori filio, sonipes erigitur in pedes, in ebullientem ætate ac rerum opulentia juvenem, à vertice equus procidit, pectus illi contudit, & costas perfregit. quarta vix hora spiritum retinuit, nec protulisse verbum, inquiunt. hujus interitus, nuptialia hæc nostra solemnia, psallentesque nostros hymenæos perturbavit. ex auro intexto ad pullas, Proceres ut genitorem adolescentis solarentur, transierunt; ad inceptos tamen applausus deventum est, sed minime lætos. Inopino namque tanti adolescentis casu stupent omnes, nec solvere jam quisquam habenas audet. haud fore diu felices nuptias mœrore oppressi præsagire videntur. de discessu ab hac urbe est sermo, quo autem simus profecturi, nondum constitutum est. Vale III. Calend. Maii, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXV.

Ludovicus & Veneti vocant Cæsarem in Florentinos.

P. M. A. M. Comiti suo Tendillæ.

Elegantissima illa rerum cæca perturbatrix Rhamnusia, flagra recentia, Comes Illustris, in Italiam orditur. Florentini rabido perciti dolore, quod Pisas amiserint, Gallis sunt adstricti fœdere. Amicitiam se velle Gallicam servare, requisiti à Principibus Italis asseverant. Ludovicus Sfortia Dux Mediolani, simul & Veneta Resp. Florentinorum vires extenuare velle videntur, ne quid possint, si velint. Maximilianum Romanorum Regem Imperatorem designatum, utraque potestas vocat, utriusque capiat exercitus suadent, pecunias cæteraque ad bellum necessaria se præbituros pollicentur, rem Pisanam tutari velle videntur. Est illis animus (ut referunt qui ab Italia scribunt) ut quæcunque Juris antiqui Pisanorum fuerant, Pisanis restituantur. non desunt qui putent Maximilianum sui oblitum provinciam sumpturum, ne ociosus vivat. quæ fient, intelliges. Burgis. VII. Idus Maii, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXVI.

Describitur Margarita. prævisa Principis mors. contentio inter medicos & Reginam de Principis valetudine.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

Superioribus diebus ad te scripsi, purpurate Princeps, quæ Burgis acta sunt, Margarita regia nuru adventante. Sed qualem esse intelligerem, quia nondum bene notam, silentio præterieram. Eam si videris, Venerem ipsam te intueri arbitraberis. qualem forma, motibus atque ætate, potuit Mars desiderare Cythere am, talem ad nos illam Belgæ miserunt, nullo fuco illitam, arte nulla comptam. Orithyiam è Boreæ rigentis manibus elapsam dices; sed ne ista infelicitatem nobis & Hispaniæ perniciem aliquando pariant, trepidamus. pallet jam nimis hujus puellæ amore pellectus, hic noster ephebus Princeps. hortantur medici Reginam, hortatur & Rex, ut à Principis latere Margaritam aliquando semoveat, interpellet. inducias precantur. protestantur periculum ex frequenti copula ephebo imminere. qualiter eum suxerit, quamve subtristis incedat, consideret, iterum atque iterum monent. medullas lædi, stomachum hebetari, se sentire Reginæ renunciant. Intercidat, dum licet, obstetque principiis, instant. nil proficiunt. Respondet Regina, homines non oportere, quos Deus jugali vinculo junxerit, separare. Principis ab infantia naturæ debilitatem arguunt; qui pulliculis gallicinis, rebusque hujuscemodi mollibus, tanquam invalidus semper fuerit educatus. non confidat mariti exemplo proclamant, quem natura miro corporis robore ab utero formavit. magnum esse inter genitorem & genitum discrimen repetunt: nihil tamen auscultat Regina. perstat in fœmineo proposito. mulierem quam nunquam induisse hactenus visa est, nunc assumpsit. constantem illam esse, semper ego prædicavi, nolim pervicacem. nimium confidit. Satis evagatus sum. Deus bene vertat. Methinnæ Campi Castellæ veteris emporio agimus, in alis tamen. hinc namque propediem discedemus, ut Helisabetham Regum primogenitam, quæ secundas nuptias hactenus recusavit, jam victam, ad Emmanuelem Portugaliæ Regem, cui eam desponderunt, adducamus. Vale. Methinnæ Campi, idibus Junii, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXVII.

Quid de homine, quid de Sole ac Luna garriant insulares.

P. M. A. M. Pomponio suo de superstitionibus Insularium.

ERige aures, Pomponi mi suavissime. legisti, ut arbitror, quæcunque ab initio orbis ad nostra usque tempora de dissonis & veris cerimoniis cælestium scripta sunt. ne te ultra jactes cuncta vidisse. auscultato, quæ nostri insulares Hispaniolæ, nudi homines, referant. apud eos diu nostri versati sunt, priusquam, an aliud colerent quam cæli numen, potuerint intelligere; nunc autem, cum familiarius apud primores, ex præfecti maritimi Coloni præcepto, Remonus quidam eremitanus (ut vulgus inquit) conversatus fuerit, ut nostro ritu Regulos erudiret, nostrosque mores illos edoceret, mire, apud plærosque observari antra duo cognovit, è quorum profundis specubus, Solem ac Lunam prodiisse puerascunt, veroque verius id esse autumant. apud alios cucurbitulam summo esse in pretio quandam, quoniam ex ea scaturivisse mare cum sua piscium multitudine fabulantur. Ex cujus profluxu terram illam, quæ Continens erat, innumeras ajunt, quas videre fas est, effectas esse insulas, cum ex illa prodeuntium aquarum alluvie, valles implerentur, locaque obruerentur, cum suis gentibus, & animalibus passim. Magnifaciunt alii monilia quædam ex aurichalco, quæ affigunt pectori Reges, quia data quondam referunt insulari Principi primario à formosa fœmina, ad quam Principem eum in profundo maris visam inquiunt, ut cum ea coiret, descendisse. de hominum autem origine pulchrum est audire, quid balbutiant. E duobus namque aliis specubus, ortos prædicant. Multa prætermitto, ne me in veteribus his aviis implicem. ex libris quos de his tantum inventis formo, aliquando cognosces. Nunc vale. Methinnæ Campi, idibus Junii, MCCCCXCVII.

EPIST. CLXXVIII.

Qualiter in Urbe vivat Petrus & qualiter Simon.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.

NUper allatæ sunt ad me literæ ab Urbe. Astræam ferunt, vento velocius, ab ea discessisse, aufugisseque ad superos, nec reversuram putant, bove sceptra tenente. nefariis facinorosisque hominibus, locum esse in Urbe, occlusasque probis primorum fores conqueruntur. si quis manu promptus, si quis audax reperiatur, huic patere Vaticanum despumant. præsentaneam esse mortem pecuniarum possessoribus ajunt. vivitur hoc pacto in Urbe, quondam Domina, nunc Christi sede in terris. Petrum inquiunt Senatorios illos colles deseruisse, variis præstigiis insultare Simonem, atque eum pinguissimum, Urbem percurrere die noctuque proclamant. Cur Deus ista ferat ex alto, se mirari dicunt. Palatium, sanctorum quondam Patrum habitaculum, ubi claves tollendi, claudendique tam inferorum quam superorum portas insident, nefandis Pontificiarum natarum nuptiis, atque profanæ nunc Veneri, patens est. Nec fratribus ibi parcitur (ut fama est) nec alias utcunque proprio sanguini, qui acutius ista elegantiusque exercent, hi magis laudantur. stringitur & Valentini Cardinalis negociatio, ut aliquando à purpurea trabea, & rubro galero, ad prætextam transeat, & lacernas, in Ordinis Cardinei, qui Regibus æquatur, opprobrium. Ajunt propediem inauditum hoc exemplum in lucem proditurum. stare namque id fixum animo, tam cæco parenti, quam insultanti filio scribunt. Licere sibi omnia putat vetulus bos, quia Dei vices gerat in terris. non debere linguam solvere in Pontificem quenquam, Sanctorum Virorum monitis cautum est, fateor. Sed ab eisdem primo sancitum didici, non decere Pontifices inhonesti quicquam non modo patrare, sed nec impunitum præterire. desierint ergo Pontifices scribendi materiam præstare Tarpejis anseribus, desinent & calami illorum prædia fulcare. Si quod hac narratione crimen admittitur, tibi adscribatur, qui cogis ut quæ agantur significem. hæc ebulliunt, hæc habeto. Scriberem ego religiosiora libentius. Vale. Methinnæ Campi, nonis Julii, MCCCCXCVII.

EPIST. CLXXIX.

De felicitate Ioannæ in Philippo. de Philippi natura. de felicitate Regum in sobole. de mutata nostra viduæ sententia.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

ETsi me non lateat, nihil ad illustrem istum collegam tuum, optime Præsul, à me scribi, quin illico te participem faciat, ne minoris tamen putes à me fieri tuorum sanctitatem morum, quam illius equestria merita, hoc accipito, quod illi referas. Joannam regiam

regiam natam, quam tu non minus quam proprii parentes educasti, scito ut delectẽris, inter Belgas in amœnum incidisse, ultimumque in humanis desiderabile fuisse sortitam. ajunt namque juvenculam ab illis populis magni fieri, quod soboli aptissimam judicent. dicunt Philippo ipsius marito nihil deesse, quod mulieri optandum in viro sit, ætatis flos eximius, corporis habitudo mira, forma egregia, mores mites, natura lenis, animosusque esse dicitur. Avum in plærisque maternum æmulari prædicant. est ergo tali viro copulata feliciter, qui tot ac tantis naturæ corporisque dotibus ornatus fertur, cum præsertim nec fortunæ bonis fores occluserit. Genere namque qui sit ab innumeris, utpote Romanorum Imperatoribus, magnisque alias heroibus progenitus, nemo est qui nesciat. quibus vero vestibus ex utero indutus prodierit; quæ ab avo, matreque jam susceperit, quæve à Maximiliano Romanorum impræsentiarum Rege, genitore sit suscepturus (si fata suo processerint ordine) tu nosti; vivunt igitur alacres nostri Reges, tali genero; vivunt & pretiosa nuru, modo Principi filio non noceat ejus elegantia, quod fore dubitamus. posteritatis ab utroque exspectant egregia nepotum monumenta, naturæ paternæ maximum ac insatiabile desiderium. triplicabitur illis (ni fallor) propediem lætitia. tertiam namque propaginem ad spem sobolis plantabunt. quia viduæ natæ, durum ad secundos Hymenæos animum flexerunt. ad Emmanuelem Portugaliæ Regem, propediem eam adducemus, virum si non corpore præstantem, morum tamen benignitate insignem. hæc fas est tibi significare. quia pietate, tibi peculiari munere referta, nullum penitus infundam sermonem. contingentia cætera si voles, horreum tui collegæ quæritabis. Vale. Methimnæ Campi Idibus Julii, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXX.

De mari & cucurbita Insularium faceta.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

GArsias Lupus frater tuus, ad nos in Curiam nuper venit. vir est egregius, clarus ingenio. si Latinas is literas fuisset assecutus, Maroni forte palmam de manibus eruisset. Rhythmos componit idiomate patrio sapidissimos, gravi succo, sententiarumque pondere prægnantes. Placuit novisse hominem. non minoris illum facio ob suimet naturæ dotes, quam quod tibi frater est. nec me ipse abjicit; tum quia videt me tibi deditissimum esse, tum etiam quia quæcunque prodeunt ex ejus officina, sui ingenii viribus decussa, mihi ostendit, id sibi nec offuisse sentit. Ad hæc scripsi quædam ad Pomponium, ob ejus virtutes heroëm meum, de ridiculis insularum superstitionibus, scio tibi ea relaturum. ast quid maris illa creatrix cucurbitula importet, accipito productius. Naiba regulus insularis, quondam adamati filii, quem immatura mors præripuit, cineres cucurbitula inclusit myrobalano arbori, ne terra macularentur, appendit. Is fertur, post aliquot menses, filii desiderio motus, cucurbitulam affixam aperuisse, ut filii cineres conspiceret. Abscede, purpurate Princeps, ne te degluțiant æquorea monstra. exiit illico cum magno aquarum gurgite, Balænarum & ingentium piscium magna copia, qua data sunt mari, piscium semina. quatuor deinde juvenes, puerascunt, ex eodem partu fratres gemellos, cupiditate piscium, & rei fama commotos, cucurbitulam, absente Naiba regulo deprompsisse, ut ejus particulam ad emittendos pisces aperirent, sed ex tempore superveniente Naiba, præ stupore cucurbitulam solvisse de manibus, & confregisse. cave ne te fluctus obruant. Exquilias conscende, si Romæ es, ne suffoceris adventante diluvio. ex cucurbitulæ scissuris, Maria scaturiunt illa, quæ continentes hactenus eos tractus omnes, aquarum per ima montium profluxu, insulas effecerunt, quas cernere licet innumeras. Ita & ortum habuisse è cucurbitula Mare, & ex contnenti divisam in partes varias patriam, nostri perpolite narrant Insulares. I nunc & tibi persuade, te cuncta hactenus scivisse. deerat aliquid, uti video. Vale. Methimnæ Campi VI. Calendas Augusti, M CCCCXCVII.

EPIST. CLXXXI.

Quid ad æquinoctium Portugalenses, quid ad occidentem Castellani reperiant. de Calecuteo Rege. Laus Portugalensium.

P. M. A. M. Pomponio Læto.

ÆQua lance est animus, clare Pomponi, eruditionem tuam cum nostri Purpurati Caravaialli sorte metiri. Unam ad eum nuper epistolam scripsi, de vero Maris ortu & genere piscium producto in immensum è cucurbitula Naibæ. aliam accipito (quia de Zona torrida circuloque æquinoctiali) calidiorem. Quid Castellana gens Coloni Liguris ductu, ab Occidente repererit, satis ample lateque me scripsisse existimo. Meridiem tibi

cæte-

cæterisque viris sapientibus Portugalenses, maximi littorum novorum investigatores impartiuntur. Hi tantum scrutati tantumque cum ingenti discrimine pervagati sunt, ut non minus jam ultra æquinoctium, amisso Arctico, ad Antarcticum processerint, quamque distet ab Arctico nostri maris fretum exiguum quod Calpe dirimit ab Abila. Hoc omnes uno ore asseverant, Praxum isti promontorium, omniaque magni Atlantis latera, omnes in mare prodeuntes ab Atlante cubitos, paulatim, singulis annis procedentes, superarunt, sed ipsius tamen nunquam litora deserere ausi, donec ad ultimum jam quoddam cornu, quod ipsi *Bonæ Sperantiæ Caput* vocant, appulsi sunt. tunc ab incolis eorum tractuum peritissimis nautis directi, relinquere terram, atque altum capere ausi sunt per medias quasdam, paucis bene notas Syrtes vadosas, proras ad Orientem inde vertentes, ast in lævam à Septentrione paulisper. In eas tandem regiones devenerunt, è quibus ad nos hactenus aromata allata sunt omnia. Callequutum intra æquinoctium ad nos gradus velut Meroë XII. per incolas navium gubernatores tandem ducuntur. Est Callequutus civitas, lapideis dòmibus constructa, ingens, earum regionum grandius emporium, ad quam ex Alexandria & universa Ægypto, Damascoque & reliqua Syria, mercatores semper confluxerunt, ut ad nos inde odoras merces aromataque, nostras lascivas pecunias nostrosque proventus habituri, importent. Læti Portugalenses tantæ rei invento, cum Callecuteo Rege percutiunt fœdus. in terram descendunt, domos locant, ut commercia & ipsi cum Callecuteis ineant. ast invidia, commune humani generis venenum, cito scidit amicitiam. Damasceni namque & Alexandrini mercatores, incommodum ingens sibi affuturum ex Portugalensium commercio, olfaciunt. solicitant in Portugalenses Callequuteum populum, qui, exorto tumultu, etiam invito Rege, domum, quam inhabitabant, ex insperato adoriuntur. expugnant ad unum. 50. viros quos in terra reperere, trucidant, non penitus inulti. quia ex navibus nostris, tormentis plærasque naves ipsorum concussas, obruerunt. ne metam Epistolarum transgrediar, paucis his te volo esse contentum, Pomponi, cætera quæ acta sunt, atque ea non pauca, significabo alias. Mira intelliges, quia nova; nolo te una cœna saturare. Satis sit tibi, fuisse lautissimam, nolis & uberrimam. quid namque lautius tibi præstare possum, mi Pomponi, quam id significare, quod natura ad nostram hanc usque tempestatem, qua nos eramus nasciturі, servavit incognitum. Suavibus nos his cibis, dulcibus nos dapibus depascit, quibus si non jejuna penitus, famelica tamen antiquitas, dies exegit suos, utrosque posthac Antipodes occiduos scilicet atque Antarcticos, ut suam quisque domum cognoscemus. Inhient alii divitiis, inhient & titulorum solicitudinibus alii, mi Pomponi, nos autem nostris ingeniis has escas præbeamus. Et vale. Methinnæ Campi Calendas Septembris, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXII.

Mors Principis Ioannis. quibus solemnibus susceptus fuerat à Salamantinis. lachrymanda parentum colloquia. Margarita linquitur prægnans.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

Scripsi ad te non multis ante diebus, nos esse in alis ut Methinna Campi descenderemus. ita uti statuerant actum est. Circiter namque Idus Septembris adversantibus fatis, atque infaustis avibus, Methinna Curiam eruimus, diversa parentes à filio & nuru, iter capiunt. Ipsi namque Helisabetham filiam, per legatos Emmanueli Regi Portugaliæ desponsatam, ad virum ducturi tendunt. Princeps vero, ipsiusque thori consors infelix Margarita Salmanticam, quia una esset ex urbibus, quas è regia Corona ademerant, quando Principi signare patrimonium, quo frueretur, uti nubentibus fieri solet, constituerant, proficiscuntur. Quarto igitur Calendas Octobris Salmanticam Princeps ingressurus, à civibus eo tibiarum ac tympanorum applausu suscipitur, ut præ lætitia finderetur aër. O quales modulos cithararum, o quam multiplices illi cantus, quosve hymenæos clerus adstruxit! non lætius redeunti ex India victori Baccho suo, non ex Hispania Herculi fabulosæ Thebæ occurrerunt. Sed operæ pretium fuit videre, instructas acies levis armaturæ equitum in agro concurrere, sonipedum phaleras, virorum ornamenta intueri, non pulchrum modo, sed admirabile, universæ opes Hispaniæ fuisse ibi eo die congestas existimasses, puerorum, puellarumque de constructis per compita tabulatis, atque è domorum fenestris, cælestis harmoniæ imitatores cantus, prætereuntium animos ad summum demulcebant. Ulvis palustribus, odoris thymis, reliquis & bene olentibus herbis, qua iter erant facturi stratæ viæ: viridantibus ramis cuncti postes cooperti; aulæis mira Belgarum arte laboratis, domorum parietes contecti. Quid ultra? Cælum psallentium vocibus

vocibus aperitur, tellus veluti nova nupta vestita, compta & ornata, ridet. Lautius atque copiosius hæc instructa sunt Principi solemnia. quia cum sit hæc urbs in qua tu, Purpurate Princeps, operam literis ab adolescentia dedisti, totius Hispaniæ fons literarius, sperabant à futuro Rege, quia literas amaret & coleret, grande præter cæteras urbes patrocinium. Heu! heu! sed quid? Tertio die præcipiti febre corripitur. O sæva noverca! quid crudescis in eos quos filios elegisti? celeres equi per tractus frequentes disponuntur, ab urbe Salmantica Valentiam, quæ *Divi Ioannis* dicitur *oppidum*, Portugaliæ finitimum. ubi parentes ejus nostri Reges, cum Emanuele genero Rege, qui ad uxorem suscipiendam manu parentum ad eos venerat, nuptiis incumbebant. nuncii pervolant creberrimi, qui de febris successibus parentes moneant. In deterius indies res processit. Longissimis accurrit Rex itineribus, natum reperit, quamvis in summo discrimine, sensu tamen integro. Hortabatur filium, bono sit animo, ne deficiat. spem sæpenumero graviter laborantibus salutem adduxisse commemorat. Sentire se mortem præsentaneam, filius inquit; patremque viriliter orat obsecratque, ferat æquo animo, quæ Deus ex alto statuerit, cum præsertim illa minime possint evitari. se non angi, quod è medio immaturus tollatur, patri collachrymanti arguit. majorum exemplo, vitæ tædia minime desideranda enarrat. ætatem quæ ferebat, superabant; nec mirum tamen. Perlegerat namque divini Aristotelis plæraque volumina, præter alia quædam diversarum facultatum. miro mentis fervore patri admiranti ephebi filii senilem fortitudinem, concionabatur. aderam & ego, qui Reges, ut illum comitarer, reliqueram. nequeo sine lachrymis ista recensere. Quid plura? nostræ fidei cardo. Tertius decimus illum nobis dies abstulit. infaustus ille dies pridie nonarum Octobris, universam Hispaniam, unico quem habebat oculo amisso, gravissimo replevit mœrore. Miser genitor, ne ista Reginæ per nuncios referantur, imperat; mittit solitos qui eam fallant tabellarios, ut paulatim immensus hic dolor ebibatur; ne subitus vitam Reginæ scindat, inanibus illam literis depascit; nunc in melius, nunc in deterius rem Principis procedere, ad illam scribendo. Id ipsemet. interea conveniunt. quam melius possunt, sese invicem alterne solantur. O quam miserum fuisse id spectaculum, qui aderant, retulerunt. rumpebantur præ dolore adstantes, non minus infelicium parentum, qui talem filium atque eum unicum amiserunt, quam suæmet calamitatis, quam ex ejus morte exspectabant! Sumunt igitur animum qualemcunque dolor sinit, & filiam una cum genero mittunt in Portugaliam. Inde ad nos, tanto filio orbati, redeunt. Abulam funus defertur. pompa funebri more patriæ peracta, tota Curia sacco induta vilissimo. ibi jacet totius Hispaniæ spes. læta tibi ac dulcia referre maluissem, quam amara, quam tristia, sed quæ nobis crudelis illa noverca (quam *Fortunam* appellant quidam) præstitit, illa exhibeo. Lex est cum natura ipsa generata, ut nemo det nisi quæ possideat. Hoc unum tantum habeto, tanti naufragii relictum amplustre, gravidam reliquit moriens Margaritam; si filium pepererit, aliquam (quamvis longam) spem, quia exiguam nobis afferet. Data in Villasandino ex itinere Complutum euntibus. xv. Calend. Novembr. M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXIII.

Quomodo ferant tanti filii mortem Reges. de Gallis pereuntibus. de pace cum eis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

NOn defuisse qui tibi generalem hanc nostram calamitatem totiusque Hispaniæ unicum lumen exstinctum, significaverint, haudquaquam dubito. Peregrina quæ scribam, pauca occurrunt. nuncius hic nullo pacto se iturum ad te sine meis literis contendit. hæc igitur habeto paucis. Reges tantam dissimulare ærumnam nituntur. ast nos prostratum in internis ipsorum animum cernimus. oculos alter in faciem alterius crebro conjiciunt, in propatulo sedentes. Unde quid lateat proditur. nimirum tamen, desinerent humana carne vestiti esse homines, essentque adamante duriores, nisi quid amiserint sentirent. Habent Oratores in Gallia apud Carolum Regem, de Pace spes est, quamvis damna illi non levia intulerint, in re Neapolitana, cum eo relicto, ut suo sanguini, Neapolitano Regi ferrent suppetias, omnibus se Principibus Italis admiscuerint. It jam in præceps omnis gens Gallica paulatim, quæ prædæ cupiditate transiliit Alpes. Locustarum more, post segetes depastas, deficiunt. Gilbertus Bompenserius, quem discedente Carolo, Regni gubernatorem relictum, alias commemoravi, fœdus petiit, castella deserit, ut in Galliam redire liceat, impetravit. neque enim est Carolo cura de mittendis auxiliis. ut namque provinciam

ciam hanc sumeret quæque æraria potuit, quasvecunque suæ ditionis provincias, explicavit. nec viros habet bello aptos, nec pecuniæ suppetunt, uti fama est. qui ergo ab eo terga dante, in Regno relicti sunt, tum gladio, tum fame confecti, fere omnes interierunt, & si qui supersunt, interibunt. Tu vale interea, qui in tuto positus es & ab his Fortunæ fluctibus liber. Compluti. III. Calend. Novemb. M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXIV.

Cæsar Venetorum exercitum & Ludovici contra Liurnum ducit. destinatur autor ad Regem Hungariæ.

P. M. A. M. Comiti suo Tendillæ.

PAucula quæ scripsi ad sacrum istum collegam tuum, habebis ex ejus epistolio; necdum bene à nostris oculis ejus nuncius sublatus erat, quando novas habui ex Mediolano literas. Maximilianum Romanorum Regem descendisse, inquiunt, ex Germania in Italiam, ut oblitus suæ dignitatis, exercitum capiat, qualemcunque Ludovicus ac Veneta Resp. præparare illi voluerint, in Florentinorum vires, quas hebetare Ludovicus & Veneti intendunt, quoniam à Gallorum fœdere divertere illos minime possunt, nisi miseram Pisarum urbem intra fauces eorum conjiciant dilacerandam. nil namque magis cupiunt hodie Florentini, propter ingentem eorum, qui Pisas incolebant, stragem, quos veluti infensissimos hostes, in libertatem Pisani vendicati prosecuti sunt. Pisas igitur in libertate retinere, Florentinis non modo invitis, sed etiam recusantibus volunt, oppidaque & arces antiqui Pisani juris auferre Florentinis student. provinciam hanc sumpturus Maximilianus advenit. Rei successus habebis, quando evenerint. Interea scito, imperatum mihi esse, ut me accingam ad iter in Pannoniam, quæ *Ungaria* dicitur, orator. repudiat desponsatam per Oratores, Beatricem Matthiæ invicti quondam Regis uxorem Reginam relictam Regni gubernatricem Boëmius Rex, quia soboli procreandæ ineptam esse sentiat. promissa fatetur connubia bonus vir, concubitum negat secutum, quod ipsa adducit in medium, fatenturque duo religiosi crepidales viri, à Beatrice missi ad nostros Reges Oratores, quales à vidua prudenti honestaque decuit, qui Reges inducant, ne injuriam hanc abjectæ affinis suæ patiantur. est namque Aragonici sanguinis consanguinea Regi Beatrix; quia Ferdinandi I. Regis Neapolitani filia. nil aliud exspecto præterquam nuncium, qui ab Urbe, quo in statu res sint, est relaturus. pendet namque res hæc coram summo Pontifice. Hæc tibi volui significare, ne mihi postea succenseas, si ad te crebro literas non dedero. Hoc namque fruor privilegio, quom absum à Curia, ut nunquam ex Curia ad amicorum quenquam aut patronum literas exarem. Vale igitur. Compluti IV. nonas Novembr. M CCCCXCVII.

EPIST. CLXXXV.

Quæ bella inter Portugalicum & Calecuteum Reges, utrumque Tropicum.

P. M. A. M. Pomponio Læto, Viro insigni.

UTrumque Tropicum torridamve Zonam, & æquinoctialem circulum, Portugalenses (nobis clausos hactenus) immo & multorum judicio inaccessos aperuerunt, uti superioribus diebus ad te scripsi. Conquiro ista diligentissime, mi Pomponi, atque examussim. neque mihi deest ad ea enucleanda copia satis commoda. sum namque Portugallico, qui hic assidet, Oratori familiaris amicus, veniuntque plærumque non pauci ex his, qui tractus illos adnavigant. brevi compendio hæc habeto. Texere longam historiam ociosis relinquo viris, atque his eloquentibus, perturbatus animo Emmanuel Rex Portugaliæ, de suorum internicie, tria & viginti navigia acribus munita tormentis, virisque bello aptissimis instructa, ubi ubi talia sensit accidisse, destinavit, *Caravelas* appellant id genus navium. nota jam Afra littora, sui Atlantis ingentes costas, vasta illa tot maria, innumeras insulas præterlabuntur, rubri maris ostia, sinus Persici patentes portas exsuperant, regionem captant tandem. Ast priusquam Calecutum adeant, Cocini & Canenori, duos in eis litoribus Reges Callecuteo insensissimos, quos ibi prima navigatione, stricto fœdere in amicitiam sumpserant, conquirunt de inferendis Callecuteo Regi, quacunque daretur incommodis, conveniunt, sese reficiunt, ad arma parant. Ex Cocini & Canenori navibus plerasque sumpserunt Portugalenses, ut aliquanto major classis fieret. Callecutei classem apparant ingentem, nostri portum adeunt Callecuteum. sese illi non modo tueri intendunt, sed Portugalicam impetunt cum summo furore classem, eam penitus deleturi, si quiverint.

concurrunt igitur. durum ineunt certamen. miseranda clades exoritur. vincitur tandem, quamvis amplius ducentarum navium, Calecutea classis. quoniam eorum tormentis parum Portugalicis navibus oberant. quia lentis & nullo furore emissis, sunt Calecutei parum armati, sive quia nequeunt ob ingentes calores id armorum pondus suffere, sive quod arma non assequantur. Capitur eorum Prætoria navis. capiuntur & aliæ plæræque, Classis reliqua dispersa. vi namque tormentorum, vicinis inspicientibus, multas ex eorum navibus in profundum miserant, in Assyriorum & Alexandrinorum mercatorias naves edidere stragem inauditam. Non his contenti Portugalenses, ex adverso in terram descenderunt, duasque Calecuteæ ditionis urbes magnas combussisse, ingentesque Calecuteorum copias, manu exigua profligasse feruntur. direptio facta. parentatum est interemptorum sanguini satis abunde. Est hæc gens, mi Pomponi, (ut ajunt) seminuda, fere invalida. quia intra Cancri Tropicum jaceat, duodecim habens, uti alias me significasse arbitror, Arctici nostri poli gradus elevatos, uti Meroë; nostro tamen more domos habent lapidibus constructas, pecunias amant, voluntque pro pipere cæterisque aromatibus, quæ ipsi assequuntur à seipsis & à finitimis, veluti ad nundinas concurrentibus, auri ducatos, & si queunt, Venetos; merces alias abjiciunt. Scribo ista ad te, mi Pomponi, quoniam cadunt in mentem, non quoniam eveniunt. proptera tu illa capito, quoniam mittuntur; & esto his contentus, quia parvo labore fatigor. Compluti VII. Idus Novembris, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXVI.

Quid petat Hungariæ Regina.

P. M. A. M. Bracharensi & Pompelonensi Antistitibus.

BEatrix Ferdinandi Regis Parthenopei filia, ex Matthia Rege Ungariæ vobis vicinæ vidua per Oratores petit à meis Regibus, ne tantam ignominiam sibi affini inferri patiantur à Rege Boëmio, uti etiam noscere debetis (quia viciniores) ipsius Beatricis manu Regnum adeptus est, quod arces municipiaque in ipsius potestate, moriente Matthia reperirentur. Is bonus Rex promisisse connubia fatetur (ut inquiunt) copulam negat, quam Beatrix asseverat. Coram Pontifice lis igitur, uti scire vos oportet. Veretur Beatrix, ne pecunia oppugnetur. postulat igitur, ut Oratores hinc destinentur, qui Regem ipsum Regnique proceres, rei testes, & autores moneant, & hortentur, ac si opus fuerit, deterreant, ne repudiare Beatricem semel assumptam, velit. Arguit Boëmus sterilitatem, & nolle se ullo pacto ineptæ ad procreandam sobolem mulieri, conjungere jure jugali contendit. Cur hæc, dicetis? Ad hanc ego provinciam Orator destinatus sum ab Oratoribus, qui isthic assident, regiis apud Pontificem. indies nuncius exspectatur, qui referat, quo in statu res sit. Interea me accingi ad iter imperant. Roma ut iter faciam volunt. nil mihi jocundius evenire potuisset, numerare jam incipio dies. Longior anno est jam mihi quæque hora, dum illam exspecto, qua veteres vos amicos videre fas sit, colloqui, complecti, novi aliud nil emergit. Valete. Compluti. VII. Idus Novembris, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXVIII.

Quid Cæsar. quid aliquando fuerint Pisæ. fluxu ventris moritur Fernandus juvenis. qualis fuerit. instant Bos & vitulus, velle conspuere in Cardineum gradum.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.

QUæ ab Italia nuper habuimus hæc sunt. Joannes Ruffus Foroliviensis, literis & gravitate clarus vir, nobis amicissimus, Pisis agit, Archiantisteæ illius gubernator. Is ad me scripsit hos Fortunæ insultantis cachinnos, has nugas ejus meretricis infantiles. Maximilianum, inquit, Genuam, dein Pisas cum exercitu, qualem Ludovicus & Veneti præbuerunt perrexisse, ut Pisanam restauraret Remp. quæ hactenus adeo potens fuit, ut Idumæam usque suas vires protenderit, fueritque octavum & octogesimum annum fere maris domina. Ligurnum ergo, Pisani quondam juris, Tyrrheni maris portum, Florentinæ nunc ditionis, classe impetit Maximilianus, propugnat. re infecta intra quartum diem Pisas rediisse, dehinc XII. Calendas Decembris, Pisis ut in Germaniam rediret, inglorius excessisse dicitur. obtulit autem dominatus Venetus, se Pisas à Florentinorum ingluvie tutaturum. Quid sentis, bone Comes? sed audi aliud horribilius. Maximiliano, Pisis agente, fluxu ventris interiisse Fernandum juvenem Regem Neapolitanum, allatum est. Eja confide mortalibus. O cæcos hominum intellectus! Quid istis inhiamus, tam parvo tempore duraturis? Nil ei profuerunt hujus animi dotes, quibus erat ornatissimus. O quæ corporis ejus

ejus præstantia! quæ agilitas! sed quid ego hæc tibi, qui eum optime noveris? quoniam ex Urbe te ad avum ejus Fernandum tempore Innocentii contulisti. Periit flos agri Neapolitani. ex Urbe vero scribitur, fixum animo sedere genitori ac genito, velle in Cardineum decorem conspuere, purpureum galerum, ac si barbara esset mitra. aliquando dejiciet nuptias, ne quid desit ad ignominiam, & Principum aliquorum consensum sagaci naso quæritat. nos Compluti agimus, tuo natali finitimi. Exspectamus indies, quid Margarita, quam excedens à nobis ephebus Princeps prægnantem reliquit, sit aliquando paritura. Compluti. Calendis Decembris, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXVIII.

Quare Autor nesciat in secessu vivere. quid ejus finis, quid studium. multa Platonica.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

HAbui à te nudius quartus literas, bone Præsul, quos honoratius tibi fuisset, sopitas in fantasia rerum origine illas, aut in ingenii officina, vel in arcula memoriæ relinquere, neque illas vivæ voci aut calamo, ut prodirent, credidisse. Duo invicem opposita optare, te inquis. delectari namque te summopere scribis, mearum epistolarum lectione, quas ad Comitem collegam tuum exaro, subdisque illico, optare te, ut tuo lateri inhæream, suo Prælato Canonicus. Possintne duo hæc uno sacco concludi, aut cohærere, tu videris, qui mirus es Dialecticus: Vobiscum scilicet esse Granatæ, atque una literas vobis ex Curia, de his quæ per universum ebulliunt destinare. Utrum malis eligito, Præsul optime. Ego extra annum ab habitis tuis literis quadragesimum, an tibi morem gerere, parereque intendam, si angulum elegeris, respondebo. tam male mecum actum à superis existimas, ut ulla terræ parte contentus vivere queam? quando mihi totam aperta manu condonaverint, angulusne mihi placebit ullus, ubi marcescam? cum mihi liceat percurrere, quando velim, universum, & si Corcyrios Pheacum autumnos superet, parvo me facis, bone vir. Angusti debes esse pectoris in terra, quia te spiritus ad æthera semper versus, ac Deo plenus, è terra jam diu raptum teneat. Qui jam cœlestes illas auras exhausit, parvo hujus nostræ fæcis indiget adminiculo. Sed qui terrenus adhuc est, & Mercurium intra pectoris fibras absorptum tenet, nulla orbis parte contentus vivit. Exuritur animo, si spacio, licet ingenti, licet amœno, includatur; seipsum macerat, si quid sub cælo acciderit, quod eum prætereat. Cum igitur ad vestram hanc Curiam, quam tu, quia senio confectus, ut uberius Deo fruereris in secessu reliquisti, ab omnibus terrarum regionibus, homines negociaque confluant, atque horum Regum auspiciis, ab omni Christiana potentia legati, in Curiam concurrant, percurrere totum orbem videor, totiusque telluris habitatorem, meipsum in Curia confingo, quoniam hinc, quæcunque universa tellus pariat, edisco. En habes qui sim, quem hactenus ignorasti. Vale. Compluti. Idib. Decembris, M CCCC XCVII.

EPIST. CLXXXIX.

Solis Regibus & Bovitis Insularium Medicis & sacerdotibus licet arcana sacra scrutari.

P. M. A. M. Pomponio Læto.

SCribis, Pomponi amantissime, vidisse te, quæ de superstitionibus Insularium exaraverim, conquereris de brevitate, quæ obscuras reddit narrationes. quid de Cucurbitula quadam velim, te non intelligere inquis, cupereque te scribis, quid illi de hominum origine lepidissime senserunt: quo pacto ex cucurbitulæ in terram collapsæ rimulis, mare velint scaturiisse. succenseto nostro Caravaiallo, ad quem ista scripsi productius. Is referet. habes ultionem præ manibus, modo velis. eadem illi mensura metitor qua tibi demensus est. Quæ de homine garriant, ne feceris participem. Duo esse ingentia in eorum montibus antra fabulantur, præter illa è quibus Solem & Lunam prodiisse puerascunt; in quibus, ab initio rerum, genus omne hominum latitavit. In utriusque antri foribus, alternos semper insedisse duces, ne quisquam egrederetur, insaniunt. Idque pro Arcano habent sacro, sed annorum tandem prolapsis curriculis, ipsis ducibus noctu insulam pervagare audentibus, quærendarum dapum causa, Sole deprehensos, nunc hos, nunc illos, intueri namque Solem illis minime licebat, in diversa mutatos, in myrabolanos arbores, utputa in saxaque, plerasque in res alias. efficit tamen longa dies, quod obducta fronte, graviterque tanquam sacrum obloquuntur, ut multi, licet sole deprehensi, sese servarent, reverterentur. Sed hos ajunt, relictis matribus eduxisse parvulos infantes, ulnisque illos cum per diversa portarent, in

cujusdam fluminis ripa, inspectatis aquis, *Toa*, *Toa*, emisso vagitu, infantes proclamasse, quod ipsorum lingua significare, *Mama*, *Mama* volunt, & in ranas mutatos asseverant; inde vocem illam ranis fuisse hæreditariam. quo modo deinde procederent hi homines, sine uxorum commercio interrogati; · Animalia quædam per myrobalanos serpentia, fœminas æmulantia, se vidisse balbutiunt à longo, plæraque illorum insectando, licet duriuscule, quia lubrica, anguillæ more apprehenderunt, tunc, & cum muliebri natura carerent, admota inguinibus ave pico, vi per fœmora, manibus quorundam, callosos habentium palmas fœmineam illis fossore pico naturam effecisse. Ita, eja, Pomponi, eja, cervicem excute. In uxores sibi fœminas has susceperunt boni viri, atque inde genus hominum prodiisse volunt, prædicant, instant. contendunt id dirum ac nefarium, tantæ rei Sacramenta nusquam præterquam Regibus aut Bovitis, quos habent pro Medicis & Sacerdotibus patefacere. Solum id inventum apud Romanos, de Sacro Ancili, atque Matutæ arcanis existimabas? sunt & alii magnarum rerum inventores, Pomponi, licet tamen omnia populo diebus festis per rhythmos ista concinere, alias minime. Compluti. xv. Calend. Januarii, M CCCC XCVII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER UNDECIMUS.

Epist. CXC.

Regina Hungariæ causa deperdita. restat Autor. de Insularium latria & Zemibus.

P. M. A. M. Bracharensi & Pompelonensi Præsulibus.



NOn minus mihi quam infelici Beatrici, infaustus advenit nuncius. is ab Oratoribus nostris, qui isthic assident apud summum Pontificem, retulit fore supervacaneum, ad hanc rem Oratores in Pannoniam destinare. detrectaturum namque Regem, Beatricis sponsum, quæcunque proponantur, scribunt Oratores. quia illi fixum animo est nolle jugali thalamo Beatricem Reginam adjicere. inclinari etiam ad Regis postulata Pontificem Alexandrum inquiunt. malunt propterea mei Reges alterum è duobus, quam utrumque perpeti. Durum illis est sanguinem suum repudiatum iri. est namque Regi propinqua Beatrix, quia Fernandi I. filia. ast durius post naufragium perdere & naulum. demptum namque de ipsorum autoritate plurimum putarent, si eorum petita negligerentur. ne igitur ignominiam aliam perferant, satius esse ducunt, rem dissimulare. Quare sublatum est mihi iter laboriosum, sed iniquo id animo fero, quia summam mihi erat delectationem pariturum. me autem accitum Reges serena fronte gratulabundi fere, quod tantus mihi labor sublatus fuisset, grave mihi fore putantes, compellarunt, sed falluntur. nihil namque maluissem. ægre quidem hæc fero, quia dempta mihi spes, quæ surrexerat, vos veteres amicos visendi. sed ne frustra sumpsisse calamum videar, hæc pauca de nostris Insularibus habetote, quæ nostro Pomponio referatis, si vobis ille aperit quæ ad eum scribo. Novum genus est apud eos Latriæ repertum. vidistis aliquando parietibus depictos, Lemures cornutos, dentatos caudatosque, manibus aduncis, atque ore aperto ad deterrendos homines? Ex gosampio intexto, gosampioque fulcta construunt simulacra, hujuscemodi Lemures ad unguem imitantia. noctu namque ipsis apparent, in illosque quibus aguntur, errores inducunt. *Zemes* appellant hæc simulachra, à quibus se pluvias, si pluvia indigent, dies lucidos, si solem volunt, impetrare fabulantur. à Zemibus iratis tonitrua mitti ac fulgura & grandines putant. inducunturque à Bovitis, quos pro sacerdotibus habent ac sanctis viris, meritis Zemes placare muneribus: masculos habent ex his ac fœminas. Coire masculos aliquando cum Regum uxoribus credunt, nascique infantes ex illis, vario Regum filiis quodam per cervicem sparso tumore. infensi jam mihi estis & molesti, qui uno velitis spiritu, quæcunque hoc nostro Orbe Novo emicant, cognoscere. stringite aliquantulum guttur, & valete. Compluti nonas Aprilis, MCCCCXCVIII.

Epist. CXCI.

Quare revocatur Autor ex legatione Ungariæ. Mors & laus Caroli Regis. de fratre Hieronymo Savonarola Concionatore in Alexandrum P. sæviente.

P. M. A. M. suo Comiti.

UNde sint literæ, interrogabis. ex Curia, inquio. Hui! tam cito ex Pannonia, dices. Bellerophonteo me forte usum Pegaso suspicaberis; Imo & contractos mi aggeres, ne Pyrenæos transilirem conqueror. Ex Urbe moniti nostri sunt Reges, rem Beatricis Reginæ esse adeo confractam, quod nullo modo resarciri queat: se potius Regnum amissurum, Rex inquit animo pervicaci, quam sterilem sibi fœminam jugali vinculo ducturum. non negat bonus Rex, omni laude dignam esse Beatricem, *pollere*, inquit, *prudentia*, *castitate*, *omni denique virtute*, *qualem decet insignem fœminam*, sed abnuit desiderio sobolis, ejus commercium. inclinatus præterea Pontifex (ut ajunt) in Regem, qui Rei judex est futurus. Persto igitur, quod parum mihi non fuit molestum. Sperabam namque hanc nactus occasionem, posse patriam ac veteres amicos, quos in Urbe multos reliquimus inspectare, colloqui, complecti. feramus æquo animo, & accipe tu

quibus nugis Fortuna res verset humanas. Carolus ille, ille Carolus Rex pygmæo brevior, animo typheo vel Polyphemeo grandior, ille qui totam concussit uno discursu Italiam, qui tremere Christianum orbem paulo ante fecit, qui exlegibus terror erat, repentina, subita, inopinata morte interiit. Alii pilæ ludo fessum, alii in humilis portæ limine, cum exire vellet ex cubiculo, ut ad lusores descenderet in ambasia, ubi porticus est ingens pilæ lusibus apta, caput ita percussisse ajunt, ut cerebro concusso, deciderit illico. Utcumque sit: animam illam quam totus orbis vix capiebat non fluminibus, non Apennini anfractibus, non ullo periculo territam, cum Italiam sicco pede contereret, orbe ipso insalutato, III. Idus Aprilis exhalavit immaturam. Annum quippe septimum & vigesimum agebat. Confide, confide rebus humanis, duraturasque sperato, si quibis. Audi, audi aliud, non indignum relatu. Audistin' Hieronymum quendam Ferrariensem cucullatum Ordinis (ut ajunt) concionatorum Florentiæ longo tempore per urbis pulpita audaci fronte, in Pontificis & Purpuratorum mores & vitam jacula contorquentem, Florentinumque populum seducere in Pontificem toto nixu fuisse conatum. Is bonus vir in Pontificis delapsus excandescentiam, per judices Apostolicos ab Alexandro missos igni, velut hæreticus traditus est. advertito, quas fabellas ordiatur, quando jocari intendit hæc petulans rerum mortalium domina, & expergiscere aliorum exemplo. Non desunt tamen, qui fratris illius doctrinam & mores miris laudibus extollant, invidiaque in eum fuisse, non meritis inquiunt sævitum. nos quæ accepimus ab Urbe, præbemus. Tu vale. Compluti pridie Calendas Junias, MCCCCXCVIII.

EPIST. CXCII.

Margarita abortus. Vocantur filia & gener ex Portugalia. de rebus Italis quædam.

P. M. A. M. Bracharensi Archiepiscopo.

HEi nobis, cum sævire incipit tetra illa noverca, quales rugas congerit. Peperit abortivum pro desiderata sobole Margarita. Pro esurito puerperio offam nobis præstitit collachrymandam. Revocantur ergo, deficiente à Principe optata prole, ad ingentem hanc tot Regnorum molem, futuri possessores (ni Deus aliter statuerit) tuus Emmanuel Rex & ejus uxor Helisabetha. Primogenituram sumpturi veniant, per cursores monentur. Venturos propediem existimamus. Adeant fausto secundoque sidere. finem suæ truculentiæ sors imponat, sinatque jam tandem Hispana suo progredi ordine sceptra oramus. Eunt hæc aliquando serius quam eveniant. quia raro cursores ab hac ulma terrarum meta proficiscuntur ad vos. Discedunt plærique ex his, me inscio. quia prohibentur interdum, ne ullas capiant privatorum literas, ad Urbem ferendas, veriti, ne forte aliquid quod Regibus minime placeat, hoc tempore significetur. Quid futurum sit, mortuo jam Carolo, rerum Italarum, ob sui animi magnitudinem perturbatore, & ob Ludovici Sfortiæ cæcam incuriam, qui ut Galli gustarent Italicam fœlicitatem, adstruxit, hæsitamus. quid vos sentiatis, nobis significate. Id si ita est, ut Gallicum jure Sceptrum ad Ludovicum Aurelianensem hæreditario deveniat, vereor Ludovico Sfortiæ, sed patriæ doleo meæ, quæ ne aliquando eat in prædam, extremisco; non quod Gallica potentia me deterreat, sed scio meis non esse civibus gratum Ludovicum: Diffidere inter se primarios Mediolanenses, distrahique in diversa cognosco. Deus bene vertat. Tu vale. Compluti. nonis Junii, MCCCCXCVIII.

EPIST. CXCIII.

Quid Rex Gallus. Prognosticon argumentale in Sfortiam familiam. contentio de Iure utriusque Ludovici.

P. M. A. M. Suo Comiti.

PAulo post dimissam ad te epistolam de Caroli Regis morte, suffectum ejus loco Ludovicum Aurelianensem, allatum est ex Gallia. Ut apertius quales sint rerum humanarum vices, cognoscas, premunt elatos, oppressos erigunt, juvenes perimunt, graves ætate ad vitæ tædia, ad continuas ærumnas servant. In Regno Parthenopeo Fernandum juvenculum, Ferdinandi I. nepotem, necdum bene fixum in Regno fata peremerunt. Federicum patruum ejus, jam senescentem evexerunt. nunc eadem in Gallia (ut vides) evenerunt. unico ictu eum, qui sese rerum dominum fore somniabat, vix hominem induentem ad necem percusserunt. ut Aurelianensis Dux pauper atque senescens, carcere quondam & catenis, ut jugularetur ab eodem Carolo vinctus, in Regem crearetur; creatus unctusque est. Ludovico Sfortiæ velim pauca percunctari. Væ tibi Mediolanum, si ex præmissis & præsentibus licet augurari, arguat

arguat Ludovicus, si callidus est Dialecticus & syllogismos formet. Dux Aurelianensis vix pane satur, ut ita dixerimus, potentissimo tibi Novariam ademit, atque illam vix ab ejus manibus confractis Caroli viribus, cum Venetæ Reip. suppetiis, extorquere potuisti, tutarique res tuas, ne è Ducatu Mediolanensi te ejiceret, totis viribus vix potis fuisti. Quid facturum putabis Galliarum Regem effectum? Scire velim, Ludovice, quid tortor animi tui conscientia, dictet? quove te flagro concutiat? nepotem ego tuum Joannem Galeatium, ad quem jure paterno Ducatus sceptrum attinebat, sublatum veneno à te (uti est vulgi fabula) minime existimo. periit namque incontinens ab uxore, quam ardebat. attamen veniet, veniet illa dies, qua Galeatio nepote tuo moriente, superstiti filio ipsius aut Hermeti fratri propinquiori, te reliquisse Ducatus habenas, quam tibi Ducatus titulum sumere, maluisses. Innocenti patriæ doleo vehementer. Ah privilegio, inquis, sum ego Imperatorio armatus, quid sibi juris habet Aurelianensis? natum se inquit ex Valentina, legitimo creata matrimonio, à Galeatio primo Duce contendit ille: Te autem ex transverso genita Blanca Maria ortum arguit. tua isthæc admittet, si conducere sibi cognoverit. Hæc arbitror, Patrone mi, in Ludovici Sfortiæ deliberatione ventilari, gravibusque illum curis arbitror agitari. Accedit & aliud illi perniciosum, strenuos belloque aptos Mediolanenses, oppressos tenet; mollibus autem & imbellibus suas acies credidit ductitandas. Nec minori puto illi cessurum incommodo, quod Joannes Jacobus Trivultius egregius exercituum ductor sit exercitus Gallici præfectus. hic namque quoniam est Ludovico infensissimus, suæ factionis cives in Ludovicum solicitabit. Utinam aliter eveniant! ego ista vereor. Tu vale. Compluti. IV. Idus Junii, M CCCC XCVIII.

EPIST. CXCIV.

Gener & filia ex Portugalia venerunt. in dubio quid velint Aragonici.

P. M. A. M. Archiepiscopo Bracharensi.

Superioribus ad te diebus scripsi, Emmanuelem Regem tuum ad primogenituram tot Regnorum fuisse accitum, unà cum uxore à soceris. Toleti eos suscepimus, nec mensem integrum ibi commorati, Aragoniam versus, ut paterno juri Regis hæreditaria Regna Reges recognoscant movimus. Comitia conventusque evocantur. conveniunt. Sed veremur non defuturas animi molestias. sunt hi Tarraconenses, Aragonici utpote, Valentini & Laletani, pertinaces. ne ipsorum jura infringantur, pedibus manibusque nituntur. Ex vetusta namque patriæ constitutione & avitis Legibus, sancitum servant, ne fœmina regis digna sceptro apud eos habeatur. volunt masculina sobole deficiente legitima, propinquiorem Regi morienti masculum, cujuscunque sit filius, in Regem suscipi debere. Spe tamen depascimur incerta. prægnantem duxit Emmanuel Helisabetham uxorem, ea si marem pepererit, sublatam tibi polliceor omnem de hac re contentionem. nullus namque Regi erit propinquior (quandoquidem filio caret) quam ex filia nepos. Si vero fœmellam parturierit, habituros tamen ipsos pro Regnorum hæredibus, sed non leviter pedibus ibunt in hanc sententiam. Tu vale. interea quæ fient intelliges, non multos post hos dies. Est namque partui propinqua. Datum in Cæsarea Augusta. x. Calendas Julii, M CCCC XCVIII.

EPIST. CXCV.

Iura utriusque Ludovici super Ducatu Mediolani. armis discutietur Ius.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

Audivisse te, inquis, à me ipso, Ludovicum Aurelianensem, nunc Gallorum Regem, ex legitima Vice-Comitum fœminea stirpe genitum, Ludovicum autem Sfortiam, qui Mediolano nunc imperat, reliquosque illius fratres, Galeatium scilicet, Philippum, & Ascanium & Octavianum ex transverso in familiam descendisse. rei seriem vis apertius, en accipe. Anno à nostra redemptione M CCCC II. vita excessit Galeatius, qui primus ab Imperatore Ducatus titulum privilegio assecutus fuerat, lege addita, ut masculina prole deficiente legitima, Ducatus ad Imperatoriam rediret coronam. Is tres mares filios reliquit, è quibus duo Joannes & Philippus legitimo erant orti matrimonio, tertius vero (licet ex pellice) admissus tamen æqua sorte in legitimam, Imperatore annuente: unicam autem filiam habuit, sed eam ex uxore, *Valentinam* nomine. hanc avo hujus Ludovici Aurelianensis, cum quadringentorum millium ducatorum, & Hasta oppido celeberrimo dote dedit uxorem. Accidit (ita volente Deo) quod obierint quotquot habuit filios Galeatius ille primus, sine prole

ulla

ulla mare vel fœmina. Philippus autem Galeatii secundogenitus, qui Alfonsum habuit Regem in potestate, unicam reliquit ex transverso natam Blancam Mariam, ex qua & Francisco Sfortia genero Coctunolæ oriundo, insigni bellatore, Ludovicum aliosque nepotes suscepit. En habes, unde sit exorta contentio, quæ Italiam iterum concutiet. Ludovicus Sfortia, mortuo nepote Joanne Galeatio, Galeatii, quem Andreas Lampognanus pugione transverberavit, filio à Maximiliano novum impetravit privilegium, refertque, nec Franciscum genitorem, nec Galeatium majorem fratrem, legitimos fuisse Mediolani Duces, quia id sibi privilegium non fuerant assecuti, cum in Philippo Imperatoria gratia exspiraverit, se vero legitimum esse Ducem arguit, qui nuper fuerat in Ducem electus. hæc Ludovicus Sfortia. Aurelianensis vero, Sfortiadas ex transverso, se ex legitima contendit. eorum quæ Ludovicus adducit in medium, nihil admittit. Inquit præterea Aurelianensis, morientem Galeatium primum ejus maternum avum, testamento reliquisse, ut Valentinæ soboles, intra legitimam hæreditariam concluderetur. Quod etiam prius, dum dotis acta dictarentur, pacto statutum fuisse jactat. quamvis id privilegio minime liceret. Solve tu hæc ænigmata, bone Præsul, si vales. Armis quippe solvenda, uti video, non syllogismis. Tu vale. XI. Calendas Augusti, ex Cæsareaugusta, M CCCC XCVIII.

EPIST. CXCVI.

Rex Gallus & Veneti conveniunt, in Ludovicum Ducem. Fredericus creatur Rex Neapoli. Cæsar Borgia galerum abjicit. Gallus repudiat uxorem.

P. M. A. M. suo Comiti Tendillæ.

PUgno tibi concludere Atlantem intendo, omnesque Apennini costas, una crumena colligare laboro. Adverte, quot quantaque uno spiritu promo. ex Gallia fertur Ludovicum Aurelianensem Galliarum Regem creatum, arma parare in Ludovicum Sfortiam, promissumque jam diu Joanni Jacobum Trivultium ducem copiarum, civem Mediolanensem, Ludovico infensum. ex Insubribus & Mediolano, novum pullulare ajunt inter Ludovicum & Venetos discordiam, quæ ruinam trahet insperatam. Cum namque Duce Maximiliano Romanorum Rege, Florentinorum vires extenuare minime potuerint, ut cæteris Italiæ Principibus Florentini connectantur, ne si vis hæc extera iterum irruat divisam Italiam intra se reperiat, Ludovicus Sfortia, cui majus imminet periculum, proponit restitui debere Pisas Florentinis. aliter enim à Gallorum vinculo deduci minime possunt. est & in Ludovici animo, coronato Aurelianense, ipsius hoste infensissimo, terror multiplicatus. instat propterea ut omnis Italia conveniat. Venetis manum injecisse super Pisis bene sapit. Ludovicus suum cernens periculum, ni Florentini advocentur in fidem Italam, frendet. Veneti labra lambunt super Pisis. Tutelæ occasionem nanciscuntur. Ecce novam calamitatem exortam! rugiunt inter se. ruinam sibi adstruunt. magno alicui constabunt hæ Pisæ; sed utrique forsan pro tempore. Ex Neapoli habemus, mortuo Fernando Rege juvene, qui sibi amitam nostri Regis ex sorore neptem, Ferdinandi senis ejus avi filiam uxorem duxerat, Federicum, quia Fernandus sine sobole perierit, fuisse suffectum ejus patruum. Ex Urbe vero fertur, egregium illum Cardinalem Cæsarem Borgiam, qui excutere à se purpuream trabeam rubrumque galerum, tanquam onerosam, ignominiosamque clitellam nititur, pro Pontifice, designatum ad Federici oleum & coronam. In Galliam iterum redeo. Ludovicus Rex, Joannam Caroli Regis sororem rejicere cogitat, ut Annam Caroli relictam Reginam capiat uxorem. minoris Britanniæ cupiditas, ut hanc sumat, illum inducit. Est namque Annæ hæreditaria ea provincia. Ut vero Joannam repudiet, gibbosam, invalidamque, aut proli suscipiendæ haudquaquam paratam arguit. En habes mille rerum historia dignarum uno habitu narrationem, quas noster Simeon tibi collega, tuque una confricetis, ut quam volubilia sint quæcunque sub cælo versantur, cognoscatis. Hæc si aliquando ad vos eunt minime recentia, ne mihi succenseatis. parvi namque facio has fortunæ subsannationes, propterea post occiput ea sæpe conjicio. neque ista nunc habuisses, nisi ea exigere à me ita instanter conareris. Ergo vale. XI. Calendas Augusti, ex Cæsareaaugusta, M CCCC XCVIII.

EPIST. CXCVII.

Moritur partu Portugalica Regina. restat mas filius. alia tria recitantur adversa Regibus. notat fragilitatem rerum humanarum.

P. M. A. M. Archiepiscopo Bracharensi.

REges esse in Cæsareaugusta, ubi coactis Aragonicis inhærent conventibus, jamdudum

dudum tibi significatum puto. Cogit amicitia, ut ad te scribam, prohibere vellent rerum successus. amicorum namque animos sapido aliquo sermone demulcere debemus, non horrendo crispare. Sed quid faciam miser? nollem ego quidem amaras tibi escas præbere, mallem dulcia mella; illis abundamus, istis caremus impræsentiarum. Quas igitur sementes Hispanus parturit ager, eas accipito. Post immensos de Barbaris triumphos, post innumera præclare gesta, quatuor meos Reges ictibus, quatuor in ilia calcibus Prænestina concussit. Ex filiis eos paulatim vertit in privignos ut Rex cum intra avita Regna otiaretur à bellis, dejecti hominis dextra percuteretur, effecit. unicum, in quo totius Hispaniæ augendi spes erat imperii, oculum Joannem Principem, hæredem florente abripuit ætate. ut Margarita imperialis, ab eo relicta gravida, pro desiderata sobole, pareret, offam adstruxit. non his contenta, quarto nunc ipsos vulnere transverberavit. Partu interiit tua Regina Helisabetha, nostra hæres sapientissima, quæ matrem, animi dotibus mire referebat. probitate namque & magnanimitate pollebat. Ast corporis habitudine, magno à genitrice discrimine, vixit. pinguis namque genitrix, filia vero ita macie confecta erat, ut partus angustias minime quiverit, quia robore carebat ob maciem, tolerare. O quales marito gemitus! ô qualem parentibus stuporem indidit hic repentinus interitus. Egrediente vix ex utero sobole, animam illico exhalavit. mortem sibi ipsa prævidit, mortem sibi ipsa sæpius una cum partu affuturam nunciavit. Propterea priusquam puerperii dies adventaret, viaticum sibi accuratissime parabat. religiosos homines quotquot horis accibat, sui pectoris arcana per illos Christo detegebat. Si in errorem forte aliquem prolapsa fuisset, ut veniam impertiretur, obortis lachrymis prostrata postulabat, orabat, obsecrabat. Unde cælestes in choros arbitramur admissam. Verumenimvero Bracharensis, ut Tragicus hic noster sermo in psallentem desinat cantilenam, ordiamur. accipe tanti mali refugium, tanti doloris grande lenimen: marem peperit filium. dempta est omnis de primogenitura contentio. Tu igitur Regi non minus gratulator, quam doleas, qui filium genuerit tantorum (modo vixerit) Regnorum Regem futurum. Et vale. Ex Cæsareaugusta Calendas Septembris, M CCCC XCVIII.

Epist. CXCVIII.

Non est sui Iuris Ascanius. Quid futurum cum Gallis. Ludovici ruina ob duces quos habet molles & quod fortes abjecerit.

P. M. A. M. Ascanio.

Tuas mihi Petrus Morillus in Sardina Archipresbyter tui Libiensis familiaris porrexit. Duo sunt epistolæ capita. ipsius mihi Morilli negocia commendas. Non algentiori ego studio illa complectar quam si mea essent. Ast ad te scribere, quæ ad purpuratum Caravaialum, reliquosve ob eximias virtutes heroas meos, destino, viros beata pace fruentes, operam perdis, & tuos à manibus, per quos ista scribis, frustra fatigas, perditurum operam, & quamcunque chartam ad te scriberem, perituram putarem. Nugari namque est, patrone mi, ei qui sit adeo pedibus manibusque vinctus (uti tu es) aliena recitare. quo vultu, dic, tu rerum domesticarum fluctuosa procella submersus, aliena inspectabis, dic qua fronte leges peregrina? Memor quod Ludovicus Aurelianensis Gallorum sit Rex coronatus? nugæ sunt, mi Patrone, quæcunque possunt ad te scribi. si quæ præ manibus habeas, dimetiemur. Gustarunt vestro ductu felicem Italiam Galli? Deus faxit ut magis habita strage, tum fame, tum gladio, tum aliarum rerum penuria deterriti, suis Laribus contenti vivant, quam ut redire nostræ telluris sapore pellecti, pertentent, ne velint, orandum est. Si namque voluerint, væ vobis, væ patriæ! imo & velle putantur. ne nos fallamus, nonne tu calles, quonam stomacho vivant nostri cives erga Ludovicum fratrem tuum? Quid de illo sentiant, num te præterit? Minime quidem. quibus præterea credidit suas centurias? Dic, si furor Gallicus ingruat, quos habet ductores? molles, mihi relatum est, disciplinæque militaris haudquaquam peritos, fortes & claros virtute bellica, exercitosque (ut ajunt) alienam virtutem pertimescens, rejecit. pœnitebit. Tu vale, si per Aurelianensem licebit. Data ex Cæsareaugusta. Calendas Septembris, M CCCC XCVIII.

EPIST. CXCIX.

Infantulus Princeps Michaël debilis. Regina agrotat ob dolorem filiæ. Emmanuel arcana quadam spe depastus dimittitur.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.


EX nostri Bracharensis epistola, quas glomeret alapas in filios, quos mutare in privignos constituit rerum humanarum rotatrix intelliges. epistolæ calcem jocundo nuncio depinxi. velim longæ hujus infantuli firmiora vitæ signa intueri. Natus est hebes, tenuis & invalidus. materna illa macies, ut enervis filius nasceretur, effecit. vivit tamen. Ex alimentorum varia substantia natura forte mutabitur, uti aliquando accidit. ex valetudinariis namque sæpe videmus homines indiem versos incolumes, ita faxit Deus. Rex vero ipse defunctæ maritus, in Portugaliam subtristis illico rediit, chara consorte relicta. nos ibi ubi Regina, quæ ex amatæ præ cæteris filiæ (quia sapiens & proba) interitu, in adversam incidit valetudinem præ dolore. ut convaluerit, peractis Comitiis discedemus. sublata est ex hujus infantuli, qualiscunque sit, natali, omnis de primogenitura contentio. spe (nescio qua) depastum sensimus nostros Reges in patriam generum remisisse. quid rei sit, nondum venit ad aures nostras; cum attigerit, intelliges. Vale interea. Ex Cæsaraugusta. IV. nonas Octobris, M CCCC XCVIII.

EPIST. CC.

Tollit Ascanio spem habendorum auxiliorum ex Hispania. Quid sperent, nisi conveniant Itali.

P. M. A. M. Ascanio.

COmplutum regressi celebre oppidum in Oretania, ex Cæsareaaugusta, mei Reges Hieronymum Landrianum, virum omni probitate præditum, generalem Humiliatorum Præsulem, & Petrum Suardum Jureconsultum, ac Bartholomæum Trivisanum Venetum Oratores placide susceperunt, sed quid? sero equidem. Pacem inierant mei Reges cum Ludovico Rege Francorum, priusquam accederent. Esse vobis auxilio, ex icto fœdere cum Gallo, minime possunt aut volunt. Vobis ipsis consulite; quid intra valeatis, pensitate. quoniam extra nihil sperandum. si convenietis Itali potentes, ingruentibus forte Gallorum conatibus, qui nos impetere denuo cogitant, obstabitis: sin autem diffidebitis, naufragium imminebit. Sarcinulas colligere poteritis, atque alios portus capescere. Vale. Compluti. VI. Idus Decembris, M CCCC XCVIII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.


EPISTOLARUM

LIBER DUODECIMUS.

EPIST. CCI.

Historialia Moraliaque de Pontifice, Venetis & Duce Mediolani & Turcis. & quomodo Gallus abjiciat uxorem, & Britannam ducat. Borgia galerum excutit.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.



TEmpore situque oppressum Martyrem tuum jure merito tuis acribus literis perfricas, tali sparteo glomo fuisse opus ad conceptam rubiginem detergendam, callide divinasti. à Julio mense de Augusta-Cæsarea te nullas habuisse meas conquereris. Quid faciam? Fœtent humana cuncta. *Umbram volatilem* prisci solent sapientes, humanos Titulos appellare: mihi vero nescio quid inanius esse videntur. in vita nihil magis video parvi faciendum: quia nihil video quod magis vitam fatiget, scindatque velocius. Quorsum hæc, dices? Putasne terrenæ fecis hujus dominam anteactis in Italiam esse contentam? grandior adstruitur lapsus. de re Pisana, me tibi arbitror nescio quid significasse; crescit ignis, Patrone mi. Ludovicus namque Sfortia, reddi Pisas Florentinis, ut in fidem Italam veniant, petit, instat, vociferat. Veneti quibus est peculiare, quod semel apprehenderint, nunquam è manibus solvere, sub tutelæ prætextu, se Pisanos nolle deserere, quod supplices ipsorum tutelam implorent, argumentantur. Ludovicus, formidine plenus, ob sui hostis potentiam, Principes Italos connectere omni studio laborat: in Venetos concitaturum Turcas, ni provinciam deserant, minatur, attestaturque. exsecrabile malum emergit. Veneti se ab infero mari ad superum iter habiturum, si Pisas retineant, cognoscunt. utrumque littus Italiæ, suis se mercibus, hanc occasionem nacti calcaturos: atque ita paulatim Romanorum exemplo propagaturos Imperium sperant, inhiantque & bene quidem orbis habenis. Pisani ne in Florentinorum potestatem ultra deveniant, Saguntinorum sibi exemplum potius amplectuntur, emori satius putant. Lodovicus qui sagax est, quo Veneti tendant, intelligit. despumans æstuat; se daturum operam, ut eos pœniteat, protestatur. Genuinos hic acuit, illi setas excutiunt. Pisani prostrati, ne deserantur, gemunt. Rugit uterque, arma intra se parat uterque. Rex vero Gallus præ gaudio gestit. interea deglutit salivam Mercurialem ex illa simultate, se futurum sui voti compotem; de facili absorpturum utrumque sperat. Quid ex hujuscemodi rebus soleat evenire, tute ipse conjectator. doctus es, & quia Tabrachæa simmia rugosior, longa experientia sapiens, futuram præsagire licet perniciem. Ast ni fallor, expilabitur Ludovicus Sfortia. res namque illi est cum vafris mercatoribus, qui semper astu vivunt, multiplicesque sibi struere cuniculos didicerunt, quibus insectantur fugientes, & ubi fuga opus sit, evadant. Audi & aliud Gallicum in eisdem diebus stratagema. nostri Reges pio acti animo, Alexandrum Pontificem, ne id Ordinis Cardinei opprobrium patraret, ut Cæsar Borgia Cardinalis trabeam abjiceret purpuream, deterrere cogitarunt. Ludovicum Regem hortantur, ut una secum per Oratores, Alexandrum ab eo proposito, per Concilii protestationem deducere velit. Is Alexandrum ammonuisse dicitur, ne vereatur, fidat ejus potentiæ, partes se Pontificias tutaturum pollicetur, modo per ejus autoritatem liceat Joannam annum circiter vigesimum illi uxorem, quia sterilis sit ac deformis, dimittere, Annam vero Britannam Carolo relictam ducere. Conveniunt ergo, ut Ludovico Rege fautore, nostris Regibus, labra mordentibus, ob injuriam fœdatæ religionis, rubrum Cæsar galerum abjiciat: Pontifice vero, thesauros Ecclesiæ dispensante, Ludovicus hanc repudiet, illam ducat uxorem; imo & promisisse ferunt Regem, se daturum Cæsari Cardinali de stirpe sua Regia conjugem, ne quid desit. En habes, quid tempora portent. Sitne stabile quicquam inter mortales intellige. atra bile jam fatigor, cum ista recenseo, quia displicent. Vale. Occaniæ. III. Nonas Januarii, MCCCCXCIX.

EPIST. CCII.

Nova de utrisque Antipodibus, occiduis scilicet & antarcticis.

P. M. A. M. Pomponio Læto, viro eruditissimo.

AGimus Occaniæ, Pomponi charissime, insigni à Toleto millia passuum viginti municipio; aquarum defluxibus pene submergimur. sciamus, quidnam apud vos humectantia operentur sidera, quæve sit Sapientum sententia, & vulgi opinio de iterum surgente murmure ac strepitu Transalpinorum armorum in Italiam. fibræ mihi gelascunt absenti, ob amorem patriæ. quid vos facietis, qui scintillanti jam igni proximiores estis? dissidium istud, inhiantis imperio Reip. Venetæ, & Ludovici Sfortiæ, sui hostis potentiam trepidantis, vos trahent omnes in præceps, ni fallor. Omen Deus avertat. Ab Orbe autem Novo quid habeatur, petis. Solem secuti nostri Castellani, ad Occidentem magis ac magis indies progrediuntur. nudos omnes, sola plerisque in locis cucurbitula in modum Braculæ qua membrum ac genitalia includuntur, contentos reperiunt incolas. alii præputium, deducto nervo, alligant funiculo, quem nisi mictus, aut coitus gratia solvunt. integra tamen & alii gosampina femoralia gestant. aurum gemmasque, sed præcipue uniones, multis in locis reperiunt. Portugalenses vero suum secuti trans æquinoctium, aliamque arcton, aromatum commercia prosequuntur. Callecutensem Regem, Alexandrinosque ac Damascenos mercatores, ad medullas extenuant. Quotquot illorum navigia ab alto prospectant, impetunt, capiuntque, aut vi tormentorum submergunt. Soldano Babylonico magnum ex hac re incommodum proventorum putamus. nec Venetis lucrum pariet, ut multi opinantur. Ex Soldani namque emporiis & Nili ostiis, sunt à Venetorum abavis proventus, quibus ad eam opum devenere potentiam, qua nunc pollent, quibusve brachia portendere (uti nosti) majoribus ipsorum licuit, ut plurimum asportati. Siderum cursus æmulatur hæc nostra Curia, Pomponi. perpetuo namque in motu est. alias propediem terras (uti fertur) visemus. Vale. Occaniæ. pridie nonas Februarii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCIII.

De Venetis & Gallo contra Ludovicum. prognosticon. Borgia in Galliam cum Bullis de dissolvendo matrimonio. de Turcarum apparatibus.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

ACcipe quæ nova ebulliant, quid ferveat in vaga Fortunæ olla. Conveniunt (ut fama est) cum Ludovico Gallorum Rege Veneti, de prostrando Ludovico Sfortia Duce. Veh utrique! trajicit Alpes Gallica gens, Duce Jacobo Trivultio, egregio bellorum magistro, cum reliquis belli ductoribus Gallis. Ludovico Sfortiæ infensus est Trivultius, quia Sanseverinos alienigenas viros, ipsi Mediolanensi primario præfecerit, quod illos honorifice tractaverit, ipsum autem deprimere visus est velle. frendet Trivultius, invigilatque Ludovici Sfortiæ perniciei. potentiam incitat Gallorum in illum. Mediolani varia insurgunt murmura, diversis fluctuant animis, magis veremur quam speramus. Cum præsertim & Veneta sit Resp. Ludovici Regis partes secutura. Id si ita est (ut fertur) actum est de utrisque. Obcæcavit tetra cupiditas hiantes ad imperium nimis propere Venetos. in præsentiarum sternetur Ludovicus Sfortia. Quid namque sperandum est illi, qui alienis civium animis, cum legitime illis non imperet, ducibusque adversæ partis suimet uteri visceribus duos in se à fronte & à tergo sit tantos torrentes habiturus? Concitante præsertim Alexandro Pontifice Maximo, stimulanteque in Ludovicum utrosque. Audi, audi aliud ab his dissonum. Cæsar Borgia Pontificius sanguis, rejecto jam purpureo galero, in nostræ religionis ignominiam, in Galliam dicitur fuisse profectus, spe ineundi conjugii titulique secularis (ut vulgo dicitur) Ludovici Regis manu vota suscepturus. Chirographa secum membranea plumbo firmata Pontificio, de Anna Caroli relicta suscipienda, Joannaque priore uxore dimittenda, ad Ludovicum Regem secum fertur attulisse. Ex Urbe vero Venetiarum allatum est, in Bizantio portu Thracio (qui est Constantinopolis) parari classem ingentem, terrestremque per universam Græciam exercitum cogi. Quid ista portendant, tu censeto. Et Vale. Madrito. VI. Calendas Maii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCIV.

Quæ sit imago gloriæ. quæ vera gloria. quid virtutis fructus.

P. M. A. M. Petro Fagiardo, Novæ Carthaginis Domino.

VIdi epistolam tuam Latine conscriptam, præ gaudio mihi cor sensi prosilire. Quantum namque sub umbra nostra, tum elegantia morum & doctrina clarorum auctorum crebra lectione, tum Romana lingua profeceris, ea ipsa indicat; succo plenam Physico, nec male cultam misisti. magistrum propediem, si dextram in scribendo exercueris, superabis. sed tum callidius quam Perdiccas à suo Dædalo cavebis. Dolor namque summus ex invidia, cum præcipue in gloriæ nostræ jacturam cedat, solet exoriri. nec quicquam nascitur in humanis, quod vehementius illam excutiat. te Murtiæ esse scribis, cum nova nupta, solo avito, ubi ex concepto erga maternum avum, tuo nomine appellatum, amore, vix adhuc juvenem populus ille te summa benevolentia prosequitur, observat, colit. In te unum spem esse illorum sitam, de avita virtute suscitanda, quæ illos ornabat, tutabatur, extollebat, sentimus. Sed boni viri procul dubio falluntur. Tanto namque (uti spero) clarior illo futurus es, quanto illo tu doctior, tu sapientior. Solum ille magnanimus in cives istos, ac liberalis, neutra illi naturæ dote cedis. addito igitur ad naturam, quod nostro ductu tuis vigiliis addidisti, quid fore putandum est? Imago ille, tu substantia. ille animos eorum alliciebat, tu nutries. in illo cupiebant; in te, qui nosti, quantum ab insomniis vera bona discedant, saturabuntur. Futurus es illis non modo patronus, veluti majores tui, sed animorum excultor. Quis namque tibi linguam frenabit, ne cum medius inter ejus urbis primarios sederis, mille tibi excidant sapientissima dicta, quæ illos cogant, ut apertis faucibus, in os tui loquentis protentos conjiciant, pendeantque soliciti atque mirabundi. Orpheum inter crepitantia saxa frondosasque arbores, cithara æmulaberis. Sed nec populares eas auras ita absorbebis, ut bona ipsa vera esse existimes. didicisti namque, me tibi Sapientum fores aperiente, Humana hæc bonorum esse æternorum simulachra, non vera bona. Quod ex animæ nostræ affectibus cognitu est facillimum, quæ his mortalibus non modo non satiatur unquam, sed ipsis irretita, convolvitur, vagatur, ægrotat, cruciatur. Quicunque ex hujus vitæ bonis, ægritudinis suæ medicinam se sperat habiturum, venenum suscipit pro Medicina. Sed quid ego hæc reputo, quæ tibi sunt propria uxore notiora? Valebis igitur. Madrito. III. Calendas Maii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCV.

Quare vivant homines cæcis mentibus. quam male major pars hominum eligat.

P. M. A. M. Alfonso à Silva Cifontei Comitis hæredi, discipulo.

EOdem tempore allatæ mihi fuerunt geminæ à discipulis epistolæ, hæc à te, à Petro Fagiardo Novæ Carthaginis Domino tibi condiscipulo, altera. defertis ad me quædam ambo de hominum generali sollicitudine curaque & perturbatione animi, circa hæc mortalia, nec pili facienda jure merito. diversis utimini ratiocinationibus, ad eundem tamen tenditis finem. diversas regiones incolitis. ille namque Murtiam in Tarrachonensi, tu Hispalim, in Bethica tenetis; uno tamen animo vivitis. eadem vos fecit disciplina moribus conjunctos. distantes licet natales sortiti sitis, proximos sese invicem semper vester intellectus, & contemplatio esse sentiunt. me vero beatis ambo, qui tanti facere, quos ex meis pomariis fructus delegistis, ostendere videmini. Cum namque rarissimum sit, in vestra cernere fortuna, Latinas literas, egregiosque mores, vosque utramque dotem magnifacere aperte cognoscamus, non est absonum ab humanitate, ut ego autor opificio tanto delecter, cum præsertim in hac vestra patria Hispania, è vestro culmine quæsivisse quisquam hactenus literas nusquam reperiatur. obfuturas namque militari disciplinæ, cui omnes inhiatis, falso vestri majores autumabant. de his satis. Pauca hæc ad ea quæ percunctaris, accipito. puros homines in orbe paucos reperies: soli qui candidis vivunt ac nitidis mentibus, possunt à bono malum discernere. cæcis igitur sensibus in mala potius major pars hominum prorumpit, quam in bona. quia quæ bona sunt intelligere nequeunt, bonaque illa esse credunt, quæ sectantur mortalia, utpote veri boni expertes. Quare cum vepres tribulosque serant, tribulos ut colligant vepresque necesse est. Cum inter saxa scopulosque versentur, crebro illidantur oportet. tu vero hæc à me habeto. bona quæ unica vulgus esse existimat, nec bona per se sunt, nec mala. Si ad manus ista boni alicujus viri deveniant, in bona convertuntur, ad bonosque actus sunt instrumenta:

sin vero in mali atque ignavi potestatem deciderint, mala esse diximus. quia illis ministrantibus, stupra, incendia. oppressio, perturbatio, direptio, vicinorum cædes, atque alia omnis generis flagitia, facinoraque excogitantur. Nec est quicquam alterius modi quam sunt ab eo emanantes effectus. Tu igitur quando, si te fata servabunt, (patre concedente ad superos) eam fueris fortunæ amplitudinem, quæ tibi relinquenda est, consecutus, horum memor esto præceptorum, atque operam dato, ut his titulis quos exspectas, eaque fortuna, ad obsequium tui, non ut illis tu servias, aut illis impellentibus quicquam admittas indecorum, utaris. Et vale. Madrito pridrie Nonas Maii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCVI.

Quid portendere soleat Tibridis justa inundatio. de Regibus & Bovitis Insularibus. quæ sint Medicinæ prærogativa. qui Reges medicam coluerint artem.

P. M. A. M. Pomponio Læto.

SCribis, Pomponi, Tibrim alveos suos adeo superasse, ut universam fere Urbem inundaverit, metasque à majoribus hactenus, ad ejus incrementum signatas, cubito amplius transiliisse, futuræ alicujus calamitatis proximæ præsagio antiqui adscribebant. Id nos floccifacere jubemur. Deus tamen bene vertat, ut sedent animos inter se, concordesque sint Itali Principes, optandum est. De Insularibus nostris Occeanis novi aliquid velles; accipe, quod nuper mihi de illis relatum est. Non arbitror decidisse tibi è memoria, quæ ad te scripsi superioribus diebus de Bovitis, qui & Medici sunt & sacerdotes. didicerunt nostri posthæc, Regibus illis esse curæ, ut à Bovitis in arte medica instituantur. veluti legimus quondam priscos Reges & Sapientes, exoptasse. Scis namque, nec te id præterire putandum est, Ægptios Persasque Medicos simul & sacerdotes fuisse Reges plures ac duces egregios, Saborem utputa Medorum, Mithridatemque duarum & viginti linguarum dominum Reges Medicinam, pluresque alios exercuisse, nec injuria quidem. hominis namque (cum ejus gratia Peripatetici velint ac Stoici cuncta sub orbe lunæ fuisse creata) res est hujuscemodi pertractare, quibus id assequamur, sine quo nihil in vita jucundum. quid namque prodest cuiquam vivere, sine sanitate? insaniant, uti lubet, plerique, parum distare incolumisne quis vivat, an æger, garrientes. quid Orpheus hymno decantaverit, de Sanitate repetito. vult is inutilia esse hominibus cuncta sine sanitate. Non absonum igitur in natura videtur, ut viri, tum sapientia, tum fortunis præcellentes, eam scire velint, eam exerceant artem, quæ ut homines vivant, incolumes efficiat. Nostros igitur nudos Insulares Regulos ne mireris, mi Pomponi, Medicinam artem velle cognoscere, potest & nudis natura dictare, ut ingenium ad bonas artes inducant. quandoquidem vestibus indutum, neminem creaverit unquam. quod mihi sit curæ plærumque ad te scribere, nescio quas agis gratias, verba simul & tempus in cassum teris, Pomponi suavissime; eo tibi emito pretio, quos nondum assecutus es, me autem, qui jure merito tuus sum, ne istis ulterius ambagibus circuito. Et vale. Madrito. IV. Idus Maii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCVII.

Proclamatio in Venetos. de illorum proxima pernicie post Ludovici stragem.

P. M. A. M. Prudenti viro jam senescenti Dominico Trivisano quondam Oratori pro sua Rep. in Hispania.

PRoh cæli! proh terra! ubi vester sensus? ubi vestra prudentia, Veneti? quis vos Argo hactenus multo magis oculatos obcæcavit infelices? Cupiditas forte. ajunt namque, ex composito vos Ducatus Mediolani partem, si Rex Gallus Ducatu Ludovicum Sfortiam spoliaverit, habituros; Bergamo, Brixiaque Ducatus membris, à vobis arreptis non contentos. O amaram sorbitionem! Socratica puto futuram vobis perniciosiorem. Ossa quæ vos aliquando strangulabunt, cupitis inglutire. Mediolano putatis contentos fore Gallos, vobisque partem Ducatus, licet nunc solvant, relicturos? fallimini. cuncta quæ nunc possidetis, & urbem ipsam quam incolitis aquis circumseptam in summo locatis discrimine. nescitisne impatientes esse quietis Gallos? quid fore putandum de vobis reliquave Italia, si Mediolani Ducatus, Potentiæ Gallicæ superaddetur? quid facitis vos senescentes? quid obdormitis? vestro vos Leone tutos esse arbitramini? Aquaticum estote memores Leonem esse istum, tenerosque ungues ad tantæ rei pondus enutrisse. cum vestræ religionis hominibus sanguinisque Itali ut intra homi-

hominum venas fervetur, non uti terram pinguefaciat, aut flumina inficiat, amatores, res fuit hactenus. propterea non solum vobis ex æquo pugnatum est, sed rapidas porrexit, excepto nemine, intra finitimorum omnium viscera palmas. Leo iste, quem minaci similem, torvis oculis, parietibus ubique locorum infigitis. Diverso hactenus fato rem agitis. Ludovicum Sfortiam ejicere studetis? Ludovicum Gallorum Regem, virum ab ineunte ætate rerum novarum studiosum, in Italiam adducitis? Terga dabit, quia Mediolanensibus non gratus, quod est vestro consilio maximum adminiculum, Ludovicus Sfortia. nec enim poterit tanto furori obsistere, sed barbam (ut vulgo dicitur) vestram, cum Ducatu spoliatum Ludovicum senseritis, madefacite. Acutior in vos novacula præparabitur. prandebit (uti puto) apud Ludovicum Ludovicus, apud vos, si vixerit, aliquando cœnaturus. Vale. Madrito. Calendas Junii, M CCCC XCIX.

EPIST. CCVIII.

Iam Galli Mediolani fines impetunt. Galeatius Sanseverinus Parideus Alexandriam deserit. Ludovicus Dux diffisus fugit. Sequitur eum Ascanius frater. Veneti Cremonam capiunt.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

SUperioribus diebus scripsi ad te, si memor es, trajecisse Alpes gentem Gallicam in Ludovicum Sfortiam. cepit Jacobus Trivultius familiaris Ludovici hostis, Gallici exercitus, de quatuor imperatoribus unus, oppida duo, unum quod nuncupatur *Nonum*, alterum *Rocham*, in Alpium radicibus, Ducatus initium. Adortus deinde finitima sternit, vastatque usque Alexandriam. hanc obsidet. fluit ex insperato tantus aquarum turbo, ut se magis obsessos, quam obsidere Galli sentirent. medios namque sese, flumine bipartito, non vadoso repererunt. Ita veluti conclusi in insula, dubii agebant. actum de Gallis ajunt, si Mediolanenses miseri leones, ducem sibi Leonem sortiti, & non pecudem fuissent. Præsidio tenebat Alexandriam Galeatius Sanseverinus, cujus causa Trivultius à Ludovico discesserat, illique bellum gerebat. Hic Galeatius est magis Parideus quam Hectoreus, magis elegans quam fortis animi; strenuus equorum agitator tamen. sed quid hæc ad ductitandos ordines? vervecem secuti ducem infelices milites, nullo urgente, nullo muros adhuc quatiente, imo & semiobrutis hostibus, fugam rapiunt, urbem deserunt. sicco illam pede Galli capiunt. in prædam, proh facinus horrendum! datur. Galeatius profiteri dicitur in mandatis se habuisse à Ludovico Domino, ne ullo pacto confligeret, ne manus cum hostibus confereret. has suæ fœdissimæ fugæ causas innectit Galeatius, asseruitque sæpissime, propterea secreto discessisse, ut Ludovico consulto, pedem illico referret ad milites, priusquam abisse sentirent. ast opinio fefellit. neque, quin improvidus fuerit, ordine non relicto Centurionibus, admittenda est ejus excusatio. Ludovicus vero audita suorum calamitate perterritus, quicquid auri, quicquid argenti ac gemmarum assequebatur, diffisus civibus, quibus minime gratus erat, in Germaniam præmittit, ipse subsecutus est, Ascanio fratre Cardinali Vice-Cancellario comitante. Joannes Jacobus Trivultius reliquive gentis Gallicæ ductores, qua is erat Mediolanensis primarius, urbem ingreditur. Veneti autem venditi vicini Principis, præmium Cremonam urbem insignem, & quicquid jacet Abdua inclusum flumine, Ducatus Mediolani dextrum oculum, fortunatissimam uberrimamque tellurem, ex fœdere capiunt. recusat totis viribus illorum jugum miseranda civitas. cogitur vel invita, spe recuperandæ unquam Libertatis amissa (ni Veneti deciderint) colla subdere. Quod Turcas in Venetos concitaverit Ludovicus, non vastum de retinenda Pisarum urbe hiatum suum, occasionem se Veneti fuisse nactos in Ludovici perniciem jactant. sed Deum supplices Veneti precentur, ne qua illis per apertum guttur edulium dulce demissum est, eadem quod illos perimat aconitum ingrediatur. satis evagatus sum. disces tu, qui partem habes in fortunæ gremio, quibus calcibus concutiat eos, quibus longo tempore est blandita, quando contrahere rugas frontemque obducere incipiat. Domus illa, illa Vice-Comitum, quæ finitimos, cum sese excuteret formidine replebat, prostrabat, evertebat, cui quascunque acies profligare facillimum erat, nunc sine hostium aptis viribus, ligatis manibus, in Gallorum venit servitutem. miseret, quia nescit ab injuriis temperare victor Gallus, Italo nomini semper infensus. Vale. Madrito. VI. Calend. Septembr. M CCCC XCIX.

EPIST.

EPIST. CCIX.

De classibus Turcarum & Venetorum. quam occasionem Veneta Classis amiserit.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

COllega tuus habuit à me paucis ante diebus, flebilem Mediolanensium calamitatem, tu vero quæ inter Venetos & Turcas nostræ legis hostes dum illa in Italia gererentur, acciderint, legito, Comitique nostro referto. trecentarum amplius navium classem Turcarum, Hellesponto freto, Cycladibusque, mense Julio, exiliisse refertur. Ingentes onerarias naves duas, quas *Barchias* appellant, cuparum capaces singulas quatuor millium, maritimas arces, visu horrendas, commeatibus pecuniisque ad stipendia nauli exercitui persolvenda onustas in reliquæ classis præsidium adducunt. tres quoque ferunt inesse *galeatias*, cuparum trium millium; quæ singulæ *Ianiceros* nomine eorum milites octingentos, gestare dicuntur. subtiles autem, quas appellant *Galeas*, triremes duas ajunt & octoginta commixtas. reliquæ naves ad ministeria, peditibusque addictæ, peranderiæ oblongæque utpote, sine puppibus, ad equos etiam importandos, ut solute illos in terram dimittere queant, advehuntur, navigiorum multiplicium, alimentis bellicisque apparatibus, quæ grandiores circumsepiebant, reliqua erat multitudo. sed ubi ubi classis illa petiit altum, tempestate dispergitur, plæræque obruuntur naves. ex brevioribus collectis domum quæ supererant, Coronum insigne ingensque in Peloponneso municipium, princeps ipse Turcarum, terra, cum ingenti exercitu, mari classe proficiscuntur, nullam ibi moram traxit, visit tantum, iterque prosecutus est ad conspectum Modoni opidi Venetorum Coloniæ, portum ingreditur, qui *Longus* dicitur, atque alias *Sapientia*. Turcarum classem Veneta classis ingens, duce Antonio Grimano primario viro, alias bene fortunato subsequitur semper. conferre manum Turcæ nunquam sunt ausi, terræ vicina semper tenent, litus assidue terræ proximi abradunt. ad milliare duodecim ab oppido Modono, Gionzium portum classis Turcarum ingreditur. ibi aliquamdiu præ timore Venetæ classis, quæ semper aderat immorata, dicitur tandem pridie Calendas Augusti Gionzio exiliisse. eam impetere Venetæ naves plæræque incipiunt. Fugere Turcica videtur classis, pauci primos bellatores Venetos sequuntur ad pugnam. Andreas Loredanus bello maritimo vir egregius, classem reliquam auxilio affuturam, si grandiores naves impeteret, existimans, grandiori navi, qua stipendia militaria portabantur adnixus, navim ipsam seque ac duas galeras, quibuscum manum conseruerat, sefeque Turcicæ navi connexuerat, igne supposito combussit, neque ex cæteris tota classe quisquam unquam accurrit, ut saltem eos qui se ab igne in mare dejiciebant, in suas naves tollerent. Ita Lauredanus, virique quicunque fortes illum secuti sunt, interiere, non tamen inulti. multo namque majus damnum hostibus intulit, quam patriæ. grandioris navis casu perculsi Turcæ, in terram descendunt, minores naves deserunt, nec illos tamen Veneti insequuntur. Ita per inertiam ducum, & sortem quæ sese obtulerat, Veneti amisere, & reliqua Turcarum classis exitium imminens evasit. Ad naves igitur redeunt Turcæ derelictas, iterque suum capiunt, eorum Principe terra ducente centum viginti millium Bellatorum exercitum. Hæc habeto, quæ nuper ad Curiam allata sunt. Et vale. Madrito. III. nonas Septembris, MCCCCXCIX.

EPIST. CCX.

Quid Turca ceperit. quid minetur. quid trahant Christianorum dissidia. it Mediolanum Gallus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

TUrcarum Principem cum centum viginti millibus armatorum exercitu terrestri, mari vero classe ingenti Græca littora, quæ Venetæ parent Reip. infestasse, alias scripsimus. Nuper autem à diversis & aliæ partibus epistolæ sunt allatæ, quibus à portu Gionzo, & nautico illo levi certamine, quo Turcica navis grandior, è nostris duæ Galeaceæ interierunt incendio, in Achaiam Turcas adnavigasse mari terrisque Lepantum ac Patras impetunt, sepiunt, quatiunt, expugnantque illico, quia imparatas reperere. Demisso dehinc exercitu, Biziancium referunt, eum rediisse. ast irato animo, inquiunt. in sequentem æstatem ad inceptam in Venetos provinciam non minores copias paraturum. Vide quid nostra pariant dissidia. Barbaris datur his artibus nostræ jacturæ copia. Venetorum ingluvies & Ludovicus Sfortia, qui Turcas in Venetos stimulavit iracunda versutia, totum orbem exagitant. Pœnas luit jam concitatæ barbaræ gentis in sanguinem Christianorum Ludovicus. aperiant, si quibunt,

quibunt, nunc oculos Veneti, erigantque aures ad venturum Gallicarum tubarum clangorem, quando illos sibi finitimos habent. Ut novos sibi mores Galli induant oportet exoptent. ipsi viderint. Per eosdem nuncios tabellarios scribitur Ludovicum Aurelianensem Gallorum Regem Mediolanum, ut urbem tantam nuper habitam pacet sedetque fuisse profectum. more triumphantis susceptum fuisse inquiunt. Ex animóne, an fictis vulgi clamoribus, non est nostrum quærere. abstinere vero, quin doleamus, nisi Galli, esse Galli desierint, minime nostri est arbitrii. Forte aliter sese gerent, in tantos cives, quam sit insitum illis in victos exercere. De his hactenus longioribus. hoc aliud habeto. Curia movebitur propediem, ne nos ex nimia sessione torpor fatiget. Granatam ad vos sumus profecturi. Ergo vale interea. Madrito. XII. Calend. Octobris, M CCCC XCIX.

EPIST. CCXI.

Granatam venit Regina Neapolitana Regis soror. Quid petat. Arcana concursationes ex Gallia in Hispaniam.

P. M. A. M. Bernardino Caravaialo Cardinali Sanctæ Crucis.

NUllas à me literas jam diu te habuisse conquereris. fateor id quidem. Cannabem ad contorquenda stamina defuisse cognoscito. relatu dignum nihil occurrit. quæ vero popularia sunt, tuis popularibus scribenda relinquo. quæ scribere nunc queam, accipito. Maderito, quod vulgus vocat *Madrit*, in nova Castella, à Toleto millia passuum triginta sex nostri Rex & Regina Granatam Septembri mense profecti, Parthenopœiam Reginam Catholici Regis nostri ex utroque parente sororem, cumque illa Cardinalem Aragonum, uti decuit, susceperunt. Scis hujus Reginæ filiam, ex Ferdinando I. Rege illius nominis, Neapolitano, Fernandi juvenis alterius nepotis relictam, agere viduam. Nostin' & Federicum Fernandi I. filium, qui nunc Regno potitur habito, quod nullos reliquerit Fernandus juvenis ex fratre illi nepos hæredes, filium habere, qui & ipse *Fernandus* nuncupatur. Calabriæ Ducem more familiæ illius, quæ successores in Regnum primogenitos, ipsis viventibus, Ducatu Calabriæ, quæ quondam *Magna Græcia* dicebatur, insigniunt, ut viduæ filiæ detur hic Fernandus adolescens Calabriæ Dux in maritum, nostrorum Regum assensu, Regina mater exoptat, quærit, instat. nostri Rex & Regina rem differunt. latere aliquid magnum suspicamur. non desunt qui cogitent versari animo Ludovici Aurelianensis Gallorum Regis, velle Neapolim à Caroli Regis manibus ereptam, repetere. nescit namque stare loco Gallus, quietis impatiens, concursationes quasdam arcanas sentimus. Amanti filiæ Reginæ de connubio verba dantur. Exspectat sollicita, quid fata ferant. Cur Rex hæc in diem ducat, non intelligit. Tu vale. Granatæ Idibus Novembris, M CCCC XCIX.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TREDECIMUS.

EPIST. CCXII.

Albaisinenses deficiunt in urbe Granata. quid inde.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

EX urbe Granata superioribus diebus breve ad te scripsi epistolium, quia majoris mihi tabellæ implendæ, materia non occurrebat. mense Novembri Reges Curiam universam, Hispalim deportavere. Ibi agebamus, quando in Albaizino Granatæ parte montana, quæ supereminet urbi, bellatorum hominum populosissima seditio, talis coorta est, ut prætorium militem, deficientibus telis, securi impacta, Albaizinenses peremerint, sceptrumque Magistratus insigne, quod manu gestabat, in eum perfregerint. His auditis, ex universa Bethica, præsidia jubent acciri militaria. Illi patrati facinoris conscii, ut malo malum adderent, turmatim grassati sunt, per dies aliquot, quosvecunque obvios trucidabant. Christicolæ, qui partem urbis inferiorem incolebant, in summo discrimine versabantur, ni duorum senescentium, Archiepiscopi & Tendillæ Comitis

mitis, quibus Reges urbis gubernaculum tradiderant, prudentiæ obstetisset, in ferrum flammasque omnes ivissent. Albaizinum secernitur mœnibus à civitate. mœnia illa Comes ita custodibus munivit, ut deficientium conatus represserit. Antistes vero, quia ob sanctitatis opinionem omnibus erat gratus, sese medium inter seditiosos conjecit, primorumque animos, tum spe, tum metu proposito, pacavit. pœnitentia igitur ducti, veniam implorant. Res hoc in statu est. quæ succedent, intelliges. Vale. Hispali. Calend. Martii, M D.

EPIST. CCXIII.

Galli Mediolano ejiciuntur. Ludovicus suscipitur.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

NUper ad nos celeres tabellarii attulerunt, Ludovicum Sfortiam, Helvetiorum quinque millium comparata manu, ex Germania in Ducatum Mediolani prosiliisse, à civibus vocatum, qui Gallorum ferre nequeunt insolentias. Jacobum Trivultium Rex gubernatorem reliquerat, in Galliam regrediens. hunc pati nequivit adversa factio, ejectus urbe, vix evasit. fugantur & Galli omnes. in castellum se recipiunt multi. Ludovicus urbem ingreditur, lætis animis uterque frater à civibus suscipitur. vulgus fortunam sequitur. Qui paulo ante terga vertentem lacessebat opprobriis, modo tollit ad astra. Novariam urbem adhuc Galli retinent, arcesque omnes. Veneti à fœdere Gallorum non discedunt. propterea non vivimus integra spe. nostri tamen Reges, qui nollent Gallos fieri potentiores, nequeunt temperare à lætitia. Hujus rei eventum exspectamus. Vale. Hispali. III. nonas Martii, M D.

EPIST. CCXIV.

Venditur Ludovicus ab Helvetiis. capitur Ascanius. Gallis traditur à Venetis. quid erraverint in hoc Veneti.

P. M. A. M. Suo Comiti.

OFficio funguntur suo res humanæ. versatilis hæc rota mutare naturam non intendit. ostendit fortuna Ludovico Duci Mediolanum, ostendit tantum, ad majorem ipsius calamitatem. venditur miser ab Helvetiis, quos conduxerat. in Galliam vinctus infelix ductus est. Sed audi, quonam pacto res evenerit, ut quam incerti sint belli exitus, intelligas. Stabant signis opposita signa, ut in agro Novariensi, Ludovici & Gallorum acies instructæ, confligerent, quando perfida Helvetiorum phalanx, quæ Ludovici stipendio militabat, è turba militum, ad pugnam paratorum, impudens crudelisque animo secessit: *nolle se*, inquiens, *gladiu aciem in patria, qua ex adverso vexilla cernebat dirigere.* Helvetios namque & Galli conductos habebant. Ita impotens effectus Ludovici globus, pugnæ cessit. Ludovicum Gallis tradidere. hæc circiter idus Aprilis allata sunt. In quintum inde diem, malum malo additum accepimus, Ascanium utpote fratrem ejus Cardinalem Vice-Cancellarium fugam, Romam versus, audita strage, captantem, quamvis Alexandro Pontifici, qui & ipse Gallos excitaverat, parum fideret, in Venetorum manus cecidisse affertur. Et quod gravius est, Gallorum metu perculsos Venetos, Gallis Ascanium, tanquam ovem ad victimam, tradidisse; minitatos fuisse Gallos, *se bellum ipsis indicturos* asseverant Veneti. In Galliam & miser Ascanius sub tuta custodia trahitur. Obcæcantur indies magis ac magis, uti video, Veneti. Quisnam liberatos ab omni metu Gallos, ô Veneti, frenabit, ne vos impetant, quamcunque causam nacti? liberos jam illos, tradito Ascanio, effecistis, quem si evadere incolumem, vel dissimulanter permisissetis, obicem habebatis egregium, quo intra limites suspensosque ac timidos, immo & vobis obsequentes Gallos efficiebatis. Helvetios vero ajunt ex fœdere Ludovici venditi, septuaginta millium nummorum aureorum pretium postulare. Hoc, inquiunt, palam & aperte fieri. Nec illos tantum facinus ea petitione fateri erubescere, sed perfricata fronte, ni præmium Galli promissum præbuerint, illis se vindicaturos minitantur. Vale. Hispali XIV. Calendas Aprilis, M D.

EPIST. CCXV.

Quæ pœna Granatensibus. Quid Alpuxarrenses. It ad eos Rex. quo exercitu: & quibus ducibus. Quid actum: Quid Ogigiar oppidulum.

P. M. A. M. Suo Cardinali Sanctæ Crucis.

SCripsi ad te alias, purpurate Præsul, quid Albaizinenses eminentioris Granatæ urbis partis incolæ, patrarunt. ob admissum facinus Lex est illis proposita, utrum supplicium malint an baptismum. Ad Christum conversi sunt omnes, Regibus id suadente Archiepiscopo Toletano, ne perirent. Tu vero, inquies, hisdem in suum Mahometem vivent animis, atque id jure merito suspicandum est. Durum namque majorum instituta relinquere;

quere; attamen ego existimo, consultum optime fuisse, ipsorum admittere postulata. paulatim namque nova superveniente disciplina, juvenum saltem & infantum atque eo tutius nepotum, inanibus illis superstitionibus abrasis, novis imbuentur ritibus. de senescentibus, qui callosis animis induruerunt, haud ego quidem id futurum inficior. Hæc impræsentiarum commoditas assurgit, ubi fatuus ille seductor Mahometes colebatur, Christi nomen, dulcibus illustrabitur cantibus. ubi exosum hactenus & stomachosum erat Christi Legem velle audire, ibi posthac per pulpitarios Oratores sublatis vocibus licebit tuto illam discutere. Verumenimvero audi, quid ista pepererint prima facie tremebunda. Montani Alpuxarrenses, qui nivales montes incolunt, quamprimum Christi præcepta subiisse Granatam urbem, ejus Regni caput acceperunt, ne idem ipsis accideret veriti, turbatis animis, & montium etiam, qui paucis in locis sunt pervii, natura freti, deficiunt. De Francisco Ximeno Archiepiscopo Toletano, qui suaserat, ut ea Granatensibus Lex proponeretur, cuncti murmurabant, ejus defectionis fuisse causam jurgiose blacterabant. It ad eos Rex coactis ex universa Bætica octoginta millibus peditum, equitum autem quindecim millium, belli strenuos duces, per diversa præmittit. Rex ipse frontem hostium, montiumque fauces, qua planitiem spectabant Granatensem, aggreditur à tergo illos, qua jacet insigne oppidum Andaraxium, Lerini Comes, Navarræ quæ in Cantabris est, Comestabilis, id est, magister equitum, adoritur, vincit, prostrat, sternit, trucidat innumeros. oppidum universum disturbat. Almeria civitas est munitissima, quam simul & Baciam cum Guadixio ceperant, maritima eductaque est in Herculei maris litore, in horum nivalium montium radicibus sita. ea in summo fuit discrimine, tum quia imparatos reperit, sine ullo militari præsidio, cives ista seditio, tum quia Marchenam Alhamillamque, duo montana oppida, urbi vicina jam defectores ceperant, ad Almeriamque impetendam, jam se accingebant. Ast ex Murtia quæ Regni Novæ Carthaginis caput est, cum auxiliis accurrit Carthaginensibus, Petrus Fagiardus ipsius Novæ Carthaginis Dominus, qui ibi juvenculus adhuc, agebat cum nova nupta. Is non contentus Almeriam ab impetu hostium posse defendere, ad hostes venientes proficiscitur. quater una die illos profligat, oppidaque ambo Marchenam Alhamillamque, de ipsorum manibus eripuit. Rex vero, quia ipse fuerat castrametatus, unde minime hostes suspicabantur, exercitum per callidos speculatores, per quosdam anfractus invios, ad culmina montium ducit, transilit in hæsitantes, discurrens quædam nostrorum juvenum aulicorum copia, constructos eorum aggeres disrumpunt, obvios quosque trucidant. Langiarorum ejus plagæ natura ac arte munitum oppidum, & si arx aliquantisper obstiterit, sese dididit. baptismum & ipsi, ne pereant, paciscuntur. Ita felicibus avibus Rex Hispalim ad nos nudius quintus rediit. Est Ogigiar ab urbe Granata oppidum, tria tantum milliaria distans. mira fuit rabies oppidanorum. fere omnes interiere gladiis pugnando acerrime. Ex illis plerique inermes, cum nostris armatis, & cataphractis, conseruere, ac multos è nostris militibus confodere, priusquam succubuerint. qui fuere superstites, & ipsi vicinorum exemplo baptizari optaverunt, ne meritas pœnas luerent. Succincte ista volantique dextra, quia petasatum sentio esse tabellarium, tibi significo atque eadem fero. Vale Hispali. XVII. Calend. Augusti, M. D.

EPIST. CCXVI.

Moritur Princeps Michaël. quæritur dispensatio pro altera filia danda Emmanueli viduo. Catharina quarta filia datur Angliæ Principi. Philippus gener & Ioanna filia accersuntur ad hæreditatem.

P. M. A. M. Suo Cardinali Sanctæ Crucis.

SEdatis rebus Granatensibus, Catholici Rex & Regina nostri, proficisci Granatam constituerunt, ut à laboribus & assiduis itineribus menses aliquot ibi pedem figerent. Circiter Idus Julias eo advenerunt, sed infausto sidere. periit inter ipsorum manus XIII. Calendas Augusti omnis eorum spes posteritatis masculinæ, infantulus, inquio, Princeps Michaël ex Emmanuele Portugaliæ Rege & eorum filia nepos, quæ in Augusta Cæsarea ipsum Michaelem pariens, naturæ concessit. Scis namque post Joannem Principem unigenitum, Margaritæque abortivum nullum relictum fuisse, illis alium, præter filias, hæredem, atque ex primogenita, infantulum hunc exortum. Exspectant etiam à Pontifice, ut eidem Emmanueli ducere Mariam ex natabus tertiam priscæ ipsius uxoris sororem liceat. nostris namque Legibus nosti cautum esse, ne duas quisquam sorores sibi uxores habere queat, inconsulto Pontifice. Ut variis tibi canistrum floribus impleam, advertito & aliud: Catharinam de filiabus quatuor ultimam, Brittanni Regis filio primario desponderunt. Atque iterum

 aliud,

aliud, ne de mensura conqueraris, accipito, Joannam filiam Philippo Burgundo Austriæ Archiduci, Flandriæ in Belgio Comiti, uxorem datam, cum viro, ad Regnorum tantorum successum, accersunt. missi sunt ad hoc celeres tabellarii. Huic namque Jus Regium obvenit hæreditarium, cæteris qui præerant vita functis. Hujus infantuli Michaëlis mors, acriter prostravit utrumque avum. Jam non satis æquo animo tot Fortunæ alapas sentiunt. Unde perturbatrix hæc rerum mortalium, inter tot applausus, tot rugas contrahat, inter tot fata læta, tot tribulos spinasque conserat, obstupidi mirantur, dissimulant tamen tenebras mentis pro viribus, & sese lucidos ac fronte serena populis ostendunt. quid autem lateat, non difficile conjectatu est. Vale. Granatæ. IV. Calendas Augusti, M D.

EPIST. CCXVII.

Quam inaudito casu Modonum Veneta capiatur, in Græcia à Turcis. capiturque Coronum municipium. Quid pariant Christiana dissidia.

P.M.A.M. Petro Fagiardo Novæ Carthaginis Domino, discipulo.

GEneroso te fortique animo Maurorum conatus cum præsidiis Carthaginensibus repressisse, per Almeriensium literas, qui se in supremo fuisse discrimine semi adhuc tremuli balbutientesque fatentur, didicimus. perniciem suam palantes ad horam exspectabant. Hi scribunt, eodem te die hostes quater aperto Marte profligasse, Marchennamque atque Alhamillam Juris Almeriensis oppida munita, te referunt restituisse. Captum namque præter Marchennam solam arcem utrumque ajunt. res hæc tibi summo decori datur, mihi vero, qui te institui, non parvo est ornamento. Cedere, inquiunt, qui bene interpretantur, huic tuo facinori præclaro, ducum aliorum gesta, tum quia non minus clarum, tum quia tu adolescens, Martique nuper natus, è cunis pene exiliens tete ita gesseris, ipsi vero veterani sint, diuque exercitati. Faxit Deus, uti indies magis ac magis hujuscemodi de te, ac majora sentiamus. Petisti à me aliquando, ut te meis literis ad scribendum impellam, ne sermo Latinus, quem non inculte complexus es, ex dissuetudine in te pereat. obsequar tibi, moremque geram posthac animo libenti. Tibi egregio Duci, quæ ab Oratoribus exteris, in Curia versantibus, de Principum alienigenarum gestis, ex eorum commercio, in dies magis intelligo, significare intendo: Dum interea præcipue Granatæ apud Comitem meum Tendillæ, & Archiepiscopum senes, & ipsos eruditos, ago, ad quos absens scriptitabam. Ad præsens igitur, licet auditui non bene sapidum, hoc habeto. Turcarum Princeps Hellesponto classem eduxit ingentem. Ipse vero, exercitu coacto terrestri numerosissimo, mari terraque Modonum Venetorum coloniam in Græcis litoribus impetit, diu obsidet, capit tandem. Sed infelicem audi casum miserandumque in fatorum nuper penetralibus adstructum, minime notum hactenus in re bellica. Modonenses obsessi tormentario carebant pulvere, quoniam in hostes innumeros projecerant æneos, saxeos, ferreosque globos. per obsidentem Turcarum classem navigiola, quæ indigentiam Venetis aperiant, dimittuntur, evadunt. O inauditum calamitatis genus! qua salus exspectabatur afflictis, ea internicies oborta. petita per obsessos ad unguem importantur. Turcarum findunt classem missæ triremes, vento in puppim exspectato, portum capiunt. Illis ad mœnia vectis intra portum, publico statuitur edicto, ut quicunque pulveris ejus cadum è triremibus detraxerit, auream assequatur dragmam, quæ est ducatus. superveniebat namque Turcica classis, ut triremes subsidiarias aut caperet aut adureret; illa insequebatur. Turcarum Imperator classiariis ducibus necem fuerat minitatus, ni triremes illas raptarent, quas per tot navium multitudinem transvolasse, permisissent, ducum incuriæ atque inertiæ trajectum triremium adscribens. edicto præcepto milites, lucri causa, murales deserunt stationes. E muris qua Turcarum exercitus despici poterat, præsidiis vacuas esse stationes quidam proditores innuunt, excussis manibus chlamydibusque rotatis: ut facto impetu accedant Turcæ, parietibus scalas admoveant, signa dant. Muros Turcæ impetunt, desertas reperiunt stationes. scalis inmituntur. ingreditur multitudo ingens. oppidum capitur. fit miseranda cædes. nullus quin trucidatus aut captus fuerit, ductusve servus, evasit. Lætus ea victoria tumidus atque insolens Turcarum princeps, redit Bizantium. Ex itinere Coronum, illustre in Corinthiaca Græciæ provincia, oppidum, vicinorum calamitate, ac Turcarum minis perterritum sese dedidit. Ita hostium, nostra desidia, vires evalescunt, nostræ vero hebetantur. Vale. Granatæ. V. Calendis Octobris, M D.

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER QUATUORDECIMUS.

Epist. CCXVIII.

Altera è filiabus Emmanueli despondetur. Catharinæ dotalia parantur. dividunt inter se Regnum Neapolitanum Gallus & Hispanus. spicatum mittitur Federicus Rex infelix. Quare hoc fecerint Rex & Regina.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

AD Emmanuelem Portugaliæ Regem ductam fuisse uxorem, tertio Regum genitam, *Mariam* nomine, hinc pridie Calendas Octobris abduxerunt, Medicus tuus Tirasonensis doctor Carrasconus, quem hic apud Reges habebas, eo tempore rerum tuarum procuratorem, ad te scripsisse mihi retulit. Propterea mihi cura non fuit, de illis tunc mentionem facere. nunc autem, quia neminem hic video ex tuis familiaribus, quæ ferveant à me accipito. Catharinæ de filiabus quatuor, quæ matris uterum ultima clausit, dotalia parantur. ad sponsum in Britanniam ducetur propediem, qualem tantorum filiam Regum decebit, uti ex Regis audio penetralibus, dimittent. Hoc eodem tempore, ut intelligas quantum sit rerum culmini parum fidendum, eja, expergiscimini fortunæ filii, expergiscimini, argumentum vestræ fragilitatis ab hoc exemplo colligite. Hinc miseræ Reginæ, Regis ex sorore neptis, nuptiæ disturbantur. Hinc mater infelix, se frustratam voto reperit. concursationes illæ quas ad te scripsi alias (ni fallor) hoc portendebant. diviserunt sibi partibus, ajunt, æquis Neapolitanum Regnum Gallus & Hispanus. *spicatum* (ut est in Hispano proverbio) Federicus eat, contumque & cucurbitam quæritet, ambo icto fœdere constituerunt, ut civitatem ipsam Regni caput Neapolim, cum universa Campania Gallus, ut Apuliam Calabriamque Hispanus capiat, pacti sunt. Facile factu puto, ut infelix Federicus Regno spolietur. Catellus namque solus, duobus famelicis leonibus, haudquaquam potis erit obsistere. Hic forsan, purpurate Præsul, mirabere, cur affinem Federicum ita iri perditum patiantur. Regis namque est, ex Ferdinando I. ipsi patrueli, minor nepos, sed quæ referant, ne culpæ illis adscribatur, habeto. Inquiunt interrogati Rex & Regina, *sese totis viribus, per nuncios, per celeres tabellarios, per religiosos viros fuisse conatos actitare, ne Ludovicus Aurelianensis Gallorum Rex impetere Regnum Neapolitanum, pararet.* Inquiunt, *nixus eorum frustratos omnes, neque id ab ejus animo divellere unquam potuisse, proposito etiam tributo, quod se pro Fœderico, tanquam vades persoluturos, ni Fœdericus annuerit, pollicitos fuisse* dicunt. *Cum igitur prudentes Neapolitanum Regnum ad Gallorum manus propediem esse venturum prospicerent, quia ipsi nequeant, quales optarent ferre suppetias, quod maxime distent: è duobus incommodis alterum,* ajunt, *se minus grave delegisse, ut* scilicet *dimidiam ipsius Regni partem assequantur, ne in Gallorum potestate universum cadat.* facilius namque se sperant, eam partem, quam sibi Galli sortiti sunt, habituros aliquando, quam si universum Regnum occuparint. utcumque sit, arma parantur; quibus ni monitus cesserit Fœdericus, illata vi cogatur abire. ex proximiori tu, qui Urbem, Regno vicinam, inhabitas, aliquando videbis, & infelicis Regis, optimi quidem viri, misereberis. Vale. Datum Granatæ. XIV. Calendas Martii, MDI.

Epist. CCXIX.

Divisio Regni. Fœdericus in Galliam abit. Ferdinandus ejus filius adolescens Tarentum sustinet. Rex uterque coronatur, Gallus & Hispanus.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Novæ Carthaginis Domino, discipulo.

SOlent veteres molossi de catellorum faucibus juvenculorum escas abripere, non autem anniculus gravescenti. *Quorsum isthæc* inquies, *comparatio*? donec veterem novamque Castellam, Curia, cujus ego perpetuus incola sum, tenebat, cupidum Tendillæ Comitis, cujus ego ductu in Hispaniam me contuli, ingenium, crebris implebam significatio-

ficationibus, alteriusque senescentis Archiepiscopi Granatensis, una demulcebam. Vivunt namque duo hæc Comitis & Antistitis corpora sub uno spiritu, tanta est tamque efficax inter ambos amicitia. Nunc vero cum illos habeam singulis horis ante oculos, vivaque occurrant voce, coram pertractamus, ad te propterea juvenculum, à fere decrepitis, sermo noster posthac convertetur, hac tamen lege, si te novero rerum exterarum esse non minus cupidum, quam sis animosus fortisque animi. Magnanimus namque maternum avum, tui nominis egregium bellatorem referens, fuisti semper. Capito igitur, quæ nuper allata sunt ex Italia. Gonsalus Fernandus Aquilaris Cordubensis, tibi amicus, qui una cum Venetis Fernando juveni regio nomine suppetias in Regnum Neapolitanum quondam tulerat, quibus auxiliantibus Carolus Francorum Rex, Regno terga dedit, cum præsidiis militaribus iterato missus in Italiam, eam Regni partem, quam nostri Reges cum Ludovico Aurelianensi Gallorum Rege pacti sunt, amplexus est, Apuliam utpote Calabriamque, Siciliæ citra Farum finitimas provincias; urbs autem ipsa Neapolis cum universa Campania Gallis obvenit. restitit aliquantisper Fœdericus; cessit tamen. in Galliam profectus est. Fernandus vero ipsius Federici primogenitus, qui post patris obitum, Regni habenas exspectabat, licet vix adolescat, Tarenti adhuc sese tutatur. at cum necunde auxilia ventura cernat, ut sese dedat, oportet. Alexander vero Pontifex Maximus, ad quem Regni feudum attinere inquiunt, ex insperato requisitus ab utroque, scilicet Gallo & Hispano Regibus, Regem tali novitate surgente propere, stupidus utrumque coronat: vel invitus, veritus amborum potentiam. Hæc habeo quæ tibi referam impræsentiarum de rebus exteris, nostratia vero genitor tuus, qui Reginæ lateri semper inhæret, genitorisque ipsius familiares, tui amantissimi, qui te colunt & observant, ad te crebro, me interdum nescio scribunt. Hanc ego curam illis relinquo. Vale. Granatæ. III. Calendas Maii, MDI.

EPIST. CCXX.

Recusarunt classem Hispanam Veneti in re Modonensi. capitur Cefalonia. Mitylene insula frustra oppugnatur. Classis Gallica inglo-ria naufragatur.

P. M. A. M. Petro Fagiardo, Novæ Carthaginis Domino.

TEnes, ut arbitror, quæ tibi de capta Venetorum colonia Modono significavi. amissam fuisse Venetorum partim incuria, partim superbia, plærique immurmurant. Ajunt namque, *oblatam classem nostram, quæ sub Gonçalo Fernando ad Regni tutelam vagabatur semiociosa, recusasse, ne quisquam ejus gloriæ, quam in manu se habere putabant, particeps efficeretur.* At Venetos audivi conquerentes de nostrorum inertia, qui accessum distulerint. utcunque sit. in prædam data est misera urbs, uti jam scripsi: nunc vero advertito, quæ deinde gesta sunt. In Adria magni maris Jonii sinu multæ jacent insulæ, *Cyclades* appellatæ. His majore ex parte, quia maritimo studio Principes omnes superant Veneti, imperitant. Samon insulam, *Ithacam* Ulyxis quondam patriam, Dulichio proximam, quæ nunc est *Cefalonia*, & ad Hellesponti pene fauces: Rhodiis vicinam Mitylenen: Turcæ possidebant utramque; armis Veneta sæpe classis impetiit: At sæpius Cephaloniam. quare Gondisalvus noster Fernandus, cum præsidiis Hispanis, quæ per ea maria post Regni divisionem ociosus ductitabat, Cefaloniam una cum exercitu Veneto impetiit, oppugnavit, cepit, non tamen sine gravi nostrorum incommodo. ferro namque oppugnando multi, alimentorum penuria, & aëris contagione plures interierunt. Venetis ex Regum mandato, insulam reliquit. Veneti vero Gonsalum Fernandum præclaris, qualibus decuit insignem bellorum ducem, donavere muneribus. paucos post dies eandem sumpsere Galli cum Venetis contra Mitylenem provinciam, multa magnaque utrimque navigia coëunt. numerosa classis instruitur. Mitylenem adnavigant, oppugnant oppidum, sauciantur multi. rem deserunt. re infecta Galli revertuntur. redeuntes maris iram experti sunt. Qui sanguinem honorifice apud Mitylenen effundere recusarunt, freto absorpti, vitam projecere inglorii. intra Cythereas namque rupes universa ipsorum classis rediens illisa est. cum fortunis omnibus naufragio lacerata, obruta atque submersa interiit. ex omnibus pauci, scopulis innixi, evasere. hæc ad te interdum destino, quando ad

ad curiam ista per tabellarios portantur: plærumque etiam ea differo, quia nuncii desunt, qui ad te proficiscantur, cum seclusus lateas, inter Carthaginensia promontoria, scombros, cum nova nupta, vorando, ubi te vitam agere cum libris, & quando librorum te satietas ceperit, venatui indulgere te prædicas: quæ utraque laude digna judicamus. Vale. Granatæ nonis Junii, MDI.

EPIST. CCXXI.

Oratores pro Philippo. Quid agitetur. Catharina mittitur ad virum in Britanniam. Serra Vermegia rebellat. Alfonsus Aquilaris primas trucidatur cum multis. Mauri tandem cedunt.

P. M. A. M. Suo Cardinali Sanctæ Crucis.

PHilippum Burgundum post Michaëlis Principis obitum fuisse cum uxore Joanna per celeres tabellarios accersitum, superioribus ad te diebus scripsi, nostræ religionis Cardo non infirme. Belgæ illi Heduique Bituriges ac Celtæ: & reliquæ gentes, quibus imperitat Philippus, ut eos deserat minime patiuntur. At Oratores ab eo Joannaque missi sunt, Archiepiscopus Bisontinus, qui à teneris Philippum præceptor instituit, ac Filibertus de Vere. hos hic habemus, cum eis agitur, ut Philippo accessum persuadeant. filiam namque non cessuram, quin maritum sit secutura, non dubitant. se daturos operam Rex & Regina pollicentur, ut ab universis amborum ditioni subditis populis, profuturis Regibus, si priores ipsi naturæ concesserint, adjurentur. monere Oratores Reges videntur, ne Philippus adventum differat. Difficile factu proponunt, posse pacato unquam Hispanos gubernari: nisi apud eos prius diu Rex futurus versetur, bono esse animo Bisontinus videtur. Hominem rebus consulturum credimus. prudens est & sui Principis amantissimus. se propediem discessurum, ipse mihi retulit. de his satis. ad alia veniamus. Catherinam ultimo natam, in Britanniam ad sponsum Britanniæ Regem, servato fatorum ordine, futurum, ex Halhambra arce regia V. nonas Maii dimiserunt. in portu Clunio in Galezia, adhuc est in anchoris. prosperos exspectant flatus. timet à longe maris occidui minas tenera puella, regiis delitiis, intra regias aulas educata. Pollet tamen animo, pro viribus fœmineis. viget ingenio & prudentia. Matrem præter cæteras sorores æmulatur. aliud tertium accipito de montanis Serræ Vermegiæ, qui veriti, ne vetera Mahumeticæ Legis instituta deserere cogerentur, defecerunt & ipsi velut Alpuxarrenses. Hi sese fortiter strenueque diu tutati sunt, locorum aspera natura illis maximo fuit adjumento. Magnis nostris exercitibus non modo obstiterunt, sed & structas acies nostras profligaverunt, ferieruntque ac trucidaverunt ex nobilibus plurimos. Alfonsum Aquilarium Gonsali Fernandi, qui res gerit Parthenopeas imperator egregius, fratrem natu majorem, potentem cordatumque inter Hispanos Optimates equitem auratum, primarium ducem, rei gerendæ, secuerunt hostes in frusta, ita ut vix postea, cedentibus illis, inter mortuos dignosci potuerit familiarium, clientum, ac fidorum amicorum apud eum ingens copia trucidata. nulli obvio pepercerunt, captivum ducere quenquam, aut servare, haudquaquam passi sunt. renovatis copiis Mauros nostri adstrinxerunt. colloquium petunt fœdusque ineunt, ut in Africam eos trajicere Reges sinerent, eis navigia, quibus tuto quirent transfretare, præberent. Ita natale solum avitasque domos linquere maluerunt, quam nostros sibi mores induere. tanta est ab atavis & majoribus institutionis assumptæ vis. Regibus haud ingratus fuit discessus. Sic expurgari malo gramine terram paulatim, inquiunt. Nil ultra restat, quod impræsentiarum tibi scribere possim, significare. Et sero interdum ista tibi porriguntur, quia raro à nostris his terrarum finibus ad vos tabellarii volitant, & mihi de manibus plærique evadunt, quos me latet fore discessuros. Vale atque animum contemplator meum, quando res desit interdum. Granatæ v. Idus Junii, MDI.

EPIST. CCXXII.

Fit Cardinalis Didacus Furtatus Mendotius. Philippus gener exspectatur. movetur autor, ut se apparet ad Soldanum Orator.

P. M. A. M. Suo Cardinali Sanctæ Crucis.

RUbro decoravimus galero, beneficentia summi Pontificis, tibique dedimus collegam, Jacobum qui Hispaniæ dicitur Diecus, Furtatum Mendotium, magni illius Cardinalis Mendotii Petri Gonsali ex fratre nepotem, Hispalensem Archiantistitem ac mei Comitis Tendillæ, ex utroque parente, germanum. Is eleganter sese sub purpurea ista trabea condit, ut non minus illam ornet, quam ornetur ab ea. pollet namque præstantia corporis ac vultus dignitate. genus, mores, literarum peritiam, atque animi dotes illius tu nosti, qui familiam hanc de te optime meritam

ritam fatearis. Fuit namque tibi Petrus Gonsalus hujus patruus, ad Cardineum gradum tuum assequendum, non parvo adjumento. hunc jam rivum (ut ajunt) claudamus; alium aperiamus. meministin' me tibi significasse Bisontinum Archiepiscopum Filibertumque de Vere Philippeos Oratores, de suo in patriam discessu me fuisse allocutos? dimissi sunt, nec leviter donatus muneribus uterque est. De Philippi adventu spem reliquit Bisontinus. De Joanna ipsius uxore nihil ambigitur, si maritus advenerit. est namque mariti amantissima. licet tantorum Regnorum utriusque parentis & aliorum, quibuscum fuit enutrita, cupiditas minime moveret, solum viri desiderium, quem ardentissime dicitur amare, illam attraheret. de me autem hoc habeo, quod tibi per hunc tabellarium brevibus significem. à Regibus moneor, ut me ad iter orator futurus accingam, præparemque. necdum quid velint, quove me sint destinaturi, aperuerunt. Vale. Granatæ. pridie Calendas Julii, MDI.

EPIST. CCXXIII.

Dissident Hispani & Galli. ex quibus causis. iterum Autor collachrymatur Italiæ ruinam. de Leguleiis. de Sophio. de autore ipso.

P. M. A. M. Petro Fagiardo discipulo, Novæ Carthaginis Domino.

HEri forte fortuna apud genitorem tuum prandebam, quando sermonem ad uxorem tibi novercam, dirigens, se missurum ad te nuncium aperuit. sumpsi calamum illico, ut pauca quæ mihi ab Oratoribus Pontificio ac Veneto, quibus summa benevolentia devinctus sum, recitata evenerint, tibi referam. In Neapolitano Regno lis coorta est inter Gallos & Hispanos. fovetur nunc veluti sub gallinæ alis pullus exiguus; detegetur (ut arbitror) propediem latens ignis aliquis, qui totam denuo Italiam perturbabit. hinc emergit eorum dissidium. duæ sunt in Regno provinciolæ; harum altera vulgo *Basilicata*, altera *Capitanata* nuncupatur. ambas Hispani, quia *intra fines ipsis sortitos esse* inquiunt, amplexi sunt tenentque. Galli *intra suos esse, sibique conducere, maximeque sibi opus esse* inclamitant. *Urbem Neapolim rei frumentariæ penuria, his duabus provinciolis amotis, semper laboraturam* conqueruntur. Inde namque prisci Reges Neapolis regiam saturabant. res in dubio est. Vetera Regni statuta excutiuntur. consuetudines quæritantur. intra Campaniæ fines, an Apuliæ fuisse intelligantur hactenus, resecatur. Legum ænigmata cudunt. dissolvuntur. libri utrimque à Leguleis convolvuntur. Sed quid iri perditum labores suos boni viri patiuntur, ubi agendum est armis? quid toga aut codicibus opus est? Non est vestrum Legulei de tanta re judicare. non stabitur vestris promulgationibus. non vos magnarum rerum gestores tanti faciunt. nollet Hispanus tantæ rei possessæ manum aperire. Ægre Gallus, quod sibi expedire putat, deseret, mordere sese conviciis invicem utrimque duces incipiunt, venturos ad arma credimus. Hæc de nostris rebus, quæ in alienis terris geruntur, longius tendo. Ab oriente referunt, *juvenem ignotum quendam in Persas arma sumpsisse, universamque jam Persiam, Parthiamque, ac Mediam debellasse, cunctis orbis Principibus inde*, inquiunt, *illum minitari*. Sophium *appellari juvenem* dicunt, *generoso magnanimoque animo pollentem*. hæc pauca in nube allata sunt. Quid sit hoc pariturum, nescitur. Si res crebrescet, tibi significabitur. Aliud accipito perpendiculum, ut legandus ad longum iter capiendum me apparem, Reges imperant, quo, quidve causæ jus sit, nondum intelligo. Vale. Granatæ. IV. nonas Julii, MDI.

EPIST. CCXXIV.

It autor ad Venetos, dehinc ad Soldanum orator.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

CIrciter Calendas Julias arbitror scripsisse ad te, me fuisse monitum à nostris Rege & Regina Catholicis, ut me ad iter accingerem, nudius tantum tertius, quid velint quove destinent, aperuerunt. Venetias primum cum arcanis quibusdam mandatis, ad tam insignem Remp. mittunt: ad Soldanum deinde Babylonium, Ægypti, Syriæ, atque universæ Palæstinæ, Idumææque Dominum, ut transfretem, imperant. Is se coacturum Christianos omnes, ut Christi Legem abnegent, Mahumetemque complectantur, minitari dicitur, occasionem nactus, quod Granatenses populi, Mahometem suum deseruerint: vim illis illatam fuisse putans. Id namque illi, Judæi, Maurique atque Hæretici eliminati à nostris Regibus, persuaserunt. quid ultra datum sit agitandum, longum esset recensere. rem prius aggrediemur, successus postmodum intelliges. Cras qui est dies Veneri assignatus, Iduum

Augusti

Augusti dimittor. Utinam bonis avibus, per maris ac terrarum graves labores, & ingentia pericula, sim universam percursurus Europam, Asiamque atque Africam, non intactas, si duces mihi Cælites habuero, relicturus. Fido cælestibus, assumo libens provinciam. Sapidum namque mihi semper fuit, alienigenas regiones peragrare. saturatur multo plenius humana mens videndo, quam aut legendo, vel audiendo. hæsitat namque semper, verane sint an ficta, quæ legit aut auribus percipit noster intellectus. quæ vero corporis inspicit luminibus, lucida illi certaque sese afferunt. Vale. Granatæ. pridie Idus Augusti, MDI.

EPIST. CCXXV.

Significativa de discessu ad legationem.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

PEtasatus, ut vulgo dicitur, pedem habens in intipode, quem vos *stribium* appellatis, hac pauca exaro. ad Venetam Remp. ad Babylonium inde Soldanum, Orator destinatus à Catholicis nostris Regibus jam discedo. Hæc est dies Idus Augusti, qua, Deo duce, quicquid Christiano licet pedibus terere, peragraturus sum. Funde pro Martyre tuo institutore vota, precesque, ut incolumem illum servent referantque incolumem. Et vale. Granatæ. Idibus Augusti, MDI.

EPIST. CCXXVI.

Quid autori acciderit intra Hispaniam.

P. M. A. M. Comiti suo Tendillæ ex itinere.

QUod mihi præmium expeditionis hujus ad rei exitum, cæli adstruant nescio. Initia namque laboriosa, formidolosa, discriminibusque plena omnia. Santius, Rodericus & adolescentulus Fernandus veteres mei tres, quos optime nosti, familiares, in itinere gravi morbo decidere. capitis gravedine tanta premuntur, admixtis urgentibus febrium ardoribus, num vivi sint, an mortui, ipsimet non intelligunt. pestiferas, ajunt Medici, eorum febres esse. In frenesim incidit jam Fernandus. quid sentire debeam ut homo, tu ipse videto. angit non minor anxietas ex aëris contagione. nusquam applico me, ubi non peste concidant. Prohibemur & multis in locis, urbes aut villas, tanquam morbosi intrare. Barchinona urbs præ cæteris pessundatur. *semidesertam esse*, inquiunt. fixi ego pedem propterea in ejus quodam suburbano rure, à recto itinere semoto. Hæc pauca per hunc celerem tabellarium qui ab Urbe ad vos volitat, accipito. Vale. ex itinere. nonas Septembris, MDI.

EPIST. CCXXVII.

Significativa de perturbationibus & de oratione.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUibus afflicter perturbationibus, ex nostri Comitis Epistolio, vir sanctissime, cognosces. Illa, *ut homo* sentio, juxta illud Terentianum; ad hæc tamen perferenda mihi prodest non mediocriter nostræ veterumque Theologiæ præceptio, qua *viro forti nihil esse debere sub cælo durum* edocemur, *æquo nobis vivendum animo in mari medio, fluctuantibus ventis atque in tuto portu*, sæpe legimus, si in tam duræ provinciæ prima fronte ista proveniunt, quid fore putandum est in ipsius rei utero calceque? Hæc si evasero, secundum sibi locum, ab Ulyxeis erroribus mea hæc peregrinatio consequetur. tu qui Deum tibi Cœlitesque omnes, ob morum ac vitæ sanctitatem familiaris habere putaris, ut nos tueantur, orato. Et vale. ex rure Barchinonio IV. nonas Septembris, MDI.

EPIST. CCXXVIII.

De arce nova Salsæ. de ira Gallorum quid suspicetur futurum.

P. M. A. M. Suo Comiti ex oppidulo Salsas Gallis finitimo.

NOn dubito quin meas habueris ex suburbano rure Barchinonio. apud Salsas à Gallis quondam dirutum oppidulum forte fortuna prandebam, Narbonam versus progressurus. eo die, ecce Salinas tabellarius cursor, qui dispositis equis, millia passuum centum & interdum amplius volitare uno die, quando destinatur, repertus est, advenit. Interea dum ad vos præcipitaturus equum mutat, hæc habeto. munitur arx hujus oppiduli muris pedum decem & septem latitudine, calce, bitumine lapidibusque robore miro, constructis, sic ut sustinere Gallorum impetus queant, si sese moverint ad Hispanos fines perturbandos. ibi locata degunt præsidia. quid futurum sit, nescio. Ex præsentis rei adspectu tormentis omnimodis fore, ut ob-

sistere queat, potest jure merito judicari. magnus est operariorum numerus, architectorum ingens cura, sed non minore opus esse percipio. rugiunt namque, uti fertur Galli fremuntque ex dissidiis inter eorum milites nostrosque in Regno Neapolitano exortis. Pyrenæorum incolæ, Gallis finitimi pro certo habent insurrecturos Gallos, provinciamque hanc *Rossilionis*, ut appellatis, impetituros. Rabidis namque fremere dentibus Gallorum Regem Ludovicum, ajunt, quod Carolus, qui ei cessit, Comitatum hunc cum oppido Perpiniano solverit, causas illi non defuturas ad bella movenda, suspicantur. est namque à natura Gallus, pacis male amator. Vale. ex oppidulo Salsas IV. nonas Septembris, MDI.

EPIST. CCXXIX.

Quid in reliquo itinere acciderit. Dux Venetiarum obiit. Hispani & Galli se invicem rodunt in Regno. Veneti lucrum sperant ex discordia.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

EX quo in Celtis, qui Garumna flumine & Pyrenæis montibus includuntur, oppidulo Salsas dedit mihi sese obvium volitator ille tabellarius Salinas, cui ad vos literas dedi, nullus mihi alius ad hanc usque diem occurrit, quo Venetias urbem miraculo parem ingressus sum. Catalanorum consuli, qui hic assidet, has reliqui, ut eas ad vos, ubi primum per aliquem nuncium licuerit, destinet. quid ad usque fines Hispanos Galliarumque initium perpessus fuerim, longo vobis ex itinere significavi sermone. Narbonensem deinde summo cum discrimine Galliam percurri. extra urbem Narbonam, quia peste flagrabat, pernoctavi, vix mihi jumentisque meis alimenta reperiens. Avinionenses vero, qui trepidi à peregrinis omnibus sollicite cavebant, pontem nobis occlusere, transitum prohibebant. at quum literas ostendi vestras, oratorio titulo munitas, ut præteriremus, passi sunt. neque id tamen sine præstito jurejurando, an Barchinonam aut Narbonem urbes infectas, vel oppidum aliud, quodque peste contactum fuissemus ingressi. quid sentire tum quirem, cum summo in discrimine, quotquot horis vitam duceremus, conjectamini, ubi tutum aliquod sperabamus rejecti. tribus fidis familiaribus, quos habebam veteres, morbo oppressis, atque à tergo relictis, novorum hominum famulatu insuetus, perturbabar animo, nec satis mihi plærumque fuit ad integrum solamen, fuisse philosophatum, legisseque *contemnendas esse sapientis fortunæ injuriosas alapas.* Patavium tandem ego incolumis tertio Calendas Octobris adii. ubi cum diem tantum commoratus, jumentis omnibus dispersis, parvoque pretio venundatis, altero die Venetias adnavigo. ubi de novem galeaciis, quæ ad Orientem erant profecturæ, octo jam vela dedisse comperi, esseque in Pollæ portu in Istria, hanc ultimam exspectantes didici. confestim igitur advocari Senatores Venetos, ut illis à nostris Regibus imperata referrem, efflagito. de Principe, qui nuper obierat, deligendo, sollicitos illos reperi. mandatis expositis, ut me illico exsolvant, ne commodam eam quæ se offert navigationem amittam, peto. necessaria apparo. dum hæc ita geruntur, fervere acriter Gallorum Hispanorumque animos in Regno Neapolitano didici. putant Veneti capturos arma invicem propediem, sperantque his alienigenarum dissidiis, se citius rerum potituros. Valete duo miris virtutibus præditi senescentes. Venetiis in Calendis Octobris, MDI.

EPIST. CCXXX.

De Interregno Venetorum. Quid cum eis egerit Autor. Quid Galli fremant.

P. M. A. M. Regi & Reginæ Catholicis Dominis meis.

UT Latine, quæ memoratu digna conspexero, retro scribam, vestrum alter, Catholici Principes, cum me dimitteretis, imperastis. Uter hæc dijudicate, subridens quæ mihi dixerit alter, alter reminiscatur. pars enim vestrum sermonem se callere Latinum existimat, eoque summopere delectatur, propterea jocos inserens, se lecturum alteri, quæ scripsero, sensusque qualescunque fuerint, se patefacturum profitebatur. Ad rem igitur, Serenissimi Catholicique consortes: omissis quæ mihi vestro nomine peragranti acciderunt, quibus non decet sublimes aures vestras commaculare, scitote me pridie Calend. Octobris Venetias incolumem attigisse, atque de galeatiis, quas hoc tempore trajecturas in Orientem Orator Venetus vobis mihique discedere jam volenti dixerat, unam adhuc in portu, me, uti Venetus Senatus mihi retulit, exspectantem, fuisse assecutum. se namque per tres tabellarios, vestros utpote, ac sui Oratoris Dominici Pisani, qui isthic assidet apud vos, suam Remp. referens, fuisse de meo accessu monitos fatentur.

tentur. Venetos reperi, Catholici Principes, sine Duce, qui paucis ante diebus quam ego illos adirem, exhalarat. in Comitiis quotidie de Principe sibi eligendo conveniunt. de cujus electionis ordine modoque longius alias cum cæteris, quæ nunc prætermitto, est animus referre. Nunc sciant tantum Senatores ipsos, ne diutius in Pollæ portu Istriæ octo aliæ Galeatiæ, quæ ibi hanc ultimam exspectant, demorentur, acciri me illico fecisse, audivisseque animo libenti, quæ mihi mandata ad eos, dederitis. non decidisse arbitror vobis è memoria illa, & grata eis fuere, & existimo vobis aliquando profutura. adsunt namque à Ludovico Rege Gallorum Oratores, qui omni nixu conantur, à vobis Venetorum animos avertere. fremere dentibus ajunt oratorem primarium Gallum, quia nequeat per Venetorum suffragia consequi, ut aperte vobis hostilitatem edicant; utque velint Gallis in Regno Parthenopeo contra vestra præsidia ferre suppetias. Quid illis de vestra ab atavis amicitia in eis, quid de fide, gravitate constantiaque vestris in servandis promissis disseruerim, coram, si vivere dabitur, referemus. nolim intercipi meas literas. quia nequeunt ista sine alterius aliquanto præjudicio deliberari. In aliud igitur tempus ista serventur. Quum primum dies crastinus eluxerit, qui est nonarum Octobrium sexta, sum navim conscensurus. Deus nos comitetur, verentur multi, pelagi minas, ob tempus anni nautis injuriosum: ego autem vestris felicibus auspiciis fretus, quieto animo tutoque quascunque procellas facile tolerabo. Valete duo luminaria lucidissima. Venetiis. in Calendas Octobris, MDI.

EPIST. CCXXXI.

Universæ legationis discursus. quare sit optandum, honorificum mori.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Novæ Carthaginis Domino.

Ubiubi sese nobis mane crastinum ostenderit, vela dabimus. Is dies erit nonarum Octobris sexta, quo tempore interdictum est nautis portubus exire. quid igitur exspectem hac mihi navigatione successurum, animadvertito, cum præsertim ex Europa trajecturus sim in Africam: qua longissimus est maris Ionii tractus. ducenta quippe supra mille millia passuum distare ab hac urbe Venetiarum Alexandriam Ægyptiam, quo sumus proras directuri, Veneti mercatores inquiunt. Maria nos percursuros innumera, his anni temporibus, periculosissimum referunt, Trigestinum scilicet sinum, Illyricumque ac Dalmaticum per Acroceraunias Epiri rupes, facturos nos iter. Ulyxea nos ajunt Regna omnia, Zacynthum nemorosam scilicet, Ithacam, Dulichium ac Samon, & Strophadum scopulos abrasuros. visuros nos Buthrotum Virgilianum & perpetuo gaudentem autumno Phæacum patriam, & Alcinoi Corcyram, nec non & Arcadica regna cum Achaicis Corinthiacisque litoribus prædicant. per Cythercam insulam & vicina illi Mallea promontoria, si sospites evaserimus, superaturos, indeque in Cretam, Deorum inanium & infantilium superstitionum altricem adnavigaturos dicunt. ex Creta nos referunt per mare Carpathicum, Rhodo reliquisve Cycladibus & Hellesponto à læva relictis, altum capturos, ut in Alexandriam Ægyptiam cælo tantum & aqua per dies aliquot contenti, trajiciamus. hujusmodi narrationibus, à peritis Artis maritimæ conflictatus undique, provinciam aggredior tamen forti animo. Moriendum semel est homini, hodiéne id accidat, vel cras, parum refert. Ut pulchrum obire sese offerat, multorum judicio est optandum. hoc si ad rem facit, si ad rhombum quid hoc est, maximum in hac re me arbitror fuisse gradum consecutum, qui fungens oratorio munere pro tantis Regibus, ad rem tantam destinatus decumbam. ne sistas tu tamen discipulus, pro Martyris tui salute superos votis fatigare; ut sospitem illum tibi reducant optato. Lectos & alimenta, pharmacopolaria, mihi meisque familiaribus (ad sedandos à procellarum perturbationibus, quas mire ajunt lædere pelago non assuetos stomachos) in penu jam conjeci. nil igitur, quam ut elucescat exspectamus. literas arbitror ituras tuto ad manus tuas. regiis namque consuuntur, viroque dantur Hispano, obsequendi Regibus cupidissimo. mittoque ad te literarum regiarum exemplar, ut quæ ad illos scribam, intelligas. Vale. Venetiis. in Calendas Octobris, MDI.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER QUINDECIMUS.

Epist. CCXXXII.

Fera describitur tempestas. Quid galeaciis acciderit. ex Pola majori tempestas. Qua Ægyptiorum exspectatione portum captaverint Alexandrinum.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ & Archiepiscopo Granatensi.



Eas vos habuisse literas ex urbe mari septa Venetiarum, existimo: quæ deinde acciderint, accipite. Sexto nonas Octobris navim ejus generis, quam Veneti nautæ *Pillotam* appellant, quæ me in Istriam, ad Pollæ portum deportaret, conduxi. nolui namque quia nimium onusta esset, ob aliarum octo, quæ jam discesserant, sarcinulas postergatas, quas collegerat, galeaceam, in portu repertam conscendere. Ad milliare vix decimum, altum adnavigabamus, quando ex Anconitanis & Apulis regionibus tremebunda tempestas oboritur. tonitruis, fulguribusque horrendis perterremur. *ad terram, ad terram* nautæ inclamitant. terram vix prehendimus intra fluminis cujusdam fauces, à montibus Alpinis, qui Pannoniam dirimunt ab Italia defluentis, nos recepimus. Ecce ad vesperam tanta ventorum vis assurgit, ut intra horam conspersum cinere diceretis mare universum, quia convolverat ab imo fundo arenas omnes æstus ille. eam ibi noctem egimus formidolosissimam teterrimamque & ob ingentes è cælo aquarum defluxus, insomnem. per quosdam gurgites angustos, intra paludes maritimas immensas, quas aquæ dulces descendentes è montibus procreant, manufactos, Polam tandem captamus. Ibi vix tutas fuisse intra Polæ portum tutissimum galeacias, quæ ultimam operiebantur, didicimus. ibi eam ultimam, quæ me discedente, & ipsa vela dederat, semiquassatam vidimus. septem nos ita conjunctos, dies continuos interclusit in Polæ portu hyems. Galeaciam quæ mihi compositior aptiorque visa est, conscendo. Eximus tandem, sed fato graviore. ad vigesimum ab ejus portus ostiis milliare nos tantus stridor pelagi adoritur, ut Galeaceæ, qua ego vehebar, antennam grandiorem, qua malo proxima est, atque inde crassior, perfregerit, velaque ita disrupit, ut in mare partem eorum dimidiam cum omni aplustre, conjecerit. Vix hominum viribus ea pars, quæ nos jam submergebat, attracta est. Spondam ab eo latere sub aquis vidimus obrutam. actum de nobis arbitrabamur. tres ibi noctes intra minaces scopulos egimus. in horam, aut ut illideremur intra semesas rupes, rabidisque maris ictibus corrosas, aut obrueremur, timebamus. Ubi ubi tempestas illa coorta est, in ictu oculi, Galeaceas omnes dispersit, à nostroque adspectu asportavit. in Dalmatiam postmodum convenimus. quid ibi quisque de se suisque malis narraret, longum esset recensere. Ita navigationem hanc paulo minus tribus mensibus peregimus, quam die vigesimo, atque interdum breviore tempore, navigia hæc percurrisse sæpenumero reperiuntur. nulli unquam nobis à puppi surrexerunt venti. à prora nunc austri, nunc à dextro latere Zephyrus, interdum à læva furentes euri rugiebant. qua cæteris accidit naufragium perpeti, ea nobis salus quærebatur. scopulos namque semper, qui nos ab undarum furoribus tutarentur, petebamus. ex promontoriis ad insulas, ex insulis ad promontoria confugiebamus. apertum vix unquam vidimus hoc tempore cælum. qua die Alexandriam ingrediebamur, civitas omnis in tectis erat, nec stare illos ventorum fragor patiebatur, ut intra Pharensis portus rupes, frangeremur, aut, ut ante ipsorum oculos nos mare absorberet, pro certo habebant. portum tandem, licet cum summo discrimine, decimo Calendas Januarii capimus Alexandrinum. hunc sole vergente ad occasum ingressi fuimus. Ad Soldanum, ut ad eum adscendere per Nili fluenta liceat, per ipsius chirographa exspecto. Vale interea. ex urbe Alexandria Ægyptia. VI. Idus Januarii, MDII.

Epist. CCXXXIII.

Quo die ingressus Alexandriam. à quo susceptus sit. quid exspectet.

P. M. A. M. Catholicis Principibus Serenissimis Regi & Reginæ.

MAre conscensurus, Venetiis retro scripsi. non dubito, quin meas, Catholici Principes, habueritis. Catalanorum quippe Consul, cui literas credidi, erigere cristas præ lætitia videbatur, quod sese offerret, quo vobis obsequium præstare quierit. est namque Hispanus vir, vester accola. prætermissis igitur, in aliudque tempus dilatis, quæ mihi quantaque adversa vetito tempore maria præbuerint, quotiesque mihi mortem præsentaneam ostenderint, quæ scire vos velle existimo, habetote impræsentiarum. Decimo Calendas Januarii sole ad occasum vergente, portum Alexandrinum, summo cum discrimine, captavimus, eo die posteroque in mari pernoctavimus. In diem vero tertium, qui Christi natali assignatur, ubi per regionis illius Proregem licuit, è navi descendo. à Philippo de Paredes Barchinonensi viro, qui pro Hispanis aliarumque gentium mercatoribus, præterquam Venetorum & Genuensium, Consul ibi sedem habet, hospitio suscipior. Ad Soldanum, celerem misi tabellarium, qui de meo illum accessu cum meis literis certiorem faciat, ut tuto exire Alexandria queam, ipsumque adire liceat peto. Alexandria sine provinciali Prorege prodire, vel ad Soldanum, sine ipsius Soldanimet assensu, pedem movere, nemini fas est. Ipsius ergo Chirographa indies exspecto. quæ de cætero succedant, quandocumque per navigia in Europam trajicientia dabitur, scribam. Obtulit sese impræsentiarum mercator quidam Barchinonensis *Valentinus* nomine, qui aromatibus onustam habens navim suam, quam dicunt *Caravellam*, se in diem tertium erecturum vela (si venti consurgent optati) pollicitus est. propterea pauca hæc volui Catholicæ vestræ Majestati exarare. Valeant felices. ex Alexandria Ægyptia. sexto Idus Januarii, MDII.

Epist. CCXXXIV.

De portubus duobus Alexandrinis deque templis & climatis natura.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

LIterarum quas ad Catholicos Reges quasque ad Archiantistitem Granatensem & Tendillæ Comitem senescentes, duos magni meriti viros, destino, exemplaria ad te mitto, ne mihi sit toties id repetendum. Videbis inde, quæ mihi evenerint. eas omnes pelagi minas constanti pectore sustinui. nec, licet eadem possint accidere redeunti, sumpsisse provinciam pœnitet. In Ægypto sum ociosus, Soldanicum Chirographum exspectans, quo tuto possim ad eum conscendere. dies aliquot hic agam. scribendo plenius, quæ nunc brevibus tibi reliquisve, ad quos literas do, est animus hoc ocium conterere. Interea loci tamen animi causa urbem hanc Alexandriam sæpe perambulavi. lachrymosum est ejus ruinas intueri. centum millium atque eo amplius domorum, uti per ejus vestigia licet colligere, meo judicio quondam fuit Alexandria. nunc quatuor vix millibus contenta est focis. turturibus nunc & columbis, pro habitatoribus, nidos præstat. Mirandus antiquarum viarum ordo, miranda facies, structuraque domorum anterior, portarum fornices saxei; qui adhuc exstant spectandi. Cisternas Alexandrinas, operæ pretium est intelligere. domorum namque omnium fundamenta, plateæque omnes, ac viæ ipsæ, super cisternis manufactis constructæ. Hæ, per aquæ ductus, Niliaci incrementi tempore, implentur, urbique potum præbent. distat à Nilo Alexandria diei iter. nec longa potuit vetustas, aut imperii mutatum caput cisternas abolere. Portubus est insignis duobus Alexandria. *novum* appellant illum, quo Christiani negociantur, isque vergit ad septentrionem. nec satis tutus, si borealis vis ingruat. de cætero ita quietus, ut etiam in ejus fundo cœnum procreetur, viperulæque navium carinas terebrantes, generentur. In ejus portus faucibus Castellum, quod *Pharum* alterius Phari instar appellatur, erectum est. quo invito nulla navis portum ingredi impune audebit. Alium portum *veterem* appellant, quem nec conspicere Christiano licet. Is ad Occidentem spectans, tutissimus est, quia mire falcatus, tortilisque sit ejus ingressus; ab omni ventorum impetu securus; faciliorque ad exoneranda mercatoria navigia. Quare non immerito aut inepte hunc sibi locum ad tantam urbem ædificandam in Regni sedem Alexander elegit, atque *Alexandriam* à se voluit appellari. Templa hic reperi vetusta quædam: at à Græcis sacerdotibus Græco ritu servata. à Meroë, à Samo, ab Alexandria, à Rhodoque, ac Roma, & Borysthene, ac Riphæis, nosti climata septem, denominata. propterea cum sit Alexandrinum in ordine tertium, hirundines hic circumvolitare garrientes, hoc anni tempore

 video:

video: quo viget in Europa gravis hyems. nullas hic Pyramides reperi: obeliscum tamen habet hæc urbs unum tantum. Quare non fuisse Alexandriam, magnæ molis opus ante Alexandrum ullo tempore facile conjectatu est. Urbes namque veteres omnes Ægypti, refertas Pyramidibus ajunt; & Mausoleis, ac obeliscis arte mira constructis. Quid aliud impræsentiarum tibi referam, non occurrit. Ergo vale. Alexandriæ. VI. Idus Januarii, MDII.

EPIST. CCXXXV.

Quid egerit autor cum Soldano, quidque regressus Alexandriam. cur literas mittat, & cur ipse non veniat. Quid detinuerit Galeazeas.

P. M. A. M. Catholicis Regi & Reginæ.

JUre merito putandum est, meas vos ex urbe Venetiarum & Alexandria literas habuisse. quare nihil eorum, quæ jam scripsi, est animus hac epistola velle repetere. Nunc quæ ab accessu meo in Alexandriam sese obtulerint, habetote. Misit ad me Soldanus (licet sero) chirographum tutelare, quo ad ipsum conscendere quirem: duosque Palatinos equites, qui me comitarentur, ab omnique injuria provincialium, qui nos habent exosos, tueantur per Nili fluenta; quod minime tuto terrestre iter Christiano cuiquam ob vagantium Arabum multitudinem capere fas sit. conscendo ad eam urbem quæ Regnorum Soldanicæ ditioni parentium caput est. eam *Cairum* vocant, cujus hac nostra adhuc tempestate suburbium *Babylon* ab incolis dicitur; argumentum, fuisse ibi Ægyptiam quondam Babylonem. Quæ mihi imperastis, proposui. quæcunque à Soldano petii, sum assecutus. Hodie qui est Martii Calendas dies, Alexandriam, per eundem Nilum iisdem Palatinis me nunquam deserentibus, regressus sum. easdem, quæ me advexerunt esse adhuc in portu Galeaceas, reperi quibusdam cavillationibus implicitas. eædem, in Europam, superis volentibus, me reportabunt. Quibus apud barbaram hanc servorum gentem usus sim mediis, ita ut eos & placarem iratos, & ab eis, quæ peterem, assequerer, impræsentiarum prætermittam. At si, veluti suspicor, me Galeacearum mora detinuerit, copiosius à me cuncta, ne diu vos suspensos teneam, habebitis. si vero, supreme Rex & Regina, cur literas mittam, ego vero non idem navigium conscendam, cupitis intelligere, præbete faciles aures. Mercatores hi Veneti navigiolum quoddam, *Grippum* appellatum, cymba paulo capacius, ad Senatum suumque Principem destinant; cur ultra statutam inter ipsos Legem suum ex Alexandria discessum protrahant, illis significant. Detinebantur namque, piper quoddam Soldanicum ex rubro mari, & Mecha, Mahumetica domo venturum, coacti exspectant, ut illud vel inviti coëmerent. lege quidem apud eos sancitum est, ne quisquam audeat in portu persistere Ægyptio, ullo die extra statutos sibi ab ingressu ipsius; patronisque omnibus Galeacearum, quando se apparant ad discessum, edicto, pœna proposita aperitur. Navis igitur id genus quod ab eis veluti celer tabellarius terra, dispositis equis, conducitur, minime tutum est à pyratarum incursibus, minimeque commodum ad cœli turbines, quia tabulatis careat, perferendos. Pauca hæc propterea fuit consilium ad Catalonorum consulem Venetias dirigere. Scio eum de his mittendis curam habiturum. nec licet plura. Valete feliciter duo Numina terræ. Alexandriæ. III. nonas Martii, MDII.

EPIST. CCXXXVI.

Sancita Venetorum Lex, quam Mudam *appellant, infringitur.*

P. M. A. M. Suo Archiepiscopo & Comiti.

CÆlorum minas, pelagi rabiem, terrarum pericula laboresque atque hominum arrogantiam barbarorum superavi tandem. redii Alexandriam incolumis. Hic quia nulla sese offert in Europam renavigatura navis, qua tuto trajicere queam, Galeaceas ipsas, quæ me attulerunt, in portu adhuc stantes in anchoris exspecto: neque Provinciales, illas discedere patiuntur; & ipsæ, quia gingiberis, cinnami, piperis & aliorum, quæ solitæ sunt asportare, aromatum, copiam non repererint, qua possint Galeaceas onerare, statuto tempore minime remeabunt. In qua re quid accidat, attendite. Cum suo portui patrio Galeaceæ terga vertunt, à Senatu illis dies assignatur, quo vela dent, ab Alexandria, mercimonia peregerint, nec ne, nec ultra, diem audeant vel unum ibi pernoctare, ni cadere velint in pœnam sancitæ Legis inter eos. legem illam vocant *Mudam.* cum ergo utcumque sit, detineantur, sive sponte sua, sive provincialium vi, navigiolum ex his, quos veluti nos terra dispositis equis paratos cursores habemus, ipsi mari mitten-

mittendos instituunt, ut Venetias volitare jubeant, instruitur. hoc navigioli genus *Grippus* appellatur, tempestatem ullam haudquaquam pertimescens; quia pugno paulo majus, cuicunque scopulo passim inhæreat. Grippum igitur ad suum Principem Senatumque Veneti mercatores, qui adsunt, cum literis mittunt, quibus se commerciis Ægyptiorum ita implicitos esse scribunt, ut nullo queant pacto intra sancitæ Legis terminum, ex Alexandrino portu solvere. dies producant triginta, Legemque suspendant, deprecantur. Eo propterea navigiolo, cui meam credere personam non fuit consilium, has literas ad vos, ad Regesque alias dedi, ad Catalanorum consulem Venetias porrigendas, ut inde ad vos eant. Interea loci ne ocio marcescam, sumam forte calamum, & quæ mihi à mei digressus à vobis initio, singulis diebus evenerint, quidve de his regionibus sentiam, longissime repetam. hæc si aliquando videritis, perlegetis; sin minus, somno dicta putabitis, ac de me judicium quale libuerit, facietis. satis vobis sit egregiis senibus, ut aliquando stem promissis. non fas est semper, si ad unguem excutere pulverem volueritis, è tegmine pilos abradatis. Valete Nestorei duo Salomones, Alexandria Ægyptia. III. nonas Martii, MDII.

EPIST. CCXXXVII.

Cosmographica quædam. ac de Sophii origine ac gestis.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

QUæ ad potentiores te senioresque destinaverim, per eorum exemplaria videto. Ad te autem duo tantum rerum capita scriptitabo. regiones eas omnes, quas me abrasurum trajecturumque nautæ prædixerant, peragravi. Hyemis & rupium omnium, ac scopulorum pericula evasi. Vasti maris Jonii, Ægyptiique, & aliarum partium sævientis pelagi rugosam frontem minus exhorresco rediturus, quia minus rugiant, perturbentque maria violenti ventorum flatus, æstate, quæ nunc assurgit quam hyeme, quæ nos hostiliter vexavit. Aliud emergit, quod tibi scio futurum non ingratum, quia juvenis es ebullientis animi, ad res grandes elati. Meministin' de Sophio me tibi quædam alias significasse? Is ex ephebis vix prodiens, arma in Persas excitavit. universamque dicitur Persiam jam debellasse. ad eam illum referunt potentiam devenisse, ut Soldano huic Turcarumque Principi formidolosus insurgat. quisnam hic sit qui tanta moliatur, quove satus sanguine, sciscitatus sum. Ex *Uson Cassan*, id est, Persarum Regis nomine *Casimbech*, filia ortum inquiunt Sophium. tanti animi esse ferunt juvenem, ut universi orbis principibus audeat minitari, totumque orbem animo absorbeat. novas putatur eum Leges, si voti compos efficietur, conditurum. neque enim ullam ex tribus Legibus, Christianam utpote, Moseam, aut Mahometicam, illum dicitur profiteri, quid velit, adhuc latet. Soldanus ejus fortuna perterritus, publico per ipsius ampla regna imperavit edicto, ne quis, pœna capitis injuncta, de illo mentionem ullam, aut eum nominare, resque ipsius cuiquam recitare audeat. mira namque & inter eosdem Mammelucos Soldanicos milites murmura, inter populos majora, jam rodebantur, rerum novarum studiosi erigebantur. Scrutabor ista diligentius. nec locus deerit, quo ista queam ad unguem perfricare. Sum namque hic, uti videre videor, dies aliquot moraturus. Vale igitur interea, ex Alexandria Ægyptia. III. nonas Martii, MDII.

EPIST. CCXXXVIII.

Quomodo Principem repererit Venetiis rediens. quid cum Venetis egerit regio ac suo nomine.

P. M. A. M. Catholicis Regi & Reginæ Dominis meis.

FElicioribus auspiciis in Europam regressus sum. Explicarunt se jam tandem ab Ægyptiorum cavillationibus Galeaceæ. Decimo Calendas Maii ex Alexandrino portu vela dedimus, Venetias autem pridie Calendas Junii advenimus. Elegerunt in Principem sibi (quo me prætereunte carebant) Veneti, *Leonardum* genere *Loredanum*, virum quippe gravem, & longa rerum experientia prudentem. Convenimus cum universo ipsorum Senatu. quæ hactenus illis sine Principe recensueram, repetii. quæ mihi ad eos in mandatis dederitis, reminiscimini. eorum nihil obticui. quid addiderim, scietis aliquando. puto fore non inutilia vestræ Majestati, quæ illis & vestro nomine proponens & meo, tanquam Italus eorum vicinus, suadens edixi, hoc tempore præsertim, quo Rex Gallus vestro Bæti quando ripas superat torrentior, ab illis exigat, ut arma sumant in vestra præsidia, quæ Neapoli habetis. ut fœdera cum eo icta Veneti servent, per repetitos Oratores inclamitat. apertam hostilitatem in quoscunque Gallorum hostes se pactos fuisse vociferatur. ut

Venetus exercitus in campum prodeat, ut Gallo exercitui adjungatur in vestros, petunt, instant, protestantur, immo, ne ita fiat, minari videntur. perniciem ego Venetis proposui affore, si vestræ copiæ cesserint, quid rebus eorum conducat, diligenter librent, suasi. At proh me miserum! quid exspectatis? quid sopiti estis, mea duo Numina? nullum hic habetis hac tempestate Oratorem ad hunc impetum rescindendum. hunc vel volitando mittite, vel quid in tanto rerum turbine velitis, mihi date in mandatis, quæ mihi hactenus imperastis, etsi arbitrer profutura, ad tantam vestrorum ruinam tamen facere parum videntur. profligatos namque, ac ex Tripalda, Capitanata & Basilicata, ut suis eas novis nominibus appellem, ejectos sentio, in deteriusque res vestras præcipitari magis ac magis indies. Veneti autem si vel adversabuntur, aut deseruerint tantum vestrum exercitum, cum summa ignominia jacturaque, non citeriorem forte solum Siciliam amittetis. Consulite igitur accuratim rebus vestris, & mihi temere ista scribenti ignoscite. Valete. Venetiis. III. nonas Junii, MDII.

EPIST. CCXXXIX.

Profligati & inclusi Hispani. Autor interceptus mari ac terris, nescit quo tendat. qui capti viatores à Gallis.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

QUo in statu res Hispanæ sint, atque ubinam terrarum ego sim, ex inclusis Regiis & Granatensibus colligito. Deus faxit, ut à Gallorum manibus (quin veluti cæteri qui intra Gallicam ditionem universam reperti sunt, captivus ducar) evadam. nullum namque reliquerunt liberum. Ludus hic taxillaris sese nobis ostendit infortunatus. Caniculam (ut video) sortiti sumus, dextrumque Galli sibi unionem apprehenderunt. Quid velim isthac umbratili figura, percunctaberis. Premuntur graviter, uti per exemplaria colliges, nostra præsidia: ego autem interceptus mari ac terris occlusus jaceo, nec qua possim iter tuto captare, intelligo. quid de me cœli adstruant, tentare compellor, Mediolanum proficisci intendo. Affinium forte autoritas me tuebitur. Sunt namque Borromæi Comites, nostro generi amicissimi, ex primariis rerum Mediolanensium gubernatoribus. Est & Joannes Jacobus Trivultius, Gallicarum ductor copiarum, nostræ familiæ de Angleria, Trivultia antiquioris, uti ipsemet inquit, sanguine conjunctus; his fretus, sortem experiar. Horrent præ dolore viscera, quando in infelices, insontes, deprehensos, sive negociatores hi, sive viatores, quid Galli factitent, intelligo. Incidit præter cæteros iter faciens in Regnum, ut se nostris, conjungeret, egregius ille juvenis eques auratus, bello strenuus, Antonius de Cardona in Gallorum ungues. Hunc sub tuta servant custodia. hujus & reliquorum, quos audio catenis gravibus coarctari, me terrent exempla: attamen experiar. confunduntur namque æstuantque præcordia mihi, spiritusque vitales, cum veter pedibus calcare terram, & circumseptum aquis esse me sentiam; neque Dædaleas mihi pennas coaptare monstravit quisquam. ut bene cedat, superos precator. Et vale. Venetiis. III. nonas Junii, MDII.

EPIST. CCXL.

In Barleta Hispani septi. Quis Canusium teneat. Quid cum Venetis Galli. Quid ab hominibus velit Deus.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

MItius me fatum revexit in Italiam, quam eduxerit. Paulo namque pluribus quam triginta diebus ex Alexandrino portu Venetios usque renavigamus, nimirum tamen: October, November & December, infensi pelago menses, nos advehebant; cum Aprilis calce Majus integer, grati navigantibus, revocarunt. Venetiis ago. hic mihi significatum est, res Hispanorum procedere in perniciem in Regno Neapolitano. Ex Tripalda namque Samnitum oppido, qui sunt Beneventani, ejectos fuisse nostros à Gallis, Basilicatamque universam & Capitanatam, dissidii causam, nostros fama est amisisse. Canusium Romana clade oppidum insigne, in Apulia Galli adoriuntur. Id si ceperint, quid sit futurum de nostris, ambigo; puto, non bene. Oppidum præsidio tenet cum delecta manu *Petrus* quidam *Navarrus*, vir mari ac terris bello aptissimus. Is si tutari se nequiverit, universam deserere nostri Apuliam cogentur. magna Superum ope ad res nostras sustinendos, indigemus. Veneti (uti arbitror) qui Gallorum mores optime callent, ruinam sibi affuturam suspicantur, si ex Italia nostros Galli ejecerint. propterea, licet Galli totis viribus minitentur, ut arma in nostros captent, in alis sese tenent. Galli, fuisse pactos, cum de Ludovico Sfortia spoliando convenerant; se Gallis auxilio, in quoscunque, affuturos arguunt. Hinc igitur fœdus

fœdus ictum; inde Gallica tum inconstantia, tum impatientia pacis, Venetos diffidentes quatiunt. Qua se vertant, non intelligunt. adhuc versantur in ambiguo. nullum hic habent nostri Reges Oratorem, qui dubios Venetorum animos confirmet. quid ego, advocato apud eorum Principem Senatu, coram & voce viva egerim, superi sunt testes. puto non mediocriter rebus Hispanis conducturum, quod in tanta ego perturbatione rerum hac fuerim, ex mea legatione regressus. attamen incuriæ id adscribo maximæ. nimium confidunt Superis nostri Reges. Ut sese homines adjuvent volunt Superi, licet ipsorum nutu omnia regantur. utrumque meo judicio quæritandum. Vos valete. ex urbe aquis circumsepta. III. nonas Junii, MDII.

EPIST. CCXLI.

De urbe Venetiarum. quid Galli præconentur. Hispani dispersi & strati.

P. M. A. M. Catholicis Regi & Reginæ.

ADvenisse me Venetias, arbitror hac hora vos accepisse. celerem namque fidumque fuisse tabellarium, cui ad vos literas III. nonas Junii dedi, Catalanorum, qui dicitur Consul, mihi affirmavit, tutumque inquit à Gallorum cura, quoniam sub Venetorum nomine, per equos dispositos cursitabat. egi Venetiis diem tertium decimum. quoto autem die novi aliquid percurrebam. Mira dici possunt de hac urbe. *Miraculum Orbis* appellari jure ac merito quibit, nullubi terrarum domos, nullubi templa, vel plateas, ac vias licet, uti arbitror, conspicere magnificentiores, commercia frequentissima, regimen procul dubio inauditum hactenus, Leges municipales commodissimæ. Sed haudquaquam, ut his narrandis intendamus, tempora patiuntur. Galli furunt, sæviunt, interniciem nostris minantur, putantque id sibi fore facillimum. *Regem eorum esse in itinere*, inquiunt, *ut ipse cum duplicato exercitu Alpes trajiciat in Italiam.* Vestro nomini insurgunt. cristas erigunt in vos superbissime. *provinciam hanc, veluti rem humilem, parvique momenti se aggressuros* præconantur. *nihil esse negocii eradicare, exterminareque vestra præsidia ex utraque Sicilia* blacterant. insolenter nimis exspuendo insultant. Qui sint vestri apparatus bellici, non intelligo. ajunt *hebetes*. hæc mihi fuit curæ vobis significare, ut, cum videam occlusa esse itinera omnia, nec terra quaquam pateat ad vos aditus, mari forte per vestrum Oratorem, qui Romæ apud Pontificem agit, ista sciatis. Romam namque ad illum destinavi hæc, si ab eo forsan habetis, in nube scripta, necessario erunt & à re forte diversa. Quia ab officina, ubi ista cuduntur, distat plurimum, nec potest quicquam præter concepta vario rumore, percipere. ego autem, qui inter Gallos Mediolani versor, sentio ista medullitus, & vos de his certiores reddo, ut setas acrius excutiatis, ut sanguine, præ concepta ira, sparso per genas, fortiori dextera vibretis hastas. Succurrite vestris totis viribus, sin minus, cum ingenti damno atque ignominia cedent. Et valete. Datum Mediolani V. Calendas Julii, MDII.

EPIST. CCXLII.

Quid de Canusio, de Apulia, de Gallis, de Hispanis. Quid Principes Itali. quomodo Autor evadat è Gallorum manibus. it obvius Regi Gallorum.

P. M. A. M. Comiti & Archiepiscopo.

NOlim, quæ Mediolani perceperim, ad plenum, aut satura lance, quia molesta Regibus, significare. Galli, se perpulisse nostros ex oppido Canusio gloriantur. indeque ac tota fere Apulia cum parva parte copiarum retrocessisse Gonsalum Fernandum Aquilarium nostrorum militum in Regno Neapolitano ducem, nec partem dimidiam eorum, quæ Galli referunt, scribo, quia res suas extollunt nimis. Attamen quæ dixi, vera esse, Itali omnes prædicant. Infausto igitur sidere nostri militant. putatis Gallos honorifice aliquid unquam de nostris protulisse? haud secus ac de famelicis scabiosisque catellis, feri Leones, jubas concutiendo, de Hispanis obloquuntur: nullum unquam vidi genus hominum minoris facere reliquos homines, qui Galli non sint. infantulo vos vix ablactato modestius occurretis, quam isti se putant ituros in Hispanos. Solo se adspectu perterrituros, in fugamque illos versuros, autumant. vereor tamen & ego summopere. Ferus namque primus Gallorum impetus est, qualem sæpe legistis. est & multitudo ingens. est potentia mira. Principes habent Italos omnes, vel fautores, vel non adversos; vine id fit, an amore, neque est nostrum quærere, neque hac tendatur, vel illac, refert quicquam, nostræ autem vires exiguæ. quia parva est jam manus nostrorum, eaque in fugam versa; quod in re bellica adversissimum est. nostrorum namque

que animos premit, hostium erigit, Fortunæ bellicæ frons adversa. De me autem hoc scitote, Mediolani sum. Gilibertus & Philippus fratres Borromeæ domus, quæ primaria est & potens in hac urbe, Comites ambo, me susceperunt hospitem. hi & duo fratres ipsorum alii, mihi semper adstant. Galli gubernatores quatuor, ut me apprehenderent, consilium iniere. horum affiniumque aliorum ope, adhuc sum liber. Taleranus ex gubernatoribus quatuor unus, qui paternam habet in Gallia Narbonensi, nostro Rosilioni finitimam, rurium & oppidulorum sat commodam hæreditatem, ad me venit. Is in Hispania aliquando fuit Orator missus, & mihi profuit, panem Hispanum illum comedisse. Favit nostræ parti cum Giliberto ipso Borromeo Comite, ex Gubernatoribus uno. Reliqui duo Galli cesserunt, ut ad Regem tamen, jam Alpibus proximum, ad vos redeundi veniam petitum, recta proficiscar, legem imponunt, mecumque paciscuntur. ego vero, cui neque mari, neque terris, patet iter ullum, sto fœderi, dextram do. Regi obvius ibo; quid de me futurum sit, est in superis. Vos me illis vestris orationibus commendatum facite. Ac valete. Mediolani. v. Calend. Julii, MDII.

EPIST. CCXLIII.

Rex Gallus in Hispanos. dissident Galli duces. quid uterque dux. quid speretur.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

NOn semel inter Gallos in concione de me capiendo, incidit in deliberationem. affinium & amicorum suasu relinquunt liberum. Obvius eo Gallo, qui jam vel tenet Alpes, vel est proximus illis, ut in Italiam ex urbe Mediolano copias in Hispanos multiplicaturus trajiciat; se habere in potestate sua victoriam, velut in dextera panem comedendum, credunt. quam incerti sint bellorum exitus, nihil cogitant, aut verentur. in Mesanam ultra Pharon Siculum, & utramque Charybdeam Scylleamque rabiem, non cogitatus modo, sed & publicos sermones jaciunt. grandia sunt ampullosaque illorum verba, sed major multo est nostrorum Regum incuria, nisi aliter provideatur. Forte lotis manibus Fretum sorbebunt Galli Trinacrium. nam de re Neapolitana nil ipsi dubitant. minoris rem hanc faciunt, quam tu faceres, si cum viris fortibus centum, nec dum bene totidem cum capellis, tibi esset congrediendum. est tamen unum adjumento nostris futurum. diffidere inter se duces Gallos fama est. Partem exercitus in Calabriam dicitur Obegninus duxisse. Cum reliquis ajunt copiis, Ducem de Nemours Regis affinem in Apulia permansisse. ex compositone id pacti sint, an ex impatientia sociali, non bene compertum est. Cætera ex regiis Granatensibusque exemplaribus intelliges. Vale. Mediolani v. Calendas Julii, MDII.

EPIST. CCXLIV.

Suspectum habuerunt Galli Autorem, ne esset explorator pro Catholicis Regibus.

P. M. A. M. Gartiæ Lasso Oratori Hispano apud Alexandrum summum Pontificem.

SCisse te arbitror, Garsia Lasse vir nobilis, fuisse me ad Venetos, ad Soldanum inde Babylonicum à tuis meisque Catholicis Regibus, dum tu in Urbe manes, destinatum Oratorem, Venetias renavigavi. nunc ago Mediolani, inter affines & amicos, quid aliud à te velim, non est, præterquam, ut has literas, quantocyus poteris mari (quandoquidem terra non licet) ad Catholicos Regem & Reginam dirigas, his quæ Mediolani præsens senserim, significo; tibi nota forte, sed per incerta vulgi murmura, quia maxime distes. Magna sunt Gallorum verba, ingentes querelæ. quia se percussum à Rege Hispano Rex Gallus fateatur. fremitus horrendi. Se ruiturum cælum ac terras, vel deleturum ad unum Hispanos minitatur. De me autem si noscere cupis, inter spinasne, an rosas convolvar, accipito. Inierunt sæpe Galli diversa consilia, caperentne me, an dimitterent. exploratorem putabant, missumque nuper, non autem à regiis redire mandatis autumabant. Et nisi magnæ autoritatis viri profectionem meam, ab anno superiore, testati fuissent, & mihi magno nixu favissent, actum erat de me. jam compedibus premerer, & catenis veluti cæteri, qui intra fines Gallicos Hispani deprehensi sunt. tu me superis commendato. Et vale. Mediolani v. Calendas Julii, MDII.

EPIST. CCXLV.

De adventu Philippi generi & Ioannæ filiæ. quid Mediolanenses. quid Rex cum eis.

P. M. A. M. Garsiæ Lasso apud Pontificem Maximum Oratori Regio.

CUm tuas literas inspexi ex Urbe, summopere sum admiratus. vix namque meas ad te

ad te venisse putabam. Multa scribis non injucunda, te daturum scilicet operam, ut ad Reges tuto literæ meæ perveniant. dicis namque disposita te habere per mare volitantia navigia, quibus in tanto rerum turbine, quæcunque accidunt, crebro significas. perbelle quidem consultum est. Ex isthac egregia providentia sedavi animum aliquantisper. haud ingratum etiam fuit secundum tuæ Epistolæ caput, quo ad soceros nostros Reges, scribis venisse Philippum generum, ad parentesque Joannam filiam, futuram tot Regnorum hæredem. Illa igitur cura liberi vivent. nihil namque, priusquam ab eis Granata discederem, magis optare videbantur. de Mediolensibus interrogas, quonam stomacho jugum ferant Gallorum, dico, non ita turbide, uti existimabam. quietis vivunt animis. ajunt mitius agi à Gallis, quam fuerit hactenus Gallorum mos. superbe namque nimis imperioseque solebant sævire in subjectos. ex Regis ipsorum exemplo, quem ajunt esse valde moratum, & sincero animo virum, id provenire credunt. neque enim patitur, ut quisquam impunitus evadat, qui fecerit injuriam. prodest non leviter ad tollendam vim & injurias reprimendas, quod sit magnus (ut Gallice loquar) Mareschallus, cujus est ex magistratus ipsius munere, violentos punire ac frenare superbos, Joannes Jacobus Trivultius Mediolanensis meus concivis, vicinorum amator. nec male sentio de quatuor gubernatoribus, quorum numero est Comes Gilibertus Borromensis, vir sagax prudensque, ac uti vidisti forte, potens, primarius urbis. Vectigalia quoque dempta sunt à Rege multa. Ita Mediolanensium animos jam tenet emollitos, & sedato pectore. Ego vero Regi ipsi Gallo jam Alpes transeunti, vel proximo Alpibus obviam ibo, *Tutelares literas*, quibus ad Catholicos nostros, per ejus Regna penetrare queam, petiturus. Impetraturusne sim an non, in dubio est. Quid nostra sors velit, experiemur. Deus bene vertat. Tu vale & vive lætus, cum in tuto sis. Mediolani. IV. Idus Julii, MDII.

EPIST. CCXLVI.

Habuit Autor salvum conductum. & quo medio iverit ad Regem Gallum. de incuria Oratoris non missi & de ineptiis mittendi.

P. M. A. M. Catholicæ Reginæ absenti à viro.

QUinto Idus Augusti, hic est alter Augustus ab eo qui me à vobis abduxit ab urbe Granata, Catholicum Regem tuæ Majestatis virum, in Augusta Cæsarea Comitiis Aragonicis, ut exercitum paret in Gallos, Perpinianum urbem vestram ipsiusque Comitatum Rosilioneum aggredi volentes, inhærentem, adivi. incolumis accessi. ubi parumper à laboribus itineris quievero, tuam sublimem Majestatem pronus ibo salutatum. hic denuo, ignoscat tua Majestas, vestram incusavi, nescio an audeam dicere, negligentiam, incuriam appellemus. Nondum vos misisse Venetias Oratorem reperi. designatum namque Laurentium Xuarez Garsiæ Lasi, qui vos refert apud Pontificem Romæ, fratrem sum allocutus; parat se ad discessum, fateor. at multis ante diebus ivisse oportuisset. nec placet quod hunc elegeritis hac tempestate. Maluissem namque virum, qui Latinam calleret, vel saltem intelligeret linguam. hic tantum suam patriam vernaculam novit, prudentem esse alias, atque inter ignaros literarum, satis esse gnarum, Rex ipse mihi testatus est. cupissem tamen ego, quæ dixi. Neque enim potest quisquam sermone non percepto ab auditoribus aperte intelligi. latent veluti sub ænigmate colorum persuadere nitentium, vires, nisi lucida sit & bene intelligibilis Oratio. At explebit, ut arbitror, vestri Oratoris notam Venetorum necessitas, qui perniciem suam affore cognoscunt, uti existimo, si nostri pellantur. sciunt namque Gallos minime posse vivere ociosos. Pulsis Hispanis ab Italia, odoris naribus olfaciunt, conversuros arma in ipsos; nec defuturam occasionem. Quonam pacto Gallorum terras penetraverim tuto, forte voles, Catholica Regina, dignoscere. Favente Joanne Jacobo Trivultio Franciæ magno (ut ipsi ajunt) Mareschallo, nostro cive primario Mediolanensi, vobis deditissimo, literas habui Regias tutelares, quibus evasi. se percussum à vobis in Regno Neapolitano, Rex conqueritur. ulturum putat ad unguem, quam dicit illatam injuriam. minitabundus Alpes trajecit. cætera coram. interea felix valeat tua Majestas Catholica. ex Cæsareaugusta. IV. Idus Augusti, MDII.

EPIST. CCXLVII.

Quomodo è Gallorum manibus evaserit. qua transierit in Italiam Rex Gallus. quid legatus Rothomagensis de Regibus. quam strenue Petrus Navarrus in Canusio.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

IMpulistis ab urbe vestra Granatæ, me absente, Reges; propterea rariores à me literas habetis. neque enim ad vos frequentes occurrent tabellarii. Majora scitote mihi discrimina ex Gallorum coacto commercio accidisse, quam vel mari aut terris cum Barbaris exlegibus universis. totis viribus, omni conatu, tribus in locis deprehendere me, atque in vincula conjicere, cum omni meo comitatu, Galli tentarunt. At affinium & amicorum auxilio Chirographa mihi tutelaria ad Regem usque suum, qui Mediolani præerant, impartita fuerunt. Quum vero per oppidum Astam, datum in dotem quondam Valentinæ primi Galeatii Vice-Comitis Ducis Mediolani filiæ, hujus Regis Gallorum aviæ paternæ, quo jure sibi Ducatum tenere inquit Rex, iter facerem, Joannem Jacobum Trivultium, de quo alias, habentem ibi Gallica reperi præsidia. Is ad Regem jam non per montem Genebrium & oppidum Susam, commune iter, sed per urbem Salutiam, & collem qui dicitur *Agener*, Alpes tenentem se iturum dixit. Carmagnole convenimus. Cardinali Ambasio Rothomagensi Episcopo, totius Franciæ Legato, qui me audiat, cura demandatur. iratum reperi. convitiis non modicis nostrorum Regum nomina laceravit. Sapiens est ac satis gravis & doctus. Latine namque semper egimus. attamen parum temperavit à genuinis. mordicus sævivit. Suasu & rogatu Trivultii, ut mihi tutelaria dentur Chirographa, per famulos à manu regios impetravit. Quænamcunque is Ambasius legatus in rebus Gallicis tam bellicis quam alterius modi decernit, peraguntur. Ita Gallis invitis, Gallis in me comitesque meos, torvos oculos passim conjicientibus, & salivam spe lucri Mercurialem deglutientibus, eorum Regna penetravi, veluti à leonum faucibus agnus evasi. Sed ubiubi ad Regem huc me contuli, perturbarunt mihi animum, quæ de rebus Neapolitanis audivi. Canusium namque simul & universam fere Apuliam Gallos oppressisse allatum est. Mira de Petro Navarro, qui Canusium cum præsidio tenebat, reliquisve ipsius sociis referuntur, quod vim & tormentorum & virorum oppugnantium, forti animo, quod pauci multos sustinuerint, quod simul atrocem famem, sitimque passi sint, ne sese dederent, quod propugnando, multos Gallos trucidarint; attamen quandoquidem oppidum ad Gallorum potestatem devenerit, successus deploratur. Ex Gonsali Fernandi totius exercitus ducis consensu, dedidere oppidum, ne perirent. minus namque damnum fore ratus, oppidum, quam tales tamque strenuos milites amittere. quare habita ab ipsorum imperatore venia, cum illis auxilio esse non posset, cum Gallis paciscuntur, ut tuto viris omnibus, per ipsorum acies armatis signisque protentis exire liceret. Ita fœdus feritur, sese veluti ad pugnam instruunt, exituri, qui supererant è tanta obsidione. Per Gallorum ordines *Hispaniam*, Hispaniam, *Vivat Hispania*, sublatis vocibus proclamando, transiisse feruntur ad suos. En quid ad suos? ad Gallorum captivos certius est dicere. Si namque Galli, veluti primo impetu, ita & constantia bellica valerent, ad unum Hispanos omnes consumpsissent. neque enim sunt pares numero. integras habent Gallicas vires. Italiam fere universam sibi tenent, aut fautricem, aut saltem nullubi adversam: nostri autem necundo, præterquam ex Sicilia suppetias exspectant. longo namque tractu distat Hispania, neque in Regno nostris quicquam restat, in Apuliæ parte præsertim, præter Barletam oppidum, ubi obsessum tenent Gonsalum Fernandum, cum parvis quæ supersunt copiis. illic fame pesteque premuntur. nec affluunt pecuniæ, quibus nervis bella geruntur. Ex Germania tamen mihi Rex narravit, sed nostra impensa, cogi peditum duo millia, qui afflictis auxilio veniant, exspectari. missos namque ait, qui eos conducant. Valete. ex Cæsareaugusta XIII. Calendas Septembris, MDII.

EPIST. CCXLVIII.

De origine gentis Angleriæ. ubi natus Autor. descriptio Arona oppidi. de Verbani lacus excellentia.

P. M. A. M. Petro Fagiardo.

AUspicato meas ex urbe Mediolano ad te literas discessisse credo. genealogice nunc, Cosmetriceque tecum agere parumper est animus, & inflatis buccis gloriari. Stirps hæc ab Angleria nostra, ab avis atavisque, Mediolanensis est. ubi vates ille noster Ausonius, *mira esse omnia*, sapido cantat epigrammate. quale genus hoc ab origine fuerit, ex libello trium quaternionum ad me, cum Matriti, tu cæterique Optimates, quotidie mihi domum implebatis, audituri, misso, potuistis colligere.

gere. legistis namque circiter quadraginta ex hac familia Reges recta serie prodiisse. vastatamque uti moris est rerum humanarum, quæ vertunt Fortunæ vices, à Germanis Insubriam universam, gentemque istam radicitus fere deletam, semilachrymans percurristi; nonnulli tamen per varias tremuli latebras, donec furibundus ille Germanicus torrens, ad alveum ripasque suas rediret, evaserunt. Ab his domus Vice-Comitum à qua se genitum jactat ex Valentina avia Rex iste Ludovicus Gallorum Rex, emanavit. Germanorum igitur satiata rabie, in patriam, è latibulis, qui supererant, rediere. soli ubertas (est namque fortunatissima tellus) ut ad priscum decorem cito rediret, effecit. Hinc sanguis noster Anglerius, hinc mea progenies. attamen, cum me utero mater gestaret, sic volente patre, Aronam, ubi plæraque illis erant prædia domusque, concessit. Est autem Arona oppidum insigne, in Verbani lacus, quem juniores *Lacum Majorem* appellant, ripa situm, munitissimum & bene fortunatum, mœnibus in alæ forma dispositis, numerosis turribus, atque eminenti arce convexa mœnibus, ab impetu hostium tutissimum, si qua hostes ingruant. Sunt namque Aronenses Helvetiis Germanisque proximi. neque à Gallis & Hasta oppido maxime distant. ad ipsius etiam oppidi nundinas sæpe concurrunt. nundinarium namque est & frequens mercatorum commercio. equorum huc Helvetiorum Germanorumque multitudo ingens, venum confluit. Lacus vero is major centum, ut ajunt, amplius millium passuum. duo ex Alpibus decurrentia flumina conficiunt lacum; fontesque innumeri à reliquis montibus descendentes. Ticinus vero navigabilis fluvius, qui Padum amplificat, ipsius lacus aquas omnes ebibit, perque vastas ejus planities raptat, quibus & provincia multis montanis proventibus, trabibus utpote, lignis comburendis, & calce ac marmoribus fortunatur, instruiturque nec lacus opulentiam tacere intendo. ditissimus est accolis. turtures fluviales nutrit eximii saporis, & magnitudinis tantæ, ut sexaginta amplius librarum duodoncialium fuerit aliquis repertus turtur; vulgo librarum xx. trigintaque ajunt captum sæpe fuisse. miræ inquiunt esse profunditatis lacum piscatores, tempestatibusque veluti pelagus ingens agitari. pollet etiam piscibus aliis multiformibus, sed raris alibi quibusdam, subaurato quodam colore, præcinctisque quos vocant *persacos*, luciis ingentibus, ipsorum appellatione *cavedinis*, anguillis, bottistrysis, scationibus, piotis, agonibus, tenchis, chepiis, atque aliis, quorum nomina mihi deciderunt, nec Latina habere cognosco, est copia tanta, ut vicina omnia tempore piscium, Mediolanumque ipsum saturent. vis brevibus? dulcium aquarum edulia sapidiora nullubi, nullibi plura. Huc igitur ego ex itinere, quia ibi me mater dederat orbi, ad veteres amicos affinesque diverti, quotquot in hoc jacent corpusculo spiritus, quotquot animantes fibræ, miro intra sese titillo garrientes præ lætitia, vires conduplicarunt. Ex natalis ergo terræ complexu, ex veterum amicorum & affinium repetita undecim dierum consuetudine, tam longæ peregrinationis meæ fastidia excussi. omnis lassitudo, laboresque omnes cesserunt illico. cætera per exemplaria. hæc autem ex itinere ad Reginam, nuntio ad te mihi sese offerente volui ad animi mei oblectamentum describere. Gratane tibi futura sunt, an non, parum curæ est. Æquum fuit, ut mihi semel, cum tibi aliisque sæpissime satisfacerem. Vale. ex Cæsareaugusta. iv. Idus Augusti, MDII.

Epist. CCXLIX.

Suscipitur Autor à Regina. cujus virtutes recensentur. quam pressi fame pesteque in Barletta Hispani. Portucarrerius mittitur.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

Veni, veni jam tandem, veni; terrarum, pelagique minas, Gallosque furores evasi incolumis. jeci anchoras in portu Brundusino Carthaginensique tutiore. Apud Catholicam utpote Reginam, quæ fœmineum, uti nostis, sexum superat universum, quæ non modo virum æmulatur, sed animo, prudentia, constantiaque, quæ est in fœmina donum incontingens, quoscunque illustres & claros æquat heroas, & me redeuntem benigne suscepit, quater placidissimo serenoque vultu, multa percunctata est, sublimes ejus aures, rerum novarum recitatione demulsi, sum ei gratior solito. quod utrique vestrum haud ingratum puto fore, quia me uterque diligitis. satis multa de nobis. Quæ autem digna memoratu, licet non bene sapida, veniens repererim, audite. Jam non dubio vulgi murmure, sed per certos tabellarios & literas, à nostrismet ducibus, habetur Hispanos, qui bella gerunt in Regno Neapolitano, laborare vehementer, universaque Apulia relicta, *Barletta*, sic enim appellant oppidum juniores, inclusos fame pesteque urgeri graviter ajunt. Vicina ipsorum omnia Galli, per Ducem de Nemours, sui Regis affinem; & Proregem occupant, nostros quotidie

magis ac magis premunt. Ita obsessi undique, de relinquenda etiam Barletta, sæpius iniere consilium. Ut mari terga dent hostibus, ne fame pesteque pereant, sæpe cadit in deliberationem: perstant tamen adhuc, suppetiasque Germanicas exspectant indies, quas ut missi à nostris Regibus ductores, conducant, jam dicitur Maximilianus Romanorum Rex admisisse. Audivimus, jam esse aggregatos. est nostris magno solatio, Prosperi, aliorum etiam Colonnensium equitum nobilium Romanorum magnanimitas, qui se includi cum nostris & obsideri, ut animum præstent, passi sunt. Ita Mars in Apulia nostros agitat. in Calabria vero Obegninus dux alter, non parva nostris damna intulit. Incursionibus loca agrosque infestat omnia, quia non sunt nostris copiæ, quibus apte queant aperto Marte concurrere, licet vicinam habeant Siciliam, auxiliaque ab ea etiam parentur. Ludovicus Portucarrerius Palmæ dominus, sagax (uti nosti) bellorum ductor, est monitus, ut se ad eam apparet profectionem. Is afflictis in Calabria, cum novis, quæ illi assignantur copiis, & auxiliis Siculis, contra Obegninum succurret. Gonsalus Fernandus vero hujus militiæ Princeps, & Colonnenses cum Germanis, Duci de Nemours, respondebunt. De Philippo vero & Joanna Principibus hæreditariis, rebusque aliis nostratibus, vestri vobis significabunt. Ergo Valete. Toleti. III. Idus Septembris, MDII.

EPIST. CCL.

Veniens reperit Philippum, discedendi in patriam cupidum. de argumentis socerorum. moritur Bisontinus Archiepiscopus.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

TE accepisse per cursorem, qui sese mihi obtulit in itinere, ad Urbem volitans, quod incolumis ex laboriosa mea legatione redierim scribis, & una significas pati extrema nostros, qui militant in Regno, propediem discedet cum novis copiis Portucarrerius Palmæ dominus, prudens & fortunatus bellorum dux, qui quoties pugnavit conseruitque manus cum hostibus Granatensibus, accidit quidem id sæpissime, totiens vicit, stravit, trucidavitque hostium copias. Is provinciæ præerit Calabriæ in Obegninum. De Germanis vero quid rei sit, tu certius nosces, quia propior. De Philippo autem Burgundo genero & Joanna filia nostrorum Regum, hæc accipito. Pruriunt Philippo pedum venæ omnes, ebulliuntque sanguinis meatus, nequit stare loco, discessurum se illico, dicit. Innititur Regina, ne id cogitet hoc tempore, quo exercent cum Gallis capitales inimicitias, *Oportere etiam*, inquit, *futuros Reges apud hos Principes enutriri versarique diutius, si imperare illis voluerint. Ioannam* addit, *ejus uxorem sibi filiam, partui propinquam, præ dolore fœtum ejecturam, & forte ipsam interituram, quia maritum ardenter amet, si eam relinqueret*, seque dimissuram *prægnantem filiam* Regina abnuit, hoc præsertim hyemali tempore, per hostium terras, aliaque hujusmodi multa, sapientissima socrus proponit. Ille tamen immobilis exstat, respondetque, *priusquam à patria discederet, se suis incolis comitibusque Belgis, quos secum duxit, regressurum intra annum & (jurejurando præstito) fuisse pollicitum, nolle se illis, qui avitæ sint hæreditatis, ullo pacto deesse, aut, ut* infidum *appellent*. Durum est Reginæ, hæc audire: durius multo, ardenti uxori, quæ simplex est fœmina, licet à tanta muliere progenita; gemit, collachrymatur. Neque his Philippus emollitur. est adamante adamantior. discessum parat. adducit etiam Philippus in medium suorum familiarium interitum. major namque pars eorum, ex aëris à septentrione ad meridiem mutatione, atque ex vini & ciborum varia substantia, febribus consumpta est. Ast illum acerrime Bisontini Archiepiscopi, sui ab unguiculis nutritoris, mors perterruit. Intra quintum namque diem, ab initio morbi, cessit naturæ. Vivit igitur attonitus Philippus, idem, ne sibi accidat, horrescit. his nos unguibus natura pectit, hos carduos tribulosque miscet inter sata læta, messesque uberrimas. Tu vale interea. Toleti. XII. Calendis Octobris, MDII.

EPIST. CCLI.

Successus Borgiæ, abjecto galero. laudatur ejus persona. sors conspuitur. assequitur magna.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.

QUid suo excusserit cribro, quidve pinsuerit Fortuna in rebus Alexandri Pontificis, Cæsarisque Borgiæ, qui est ipsius Pontificis dexter oculus, scire te velle, in hac rerum turbulentia scribis, longas petis ambages, ac veteres nimium nodos. reliquissem ego isthæc pro joco ludoque infantili. puto namque saliceas arbores æmulaturum, quæ cito coalescunt, & cito intereunt. aliorum qui nostra tempestate, à Pontificibus (quia sanguis eorum) erecti sunt, exempla, ut hæc autumem fore fragilia parumque duratura ostendunt. Ita tamen habeto. Audistin' arbitror,

tror, Cæsarem hunc, post ejectum à se purpureum exosumque galerum, in Ordinis Cardinei contumeliam, in Galliam fuisse profectum, *Ducis*que *Valentini* nomen à Valentia oppidulo quodam Alpino, ignoto cuiquam Italo, à Ludovico Gallorum Rege fuisse assecutum; ventosove titulo, an potenti viderint amans & amatus, non est meum quærere. est hic juvenis tamen eorum judicio, qui apud illum familiariter versati sunt, natura magnanimus, in strenuos milites liberalis, erga gratos munificus, habitudinis decore; amari dignu, nec literarum ignarus. Ex primariis est Gallicarum copiarum ductoribus, militariaque Gallica recipit triginta millium ducatorum stipendia. à Pontifice non minus exhaurit, quam Pontifex ipse assequitur. neque audet Pontifex illi obviam ire ulla in re. Forlinium quod *Forum Iulii*, & Imolam, quam *Forum Livii* quondam volunt appellatas urbes, Ariminumque & Faventiam simul & Urbinum, veteribus Dominis omnibus spoliatis, favente Pontifice, sibi usurpavit; Ducemque totius Romandiolæ Pontifex cum multorum Cardinalium suffragiis, plumbato membraneo Chirographo, illum appellari imperat. Bononiam tentavit impetere atque subigere. obstiterunt Bentivoli. fortunatus adeo ut nihil unquam cogitare ausus fuerit, quod non ad unguem perfecerit, præter Bononiense negocium. laboris inediæque atque algoris ferunt esse, ubi opus sit, patientissimum. cum his omnibus crudelem ajunt, & sanguine gaudentem, in eos, de quorum fide dubitaverit vel tantillum, immurmuratur. Veneno plerosque pecuniosos Cardinales, sub convivii specie, intercepisse, ut illorum pecunias ad fiscum deductas ipse dehinc tolleret. Is impræsentiarum in culmine rotæ rotantis, pavone gloriosior sedet. clavumne an vacerram habeat, aut sufflamen satis aptum, ad retinendam, nescio. an à superis duraturi diutius applausus, quam in aliis sui generis vadimonium habeat, tempus rerum judex sapientissimus aperiet. Tu vale. Toleti nonis Novembris, MDII.

Epist. CCLII.

Quid Veneti cogitent. quid nostri patiantur. Venit Fernandus Calabriæ Dux. quæ affinitatis series cum Rege.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

Placuisse vobis, quod sospes advenerim, quodve Catholicæ Reginæ post legationem charior sim, scribitis. cur id tempus in cassum triveritis, cur perituras chartas sepia sulcaveritis, non intelligo. nulli namque est avi nidificanti notior, in qua pulli jaceant arbor, quam mihi vester animus erga me, si bene & vos valetis. nil quippe jocondius mihi. velletis quid habeatur ex Italia. sunt in angustiis Hispani intra Barletam oppidum in Apulia portuosum, ad sinum Adriaticum. Veneta Resp. veluti è specularia turre, quid futurum sit, tuta despectat, neque in nostros, uti Galli postulant, arma capiunt; neque sunt nobis auxilio. pendent dubii, quo se talus emissus, in dextrumne unionem, an in caniculam vertat, exspectant; victoribus applausuros putamus. Ita est mos. emergit aliud, quod vobis, licet vestris ista procuratoribus semper scribenda reliquerim: quia nostratia referre vobis ego constituo; quod ab exteris emanet. Nono Calendas Januarii Curiam est ingressus Ferdinandus Aragonius, Federici Regis infelicis ejecti è Regno filius primarius, Calabriæ Dux, hæres Regni, ni fata obstitissent, futurus, miseram & infelicem deflevi hujus adolescentis ac genitoris ruinam. Adolescens namque est & Regno & Regio sanguine dignus, miræ indolis, forma egregius. Ægre ferre videntur Rex & Regina illorum perniciem, attamen ne in Gallorum potestatem universam caderet Regnum, satius esse duxerunt, dimidiam ipsi partem pacisci ex composito cum Gallis. Neque enim erant Gallo Regi, quin illos Regno spoliaret, obsistere potentes; neque Rex & Regina satis aptas quibant, quia maxime distant, atque septi undique à Gallis terra marique, ferre suppetias. Vos minime profecto latet Hispaniam esse undique terra Pyrenæis, qui à Gallia illam disterminant, circumvallatam, & mari ambitam includunt. Adolescens igitur hic Fernandus ad patruum venire quam in Galliam proficisci, licet pater ejus in Gallia lachrymandum exilium elegerit, utilius esse ratus, ad Reges venit Catholicos. didicisse vos arbitror esse Fernando adolescenti, Regem nostrum, patruum majorem, quom Fernandus I. Neapolitanus, hujus adolescentis avus, ex Federico genitore, & Fernandus noster Catholicus, ex duobus fratribus Alfonso & Joanne geniti sunt, patrueles. Adolescentem benignissime honorificeque, qualem Regis filium & affinem suscipi decuit, susceperunt, universam illi curiam exire obviam imperarunt. regium præ se fert adolescens animum, cordatumque pro ætate, amorem sibi patruorum conciliaturum, ex optima natura putamus. Vos quid humana felicitas, qua cæci vivunt, atque ebrii

major

major pars hominum pariat, hujus exemplo considerate, ac valete. Madrito XII. Calendas Junii, MDII.

EPIST. CCLIII.

Quales Philippus discedens uxorem ac soceros reliquerit. de Portucarrerio. moritur Cardinalis Mendotius. de bello Gallorum cum Salsas.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

SCripsi ad te superioribus diebus, fuisse animo fixum Philippo Archiduci, genero Catholicorum, velle redire ad Belgas, natale solum, avitumque domicilium. Quod animo conceperat, id exsecutus est. Madriti sumus. Hinc XI. Calendas Januarii soceris id maxime dissuadere annitentibus, discessit. Non profuit, quod parum sit Gallis fidendum, rebus præsertim sic stantibus, in medium illi adduxisse. Ni velit præsentes inimicitias capitales, quæ vigent rabidissimæ inter eos pensitare petunt, uti per sororis suæ Margaritæ ignominiosum repudium, per uxorem ipsius patri Maximiliano raptam, Britanniæ Ducissam, per Burgundiam Picardiamque orbatæ nuper suæ matri ademptam, atque alias maximi momenti injurias, quanti debeat facere commercium Gallorum consideret, quovenam pacto sit illis fidendum existimet. hortantur frustra omnia incassum, & discessit, ac se iturum recta via in Galliam, ad Regem Gallorum protestatus est. corruptos credunt multi pecuniis & largitionibus Gallicis, familiares ejus, consultores, qui post Bisontinum Archiepiscopum primas apud Philippum sedes consiliarias retinuere, nec ut apud eos diem Dominici natalis imminentem moraretur ipse, impetrare uxor gravida cum soceris potuerunt. quales uxorem socerosque reliquerit, considerate. Hujus tantæ rei Arcanum quæsitare mihi non licet. concretam frigore boreali pervicariam fuisse hi murmurant, illi causas inesse ingentes, cur ita fieri jure merito debuisset, arguunt. nolo ego acutius ista scrutari. ergo satis. Jam cogi Germanos, qui sunt in Apulia futuri auxilio nostris, maxime confractis, inquis. ego tibi significo, Portucarrerium in portu Carthaginensi suas convocare copias. propediem proficiscetur, trajicitque futurus auxilio cum Siculis, laborantibus in Calabria, contra Obegninum Gallorum ducem, illos acriter infestantem. sperare te, inquis, mutaturam se Fortunam nostram in melius. dicitur namque, uti ais, Gallos effectos turgidos ob res secundas, atque inde ob insolentiam torpescere, minore etiam cura bellum gerere. Nollem & hæc addere, quia futurum tibi scio molestissimum, quod huic stirpi Mendotiæ te plurimum fatearis debere. At quid faciemus, ita Superis statuentibus? Periit Didacus Furtatus Mendotius, rubro & ipse galero insignitus. periit hujus familiæ lux. Sanguine ferunt exundanti suffocatum, quod Medici rem non intellexerint. Defuit in tempore phlebotomia. nec quando quid opus esset intellexerunt, remedio locus fuit. Sparsus namque jam erat, & intestina sanguis corruperat. Quintum non amplius diem lecto procubuit. Arbitror etiam tibi esse cognitum, uti novus ad furores Gallorum reprimendos, qui se totam Hispaniam abstirpaturos minitantur, exercitus comparatur. Arx Salsea, quæ primos eorum impetus est receptura, muris amplissimis dicitur esse tormentisque multiplicibus munitissima, præsidiaque ajunt delectissimorum, ibi esse ad propugnandum locata, ut eam prius obsideant, oportet; non sicco illam pede expugnabunt. Rex cito se recipiet Perpinianum à Salsea arce millia passuum sex, ut hostibus terrorem, nostris autem animum præstet. Reginæ, quæ mœsta, viro absente, intra belli angustias vivit, est molestissima Joanna filia, quæ post virum à se discessum, neque animum exhilaravit unquam, neque à tellure oculos unquam elevavit. De divitiis, de potentia, de Regnis, de parentibus denique ipsis, nulla est illi cura. In viro solum obducta fronte cogitat, de solo viro cura, studiumque & sollicitudo. Ubi exonerata partu fuerit, dimissuram promittit genitrix. se inani spe depasci filia putat. quia maritum ardet, seróque id venturum animadvertit. Emittendo fœtui proxima est. Levabit forte hæc mulier nova prole dolorem, si rectum pariet, nec turbine mentis obibit. Tu vale interea. Madriti. pridie nonas Januarii, MDII.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER SEXTUSDECIMUS.

Epist. CCLIV.

Rubi oppidum in Apulia & Paliza dux capiuntur. Hispani reviviscunt. triremes Gallicæ capiuntur. Portucarrerius accersitur. Ioanna filium peperit.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

HAbuisse meas XII. Calendas Januarii exaratas, atque una, quod raro scribam, conqueritur Comes. Ecquæ scribere ad vos, aut ego velim, aut scribi debeant, raro accidunt. Nunc autem rugosam Fortunæ frontem scitote, in Hispanos emollitam aliquantisper. Cum namque se nostri peste aut fame interempturos sentirent, ferro satius tentare Fortunam duxerunt, suas instruunt qualescunque habebant acies, tormentaque apparant. Rubos oppidum ad milliaria novem ab oppido Barleta, impetunt tormentis (inter quæ quatuor erant ejus generis, quod appellatur *Canones*) mœnia quatiunt, diruunt, scalas apponunt, adscendunt. cum ingenti Gallorum jactura vi capiunt, nec unus evasit. capitur & dux eorum Paliza, cum nobilibus Neapolitanis Carazolis, qui & ipsi cum Paliza inerant. in prædam oppidum datur. opima inde spolia Hispani referunt: sese aliquantisper à tanta servitute liberant suffocatos. namque nostros ista Rubea præsidia tenebant; quia proximiora duraque. centum viginti quinque namque gravis armaturæ equites, quos appellant Galli *Lanceas grossas*, cum suis perpendiculis; & peditibus non paucis, ibi locatos ajunt Hispani se reperisse inclusos. Barletam igitur Rubis captis, copias cum captivis & ingenti præda reducit magnus hic noster Gonsalus Fernandus. Quid Galli amiserint, conjectemini; nostrorum strata corda & sopita expergiscuntur. Gallos hæc strages deterruit. additum est & aliud secundum secundo: & commodo commodum Hispanis. quædam Gallorum triremes per Apula litora vagabantur, nec mari ad nostros ex Sicilia quicquam importari dabatur, multasque jam Siculorum naves re frumentaria onustas interceperant. has intra portum Brundusinum, in anchoris stantes, Hispani & fregerunt & combusserunt. Ita liberum jam habent mare, imo & ferunt portum captasse Barletanum, onustas naves Siculas novem. Quare videtur jam undique Fortuna velle Hispanis arridere, frontemque mutare rugosam. Portucarrerius ductor earum copiarum, quas in portu Carthaginiensi vobis proximo Neapolim ducendarum in naves conjecit, in Siciliam concessisse fertur. Fessos ibi ex pelagi molestiis, milites & equos, paucis diebus reficiet. trajiciet, uti referunt, propediem & cum non parva manu Siculorum. suo namque Regi se ostendunt obsequentissimos. neque pecuniis desunt, neque viris, aut commeatibus: res tamen eorum agitur, ne ad Gallorum manus tracti, veterem Gallorum cædem, atque interniciem avorum nepotes ebibant. nolo longioribus, aut apertius. Vos me intelligite. natum vobis esse hodie, quæ est decima, sive Idus sexta Martii hora paulisper præmeridiana filium ex Joanna Philippo viro gravida tot Regnorum hærede, scriptum vobis fuisse per vestros arbitror procuratores. Ergo valete. ex Alcala de Henares, quæ dicitur esse *Complutum*. sit vel ne, nil mihi curæ. VI. Idus Martii, MDIII.

Epist. CCLV.

Moriuntur duo primarii aulici, Commendator major & Ian. Chiaconus Andelantatus Murciæ. de Regina patientia. quam infelix suæ genitrici filia sit Ioanna.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

HEu, purpurate. confide rerum humanarum applausibus. ubi ubi Didacus Furtatus Mendotius, Madritii interiit, veluti fugiens ab infausto loco, Regina Curiam movit. diligebat namque virum. Alcala de Henarez ad lequas inde sex, Curiam transportavit. Addita sunt tædiis tædia. minime te latet fidissimos illi affuisse primarios duos, magnos Castellæ computatores, Joannem scilicet

licet Chiaconum novæ Carthaginis Dominum, & Murciæ Andelantatum, ac Gutterium de Cardenas: quem ipsa ab imo erexerat ad sublime rerum culmen: adeo quod quadraginta amplius dragmarum auri millium censum assequeretur, neque ingentes illis divitiæ, neque longa titulorum atque honorum pagina, vel tantorum Regum umbra profuit ad salutem. Ambo hic intra paucos dies interiere. sentit, licet constantissima sit & supra fœminam prudens, has alapas Fortunæ sævientis Regina, ita concussa fluctibus undique, veluti vasta rupes, maris in medio. vitam agit, viro foris bella gerente, Gallis undique in eorum potentiam dentes acuentibus. Generum inconsulte, properanterque uxore gravida relicta ipsius filia, discessum elegisse, necdum natalem imminentem exspectare voluisse, tribus qui eam & quaquam comitabantur honorifice, & à curis ingentibus levabant, quia de magnis rebus illos consulebat, vita functis: superat tamen molestias omnes filiæ turbulentia, cui nil curæ est de Regnis, aut potentia: perituranc sint post parentum obitum, an sese erectura, nil sentire videtur; de viro tantum sollicita, desperato vivit animo, vivit obducta fronte, diu noctuque cogitabunda nec verbum emittit unquam, nisi stimulata, atque id, si quando est molestum. ubi primum pepererit, & diffidere cum Gallis desierint, discedendi ad maritum copiam pollicetur. aliter namque minime id fieri posse ostendit, quia mari ac terris sit Hispania undique à Gallis circumvallata. Id non longe abesse insinuat, quin sint fœdus inituri: quiescat animo, interea filiam hortatur, rogatque. nec maternis pellecta blanditiis, nec auri gemmarumve cumulis oblatis exhilaratur, infelix arbori suæ fructus. infortunata seges suæ telluri est hæc filia genitrici. durissimi est pectoris. nil virile, nil regium ab ea prodiit. qua pervicax Saturnius humor trahit, ea tendit, ibi pedem figit. Urit suis moribus (ut te jam solvam) hæc filia materna viscera. de Joanne Principe dolor Reginæ quotidie suscitatur, de futuro tot Regnorum gubernaculo sollicita angitur.

Felices putat esse illos, quibus ista negari
Cernit, & in Regnis quod sit mensura malorum
Grandior incessu, vultu verboque fatetur.

Nimium sum evagatus. Vale, sisto pedem, Præsul sapiens. ignosce parumper. Hora nona Hispano more diurna, hæc scriptitaveram, quia & parari tabellarium senseram ad vos. Interea loci famulum ad Regiam destinaveram. hic retulit laborare Joannam partus angustiis, nec discessurum, donec illa pepererit. tabellarium exspectans igitur, peperisse filium marem allatum est, hora paulisper antemeridiana, VI. Iduum Martii. claudo epistolam, ne sepia chartave pereat. Tu vale. ex Alcala de Henares VI. Idus Martii, MDIII.

EPIST. CCLVI.

Moritur Portucarrerius in Calabria. Germani adierunt Neapolim. quid Obegninus Gallorum ductor. quid Andrada loco Portucarrerii. Profligatio Gallorum in Calabria.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

VAh quam multa vobis est animus, ô duo magna Hispani orbis lumina, quia sapientes estis, uno fasce præbere. canistros protendite. diversis illos vobis floribus & rosis ac violis implebo, & fulciam. Portucarrerius Calabriam apprehendit, & Germanorum illa manus, quæ indies exspectabatur, Adriaticum, Venetis non prohibentibus, cum possent, transfretavit sinum incolumis. Portucarrerius vix Calabriam vidit. Febribus namque illico pressus periit. duces vero qui Portucarrerio submilitabant, minime dejecti animo, conveniunt unanimes, ne spei occasionem hostibus præbeant. Fernandum Andradam Gallecum equitem primarium, ex ejus provinciæ proceribus, qui parandæ sibi militaris famæ gratia, ne domi torpesceret inglorius, eam fuerat secutus militiam, licet juvenem, quia cæteris potentior, deligunt imperatorem. Rei gerendæ, optimi quique sublata omni invidia, postergata superbia, non inconsultius studet, ac si de re propria familiari, vitaque ipsa, non de communi commodo, esset agendum, consilium singulis ineunt horis. Obegninus dux Gallorum, qui Calabriam infestabat, moræ impatiens, ubi ubi mortuum esse Portucarrerium sensit dissensuros inter se duces existimans, per fecialem tubicinem, ipsorum more, nostros ad prælium invitat. nostri minime detrectant pugnam. at in hostium fere conspectu tumultus militaris inter Hispanos cooritur, nolle se perfricata fronte pugnare, ni stipendia persolvantur inclamitant. Juvenis Andrada, naturæ sapidissimæ, ac mitis animi, convocat milites, blande illos alloquitur, *Iure merito solvi debere stipendia* ipsemet edisserit, *venturas propediem pecunias* pollicetur, *se interea velle de suimet bonis, quia pecunias non habeat, viritim illis, ne conquerantur, pro facultate succurrere, de cætero patiantur æquo animo* rogat. per se perque Ugonem de Cardona virum generosum, Siculorum auxiliorum, atque

que omnium peditum ducem, & per prudentes alios, tumultus sedatur, torques aureos, argenteaque vasa omnia, quæ secum è patria tulerat Andrada, ad sui ornatum, per frusta viritim militibus dividit. ex Semenaria, ubi sederant in hybernis, exercitum in rus, *Palmam* nomine, distans millia duo, transportant, ut mutare locum sesèque exercere discant milites aliquantulum. Inde forti animo se parant ad pugnam. Obegninus ubi paratis esse animis ad certamen Hispanos didicit, *per Philippum Burgundum Catholicorum Regum generum, pacis esse icta fœdera* nostris enunciat. idque in urbe Lugduno per præcones edictum fuisse significat. nostri nil horum se habere in mandatis à suis Regibus respondent, sero agi de Pace, ferro Pacem istam, non fallaciis quæritandam. his dictis per suos quæque acies ductores instruuntur. ad hostes eunt forti pectore, manus conserunt, at non, qua Obegninus putabat, à fronte scilicet, ubi tormenta frondibus cooperta bellico stratagemate locata, & in insidiis inter arbores latentes habebat, copias, sed latus ejus, qua nullis erat Obegninus armatus insidiis, nostri capiunt, confligunt. ubi quondam Obegninus ipse Caroli Regis tempore Fernandum Regem, & Gonsalum hunc Fernandum nostrum profligaverat, ibidem, vel fere, ipse sternitur & fugatur. trucidantur aut capiuntur ad unum Galli. Obegninus evadit, fugam arripit, nostri vestigia illius quæritant. intra arcem de Angita millia passuum triginta à pugnæ loco sepiunt. ubi reconditas ajunt illum habuisse pecunias, quas possidebat. obsident, capiunt in deditionem, sed paciscitur, ut cæteri homines, qui cum eo erant, liberi dimittantur. Hæc in Calabria XII. Calendas Maii in die signato Veneri felicibus avibus acta. Quarto vero Calendas ejusdem altero Veneris die, ne quid desit, Gonsalus noster Fernandus, qui rem gerebat in Apulia, minime gnarus eorum quæ in Calabria gesta sunt, idem Duci de Nemurs Principi Gallorum de pace loquenti, respondet, se nescire, quid dicat de confecta pace per Philippum Principem & generum Regum Catholicorum. armis agendum esse, non verbis, se imparatum fuisse ab eis oppressum hactenus & hostiliter ad perniciem usque tractatum fert. ultionem prius quæsiturum, si quiverit enunciat, unaque instruit acies. Germanorum duo millia addiderat exercitui. iter capit, quo tendere velit, minime aperit. sequantur tantum, imperat. per campi æquora inaquosa, inscios, quo eant, duci; nullubi aquæ potui occurrebant. ex illa siti multi, quia erat fervida dies, animam exhalarunt. Ipse aciem semper à tergo sequebatur, fessos sublevabat, equorum clunibus portari jussit plurimos, qui jam præ siti peribant. equites auxilio esse peditibus lassis jubebat, hos solabatur; illis succurrebat, quam melius poterat, & strenui militis & egregii ducis officium implebat. In continuo prospectu hostium qui apud Canusium castra metabantur, Cereniliam millia passuum à Barleta (ut ajunt) magna sexdecim, uno spiritu, durum opus, cum toto exercitu, structis semper ordinibus, devenit. parati sequuntur illum hostes. ad nostros recta concurrunt. tormenta igni supposito excutiunt, ferrei globi in nostros jaciuntur creberrimi, paucos perimunt. alto namque volitabant. Impedimenta nostrorum pulvere accensa tormentario comburuntur. Lanceas Galli tormentis excussis demittunt. forte fortuna vineam nostri quæ aderat fossiculis valloque vineali septa, satis hebeti, apprehendunt. Ibi se communiunt cataphractis, qui post exonerata tormenta præeunt lanceis in nostros directis, non licuit per vallum & fossas introire. vertere latus in retrocedendo coguntur, & turmas disturbant. Vi equorum suas in Gallos Germani plumbatas excutiunt, Hispani ballistas, missiliaque reliqua jaciunt. Multi cadunt. cadit & Dux ipse de Nemurs infelix juvenis, at magnanimus. hic sese gessit in pugna fortissime. Hectorem ajunt nostri non potuisse gloriosius pugnasse. abjecto equo sese medium pedes inter pedites conjecisse, ut suis animos ad vallos hebetes disrumpendos, fossamque transiliendam præstaret, nostri met fatentur. plumbata putant fuisse transverberatum. Corpus ejus honorifice (qualem decuit Regio sanguine ortum, tantique exercitus ducem & Proregem) humatum servari voluit noster magnus Gonsalus Fernandus: nostri, sic jubente Gonsalo duce, victoria utuntur, Gallorum castra occupant, spoliant, invertunt; sese Gallicis dapibus & vino reficiunt. Ajunt tria millia Gallorum interiisse, fugientes post hæc insequuntur. nox superveniens, ne major fieret strages, obstitit. Ita mutatus est in ictu oculi, rerum modus, mutata est Fortuna, quibus se blandam ostenderat genitricem, in sævam est conversa novercam: quibus vero novercam, parentem beneficam demonstravit. hæc nuper allata sunt. hæc longioribus quam forte posthac exspectare quicquam valeatis, habetote.

Lassa labore cadit nostra hæc manus. Ergo valete. ex Alcala de Henares Idibus Maii, M D III.

EPIST. CCLVII.

Dux Melfius resistit. Neapolis capitur. Careta obsidetur. Gallorum & Hispanorum colloquia de icto fœdere à Philippo.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

FAlso inconstantem vulgus Rhamnusiam appellat, ac mendacem. nil ea verius invenio, constantiusque Gallis, ut Hispanos opprimere liceret fuisse quondam pollicita visa est. ut fidem servaverit, ut diu dispersos sub pedibus calcari permiserit à Gallis, Hispanos, ut plagis, ut calcibus, ut dente rabido illos concusserit, relatum vobis. vertens deinde vices, Hispanos jacentes, dextra se sublevaturam promisit. Quia Galli sibi ipsis viribusque suis favores illos, non cælitibus adscribebant: & dissidiis studerent inter se duces eorum. quid hactenus ad necem usque Pro-Regis Ducis de Nemurs, & castra spoliata, superi statuerint, audistis. Successus alios habetote. Sequitur victoriam magnus noster Gonsalus Fernandus, recta tendit ad urbem Neapolim. Melfiensis Princeps Gallicarum rerum studiosissimus illum dies aliquot disturbavit. dedidit se tandem & Regno excessit ex fœdere. cætera omnia, veluti torrens hybernus obvia sternit; reliqui Optimates omnes, qui Gallorum partibus inhærebant, aut vertunt Regno terga, vel sese dedunt, & subdunt colla jugo, præter paucos in secessibus agentes, ad quos divertere cura non fuit. Lætis animis civitas ipsa Neapolis, quæ toto Gallorum tempore, fame semper laboravit, fœdus init. vetera urbis statuta servari petit. Illis firmatis, portas aperit. Gallorum fugat præsidia. exit obviam victoribus, suscepit honorifice. Intra arces, quæ tres stant in urbis ambitu, *Nova* utputa, *S. Vincentii*, quæ dicitur alia, tertia cui *ab ovo* nomen est inditum, sese Galli recipiunt. Capuana urbis ipsius antiqua tutela, munita mœnibus, ampla domus, sese cum urbe dedidit. Ibi sunt Galli, ceu pecudes inclusi, septis. circumeunt assidue, veluti famelici leones obsessos nostri, qua possit ad illos iter patere, diu noctuque vigilibus oculis quæritant. Nisi succurratur à mari, actum est de Gallis omnibus. est namque multitudo numerosior, quam angustiæ castellorum patiantur. quando cætera nostris non suppetant, fames propediem Gallos consumet, aut ut sese dedant, persuadebit. his ita stantibus, Galli se fuisse à nostris oppressos, sub Pacis umbra, quam dicunt jecisse regio nomine Philippum generum regium, & Archiducem Lugduni, cum Rege Gallorum, & voce præconum edicto, per Lugdunenses plateas prolato, conqueruntur. Nostri sermones eorum deridem. futilia namque nulliusque momenti esse ad rem, quod Lugduni per Philippum de Pace fuerit actum, & tunc præcipue, quando Hispanos esse inarmis, ad propulsandas veteres Gallorum injurias paratos cerneret. infantilia esse prædicant. Imparatos ajunt autem Galli se fuisse ab Hispanis interceptos, paratissimos autem nostros exiliisse, ac manus conseruisse collatis signis. Nec quicquam quod ad infensissimos hostes attineat, prætermisisse Gallos, nostri probant; sub induciarum, aut pacis umbra, an vivo Marte id acciderit, ipsi viderint. Exitus qui judex est rerum æternus, loquatur. nostri Regno potiuntur majori ex parte. Cajeta urbs maritima, natura & arte munitissima, adhuc est in fide Gallorum. sunt & alia oppida quædam. & nostri obsidionem parant Cajetanam. & Galli velle se Perpinianum impetere, belloque intra proprias domos, nostros Reges lacessere intendunt. Segoviam Regina Curiam mutavit, uti vos à vestris habuisse arbitror. Ex Segovia igitur valete. III. nonas Junii, MDIII.

EPIST. CCLVIII.

Quid à Pyrenæis inter Gallos & Hispanos.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

CAtholica Regina filiæ molestiis exagitata, ut optati discessus illi spem præbeat, ex Alcala Segoviam, montanam urbem, deduxit Curiam. est namque iter ad mare Cantabricum, qua se putat ad Belgas, mariti patriam, trajecturam, nisi terra licuerit per Gallicas inimicitias, de quibus filiæ nulla est cura. Regina vero subire discrimen id, ut primariam tot Regnorum hæredem filiam Gallorum fidei credat, minime capit æqua mente, hac præsertim tempestate, qua Gallos æquum est vivere spumosa rabie in Hispanos, ob recentem totius Gallici exercitus & multorum nobilium stragem ac interniciem. agi de Pace cito futurum, ut transmeare tuto queat, anxia mater filiæ quotidie pollicetur. neque ob filium quem nuper peperit, læta est magis, aut animi turbulentiam sedat. Interea, Rex est in Catalonia, Gallis finitima. Exercitum cogit, Galli duplicato furore, veluti percussus coluber, ad Pyrenæorum radices oppida sita, sub

Hispana

Hispana ditione, venturos se inquiunt. Ut munitissimam validis muris arcem Salsas prius aggrediantur, oportet. neque enim aliunde iter est. Ea est in faucibus angustis quibusdam ab Oriente hyberno, stagnis maritimis, ab occidente vero, montibus inviis, exercitui ducendo posita. Salsas igitur obsidere coguntur Galli, priusquam progrediantur. Ibi reperturos objices jure merito putandum est. quia delecta manus mille amplius virorum fortium est ibi locata præsidio. Vale. Segoviæ. v. Calendas Julii, MDIII.

EPIST. CCLIX.

De arcibus Neapolitanis. de Iscla. de Cajeta.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

QUas ducet Fortuna choreas, quibusve sonis & concentibus agat inter Hispanos, & quam torvo supercilio Gallos, excusso sago jactitet, legere per meas fas fuit. addit utrisque de cœpta liberalitate sat grandes cumulos, his ignominiæ, illis gloriæ: jacturæ Gallis, Hispanis lucri. Et S. Vincentii maritimam turrim, & amplissimum illud *Castellum*, quod sedes est regia, *Novum* appellatum, vi armorum capta, nec evasit quicquam. Id quonam pacto sit actum, quove modo Hispani per Novi Castelli mœnia obrepserint ex insperato, & qui met rem gesserunt, & qui spectatores fuere, minime se fatentur intelligere, qua volucribus via difficilis videbatur, ea facilem reperere. In prædam supellectilia omnia data sunt, Gallique præsidiarii in servitutem. quibus hoc verbis enarrari queat, nemini succurrit. In re, Castella illa duo tenet Hispanus, quæ posse capi in cujusquam prudentis animo minime cadit. tertium restat, quod dicitur *del Ovo*. Id est super scopulo ambeso situm, qua despicere, caligari oculos hominibus, & horrere præcordia despectantibus, inquiunt. Magnus hic noster Gonsalus Petrum Navarrum, qui Bithonteum Marchionem parva manu fudit, ac cepit, quive Canusium contra universam Gallorum potentiam diu sustinuit, multaque alia præclara gessit facinora, cum satis aptis ad rem copiis, in hujus castelli obsidione reliquit. ipse vero Cajetam cum exercitu reliquo, proficiscitur. Circiter nonas Julii sepit, & quatere tormentis incipit. Iscla & ipsa, in Bajono litore commodissima insula per Constantiam de Avalos Hispano sanguine, virilis animi fœminam, Comitissam Accerrarum, cui Fœdericus Rex Regno discedens, insulam crediderat, in Hispanorum venit potestatem. Ita cadunt indies magis ac magis res Gallicæ paulo ante felices. Hispanæ vero quondam obrutæ resurgunt, emerguntque. Valete. Segoviæ. IV. nonas Augusti, MDIII.

EPIST. CCLX.

Obsidio Salsea & quid ultra.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

GAlli Salsas arcem, finium Hispaniæ tutatricem ditionis, totis viribus obsident. fauces angustas, quas te trivisse pedibus arbitror, si aliquando ex Hispania iter ad Urbem terra captasti, cum universo exercitu transilierunt. castra ibi metati sunt; valloque ac fossa munita dicuntur habere miro robore castra. nostri primo congressu damna Gallis intulere non parva, tum plumbatis & tormentis ex pinnis & transprepugnaculis, tum incursionibus. valida namque sunt delectorum virorum mille amplius Salsea præsidia. Nunc vero, neque digitum impune exserere licet è mœnibus. pinnæ dirutæ sunt vi tormentorum universæ sagittariæque fenestellæ omnes, machinamentis ita Gallicis excussæ quassatæque sunt omnes, ut ne qua ulterius locus relictus sit ad ullum Gallis damnum inferendum. Inclusi arcem ex transmurabilibus tantum servant, defensuri pro viribus arcis interna, si Galli tentaverint ingressum. Vi corporis tunc agendum quantum quisque viribus & animo valeat experiendum. ibi strenuissimus quisque optato dimicabit. adverte bellicum quod accidit, Gallis minime sapidum, stratagema. expugnatores per grues turresque ligneas manu factas, castellum antemurale quoddam, dicunt Hispani *Balluartem*, conscenderunt, Minterna, ut inde transiliant, tormentarii pulveris cados castelli antemurali obsessi supponunt. Qua Gallos tentaturos senserunt, ubi ubi Gallorum manus ingressa est Castellum, igni subjecto, cadi increpuere, ac vi pulveris antemurale concussum, frustatim per aëra Gallos omnes, qui adscenderant, cum excussis, divisim dispersimque muri lapidibus disjiciunt; volitare hominum secta membra; simul & saxa miserando spectaculo tam obsessis quam obsidentibus, cernere fas erat. Ab hora infausta Gallis hac tentare ulterius aditum, quominus pugnaturi minime sunt ausi machinis tantum, fossoribus & calonibus agitur, arcis fossas libere Galli perambulant, muros quotidie effodiunt. conti mœnibus subjiciuntur, ut scissi postmodum

dum contis combustis muri dent ruinam & collabantur. Ita patentibus aditibus, Galli multitudine freti, putant se nostros obruturos. Hoc in statu esse res Salseas, ex urbe Perpiniano scribit Rex. Ipse vero, donec auxilia conveniant, quæ Regina ex universis Castellæ dotalibus Regnis suis acciri, & ad Regem virum properare jussit, Perpiniani erit. Lucidissima ferunt à Principibus agmina & composita confluere undique eo. si obstitisse nostros, ne expugnentur à Gallis repererint, dabunt operam, ne ultra capiantur. At explorator, qui demissus è mœnibus per hostium excubias, quia linguam calleat Gallicam, summo esse obsessos in discrimine, retulit fore, ut propediem intereant omnes, ni succurratur ocyus. Santius à Castella, genere insignis vir, ac bello egregius qui præsidet arci, militibusque inclusis omnibus, mori paratos scribit ad unum, priusquam dedant arcem. Ut Rex tamen pensitet, quantum rebus incommodum afferret, si Galli ea victoria elati, ultra processerint, enunciat. Mille amplius viros nobiles, bello egregios, se Rex amissurum cognoscit, si Galli arcem expugnaverint. Est anxius propterea, uti per ejus literas ad Reginam destinatas colligi potest, quas famuli à secretis, quibus creditæ sunt, nobis ostenderunt. sin donec adsint auxilia, se sustinuerint, aut re infecta Galli terga dabunt aut venisse pœnitebit. Vale. Segoviæ. pridie Idus Octobris, MDIII.

EPIST. CCLXI.

Quid de arce del Ovo. quid de Ugone à Cardona. de obsidione Cajetæ. de magno Capitaneo. de Gallorum exercitu.

P. M. A. M. Comiti & Archiepiscopo.

QUæ feruntur ab Italia Galliaque, ex quo nullas à me habuistis, accipite. Castellum illud super edito situm scopulo ambesso, inter undas, *del Ovo*, Petrus Navarrus, cui provinciam, discedens Gonsalus Fernandus, reliquerat, expugnavit. Arte nova illam struxit oppugnationem, qua minus hostes putabant, cuniculos intra vivi saxi cavernales per fossores & calones effecit, cadisque tormentario pulvere sulphureo repletis, veluti etiam Salseis accidit, uti à vestris vos audivisse arbitror, cuniculos infulsit. Res mira! tanta fuit accensi pulveris rabies, quod Saxeum montem ipsum perfregerit ac diruerit. Cum scopuli latere decidit & Castelli pars cum plærisque præsidiariis. Tanta fragor ille formidine obsessos percussit, ut illico capti sint qui superstites fuere. per ruinas namque ab imo serpere nostri cœperunt. Rebus Neapolitanis ita compositis, cum copiis quas ductitabat, ad castra Cajetana Petrus Navarrus profectus est. Interea loci dum ista Neapoli gererentur, Cajetæ latus tormentis excussit Gonsalus Fernandus noster magnus Capitaneus, & sexaginta murales ulnas jam diruerat, ut inde oppugnationem in crastinum diem aggrederetur, sese parabat, cum transfuga noctu ad eum veniens, structas esse horrendas pulveris defossi, & novorum aggerum ac fossarum & cuniculorum insidias, enunciat, in quas casuri sint, quicunque accesserint, & hac vel illac interituri. novum igitur cepit consilium, tum ob ea, quæ ab ipso transfuga exploratore didicerat, tum quia per Carracas, onerarias Genuenses, & Galeaceam unam, & quasdam triremes recentes, habuerant obsessi, mille armatos, & rei frumentariæ copiam ingentem. Exercitum igitur inde tollit, ducitque in Castellum nomine *Castellonum* à Cajeta millia passuum tria: unde non minus Cajetam obsidebat, quam si apud ipsius muros tentoria teneret, quia terra illis inde omne genus alimentorum adimebat. Ugonem à Cardona peditatus quondam egregium ducem, priusquam discederent, fidum utilemque belli comitem, casu miserando ibi amisit. Dum namque ambo per castra animi causa deambularent, ferreus ab obsessis in illos ballistæ globus emittitur. is furore tanto saxum utrique proximum percussit, ut in mille frusta saxum disruperit advolitantibusque per aëra saxi fragmentis alterum Ugoni crus perfregerit. Magnus vero Gonsalus Fernandus, tanto se reperit oppressum pulvere, tantaque vi repercussi aëris se quassatum sensit, ut se sterneret pronus in terram, longeque serperet obrepens, antequam stare pedibus auderet, aut quiret, & ipse se percussum diu putavit, & omnes qui aderant interemptum. Periit igitur Ugo deflendus merito, vir egregius armis, intra paucos dies illo vulnere. sic statur in armis. Gallorum ajunt esse paratam multitudinem ingentem ad Cajetæ auxilium; Imo & cito affore. quid futurum sit, rerum autor ipse aperiat nobis. Stragem adesse certum est horrendam, in quorum frontem sit hæc faba cudenda, ipsi viderint. mallem, Christianum hunc sanguinem, necessario Christiano ferro fundendum, in nostræ Legis hostes servatum iri. Vos vivite, & audietis hæc grandia quæ pullulant. Et valete. ex Segovia. XIV. Calendas Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXII.

De Salsea oppugnatione. de fuga Gallorum. de nostrorum inertia.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

REpetis, ad te meas raro portari. Iterum atque iterum dico, succosa ad hanc usque diem defuisse. nec mihi est curæ, quæ arida sunt & exigui ponderis, utputa vulgaria pertractare. en accipe stamina quæ texere jam queas. tu Cajetam in suo fidentem robore stare adhuc in fide Gallorum, mortuumque Alexandrum, & ejus loco suffectum Cardinalem Senensem, Pii secundi nepotem scribis. Ego autem inquam Gallos, qui Salsas arcem nostrorum finium tutatricem impetierunt, maluisse dies actos urgente gravi autumno sub divo consumpsisse, domi ac belli nervos, pecunias scilicet, quas in cassum effuderunt, servasse. Superi se fautores Hispanis ostendunt. Obsidebant undique mœnia, contisque suppositis stare pensilia fecerant, in gyrum imposito igni succenduntur conti, Galli falluntur. casura in latus mœnia putarunt, ut per ruinam ex insperato nostros adorirentur, & ingenti obruerent multitudine. At aliter evenit, haud secus integra sederunt super fundamentis leviter, & erecta in neutram partem pendentia mœnia, quam si nulli alteri rei fuisset invigilatum, nisi ut integra leniter super stantia caderent fundamenta concisa. Servarunt igitur se invictos nostri, donec auxilia Castellana adventarint. quæ cum adesse Galli per exploratores intelligunt, satius fore provinciam deserere duxerunt quam tot bellatorum numerum exspectare. Tria namque millia cataphractorum, ac levis armaturæ numerus ingens: hos Hispani *Ginetes* appellatis; peditum autem xx. amplius millia convenerant. Octobris dies sexta & vigesima, quæ sexta est Calendarum Novembrium, congressui destinatur. Galli re cognita (licet validis aggeribus ac fossis munita haberent castra) nocte intempesta tamen, diffisi viribus suis aggeres eruunt, terga vertunt, è faucibus angustis sese ante lucem exsolvunt. In plana sole adventante acies jam eduxerant. Galli se rei bellicæ esse magistros ea die ostenderunt, non minore cura, non incompositiori ordine, acies structas eduxerunt eorum duces, ac si ad certamen, adstantibus inimicis fuisset eundum. Quare elucescente die moniti nostri de Gallorum discessu ad eos, at sero, concurrerunt. Rex Perpiniani agebat, ad millia passuum sex non brevia, uti nosti. propterea sero id actum, venit concitato cursu, at sero. ad hostes itur, at sero. cernunt hostium acies, at sero, & à longe. distabant jam milliaria circiter duo. Ergo sero Phryges sapuerunt. cujus hæc culpa, tu scrutator aliunde. mea est, si nescis. maximam dedit ea dies, quæ est, si nescis, Calendarum Novembrium sexta, Hispanis ignominiam, & aliquando jacturam illis pariet collachrymandam. Occasionem amissam ex mea incuria, nepotes viventium, minime deplorabunt. Gallis faustissima dies, quod sopitos invenerint vigiles. Evaserunt incolumes cum ingenti gloria. quia stricta acie illos sequi non dabatur; solutis ordinibus periculosum. ergo evaserunt incolumes. quid sibi velint hæc ænigmata repetita, vaticinator, si placet. Labitur dextra. scribere nescio, quid vellet ultra, sed veto, ne scribat plenius. Ergo vale. Segoviæ. in Calendas Novembris, M D III.

EPIST. CCLXIII.

Quid Regina oraret fervente pugnæ discrimine.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUæ acta sunt in Salseis rebus, tui tibi familiares significent. hoc unum velim à me scias, tu qui rebus hujuscemodi, pietate repletis summopere delectaris. erant à Rege dispositis equis parati adeo frequentes tabellarii, ut quotis quibusque diebus, quatuor, atque interdum tribus literas haberet à marito Rege Catholica Regina. propterea quæ indies agebantur, creberrime sciebamus. Quare cum ad certamen parari nostras acies signatumque pugnæ diem allatum est, non minore angebatur sollicitudine de Gallis, ne nostrorum manu interirent, quod impares viribus esse dignosceret, quam de suismet militibus, nil magis Regi per multiplicatas literas, quam ne Christianorum strages fieret, commendabat. Daretur opera tantum, ut Galli nostros fines desererent sine sparso cruore, si fieri posset, orabat. De vindicta, quod eos infestassent, Deo ajebat relinquendum. At quo die conferendum fore didicerat, cœnobia percurrit utriusque sexus religiosorum universa, cum muneribus imperavit, ut se tellure prosternerent omnes, ut precibus lachrymisque superos fatigarent, ne spargi Christianum sanguinem paterentur: ut Gallos æthereo spiritu afflarent, inducerentque ne congressum exspectarent. ut incolumes Galli evaderent, erat maxime sollicita,

peri-

perituros namque omnes, aut venturos in ſervitutem: quia eſſent anguſtis faucibus circumcluſi, & longa ſtatione in caſtris, ſub divo, gravi autumno fatigati verebatur. Eam diem cum ſuis Nymphis omnibus & virginibus univerſis, quas domi habebat, jejunam egit, & flexis orando genibus, laborioſam. Galli duces igitur, licet exitus belli ſciant eſſe incertos, parvaque manu ſæpe copias ingentes fuiſſe profligatas, ſive ſuperis ita volentibus, ſive perniciem veriti, pugnæ fortunam nolle experiri conſtituerunt. Exaudivit igitur Sanctæ Reginæ Religioſorumque ac Virginum preces ſummus Altitonans. Gallis viam præbuit, qui terga darent incolumes. De parta igitur victoria ſine multo ſanguine tu quoque ſuperis, quibus charus eſſe putaris, gratias habeto. Et vale. Segoviæ. Calendis Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXIV.

Gallos duces Hiſpani ſectantur. Quid actum. quid de Pace. de Alexandro & Pio Pontificibus.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

GAllos terga dediſſe, ad te ſcripſi. Gallicos fines Rex ipſe cum exercitu (altero ab eorum diſceſſu die) pedibus preſſit. Leucatam, Phitorium, Palmam, oppidaque alia quædam expugnari juſſit: neque injuriam cuiquam hominum, vel fœminarum inferri, aut violari, pœna capitis edicta paſſus eſt. Res ſacras voluit ſervari intactas, mittique Narbonem cum ſuis quaſque ſacerdotibus. oppidorum plæraque mœnia diruta, quæ obſtiterunt: & ſupellectilia, ad manum (uti ajunt) reperta pauca, in prædam venerunt. de cætero nil hoſtile patratum eſt. Duci captivum, quia Chriſtiani eſſent, voluit neminem. Annonæ copiam ingentem, & aliarum rerum ſaturando exercitui paratarum acervos, ſalſarum utpote carnium, candelarum, olei & vini vegetes innumeras, per caſtella oppidaque vicina, velut in horreis ſervanda, locata reperiunt. ea in prædam militibus data ſunt. nemo his ita ebullientibus, in auxilium afflictis prodire auſus eſt. Veniunt interea legati à Rege Gallorum, qui de Pace agant. annuitur; nolle ſe bellum cum Chriſtiano quoquam (modo ne laceſſant) reſpondetur. hoc primum. capta oppida redduntur omnia. ut habitatoribus redire liceat, venia impartitur. Pax conficitur. At paciſcuntur, ut liberum ſit Gallis armis rem Neapolitanam repetere; noſtris autem tutari. paratas eſſe novas copias ad eam provinciam audivimus. Si tentare iterum belli fortunam Galli exercitu inſtaurato conſtituunt, vos qui propiores eſtis, melius ſentietis. De his ſatis. Periiſſe Alexandrum ſummum Pontificem, & veneno putari abſumptum, inter convivales epulas, in laqueoſve incidiſſe, quos Valentinus alteri paraverat, ſcribis immurmurari. Iſthæc nota ſatis. per celeres Regios tabellarios rei ſeriem percepimus. Cum his quoque didicimus, illi fuiſſe ſuffectum Pium alterum Pii ſecundi nepotem. Tu vale. Segoviæ. IV. Idus Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXV.

Qua morte moriatur Alexander Papa. quo autore. quid autor. quis Alexandro ſufficiatur.

P. M. A. M. Comiti & Archiepiſcopo.

MAgna cogitantem animam exhalaſſe Alexandrum VI. Pontificem Maximum, ſuperioribus ad nos diebus allatum eſt. Sed vos jejuni adhuc eſtis hoc nuncio. quia nemo ad vos iturus, cum in orbis angulo lateatis, ſeſe obtulit hactenus. Uti ab Urbe ſcribitur, rem accipite. Dux fertur Valentinus Cardinales quoſdam pecunioſos ad cœnam invitaſſe, cumque illis amantem ſui Pontificem, ne quid ſuſpicarentur. duos jubet ex optimo vino argenteos impleri œnophoros; at unum infici medicamento letifero. Conſcio facti miniſtro rem commendat, ut ex medicato præſcriptis; ex altero Pontifici, ſibique porrigatur, edicit. Sed rerum autor, qui eſt juſtus judex, in artificem inſidias vertit. miniſtro rei conſcio, quiddam Pontifex imperat. ex abaco diſcedere cogitur. Ut alteri Pontifex rem imperet, Valentinus à Pontifice petit. velle ſe ut is proficiſcatur, inſtat Pontifex. ne in ſuſpicionem cadat, repetere Valentinus deſinit. collegæ illius cura de œnophoris demandatur. is ignarus tanti ſceleris, abaco aſſidet, vina petentibus, alterne mutatis œnophoris, de medicato Pontifici & Valentino Duci porrigit; de ſalubri deſtinatis ad necem Cardinalibus. Moritur ergo Alexander, qui quoniam ſenex, veneni rabiem ſuſtinere nequivit. Valentinus autem ſtructor facinoris re percepta, per univerſos inſignes Medicos obſtat medicamento. Juvenilis ætas illi fuit adjumento, remediorumque providentia præparata: attritus tamen eſt veneni atrocitate, atque expilatus, & cute perditus. Inter mularum viſcera interemptarum, jacere adhuc dicitur obvolutus. Qualis autem Alexander VI. hic Pontifex Maximus

vixerit

vixerit, non deerunt qui vobis velint enarrare. Quæ scripsi, ita accidisse feruntur. De his satis. Regina hæc nostra Catholica, quæ hic agit, absente adhuc marito, hujus Pontificis mortem non videbitur tulisse moleste. Cum vero suffectum ejus loco Cardinalem Senensem *Pii II.* nepotem, qui & ipse *Pius III.* appellari voluit, emisit argumenta lætitiæ. Per urbis namque sacerdotes parari supplicationes, populumque ad templa vocari voluit. ibi cum hymnis & canticis & psalmodia, *Te Deum laudamus*, agi gratias Omnipotenti effecit, quod talem Ecclesiæ pastorem præbuerit: optime namque de viro Regina semper senserat. Regem, perfecta jam re Gallica, exercitu dimisso, ad nos propediem reversurum ajunt. Allatum est etiam novas Gallorum acies Roma, Neapolim versus, in nostros Hispanos, iter minitabundas fecisse, duce quodam Mario, qui dicitur à Gallis *Tramullia.* quid hæc velint, à Superis postulate. Vos valete. Segoviæ. IV. Idus Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXVI.

Quid acciderit Gallos insequentibus.

P. M. A. M. Jacobo Ghimaraneo Duci Portugalliæ, Regis consobrino, quondam discipulo.

QUid actum sit in re Gallica & obsidione Salsea, puto per literas ad Emmanuelem Regem tibi consobrinum, à Catholicis Rege & Regina, illius soceris, missas intellexisse. consulit namque te sæpenumero in magni momenti rebus Rex ipse. Quare illa ego prætermittam, & singularia quædam ad te magis attinentia recitabo. Gallos elucescente jam die VI. Calendas Novembris, cum terga verterent, à nostris copiis distasse circiter millia passuum duo didicisti, atque ita servatis prudenter ordinibus, processisse, quod nostris, nisi acies solverentur, nullus illos assequendi locus erat relictus. quantum namque terræ sequendo nostræ acies captabant, tantundem ipsi gradatim procedebant in discedendo; solvere autem acies, ut dispersi milites, Gallorum terga impeterent, periculosum erat. fuit igitur consilium, ut globus servaretur. Rex autem aberat Perpiniani. id cum ebulliens juvenum generosorum, qui aderat, sanguis audiret, veluti juvenci teneri, quibus cornuum trunci pullulantium pruritum concitant & impetere tauros luctæ assuetos, exoptant, invitis ducibus ex acie solvunt laxis habenis circiter viginti, ad hostium terga procurrunt, ac sublatis vocibus in Gallorum aciem ultimam tela conjiciunt, veluti catelli rapidi, molossorum calcaria viatorum, mordicus infestant. Galli autem quibus à tergo erat de globo servando cura demandata, cum distare maxime Hispanas acies cernerent, colla flectunt in juvenes numero paucos, & incompositos, regrediuntur ad eos, sternunt, vertuntque in fugam. Ibi de notis, quia tibi sub mea disciplina fuere condiscipuli, fato infelici primitias suo sanguine præbuisse dicuntur Alfonsus Sylva. Cifontei Comitis primogenitus hæres, & Ludovicus Santius generalis Regius Thesaurarius, tui ambo coætanei. mille referunt confossum vulneribus utrumque ac pro mortuis relictos à Gallis, ambos vivos tamen ad castra fuisse scutis portatos ajunt; an sint evasuri, ambigitur. Cætera jure merito putandum est tibi Regem aperuisse. Ergo vale. Segoviæ. Idibus Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXVII.

Moritur Pius Pontifex. quantum vixerit. quid Rothomagensis, quid Ascanius, quid Iulius Papa electus. de Gallorum infortunio. de suspendio fecialis. mutant Galli castra.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

DE Alexandri summi Pontificis obitu, multisque rebus aliis Romæ actis arbitror me vos circiter Idus quartas Novembris fecisse certiores. heri vero qui fuit pridie Idus ejusdem, per celerem tabellarium hæc habentur. Cardinalis ille Senensis, qui sub *Pii III.* nomine, ut patrui Pii II. nomen suscitaret, Pontifex fuerat designatus, ulcerato cruore laborabat, accitis ferunt chirurgis, tanta cura, ut ulcus illi paucos intra dies occluserint. quare adstrictus humor ille, qui velut è fonticulo, saniem assidue de internis detrudebat, veteri via intercepta dicitur Pontificem necasse. utcunque sit, interiit, diem tantum vixit quintum & vigesimum, atque id tempus lecto stratus, & inutilis Pontificatui. Eo mortuo nova resurgit inter Cardinales sollicitudo. cupidos quisque animos exagitat. suffragia quisque aucupatur. nemo est ex ipsis, qui cedere se alteri velle inquiat. Cardinalis Ambasius Rhotomagensis Episcopus, Ludovico Regi suo charissimus, ad Urbem per dispositos equos, veluti celer tabellarius, audita Alexandri morte volitaverat, secumque Ascanium Sfortiam, patria extorrem, quem Galli sub fida custodia, veluti capti-

captivum servabant ex Regis consensu, Rothomagensis duxit sub spe habendorum ex illius industria, suffragiorum, ad Pontificatum. quia fuerat Ascanius, dum ipsius fratrisque Ludovici Ducis fortuna maneret, Cardinalibus cunctis gratissimus. quia prudens, liberalisque ac magnanimus, multis magnifice fecerat. ut dimitteretur à Rege suo Rothomagensis impetravit. si quod ad induendum sibi diadema triplex faciat, nihil Rothomagensis prætermisit, venturo tempore dicetur ab his qui ab Urbe scriptitant. at in cassum. tunc namque Senensis ille Pius, nunc vero Julianus Ligur, Sancti Petri ad Vincula Cardinalis Pœnitentiarius, de stomacho illi Pontificatum arripuerunt. hic *Iulius* vult appellari. Est igitur in Calendis Novembris Pontifex Maximus creatus Julianus ille Cardinalis S. Petri ad Vincula, Sixti Pontificis Maximi nepos, qui, ut Ecclesiastica libertas opprimeretur, impatiens, exilium ab ipso Sixto patruo, Innocentioque & Alexandro, Pontificibus maluit perpeti. Astus aliorum scidit omnes, uti video, callidior cæteris, in ea fuit turbulenta contentione. Crassone intercursitante, an Pompilio, ab aliis scrutabimini. Sanius est recta credere actum. qualis evadet, talem prædicabimus. Magni esse animi, constantisque esse virum ferunt, longaque rerum experientia, licet sine literis, sapientem. commendatum forte gregem commode gubernabit. de Pontifice satis. Galli autem, qui ut Pax intra fines, Gallos scilicet & Hispanos, servaretur, tantum pacti fuerant: de cætero, liberum utrique, in re Neapolitana præsertim, novas vivente Pio III. Pontifice Maximo copias ingentes, in Regnum transportarunt. harum primarios duces habent, Marchiones Mantuanum Saluzeumque Italos ambos, licet Saluzeus è sanguine regio Gallico se ducere genus jactet. fertur Gallos oppidum nomine *Rocca seccam* totis copiis impetiisse, atque obsidionem tentasse. ajunt Hispanos præsidiarios, Gallis invitantibus illos ad deditionem, magnaque minitantibus, ni sese dederent, jurgiosa multa respondisse, immo & fuisse nuncianti feciali protestatos, jurejurando patibulum, si redire ulterius auderet. *non terreri verbis Hispanos* respondetur. rediisse fecialis dicitur, tunc ut Galli de deditione desperarent, ab arbore in oculis hostium fecialem suspenderunt laqueo, ne sacrum jurisjurandi mysterium læderent, *se fecialem immolasse Marti victimam*, garriebant. deseruere Galli obsidionem illam, quia senserunt adventare nostras copias. ad Gallos namque nostri veniebant, ad fluvium Lyrin, qui *Gariglanus* castra mutavere. hoc in statu res sunt. non videntur Galli provinciam assumptam secundis cœpisse auspiciis, quandoquidem à primo, quod impetiere, oppido, re infecta discesserunt. Vos interea valete & vivite, majora indies audituri. Segoviæ. Idibus Novembris, MDIII.

EPIST. CCLXVIII.

Contentio de perturbatione Ioannæ Reginæ cum Ioanne Fonseca Antistite Burgensi. de discessu & laude Philippi. quid in Gallia egerit.

P. M. A. M. Cardinali Sanctæ Crucis.

A Nobis quid possis impræsentiarum habere, præter levia quædam, nihil est, ea tamen habeto. Ad Methinnam Campi, Castellæ veteris nundinarum emporium Catholica Regina Joannam filiam miserat ex Segovia, seque secuturam, ut ad maritum inde illam dimitteret, fuerat pollicita. Ibi à Philippo viro, Regina adhuc tenente Segoviam, literas habuit, quibus ut ad se quacunque vellet, mari aut terris, proficisceretur, edicebat. se namque tutelares à Gallis de suo transitu literas impetrasse scribebat. literis perlectis, supellectilia colligi, sarcinas aptari, ut sui se familiares accingant, seque sequantur, inconsulto nemine imperat, atque una prodit è cubiculo nil exspectatura. Joannes Fonseca Burgensis Antistes, qui parentum imperio fuerat Joannæ gubernator destinatus, in tanta perturbatione angitur; si vetat, futuram sibi Reginam in se concitat; si dimittit, utrique illius parenti fore molestum, nec se boni gubernatoris officium impleturum, intelligit. Hoc primum egit. per volitantes tabellarios rem aperit, emergentem rei seriem enunciat. Interea Joannam adit, supplici qualem decuit fidum incolam voce hortatur, uti futuram sibi Reginam orat, ne ita repente, ne impetu percita, discessum aggrediatur. Venturam illico Reginam re cognita promittit, atque voti compotem ipsam effecturam: *distat namque dierum iter duorum tantum, uti tua Majestas novit.* Irrita omnia, ad arcis portas egressura tendit. obsecrat Cordubensis, ut desistat. Joanna instat, se ituram. prohibiturum protestatur Cordubensis, fortem animum sumit, licet illi necem fuerit minitata, portas arcis (in arce namque sedem habebat) claudi jubet. Illa vero tanquam Punica Leæna, in rabiem accensa, sub divo noctem eam, in arcis pomœrio egit, nec bene scio, an reliquas, donec Regina adventaret, quæ de re facta certior properanter venit, solari nititur,

nititur, se illico paraturam classem, qua trajiciat, pollicetur. sedatur parumper. diem protrahit ex die Regina, moræ causas innectens varias, ob dissidum Gallicum. Si vero quid Philippus Burgundus Archidux ejus maritus, à soceris properanter discedens egerit, cupis intelligere, sacri natalis diem Segoviæ tenuit, quam tu, quia ejus urbis Episcopus, possides. Inde cepit iter in Galliam, utroque socero, id moleste ferente. Tanta est consultorum, quos Gallicis putant largitionibus esse corruptos, vis, ut sui juris esse non videatur. est namque ipse mitissimus & natura facilis suis necessariis, nec profuit illi per Oratores inter eundum repetiisse Margaritæ repudium, novercæ Britannicæ raptum, ab ejus genitore Burgundiam, Picardiamque ac reliqua ab ejus matre orba sublata, atque alia, quæ à Gallis contumeliosa passa fuerat ejus familia. processit, tutelaria impetravit, at vix, à Gallis Chirographa, ad Curiam Gallicam recta profectus est, dies multos ibi egit. Ibi quæcunque in Regno Neapolitano accidebant, illi nunciabantur. Bisontini Archiepiscopi mors huic maxime offuit. Is namque magni consilii vir, & natura pronus ad bonum & æquum, tantæ autoritatis erat apud Philippum, ut nullus majoris. sed hic est (uti video) fatorum ordo, ut si qua felices aliquos à dextris vel à fronte faciant, à sinistris & à tergo, ne superbiant, crebris eosdem ictibus turbulentis, concutere statuant. Tu vale. Methinnæ Campi XIV. Calendas Januarii, MDIII.

EPIST. CCLXIX.

De ponte ad Lyrim structo à Gallis. de Hispanorum audentia.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

IN præceps ire res Gallicas indies magis ac magis, Hispanorum audentia, nuper ab Urbe allatum est. ad Garigliani, qui *Lyris* est, fluminis ripam, Gallorum castris, erant opposita Hispanorum castra, fluvio tantum intersecante. Ibi cum summo incommodo & ærumna, quia hyberno jam tempore, utrique castrametabantur, sed gravius, cœno obvoluti, & paludibus septi, agebant Hispani, qui non elegerant exercitui sedem, sed sortiti fuerant, quom ad Gallorum semper olfactum tendere ipsos oporteat. Galli peditatum inter ruinas quasdam veteres, tutum ab imbribus tamen, tenebant, equitatum vero per vicina loca, Trajectum scilicet, ac Fondanæ ditionis oppida. rebus ita stantibus, ecce Galli pontem ex insperato jaciunt, ad nostros, Lyrim trajecturi, & ab ipsorum ripa pontis utrumque latus, ad ejus tutelam frequentibus variis machinamentis muniunt, in ripam ulteriorem, ad nostros si disturbaturi transitum advenerint directis, & trajicere incipiunt, Salazarium quendam excubiarum exercitus nostri ducem, profligant & in fugam vertunt, spoliantque tormentorum vasis duobus. quibus intellectis magnus hic noster Gonsalus Fernandus, belli ducibus convocatis, periculum imminens, si universus transiret Gallorum exercitus, proponit. Excubias disjectas enunciat, *quid fieri velint*, interrogat. *ut dispersim, non acie stricta*, inquit, *ne tormentis lædantur; ut solutis, non servatis ordinibus, eos, qui jam trajecerant, quos paucos esse (ne terreantur) ab exploratoribus se intellexisse* prædicat, *adoriantur.* Animis ad interitum paratis, dentibus frendens, Hispanorum atque Italorum partes Hispanas cum Colonnensibus sequentium, manus quædam solvit, ad pontem irrumpit, in illos igne supposito, Gallica tormenta, fremitu assueto, agitantur, crus uni, lacertum alteri, paucis capita ferrei globi è tormentis emissi, per aëra volitando raptabant, per sociorum strata corpora quibus superesse dabatur, properanti cursu nil respiciendo, pontem apprehenderunt. eos qui transierant, disturbant, & majori ex parte trucidant. Salazario tormenta erepta redimunt, plæraque simul & alia Gallica ultra pontem vecta, cum suis quæque impedimentis abducuntur. sternitur quicquid erat transmissum. prostrant animos Galli ac stupent ausus insuetos nostrorum. si casum hic singularem, qui relatu omnium percurrendo in hostes accidit, præterirem, nefas esse putarem. Solutorum horum ordinum vexillifer erat juvenis quidam Alfonsus Parra Pastranæ oppidi, Toletanæ ditionis municipalis. Lacertus huic dexter, quo vexillum ferebat, ferreus raptavit globus; stratum tellure signum è collegis unus illico sustulit. in quem mancus signifer inclamitans, ait; *Nonne lacertus alter mihi superest?* Quo vix dicto, læva manu, de collegæ dextra signum arripit, dextræ lacerto tantum involuto ad sanguinis profluvium detinendum, ita ad stationes signo semper ornatus honorifice, re perfecta reductus est. Scribitur ex Urbe, Mantuanum Marchionem provinciam exercitumque deseruisse, ac fertur in patriam retrocessisse. ferunt aliqui valetudinarium, alii Gallorum mores se nequisse pati, qui de Principatu facile dissentiunt; *quot capita Gallorum præsertim nobilium, constat*

merere in castris, *tot duces* dicit *adesse*; *nec esse illorum quenquam*, *qui alteri parere patiatur.* Ob Gallorum igitur dissidia discessisse Marchionem, ferunt multi, cum ex discordia ducum sæpe soleant exercitus interire. Hispani dixisse Mantuanum jactant, *nolle se cum spiritibus rem habere*, *qui haud secus in tormentorum agmina*, *quam si essent incorporei*, *sese conjiciunt*, *veluti aper inter vepres cutis duritia confisus obambulantes*, *quive ad interitum lætioribus animis percurrant*, *quam si ad convivia nuptialia ducerentur.* Posthæc vero magnus Gonsalus ad Gallos misisse dicitur sæpenumero, liberum illis fore pontis transitum, quem antea vetaverat. nuncium recusarunt Galli. Quare ne intra paludes, & continuos imbres milites perirent, ad Suessana rura retrocessisse dicitur, à flumine parum distantia. hæc à diversis diversa feruntur. In re autem est, sunt iterum castris opposita castra, flumine tantum separata. alternis se mordent conviciis. in adversorum interniciem diu noctuque invigilatur utrimque. nequeunt diutius morari ob temporis & locorum horrorem, atque alimentorum penuriam, quin sese invicem conficiant. genuinos acuunt quotidie. pugnandum est necessario, vel cedendum alterutri. Interea valete. ex Methinna Campi IX. Calendas Januarii, MDIII.

EPIST. CCLXX.

Clades ad Lyrim accepta. deserunt Regnum Galli. Cajetam dedunt. quæ fœdera.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

BRevi cavea conclusum elephantem Sennium intendo præstare. Struxit noster Magnus Gonsalus pontem apud Castellatium & Honoratum à Gallico ponte millia quinque, in superiore fluminis ripa ad hostes. Pugnam optat, ad se veniant hostes, invitat, priusquam Tramuglia dux novarum copiarum adventaret, quem prope jam esse præsenserat. recusant & pugnam detrectant. Quinto Calendas Januarii, quo die *Innocentes* cecelebrat Christiana religio, transit ad illos. Italos & Hispanos præmittit, ipse cum Germanis acie structa subsequitur. Bartholomæus Livianus maximo fuit nostris in hac pugna adjumento. Is de recenti cum equitum & & peditum copia ingenti dimissus à Venetis, quorum stipendiis militabat, paulo ante certamen accesserat. postea igitur quam trajectum est, hostes impetunt, sternunt, in fugam vertunt, mactant, insequuntur. intra Cajetam superstites cum veteribus eorum præsidiis obsident. cætera ex itinere cuncta sese dedunt oppida. his ita actis, intra Cajetam Galli, quibus Salutiæ Marchio imperitabat: in agro nostri pari ærumna fame laborabant acri; neque erat ipsorum cuiquam, unde vel panem unum assequi se posse speraret. coguntur igitur obsessi colloquium petere, & obsessores aures præbere patentes. Per internuncios concursatur utrimque. negotiationem ineunt. Pacis conditiones proponuntur, agitantur, stringuntur. conveniunt tandem. fœdus jaciunt, & paciscuntur, ut Regno Galli cedant universo; ut Carracas Genuenses, quæ aderant in obsessorum auxilium, conscendere tuto liceat Gallis: utque Hispani captivos, Obegninum utputa, qui in Calabria, Palizam qui intra Rubos capti fuerant, reliquosve omnes Gallos dedant solvantque, cætera percutiuntur fœdera. de Canusio vero, quod præsidio tenebat pro Gallis Aloysius Astensis, aliisve arcibus quibusdam, quæ adhuc stabant in fide Gallorum, dispersim per Regni varias provintias, inquit Marchio Salluceus, *se non posse quenquam illorum cogere*; *cum ipse sit tantum exercitus novus imperator. Illi vero*, *nec sua manu loca teneant*, *ab initio bellica perturbationis*, *se tamen illis ut omnia dedant*, *ac se in Galliam conferant*, *per literas imperaturum* paciscitur. En habes, quanti sint rerum humanarum applausus faciendi, quam parum rebus lætis sit fidendum. quæ sint rerum vices intuere de Gallis, qui ad bellum ducti fuerant, pauci, quin aut ferro, aut fame, vel adversa valetudine interierint, evaserunt, è populo fere nullus. Regina hæc nostra Catholica, nullo unquam tempore ex hujuscemodi secundis visa est lætitiam sumpsisse, imo & frontem obducebat; quandocunque *Christianum fuisse sparsum cruorem*, *quacunque acciderit* referebatur. ficto vultu hæc, an ex pectore, scrutetur, qui in Internis habitat hominum. *In nostra Legis hostes servatum iri sanguinem illum se maluisse*, cum suspiriis inquit. Rex vero non continet à serena facie, *hostes*, *quicumque illi sint*, *ut hostes excuti debere*, aperta & placida fronte profitetur. Vos valete. ex Methinna Campi pridie Idus Januarii, MDIII.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

Epist. CCLXXI.

Qualis sit Iulius Papa. quanti facienda sint Regna exemplo Ioanna Regina.

P. M. A. M. Pomponio Læto.



Atis ample lateque per tabellarios cursores, qui dispositis equis crebro ad nos volitant, habuimus, quæ superioribus paulo ante diebus, ad me scripsisti de Gallorum internitie, quod Aloysius Hastensis Canusium adhuc tueatur. parvi fit ejus aliorumque loca plæraque retinentium temeritas, quandoquidem sint ita stratæ Gallorum vires, maturius posthac de armis in Hispanos sumendis, cogitaturos Gallos putant. De summo vero Pontifice novo spem, inquis, emergere futuri *pastoris optimi*, *justitia* prædicas *observatorem*. quieta jam omnia in Urbe, tuta omnia scribis. faxit omnipotens, in melius procedat indies. A nobis autem, quandoquidem pace fruimur aurea, nil salit, præterquam de Philippi & Joannæ Principum, futurorum tot Regnorum hæredum indole. neutri est cura hæc de Regnis tanta, ut somnum cuiquam disrumpat ipsorum. Joanna vero in ardenter desideratis jam tandem mariti jacet amplexibus. Classe namque illam ex Lareto Cantabrico dimiserunt parentes. In hoc ipsi oppido Methinnæ Campi morantur. De Regnis nulla cura Joannæ. Sapientem ego judico, si de Regnis est minime sollicita, cum nihil sit, quod magis humanos animos fatiget quam ipsa Regna. Quo namque potentior quis, eo majoribus subjacet discriminibus, curis & laboribus. Hanc tu igitur æmulator, si vitam trahere quietam exoptas. Reverendissimo Purpurato nostro Sanctæ Crucis, ad quem ista soleo scriptitare, dices meo nomine oscula manuum, atque istorum, quæ ad te scripsi, ut epistolæ tuæ responderem, facito participem. ignoscat, nisi ad eum nunc scribo, quia pedem habet in stapede (ut vulgo dicitur) ad discessum tabellarius. Ergo vale. Methinnæ Campi. IV. Idus Aprilis, M D IV.

Epist. CCLXXII.

Infelicissima Ioanna Regina post accessum ad Belgas. de contemptu mundi.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatæ & Comiti Tendillæ.

PRoh superi! nil beatum in terris, nil quietum. Liqueritiam nemini, aut dulcia mella sugere fas est, quin zizaniæ tantundem, vel horridi fellis, cumulatiorem haustum deglutire cogatur. Quo mentis fluctu Joanna tot Regnorum hæreditaria Princeps, Philippi Burgundi Austriæ Archiducis, & Flandriæ Comitis, Viri sui amplexus arderet, arbitror vos audivisse. Ivit, marito affuit. nil infelicius illa. Ubi namque in Flandriam adducta est, mariti animum sensit ob suspicionem pellicis à se alienum, uti moris est fœminarum omnium, maritos præsertim caste amantium, æstivo angue turbulentius excanduit, pellicem suspectam (ea erat de nobilibus ipsius nymphis una) corde rabido, uti fertur, vultu flammas evomenti, dentibus frendens, percussisse dicitur flavam, Philippo gratam, cæsariem, ad cutem abradi illi præcepit. hæc ubi ad Philippum allata, impatiens iste præceps in uxorem dicitur, eam contumeliis jurgiisque affecit, atque ab ea in majorem miseræ dolorem abstinuisse ajunt. Joanna vero puella molliter, laute ac regiis enutrita blandimentis, animo à natura pervicaci aliquantulum, immoderato cordis angore quassata, male valere dicitur. uterque parens, his per cursores & fidos natæ famulos, auditis, mœrore affecti sunt non mediocri. at Regina, quæ illam utero gestavit, graviore id animo tulit, & iram admirata borealem, cruciatur vehementer. Valete. ex Methinna Campi. VI. Calend. Julii. M D IV.

Epist. CCLXXIII.

Rex & Regina ægrotant simul. Spoliatis Gallis omnia quieta. de natura Gallorum.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

PAucis paulo ante diebus, quid acciderit in Flandria, inter virum & uxorem Philippum

lippum & Joannam, nostrorum Regum natam, habuistis, quid inde successerit, accipite. Rex in febrim incidit tertianam; Regina tamen animi mœrore, quod non intelligat resarcitos generi modos in filiam, tum ex observati mariti Regis superaddito pavore, incidit in quotidianam. Ita uterque lectis jacet ex Physicorum consilio semotis. anxii vivunt alter de salute alterius. Uterque se acrius urgeri, alterius languore quam suo, & fatetur, & aperte ostendit affectu: at Regina durius torquetur, quia Rex ad eam visendam non veniat, uti crebro solebat, etiam incolumem, gravius illum putans ægrotare. maceratur, nec Medicorum stat juramentis, neque fidis nunciorum familiarium credit responsis. quæ cura febris illi magis indies ardorem exasperat atque in pejus labitur. memoratu dignum nil occurrit aliud. domitis ac spoliatis Gallis sopita sunt omnia, stratique sunt bellorum fremitus. illis etenim armatis nulli finitimo datur otio frui. perturbant vicina omnia. neque id ipsi abnuunt. at ex animi magnitudine evenire id prædicant. Cæteri autem ex innata illis ambitione atque avaritia asseverant accidere. Valete. ex Methinna Campi XIV. Calendas Augusti, MDIV.

EPIST. CCLXXIV.

Febri exardescit Regina. de conventiculis Procerum.

P.M.A.M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

VÆ Hispaniæ universæ! diffidunt Medici de Reginæ salute. sparsus est illi humor per venas. paulatim labitur in hydropisin; nec deserit illam febris intra medullas jam delapsa. die noctuque perpetuum est potus immoderatum desiderium, cibi vero nausea. Serpit cutem inter & carnem tumor lethalis. Nubilos videmus Regis & internorum familiarium vultus. quid futurum sit ea deficiente, jam immurmuratur. Regem alii tanti esse momenti ajunt, tantæque ob longam rerum experientiam, prudentiæ, ut fore non dubitent, quin partam longo tempore pacem ex utriusque virtute, solus ipse potens sit sustinere. alii arguunt à verisimili, atque ajunt hæsitantes: Regibus legitime ac juste coronatis quia patriis, durum fuit semper hactenus Regni Principes domuisse, ac tuto habenas gubernasse, qui fieri poterit, ut alienigenæ non ultra ipsorum Regi parere subiicique patiantur. trahuntur igitur in diversa. magister rerum tempus, index erit. Valete. ex Methinna Campi V. nonas Octobris, MDIV.

EPIST. CCLXXV.

Commendatitia Moralis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

Si quotiens peccant homines, de sede superna
Iratus veniat, nos, Deus, ut perimat,

VÆ cunctis! opus est ut peccetur; misericordiane Deus abundaret, necne, minime aliter intelligeremus. quorsum? Audi, sancte Præsul, Jacobus Chiroa, qui te inscio, ob reverendum timorem à te discessit, se peccasse fatetur. Peccatum fateri, spes salutis est. Peccavit? ergo æger. ægroto non succurrere, contra charitatem est, quæ nobis ad superos iter aperit. medelam petit, cum sibi possit ignosci. non est tui moris aut naturæ, indigentem deserere quenquam, immo & illi debes, quod peccaverit. nisi namque deliquisset, materiam in hoc qua promereris, non haberes. Ignosce igitur illi. suscipe redeuntem, ne ovis errans extra gregem in lupos incidat. Et vale. ex Methinna Campi. Idibus Octobris, MDIV.

EPIST. CCLXXVI.

De Reginæ dotibus.

P. M. A. M. Licentiato Polanco Regio Consiliario.

QUid ego de Regina sentiam deficiente, percunctatus fuisti heri, quum una in regia mœsti sederemus, ne virtus, ne religio cum ea nos deserant, extremisco. Quo ipsa tetenderit, eo ut nos evocati è terra proficiscamur, optandum est. Vixit illa, omne humanum prætergressa fastigium, ita ut mori non possit; mortalitatem cum morte finiet, non morietur. est igitur nobis dolendum, at illi invidendum, quæ duplici fruetur vita. Orbem namque perpetua fama relinquet ornatum; ipsa vero perpetuo vivet ævo apud Deum in cælis. Pauca nunc hæc accipe. inter spem & metum, cum adhuc spiret trahatque animam, licet anhelam. plura visurus aliquando, vale. ex meo contubernio idibus Octobris, MDIV.

EPIST. CCLXXVII.

De Regina nulla spes. Quid agitent Proceres. Quid testetur de genero Regina.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

RUit in deterius Reginæ morbus. se miseri torquent aulici omnes. nil spei relictum est. varia sunt Optimatum murmura. diversæ factiones diversa moliuntur. vocandum Philippum Principem post Reginæ obitum, Fernandumque ad patria Regna mittendum censent. at alii, qui meo judicio, saniore vivunt consilio, Fernandum Regem retinendum, & si onus gubernaculi recusaverit, precibus arcendum judicant, ne Regina concedente ad Superos hæc Regna deserat, quæ dilacerata, ipse una cum uxore diuturnis gravibusque laboribus restituerat. nec desunt, qui jam ad Philippum juvenem concitandum familiares miserint, licet eos non lateat, Reginam testamento relinquere, ut Fernandus vir dotalibus Regnis assideat, filia hærede, aut gubernandi laborem recusante, aut, si forte reperiatur invalida, donec ex ea & Philippo natus infans Carolus annum attingat vigesimum. nullam, inquiunt, Reginam de Philippo mentionem fecisse, sive quod non fuerit ejus dictis parens & filiam concitus ira tractaverit, sive quod Belgicis moribus enutritus, qui ab Hispanis maxime dissonant, Gallicisque magis affectus studiis quam Hispanis, his tot Regnis gubernandis minime aptus putetur. Quare Optimates, has nacti occasiones, rugiunt, dentes acuunt, veluti spumantes apri, rerum ingentem mutationem & exspectantes & desiderantes, aperte hac via, majores suos, patrimonia sua coëgisse auxisseque sermocinantur. Ubi enim plures de imperio diffident, ibi lucrum inesse ajunt. Fautoribus tunc quisque suis magna præstat, majora pollicetur. Res in hoc statu sunt. Vos valete. ex Methinna Campi. XIII. Calendas Decembris, M D IV.

EPIST. CCLXXVIII.

Moralis commendatitia.

P. M. A. M. Archiepiscopo.

BRizegnius, quem tu sacris initiasti, paneque tuo domi plures annos enutristi, ad me tanquam ad eum, cujus preces in sacro tuo conspectu gratas esse meditatur, confugit. decidisse de gratia tua, ob fragilitatem quandam humanam, quæ Incontinentiam tangit, quam tu suspicatus es, sanctissime Pater, se inquit, veniam petit, *corrigi vult*. nil optat aliud, nisi ne sis illi iratus. pluris namque se facere prædicat, quod ab eo faciem vertas quam dissolvi è vita, se horrore corrodi quodam, fatetur, quando animum tuum læsisse reminiscitur. Sanctissimas igitur manus aperito, leprosum à languore liberato, exemplum gentibus misericordiæ præstato, qua ex hominibus in cælites homines convertuntur. Bonitate tua meisque literis confisus, ad te supplex revertitur, decimam recuperato Margaritam. Et vale. ex Methinna Campi XIII. Calendas Decembris, M D IV.

EPIST. CCLXXIX.

De obitu & vita Reginæ. Rex titulo se spoliat Regis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

ACcipite duo Sapientes, vestro gustui dapes minime sapidas. cadit mihi præ dolore dextera; cogor tamen scribere, ut vobis paream, qui quotidianis me literis fatigatis. ne quid de successibus prætermittam, animam illam ingentem, insignem, præclare gestis opimam Regina exhalavit. Orbata est terreæ facies mirabili ornamento, inaudito hactenus. In sexu namque fœmineo, & potenti licentia, nullam memini me legisse, quam huic natura Deusque formaverit, comparari dignam. quas namque sceptro pollentes, ab animi magnitudine, & egregiis facinoribus laudavit antiquitas, Semiramidem utputa, reliquasque hujuscemodi, has aut morum intemperantia, vel neglectus Religionis cultus à veræ laudis gloria deturbavit. Hujus vero Reginæ, qualis, dum vixerit, fuerit animus in aggrediendo, constantia in perficiendo, ignorat nemo. qualem una cum viro se gesserit ad exstirpandas hæreses, purgandam Religionem, eliminandos ex omnibus suis Regnis Judæos, qui suo commercio cuncta fœdabant, nullus ambigit. qualis fueris ejus anxietas de Mahumetæis exterminandis, quæ bella in eos ad interniciem usque cum Rege viro gesserit, præ oculis habemus. Quo intentu vitia deturbaverit, virtutes erexerit, apertius quam ego haud quisquam alius, vos, qui factorum participes fuistis, intelligetis. Inter fœminas, una posthabita, quas nostra religio Divorum in numerum per summos Pontifices jussit adscribi, quam in Catalogo monstrabitis, cui religionis, castitatis mortalis, & pudoris fervidus tenor, majori curæ fuerit: ipsius non modo castitatis

tis Matronis omnibus vixit exemplar, sed ipsa Castitas jure merito poterat appellari. Propheticum illud, *Mirum fecit Dominus super terram & fœmina circumdedit virum*, hæc sibi post illam intemeratam Virginem Deiparam, cujus causa vaticinatum volunt, promeruisse visa est. sub fœmineo namque tegmine, id est, sub corpore muliebri virilem semper animum gestavit. Hæc igitur, si accurate inspexerimus, nobis ipsis, horum Regnorum populis, Christianæ etiam Religioni universæ, dolendum judicabimus, quod virtutis speculum, bonorum refugium, malorum gladium, qui hæc Regna per tot annorum curricula universam Hispaniam impetebant, amiseritis. Illi vero gaudendum jure est, cujus animus, cujus verba, cujus opera, qualia novimus, exstiterunt. pro certo namque putandum est, animam illam ad superna cælorum, cedentibus IX. Cælitum Ordinibus, evocatam, Altitonanti proximam assidere. Quare si mœrorem vestrum, cum illius non ultra corruptibili gloria, temperaveritis, ipsius obitum, æquiore animo patiemini. ita faciendum hortor. ad vos illius exanime corpus feremus. Granatam namque sibi Testamento in tumulum elegit. hoc eodem, quo Regina è terris ablata est die, structo in hujus oppidi nundinalis platea ingenti tabulato, publice Rex seipsum, Regis Castellæ nomine spoliavit, filiamque & generum sua sponte absentes, in Reges per præcones & tibicines habendos, edixit, gubernatorisque sibi tantum nomen, juxta uxoris Reginæ legatum, retinuit. Sapientiæ alii & summæ bonitati adscribunt, alii rem novam admirati, *Regem incusant, temque arguunt, non debuisse fieri.* Vos valete. ex Methinna Campi. x. Calendas Decembris, MDIV.

EPIST. CCLXXX.

Horrida itineris descriptio, cum Reginæ funus defertur Granatam.

P. M. A. M. Fernando Aragonio futuro, si fata Deusque permisissent, Regi Parthenopeo.

DIscedentibus nobis IX. Calendas Decembris ex Methinna Campi, ubi te cum Rege tibi patruo reliquimus, ut Reginæ corpus exsangue, suo impositum feretro, Granatam, ipsius legato electam, in sepulchrum deferamus, petisti à me, Dux illustrissime, ut quæ nobis acciderent, interea dum ego ad vos in Curiam revertor, exararem. Quam vastus cælorum hiatus, quam torrens pluviarum delapsus, nos tunc à vobis discedentes emiserit, tu testis, qui nos extra mœnia istius oppidi comitatus es. Tanta fuit in nos elementorum insolentia, ut neque solem, aut ulla sidera hoc tempore cuiquam nostrum cernere licuerit. putas nos terra iter fecisse? Maris videbamur procellis acti. in collibus & tumulis tantum tuti eramus. per valles fere natando, & planities trajiciebamus, stagna lacusque perpetuos habebamus obvios. luto cœnoque passim obruebamur. Jam jumentis ad evellendos è bibulis glebis pedes vires non suppetebant. quando per fata prohibiti, per publica itinera proficiscebamur, inter fœmora nobis mulæ fessæ passim ingemebant. hic sarcinæ cadebant, illic præcipites in fossas ruebant. alibi deficientibus jam onerariis jumentis, relinquebantur. nullus fuerat hactenus tam exiguus rivulus, qui non Tago similis campos impleret, qua nunquam hominum memoria, aquæ spithama defluxerat, sagitta velocior, cum tremendo mugitu, rapidissimus torrens decurrebat. Hei quot miserorum corpora, quot jumenta, torrentes illi absorbuerunt. Iniere sæpe consilium, qui à Rege in mandatis habebant, ne ullo pacto sisterent, donec funus in statuto loco reconderetur, de corpore Toleti, aut alibi in itinere relinquendo, donec cælorum illa rabies inaudita decideret. at vicerunt eorum, qui procedendum esse consuluerunt, suffragia. Accessimus tandem per ea, quæ retuli discrimina, quibus neque majora, neque ullo pacto paria, ego ipse in universo illo itinere legationis meæ Babylonicæ perpessus sum. In quo ab urbe Granata, orbis angulo discedens, per Ægeos Ioniosque rugitus, in Africam Asiamque deinde, ad maximam urbium Cairum, quæ quondam Ægyptia Babylon, Soldani regiam trajiciens, nil horridius unquam accidit mihi. placidissima illa omnia fuisse conjector, quando ista succurrunt. Nonne hoc tremendum, quod nec milliare unum progrediebamur, in quo à facie mortis tuti essemus. Sit satis evagatum. Cælestis hujus Reginæ corpus, orationibus, uti decuit, pulpitariorum collaudatum tumulavimus. propediem in Curiam ad vos revertar, si per salutem dabitur. Ex urbe Granata VIII. Calendas Januarii, MDIV.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

EPIST. CCLXXXI.

De curis Regum. Almazani laus. quis Autoris gustus in orbis olla.

P. M. A. M. Michaëli Perez Almazano, magnifico Regis Secretario.



Udius tertius habui abs te literas, inquis, non mihi esse utile, quod absim à Rege. quia Regibus insitum est, & negociorum mole coguntur, habere aures hebetes, oculos autem acutos. eorum tantum modo memores sunt, qui eis adstant. oblivio de absentibus, Regum animos occupat. Suades igitur, ut ad vos regrediar. Quid ego Regi possim obsequi aut præstare, quid tibi utilitatis, non intelligo. Cur me revocetis, ignoro. revocatis tamen redeundi cupidum. nec me fata Deusque ex Italia, rerum magistra, Urbeque Roma, ubi honestus non deerit locus, in hanc vestram Hispaniam adegerunt, ut in secessu aut ociosus vivam. Duplex me causa detinuit hactenus, ne ad vos redierim. nosti, me Regis & Reginæ (nostro incommodo defunctæ) beneficentia priorem hujus esse metropolitanæ. æquum fuit morari aliquantisper apud sanctum hunc virum Archiantistitem, ut ejus ductu sacris initiarer, à quo onere sumendo, pedem reduxi ad hæc usque plusquam virilia tempora, gravius mihi fore jugum hoc quam in re sit, existimans; levius quidem multo est quam arbitrabar. Ibo igitur ad vos quantocyus potero. quia nihil est ingenio meo infensius quam vivere ubi sileat æther; ubi sit idem in quo verser, naturæ inimicum, quæ varietate delectatur; ubi non ferveat mundi olla; ubi me prætereant, quæ per orbis ambitum emergunt. Literæ tuæ, quod me ames, ostendunt. Id ego maximi facio. quia non ignoro, quantus sis. A Mecœnate namque, qui Augusti cor erat, neminem legi natum, qui te sapientia, probitate, aut rerum experientia superaverit. neminem enim audivi, cui non fuerit pecuniarum raptus, quacunque salierit, apud Reges tantum curæ, aut rei domesticæ augmentum, quam de harmonia ordineque servandis in magnis negociis. Hæc integritas in te, ut liber vivas, operatur; hæc ut ingenium habeas & memoriam, in rebus maximis pertractandis, minime irretitum facit. Ita nec dispersos in partes varias cogitationis spiritus possideas oportet. Jure igitur tuo, tibi potes nomen principis eorum, qui viscera Regum à secretis interna perambulant, aperte vendicare. Vale, & me, uti profiteris, dilige saltem. ex urbe Granata idibus Aprilis, MDV.

EPIST. CCLXXXII.

Quid à Venetis Pontifex. quid inter socerum & generum. Quid Ioannes Emmanuel. Quid secretarius Conchillus.

P. M. A. M. Suo Comiti.

JAm tandem pridie Idus Maii incolumis Segoviam adveni, ubi Regem reperi, qui uxore Regina defuncta, Taurum ingens Portugaliæ Regno finitimum oppidum se contulerat. quæ gesta diversis in locis invenerim, uno spiritu accipite. Summus Pontifex noster Julius II. à Venetorum manibus quædam parvi momenti loca in Cesenate Forolivienfique diœcesibus, ipsismet præbentibus, habuit, per Joannem Rufum Foroliviensem virum, Britonori Episcopum. Urbes autem Faventia, Ariminum, & cætera magnifica oppida Juris Ecclesiastici, moriente Alexandro Pontifice, rapta, ipsi retinent, Julio Pontifice invito & minitante. Rex Fernandus, quom Tauri moraretur, sensit in Belgis apud Philippum generum omnia perturbata. Joannem Emmanuelem, qui Orator erat pro ipso & uxore Regina apud Maximilianum Cæsarem, audivi, Regina moriente, ad Philippum, animo corrupto, Rege inconsulto, convolasse, ibique, ne socer & gener conveniant, laborare pro viribus. Emmanuelis & familiarium à Proceribus missorum consilio, Philippus gener Fernando socero scribit, ut in Aragoniam & hæreditaria sua Regna se conferat: Castellam sibi uxorique Joannæ,

 ad

ad quam illa pertinet, liberam relinquat. Fernandus vero socer, qui una cum uxore Regna hæc disturbata, dispersa, dilacerata, è luporum faucibus arripuerat, generum monet, *ut se juvenem esse consideret, Regnis his gubernandis minime exercitatum, quæ aliter regi oportet, quam ipse inter Belgas, ab Hispanis moribus dissonos potuit didicisse: se non negare, quin gener ipse Castellæ sit Rex*, quandoquidem Joannæ ejus & Helisabeth filiæ maritus; *ac seipsum sua sponte Regis Castellæ titulo spoliasse: neque aliud se velle nomen in Castella, quam gubernatori, licet jus, nullum* Regium *ei* nomen *semel acquisitum tollat*; propterea *ut ad se veniat*, per legatos genero suadet, *uxoremque Reginam secum ducat*; *ne delatoribus*, futuris inter utrumque stipitibus accensis, *aures præstet*, hortatur. misit una ad filiam, qui ei à secretis obsequatur, Lopem de Conchillos, juvenem Aragonium, bonitate pollentem & industrium, ac fide in Regium sanguinem probatissimum. deperdita is cuncta reperit. Quæ succedent, habebitis. Valete. ex urbe Segovia Montana. Calend. Junii, M D V.

EPIST. CCLXXXIII.

Capit Autor curam rerum gerendarum in Curia pro suo Prælato & Capitulo Granatensi, ubi Prior ipse est. Oratores à Cæsare ac Philippo veniunt. de torre Tisiphoneo. multa de Regibus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

UT posthac de tuis tuorumque Capitularium negociis, curam geram, tuæ mihi literæ imperant. Nequeo à mandatis tuis retrocedere. fore mihi Cælites infensos omnes putarem, si tibi displicerem. est & mihi utilis futura ista negotiatio ex Prioratu istius tui Collegii, membro non humili, quem regio tuoque munere possideo. durum est ab his computatoribus *dragmarum auri millia decem*, quæ vobis ex regia beneficentia & pontificio assensu quotannis debentur, exigere. istius namque Archiantisteæ tuæ decimales redditus exigui sunt; quid tamen tempora parituri sint, experiemur. De Regiis autem negociis hæc habeto, quæ una tu Comesque meus illustris, *tua dimidium animæ* conferatis. Hic sunt à Maximiliano Cæsare Andreas Burgensis vir Italus Cremonensis, non ineruditus, & à novo Rege Philippo *Philibertus* cognomine *de Vere*, Burgundus, missi ad negocia inter utrumque socerum & generum pertractanda Oratores. Joannes Emmanuel, spe prædæ, Tisiphoneum torrem, in has segetes dicitur conjecisse. fovet apud Philippum missos ad res perturbandas à Proceribus, nuncios. Philippi familiares, necessarios inter nos hortatur, monet, stimulat, ut cum eo conveniant, ut una Regi Philippo persuadeant, ne ullo pacto pacem aut fœdus ullum cum socero ineat, neque illi locum in Castellæ regnis assentiatur, ni malit socero esse subjectus, quam solus imperare. grandia illis lucra proponit. futurum ostendit, ut maximas sibi quisque opes sit congesturus, si Fernandus socer, ad regna patria cogatur abire. versor ego aliquando apud hos Oratores Andream & Philibertum, ab eis nil aliud extorquetur, nisi ut Fernandus Philippo cedat. Ita infectum irretitumque magnanimum & benignum Philippi ingenium tenent, qui apud eum versantur, ut nullo modo suam & horum Regnorum perniciem futuram, si Fernandus cesserit, intelligere queat. pullus indomitus eximii moderatoris habenas velle pati recusat. Ruent igitur omnia, si Fernandus cesserit, cujus amor in hæc Regna, quæ ad ipsum hæreditario devolventur jure, si ejus uxor sine prole defecisset. quia sanguine propior est maximus, cujus prudentia potens unica omnium judicio sub orbe lunæ Regni proceres domare, populos regere, pacem hactenus in Hispania non cognitam sustinere, finitimos Reges, ne pinguia hæc impetant ovilia, quod sæpius alias attentarunt deterrere. Hi sunt fluctus, hæ procellæ, qua sit ingens oneraria navis itura, portumne, an Lethæos scopulos petitura, exspectamus. Vos interea valete. Segoviæ. IV. nonas Junii, M D V.

EPIST. CCLXXXIV.

Borgiæ galeri contemptoris ruina & carcer. pulchra Moralia.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

NIl est quod patentius exstet, quam Deum esse memorem justi & injusti. qui & alicui Regi & Venetis fuit aliquando formidolosus, qui Apostolico rectori legem imponebat, qui Gallum suæ petulantis ambitionis fautorem habebat, qui utroque juvante, totam armis perturbabat Italiam, Cæsar Borgia, Pontificius, ut ipse fatetur, sanguis, abjector honoris Cardinei, dum mularum viscera inhabitaret, veneni tabem temperans, fuit omnibus, quæ vi rapuerat, spoliatus, Arimino utputa, Faventia, Cesena, Imola, Forlivio, & reliquis insignibus oppidis,

pidis, à novo Pontifice partim, partim à Veneto dominatu, exercitusque illius sparsis in diversa. Ubi primum valuit, Neapolim aufugit. hunc ne ultra discerperet, ne ultra discordiæ in Italia seminaria spargeret, magnus noster Capitaneus Gonsalus Fernandus cepit, misitque in Hispaniam vinctum. In arce Medinæ Campi sub fida servatur custodia. æqua lance ministratur hominibus. ea est hominibus moneta in operum mercedem parata in futurum, qualia sunt opera præsentia. Vos valete. Segoviæ XI. Calendas Julii, MDV.

EPIST. CCLXXXV.

Quid Philippus cum Gallo. de Philippi natura. quid Proceres. quid Gallus. Moralia. Mira laus Philippi.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

SEntio Philippum Regem cupiditate regnandi actum, cum Rege Gallorum Ludovico Aurelianensi fœdus iniisse, ut suppetias ei ferat in Fernandum socerum, ni sponte cesserit è Regno Castellæ. Proh Deus! si verum est, quæ cæcitas juvenem invasit! quam male Regnum patitur duos. Novi ego Philippum, & mores ejus examussim scrutatus sum. quando in Hispaniam Michaële parvulo hæreditario Principe defuncto, se contulit Principatum assumpturus. eram namque illi familiarissimus. nil benignius Philippo in terris, nullus inter Orbis Principes animosior, inter juvenes pulchrior, inter viros virtutum omnium amantior. mira est in Philippo corporis habitudo, forma gratissima, sapidissima lenitas. at sceptri fames anhela rationis hebetat prærogativas. non sentit infelix, quo in discrimine versabitur, si se regi patietur à rabidis Emmanuele & reliquis, ad eum ignem exaggerandum stipitibus missis. ingens malum emerget, quia si armatus venerit, uti minitatur, non deerunt, qui ad eum volitent ex Proceribus rerum novarum studiosis; sub occasione præsertim sumpta, quod Rex sit. sed ipsorum intentus ad propriam tendunt utilitatem; sperant à Philippo nova, si opem illi tulerint, patrimonia. Rex Gallus salivam deglutit. ex hac Discordia fructum se sperat consecuturum, si ambos in confusum conjecerit, ex adverso ipsis ambobus inter se confractis. dirigit oculos in formosam Parthenopem. Fernandum Regnorum miseret: quæ videt dilaceranda à lupis, ni Philippum ipse edoceat; *quo pacto ab istis sit cavendum, nec regium sibi Castellæ nomen ultra sumpturum* promittit, *quod semel deposuerit, & discessurum* pollicetur, *si Philippus ad se venerit* filius, *non* hostis: *ubi sua manu genero in dextram Regni porrexerit habenas; nolle se pati, ut gener*, veluti Phaëton pervicax, *regendi Phœbei currus inscius, præcipitetur.* Quid ex his exspectetur, vos videbitis. Segoviæ. III. Idus Julii, MDV.

EPIST. CCLXXXVI.

De literis Reginæ Ioannæ proditis viro. de Secretario Conchillo. quid Rex Philippus. quid Gallus. & negociativa pro Ecclesia Granatensi.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

DUo ut è regio Fisco privilegia tibi exigerem, imperasti: secundi decimam, quem dicitis excusatum, antiqua in his terris consuetudine, cujusque templi Cathedralis fabricæ, additum ex universa decimali massa, ex quaque tribu, quam appellatis *Parochiam*, eductum unum; alterum de tollendis è Fisco redditibus à sectariis quondam Mahometeis, suis templis assignatis, in quem domitis & stratis ipsis Barbaris, avari Quæstores illos conjecerant, id primum per hunc tabellarium accipito. duriuscule hoc secundum extorquebimus. multi nobis in hoc adversantur. Fiscales Procuratores, deberi Fisco quicquid ab hostibus alienæ Legis lucri fit; nos autem à sacro minime tolli posse arguimus, quod sacro semel dicatum est. licet Exlegum Mahumetheorum dona grata Deo minime putanda sint; munera tamen eorum sacro dicata videntur, quæ ad Sacerdotum, quos *Alfachi*, & præconum, quos vocat Lex Mahometana *Almuhedanos*, suis lituis populum ad sacra vocantium, alimenta, atque una ad fovendas oleo templares lampades, aut cereas faces emendas, legata sunt, contendimus, disceptamus. Regis animus in argumenta nostra, licet in suæ crumenæ dispendium, pendet. videt namque, non decere in profanum usum converti, quæ oberrantes in Lege, se Deo præstare arbitrabantur. de tuis satis. Quid de Regiis habeatur, audito. Joanna Regina, licet sui non bene compos, sentiens maritum à socero & sibi genitore diffidere, suasoribusque, ut socerum, è Castellæ Regnis ejicere conetur, aures præstare, literas ad genitorem per Lopem de Conchillos à secretis, fide probatissimum juvenem, cuidam antiquo familiari Aragonio credidit, quibus ne è Regnis, quæ ipse una cum matre ejus uxore tanto labore sedaverat, ullo

ullo pacto discedat, ne se filiam deserat, hortatur, orat. Arragonius autem ille *Ferrera* nomine, sive timore correptus, ne si deprehenderetur, pœnas lueret, sive dolo id fecerit, ad captandam cum Rege Philippo benevolentiam, incertum, rem detegit, literas ad Philippum defert. Is ira concitus, miserum Lopem de Conchillos à secretis, dandarum literarum autorem, in tetrum carcerem, ac si nefandum aliquod facinus patrasset, trudi jubet. horrore carceris ajunt infelici juveni capillos omnes decidisse capitisque ferunt ei virtutem intabuisse: reliquos uxoris familiares à parentibus, ut natæ obsequerentur traditos, remisit partim; paucos lege proposita, ne quid in Hispaniam, eo inscio, scribant, retineri passus est. stat vero rupe immobilior Philippus, ut cedat Fernandus socer, uxore tacente. Jam stringit cum Gallis arctius atque arctius indies fœdus in seipsum. Forte aliquando intelliget, quantum intersit, à tali socero dirigi ad portum, aut à rerum novarum cupidis in male fidas trahi stationes. hi sunt Fortunæ sclopi. his fruamini, si bene sapient. Segoviæ pridie nonas Augusti, MDV.

EPIST. CCLXXXVII.

Contra Ducem Geldriæ Philippus. quid Hispani. quid Galli. quæ rerum mutatio.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

PHilippus Rex bello Geldrico implicitus est. ex avito namque titulo quodam parto, per transversum jus habere se in Ducatum illum arguit. hi sunt Sicambri. strictis illos urget obsidionibus, durisque oppugnationibus eorum quatit mœnia. At non sentimus, mutatum esse à proposito amplexandi Regis Galli suppetias in socerum, ni libens cedat. Rex vero Fernandus discrimen cernens ex Procerum Regni Castellæ simultatibus & studiis rerum novandarum, veritus, non modo ne in filiæ suamque perniciem Castellæ Regnum deserere cogatur, sed & Neapolitanum, cæteraque avita patrimonia una positurum ad præcipitium, si Philippus gener armatus, Gallica potentia adjutus, accesserit, filiaque præsertim loqui non audente, cum Rege Gallo per nuptias fœdus inire velle videtur, si Philippum generum Gallus deseruerit. ita soceri generique Regum dissidia potentiam Hispanam turpiter minuunt, Gallicam vero paulo ante per strages Neapolitanas jacentem, super sidera erigunt. Gallis ex eorum discordia cristæ insurgunt. proceres Hispani titillo prurienti animos fovent. corrupti apud Philippum consultores, quæ toto pectore cupierunt, perficere sperant. bonorum corda sternuntur, miseranda rerum immutatio pertimetur. qui pacem cuperent, formidine quatiuntur. & gemunt. cupidi, & ambitiosi psallunt, nova exspectantes, aut vetera, ut augeantur hac turbulentia, patrimonia, uti è cænoso fluvio piscatores. hic est rerum status. Salmanticam, inquit Rex, se propediem profecturum. Segoviæ. idibus Augusti, MDV.

EPIST. CCLXXXVIII.

Commendativa Moralis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUid faciam, nescio, an utile fuerit Chiroam & Brizenium per meas literas bonitate tuæ commendasse, ut illis ignosceret, mea forte apud te autoritate fretis. minori curæ tuis ovibus erit invigilare, ne labantur. decidit in laqueum Sathanæ per fragilitatem Franciscus Ramirus. petiit & ipse opem ac medelam, per nuncios & literas ad me datas. nequeo Medicum pro hydropico aut leproso, si se mihi commendaverit, non sollicitare. Ut animum places tantum in eum peto. Non ut pœna delicto quadrans remittatur, ad aliorum exemplum efflagito. id & ipse libenti se animo subiturum pollicetur, modo in pascua ovis famelica restituatur. cyathum porrige sitienti, & da misero collapso dextram. vehementioribus uterer precibus, si mihi rem fore cum saxo molæ, non cum agno mitissimo; si cum fulvo leone, non cum innocenti edulo arbitrarer. sit igitur satis. cætera per epistolam communem habebis. Vale. Segoviæ. Idibus Augusti, MDV.

EPIST. CCLXXXIX.

Vicit Geldrensem Ducem Philippus. qui se parat ad Hispaniam. quæ spes data Philippo. quid socer.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

EX Belgis nuper allatum est, Philippum Regem esse jam exsolutum & explicitum è bello, quod in Sicambros, quos nostra ætas vocat *Geldrenses*, gerebat duris confectos pugnis & obsidionibus jam tandem habuit in deditionem, una cum eorum Duce; quem secum ait se ducturum in Hispaniam, sub fide, aliter liberum, & cum Ducatus parte illi

relicta,

relicta, sub nomine tamen subjectionis & quasi Feudi. ferturque classem parari ingentem, qua in Hispaniam armatum sese trajecturum, stimulatoribus Tisiphoneis, addito jurejurando pollicitus est. Procerum ei auxilia magna ex parte offerunt. Populos, illi suadent, quacunque Proceres eos direxerint, ituros. quia mobilior marino fluctu populus. quacunque flat aura, convolvitur. Sed Hispanos præcipue arguunt esse à natura sui pronos ad motus & res novas concitandas, propterea factu facile fore repetunt. Andreas interea Burgensis à Maximiliano Cæsare ac Philibertus de Vere à Philippo legati, ut socer discedat, instant, primates subornant & seducunt pollicitis. Rex Fernandus, quæcunque versant atque ordiuntur, sentit, dissimulat & animos omnium tacitus scrutatur, sperans fore, ut gener Philippus aliquando sapiat, atque intelligat, quanto felicius veniet, si ut filius erudiendus à Patre, quam ut hostis certaturus, accesserit, quantoque tutius tantæ Regnorum molis habenas sit gubernaturus eo duce, quam talibus se credere suasoribus, qui ad propriam utilitatem, acerbe hiantes, ipsius adstruunt perniciem. Ita Fortuna videtur luctuosos aliquos ludos velle contexere. quid futurum sit, novit omnipotens. Segoviæ. III. Calendas Octobris, MDV.

EPIST. CCXC.

Parata classis Philippi. quid perturbatores sperent. Fernandus cum Gallo inivit affinitatem.

P.M.A.M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

IIdem venti res Hispanas Belgicasque agitant. Scyllam inter & Carybdim fluctuant. Philippum inquiunt Tabellariorum literæ, de fluvialibus patriæ aggeribus, per Sclusam sui continentis fauces, in Oceanam insulam nomine *Gelandriam* à Sclusa è regione millia duodecim, classem armatam eduxisse, stareque in anchoris apud villam littori adjacentem Ramuam oppido Medelburg suburbanam, inde vela in Hispaniam daturum, ut quid fortuna in socerum statuat, armis adjutus incolarum, experiatur. saturaturos se suos sperant appetitus rerum perturbatores. Philippus quidem Rex, uti alias vobis aperui, sinceræ, mitis atque optimæ est naturæ: sed infelix triticum loliis, tribulis sterilibusque avenis circumseptum, vim suam amittit. Per rupes scopulosque præceps trahitur. inter Cyclades & maris Ionii mugitus oberrat. Carthaginensem tutissimum in socero portum, qui sese protentis avide lacertis offert, captare recusat, Gallicis etiam confisus auxiliis, quia præcipue Claudiam ipsius Galli Regis filiolam unigenitam Carolo Philippi & Joannæ Regum primario hæredi, despondere se Galli inquiunt velle. Fernandus vero Rex potentiam formidans in tanto turbine Gallicam, quia præsertim audierat Gallum Regem à suis incolis jam scutorum salarium, qui sunt fere ducati aurei, myriadas, quas Hispani dicitis *Quentos*, ad Neapolitanam denuo provinciam assumendam, quinque coëgisse, dubitans etiam de fide ducum, qui Castellani Regnum Neapolitanum Castellanis, non Aragonicis armis de Gallorum manibus eripuerant, Oratores in Galliam mittere decernit. ad id Joannem à Silva Comitem de Cifuentes, atque illi collegam Thomam Malferitum, virum quem nostis Balearem, Aragonici Senatus principem, Juris utriusque Professorem, destinat, ut pacis autorem Regem ipsum Gallum efflagitent, ne alterutri suppetias ferat in alterum, ut jus matrimonii, fœdera stringant, à provincia sumenda in Regnum Neapolitanum Gallus desistat. in mandatis hæc afferunt. Valete. Segoviæ. VIII. Calendas Octobris, MDV.

EPIST. CCXCI.

Pacta Philippi cum Gallo. consilia soceri. genero quid Gallus offerat.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

SAlmanticæ agimus. nondum in melius mutari res videmus. convenisse Philippum Regem cum Rege Gallorum fertur, ut ipse Castellæ Regna impetat, Gallus autem Regnum Neapolitanum, & eas una partes, quæ Cataloniam Comitatumque Rosilionis spectant, adoriatur. Hinc si ita est, quanta sit malorum consultorum vis, colligere potestis. In suamet viscera cruentam intendit Philippus dextram immittere. in suasmet segetes opimas ignem statuit injicere. Res arduo in loco sitæ sunt. Fernandus vero socer, jam quid consilii capiat, nescire videtur. Si namque hinc gener cum Regni armis eorum qui ad res novas intendunt, illinc vero potentia Gallica ipsum oppresserint, imparem se sentit ad rem armis aggrediendam. neque hoc quidem cupere dignoscitur, etiamsi se victurum sciret. Conqueritur, dolet, gemit, generi pervicaciam admiratur, cui nil profuit grandia lucra fuisse cum summa laude proposita.

Conatus namque Fernandus Rex est, genero illiusque genitori Maximiliano persuadere, ut una Burgundiæ Ducatum, cæteraque aviti ipsius Philippi patrimonii jura repeteret à Gallis, facile factu ostendens, ut accepta à Gallis damna resarciantur, si tres convenerint de bello Gallis una inferendo, ni ablata reddiderint, eademque via fore, ut injuriarum in utrumque, ex dimissa uxore Margarita, & ablata à Maximiliano Cæsare Britanniæ Ducissa, Gallos aliquando per vindictam pœniteat. obtusas habet atque hebetes ad soceri monita Philippus aures, pronas autem ad aliorum perniciosas suasiones. Gallus vero Rex, ut rem suam conficiat, his gaudet simultatibus, fovet inter utrumque discordiam, utrique verba dat. videtur tamen, uti per oratorum literas Comitis utpote Cifontei & Malfiliti Balearis colligitur, Fernandi cupere amicitiam, si neptem ex sorore suam nomine *Germanam* Fernandus Rex ducere voluerit uxorem, atque una in Regnum Neapolitanum Angiovinos Principes ejectos, Gallorum causa, suscipere, patrimoniis in integrum cuique ipsorum redditis, damnosa ac turpia quæ Galli à Fernando Rege fœdera conantur extorquere, uti fertur, pactum fœdus, adhuc nullum est. sunt in controversia res. agitatur utrimque. eo in statu res sunt, ut necessario propediem hac vel illac illidendum sit. Vos interea valete. XII. Calendas Novembris, MDV.

EPIST. CCXCII.

Pacta dotalia cum Gallo pro Germana ejus affine Regi danda. pacta ignominiosa damnosaque. de reditibus mensarum Granatensium, Archiepiscopi dico & Capituli.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUid actum sit in re pecuniaria, & in exigendis ab his Computatoribus vestris decem millibus auri dragmis, quæ tibi Capitularibusque tuis è Fisco, annua ratione, debentur, nuncius referet, qui tuus est. En computatorum tabellas signatas! vos è quæstoribus & exactoribus illas, si quibitis, extorquete. & satis. De rerum autem statu, è Gallia nuncii attulerunt, Cifonteum Comitem & Malfelitum Oratores corruptissimas reperisse Fernandi Regis partes, & ad bellum Neapolitanum resumendum, quinque fere ducatorum myriadas à populis Gallos extorsisse, cogitareque, mortua Regina, cujus dotalium Regnorum armis, pecuniis & viris strati, profligati detrusique nuper fuerant, de bello instaurando; regio propterea Fernandi nomine, à quo missi sunt, ærumnosas ac fœdas Pacis conditiones cum Gallis subiere. esse namque actum de Regno animadverterunt, adversantibus Philippo genero, ejusque genitore Maximiliano Cæsare inter ipsiusmet Regni simultates, & Castellæ regnorum dissidia. Accipit Fernandus Rex sibi uxorem, Galli Regis ex sorore neptem *Germanam* nomine, duodeviginti annos, ut creditur, natam; dotalia pacta, ut Rex Gallorum juri cedat Neapolitano, at capite addito, ut Germana deficiente sine liberis, eam Regni partem, quam ejecto Federico Rege sortiti fuerant Galli, civitatem utputa ipsam, Regni caput, cum reliquis urbibus atque locis Regni universis, præter Apuliam & Calabriam Gallica resumat corona. gravius aliud audite; ut ab his ducibus, quorum sparso sanguine Regnum devictum est, & è faucibus Gallorum cum ingenti jactura ereptum, urbes, oppida statusque tollantur, quos in laborum, vigiliarum, discriminum & vulnerum mercedem fuerant assecuti, ad Angiovinos Aragonum hostes infensissimos, atque inde ipsiusmet Fernandi Regis inimicos, cuncta illis ob defectiones ablata Jure belli, revertantur, Angiovinique ipsi Principes omnes, in Regnum & Principatus, avita patrimonia recipiantur. Ita duo sibi ignominiosa damnosaque Contractus capita in hoc uno coactus est annuere. ex fidis namque & obsequentibus infensos facit Hispanos, & ut in caulam rabidissimos admittat lupos, qui quamcunque occasionem nanciscantur, naturam sequentur, atque animi sui affectus. Sunt namque Angiovini è Gallorum sanguine creati. neque in ipsorum arbitrio est aliam induere opinionem, aut mutare sententiam. addo aliud. Pactus est etiam Fernandus, se Gallo Regi quingenta ducatorum millia decennio præbiturum, annua utpote quinquaginta millia, donec decennium expleatur. Pacis perniciosas conditiones has, gener juvenis, senem socerum coëgit inire. hæc afferuntur. hæc habetote forte aliter. Salmanticæ III. nonas Novembris, MDV.

EPIST. CCXCIII.

Luditur à Gallis Philippus. quid socer & gener alterne se arguant.

P. M. A. M. Comiti Tendillæ.

AB Andrea Burgensi & Filiberto de Vere Oratoribus, accepi Philippum Regem confuso

confuso esse spiritu, quod se aperte illusum à Gallis videat, ac socerum cum Gallis, contra ejus cogitata, convenisse. Conquerenti de socero respondet socer, filiali amore emollitus, *Nil est quod mihi succenseas, fili, qui pacem cum amico tuo atque consocero inierim, quandoquidem cum is Rex apertus mihi hostis esset, atque idem occulte perniciosior tibi, amicitiæ vinculo, in te ipsum atque in me illius opem avide quæritabas; nullam tibi ego, fili, attuli injuriam; Tu vero tibi mihique & ignominiam maximam, & jacturam non mediocrem ex Galli Regis simultate vafraque, uti nunc constat, amicitia construxisti, ex suo namque commodo, non ratione tui tecum contrahebat, ut invitus secundas inirem nuptias, Ius ut mihi armis quæsitum in Regno Neapolitano hebetarem, hostes meos Angiovinos ejectos reciperem, statum eorum, Iure belli ablatos, eis in maximum & mei & meorum incommodum redderem, ut quingenta millia ducatorum me soluturum jurejurando promitterem, tu me, fili, coëgisti. Sit satis, fili, pervagatum; redi in te, si filius, non hostis accesseris, his non obstantibus, uti filius amplexabere. magna est paternæ vis naturæ. si me consulueris, qui Proceres populosque hos optime calleo, bonis avibus accedes. si vero cum eadem pertinacia illis te credideris, qui suo intenti commodo te in præceps trahere student, in apertas calamitates deturbaberis.* Hæc bonus Fernandus triumphator de hostibus fidei maximus, rerum experientia ornatissimus, per literas, per nuncios, per amicos nititur suadere. si auscultaverit, nec ne, aliquando scietis. Valete. Salmanticæ. Idib. Novembris, MDV.

PETRI MARTYRIS A. M.


EPISTOLARUM

LIBER DECIMUSNONUS.

EPIST. CCXCIV.

Pacis edictum inter socerum & generum.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.



X quo literas à me non habuistis, rerum facies inter socerum & generum Reges, aliquantulum videtur immutata; *de Concordia* nuncium habemus. pacti sunt *ut non alterne, sed una gubernent, signentque rerum gerendarum in Castella tabellas, uterque propria manu*; nec Regina excluditur, cujus hæreditaria sunt Regna, modo ipsa velit. Venturum igitur Philippum, ut soceri consiliis inhæreat, positis armis, inquiunt; prosilire psallereque pacis amatores, tali nuncio cœperunt: seditionis autem cupidi dissimulanter cæteros sequuntur. Ludis multiplicibus arundineis utpote ac tauris in septa productis, primus Januarii dies instructus est. Cæsareum Oratorem Equestri ordine Rex tanquam hujus Pacis auctorem insignivit, donisque pluribus ornavit. posteaquam Philippum aliquot annos hæc Regna moderari Rex instruxerit, se discessurum in avita Regna prædicat assidue. Deus faxit, ut dextro pede pax ista optatissima coalescat. Salmanticæ. III. nonas Januarii, MDVI.

EPIST. CCXCV.

Laus sacræ Inquisitionis. sed de Luzerio non laus.

P. M. A. M. Suo Comiti de Tendilla.

AUdivi esse Cordubæ sacræ Inquisitionis hæreseos assessorem judicem quendam, nomine *Luzerium*; severum ajunt & iracundum à natura, Judaico nomini & neophytis infensissimum. præclarum quidem inventum, & omni laude dignum opus, ut omnis è religione labes tollatur. Sed quid sentio, Comes Illustris, commentum fuisse Crimen illud in Archiepiscopum nostrum, tui dimidium, virum sanctissimum, fama est, totamque domum ejus tum astu, tum suppliciis, adactis testibus, commaculasse. Quo me vertam, non intelligo. sanctiorem isto Antistite puto neminem posse reperiri. qui talia confingat, creditu est difficile. quid tu, cui est iste Antistes noster intus atque in cute ex longo commercio notissimus, de hac re sentias, cupio dignoscere. Vale interea. Salmanticæ. III. nonas Januarii, MDVI.

EPIST. CCXCVI.

De Philippi discessu ex Flandria & ejus naufragio. evasit Dux Geldriæ, quem captum trahebat.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi ac Comiti.

NUper allatum est classem Philippeam, quæ stabat in anchoris in insula Gelandria, Sclusæ opposita, prope oppidum Medelburg & Ramuam villam, solvisse è portu IV. Idus Januarii, pacatoque animo Philippum ad socerum venire, licet ad sui tutelam, si quid in mari exoriatur pyraticum, & ad regium ornatum (ut ipse ait) mille secum habeat ac ducentos armatos. Reginam ducit Joannam uxorem gravidam. ea libens maritum sequitur, quacunque ierit. ajunt & Geldriæ Ducem venire præstito fidei juramento, ne quid de fuga moliatur. aperite aures, sapientes viri, attollite mentem. audistis aliquando & sæpe audistis, arenosas in ea regione Belgica sitas esse intra fluctus Borealis Oceani Syrtes quasdam, navigantibus perniciosas, quas vicinia totusque Christianus orbis vocat *Banchos Flandriæ*. earum periculosos tractus & fretum jam Calesium, qui Galliam dirimit à majore Britannia, quæ est Anglia, quondam *Albion* insula, evaserant. Mare, quod nautæ appellant *Hispanum*, jam se illis offerebat, quando volentibus, ut se reficerent, captare terram, placidi sese deliciosique venti ac lenes in puppim obtulerunt; consulentium fruendum esse ventis ultro oblatis, vicit sententia. Vela in altum tendunt gaudentes, à tergo universam fere Angliam jam relinquebant, nec longo inde tractu blanda illos aura deseruit, & malacia succedente, quietum illico sine ullo prorsus murmure stetit aër ac mare pacatissimum. Ex successibus, in classem ventos omnes conjurasse, inito consilio, didicerunt experimento. tantam enim, ajunt, ex ea tranquillitate tempestatem exortam repente, ut majore nullus actus fuerit unquam, aut simili, quin interierit, sub atra nocte classis universa dispersa est illico, plæræque naves summersæ, cæteræ sine spe vitæ, aut se invicem plangebant, aut solabantur. Regia navis majus subiit discrimen. à puppi namque ignis accenditur. tota navis piceo fumo suffocata, conflagrabat; venti furentes flammarum vim agitabant. parte alia verso latere navis eadem spondarum alteram vidit obrutam, undis horride in latus quassabatur. findi à summo in sentinam sentiebatur. de vita nulla jam colloquia. attoniti ac mussitantes, quando navis aut obrueretur, aut verteretur in cineres, exspectabant nec cuiquam dabatur esse de altero sollicitum, de se quisque semianimis cogitabat. Quando juvenis quidam staturæ proceræ, graviter objurgando universos, prosiluit in medium, manibus, non lachrymis opus esse proclamans, è navi se dejicit in mare, vela quæ ruptis retinaculis, in mare lapsa, navim suo pondere invertebant, complectitur semiobruta; hujus exemplum secuti natatores reliqui, prosiliunt in aquas & ipsi, vela trahentia navim in præceps amplexantur, stringunt, involvunt. Ita è mari nantes egregii, cæteris è navi adjuvantibus velorum partem absorptam, restituerunt. navis in faciem erigitur, atque una hominum industria nusquam sperata, ignis exstinguitur. Inter hæc discrimina, triduum semper ab alto, veriti ne saxis illiderentur, versati sunt; de vita namque securi. Regressos tandem vi ventorum actos in Angliam ad Porlani caput, juxta quod Cæsariana quondam classis quassata pene legitur interiisse. Fernandus Rex nobis, obortis præ lætitia lacrymis, quod evaserint, enarravit. Ipse vero Rex ubi sensit, Gelandria classem fuisse solutam, moverat & ipse Valleoletum versus, ut venientibus propior esset, ubi nunc agimus. quid futurum sit, apertis faucibus tanquam famelici operimur. Interea vos valete. ex Valleoleto IV. Idus Februarii, MDVI.

EPIST. CCXCVII.

Quid Iulius Pontifex cogitet. quid Venetis protestetur. quid respondeant. multa contradictoria.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

AB urbe Roma, cæterisque orbis extra vos partibus, quid habeatur, cupitis intelligere, raroque scribere me de his, quæ ad alienos ab Hispania tangunt, dicitis. scribo quæ occurrunt, veniuntque ad nos. ab Urbe nil fertur aliud, nisi sublatam esse vim omnem, boves, vitulos & vaccas esse in præceps: Valentes & Valentinos in carceres & vincula furores suos deportasse. Ex Julii vero nostri Maximi Pontificis ingenio & probitate, ad justum prona, quieta esse ajunt omnia, omnia tuta Itinerum rupturæ, prædæ, rapinæ, homicidia obdormiunt. Is neque affinibus, aut amicis, de patrimonio Pontificio, non modo quicquam non impartitur, at ajunt animo eum versare, intendereque totis viribus, ad premendos patrimonii usurpatores

patores

patores Tyrannos, utque ad Pontificiam tiaram deperdita reducantur. Venetis (uti fama est) multiplicibus nunciis protestatur, ut amice Ariminum, Faventiam, cæteraque Juris Ecclesiastici municipia, quæ rapuerant Alexandro Pontifice moriente, sub occasione sumpta, quod Valentini Ducis essent, non Ecclesiæ, reddant, instat, gravibusque illos verbis urget, ac minatur, nisi una Ravennam & Cerviam ablatas urbes jamdudum, remittant. Veneti autem, se in Cæsaris Borgiæ, Valentini Ducis, Alexandrini sanguinis, Tyranni, fortunæ cedentis potestate, isthæc nova loca reperisse, ex compositoque à populis ea, non ab ullo Pontifice, suscepta invasisse, ajunt. propterea injuriam arguunt, se nullam intulisse Pontifici; ad abradendam à se tamen Tyrannidis notam Veneti Senatus suffragiis esse statutum, ut in Feudi rationem tributum persolvatur Ecclesiæ, quale decuerit. Pontifex rem se habere velle cum eorum potentia recusat, nolle sibi vicinos, aut feudatarios homines aperte ad orbis imperium inhiantes, cedant. iterum atque iterum agit hæc inter eos. Pontificem vero ajunt virum esse justum, æqui amatorem, atque ita constantem, ut dimoveri ab assumpta ulla causa metu vel amore queat nullo pacto. Venetis autem ab innata illis ambitione & cupiditate insitum est, nunquam solvere, quod semel apprehenderint. dentes habent Crocodilares. habent etiam infensissimum Cæsarem Maximilianum, ob plærasque urbes & regiunculas. nec est illis Rex Gallus amicus, ob Brixiam & Borgomum, Cremonamque; ac cætera Ducatus Mediolanensis loca, calumniis, astubus & dolis usurpata. quid illis debeat Rex noster Fernandus ex Brundusio, Hidronto, Trane, multisque præterea Regni Neapolitani locis, quæ sub nomine pignoris, à Fernando juvene, cum premeretur à Gallis, sunt habita colligetis. Caveant sibi Veneti, caveant. nimis onerosa est hæc tantorum Regum moles. si convenerint, forte succumbent. Ex Valeoleti. XVI. Calend. Martii, MDVI.

EPIST. CCXCVIII.

Quid Fernandus de naufragio Philippi senserit. quid Philippus de Germana. quam amarum panem comedat Granatensis Ecclesia ex Computatorum manu.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

EXactores tui scripserunt ad me tuo nomine, se nequivisse à Quæstoribus regiis, istius Regni Granatensis. pecuniarum quandam summam, quæ mille ducentos excedit aureos nummos exigere. Ex eis, arguere hunc ajunt, portuaria & reliqua tributa, ob annorum inclementiam, quia penuria populi urgentur acerrima, colligere non potuisse illum, quia Judæus, pecuniarum tenax, pauperiem fingere, milleque supplicia prius exspectare quam obolum solvat è manibus, alium ex re, ficto, alium decoxisse; recepisse vero se in tutum, ad cœnobia, sacrave templa plerosque, ne judicia subeant, conqueruntur. Ad quid hæc lamenta, Reverendissime? In cassum lugent. mittant ad me testimonia, quibus Juridice ostendant Quæstores à vobis suo fuisse ordine requisitos, neque in eorum domibus rem ullam familiarem fuisse repertam, tunc apud Fiscales Computatores agemus, ut aliunde vobis è fisco vestra merces persolvatur. *Mercedem* appello, quandoquidem diverso à cæteris initiatis & sacrosanctis sacerdotibus ordine panis iste præbetur. En quid, vir Sanctissime, en quid? tu tibi tuæque pascuæ ovibus tanti causa mali fuisti, soli in universo, aliena manu cibum sumitis, quem & liberum & uberrimum, si tu, quando Regum lateri cum auctoritate summa perpetuus assidebas, id voluisses, voluisti & victum tenuem, & eum ex fisco annuum. quando & amplum & intra urbem ipsam, quam incolitis, assignatum habere potuisti. tibi ipsi succenseas. pœnitebit indies magis ac magis. nil namque hodie infelicius, quam ex Computatorum dextera pecunias desiderare. atque in deterius res indies labitur. sibi suisque necessariis student. cæteri mussitant. satis despumatum sit. ad alia, quæ nos minus cruciant deveniamus. Germana Galli Regis ex sorore neptis ducitur in uxorem Regi Ferdinando. Id Philippum ejus generum lædit ad intima. Videt enim accidere posse, ut ex ea sobolem socer procreet & masculinam, cujus causa licet non Regna Castellana uxoria possit, si pro fatis vixerit, amittere poterit, de Aragonico Neapolitanoque desperare, quæ ab hac Regnorum massa tollentur, ex patriæ Aragoniæ institutis, si Rex marem filium habuerit. Philippus in Anglia adhuc Regis potestate est interceptus, necdum, quæ superstites à tempestate naves fuere, in integrum restituit. Rex vero Fernandus, ejus socer, ubi de illius & filiæ jactura, certior factus est, novam illico ad eos classem, quæ confractarum loco amissarumque navium è naufragio sufficiatur, generoque per nuncios dicit, *Bono sit animo, resarciturum se propediem incommoda, quæ passus est, modo veniat incolumis. se namque illi*

Regna hæc relicturum Castellana promittit, ut patriam Neapolitanumque Regnum revisat. hæc & multa præterea, quæ longum esset referre. Valete. ex Valleoleti. v. Calendas Martii, MDVI.

EPIST. CCXCIX.

Quæ ratio absentum quæ nulla est.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

COmputatores hi vestri Regii mirantur, quod miremini, incertos esse reditus vobis in Quæstores Regios assignatos, gemunt suspirantque ob famem pestemque. devastatos populos, exactores omnes vectigalium decoxisse conqueruntur. hinc bene agi vobiscum, ex aliorum pejore damno arguunt, quod male possitis divinis, uti decet, attente incumbere pane deficiente, quod parare vobis aliunde victui necessaria nequeatis; quod tecum agatur, uti moris est, cum absentibus, omniaque tempore mutari lamenteris, decies repetitum est. quod nulla vel saltem parva, de absentibus, in regiis præcipue domibus, mentio fiat, certo certius est. est in natura statutum, ut nova præsentiaque placeant, distantia vero vel invidia corrodantur, vel oblivioni commendentur. At in sera duraque solutione, testis & ego, quanta sit rerum hoc tempore angustia. Laboramus & nos, qui Curiam nunquam deserimus. annua nobis male stipendia persolvuntur. dabitur tamen aliquando solutioni modus. Vale. ex Valleoleti. in Calendas Martii, MDVI.

EPIST. CCC.

Cum fortuna mutantur animi. est in Anglia Philippus ut non liber. dat Regi Anglo Ducem de Suffulch Philippus, quem sub fide tenebat in suo statu Regis Angli affinem suspectum. quid Ioanna Regina diligat.

P.M. A. M. Comiti Tendillæ.

MIratur iste noster Antistes, tibi cor alterum, mutatos esse in eum absentem, animos hominum, laborareque se gregemque istum sacerdotalem inedia, nec sacris, aut choro attente quenquam incumbere famelicum. Hæc illi meo nomine recitabis: tenuis est portio, si aliena manu pusillum id sumendum, si sero exigitur atque truncatum, ejus adscribunt incuriæ. quom namque in summo rerum cardine apud Reges agebat, qui nec digitum ab ejus consiliis discedebant, potuisset amplissima sibi supereminentique è mina reditus istos constituere, exangustavit seipsum gregemque suum. Vellet nunc, ut resarciretur error hoc tempore. differt ab illo in immensum. aliæ sunt rerum vices. de illo aut alio quoquam absente, mentio nulla est. Non audeo ita aperte ad eum ista scribere. si aliquando viderit ab his quos putat amicos, literas blandientes, eundemque aërem afflantes, quo præsentis aures demulcebant, credat esse aërem, qui quacunque ventus urgeat ullus, uti pulvis evanescit, temporibus se accommodet, vel ratione consulente, vel necessitate urgente oportet. De reliquis scitote ambo, Germanam Regis sponsam adventasse. tantam rerum mutationem cuncti admirantur. durum omnibus videtur novas cernere tam repente nuptias, in Castella præsertim, ejus dotalia Regna, quæ vixit nulli par, cujus ossa gens omnis non minus veneratur, quam colebat viventem. Philippus Joannaque Reges adhuc Angliam tenent. tanta fuit eorum direptio in tempestate, quod refici vix queant. Rex Angliæ honorifice eos suscepit, at in hospitii munus petiit à Philippo Rege Ducem de Suffulch, ipsius Regis ex quartą Duarti Regis filia consobrinum, quem inter Geldrenses fugitivum deprehenderat, nomine *Emon de la Pula*, petiit atque impetravit. Fama est, deditum esse. habebat eum Philippus in potestate. Catharina, Joannæ Reginæ soror, ex primogenito Angli Regis vidua, sorori semper adstat, sororem amplectitur, solatur, comitatur. Joanna vero Regina blanditias abnuit universas, tenebris gaudet ac solitudine, fugit omne commercium. Varia sunt de successibus murmura. ex Valleoleti pridie nonas Aprilis, MDVI.

EPIST. CCCI.

Quid universus faciat orbis. Quid sentiat, Gallis spoliatis.

P.M.A.M. Comiti Tendillæ.

QUantus est appetitus iste tuus! Insatiabile jam tibi, Comes Illustris, imbibisti desiderium. Vis ut scribam quæ non aguntur. Ut scilicet quid habeatur extra res Hispanas per terrarum orbem, ex Hispania, quid intra lares quisque suos agant, minime datur intelligere, extra fores autem, nullus est rotantis fortunæ alumnus, qui hac tempestate rebulliat, aut fulgura detegat, ense nudato. Summus tamen Pontifex Julius II. avidus repetundarum rerum ad Pontificiam tiaram

perti-

pertinentium indies magis ac magis in Venetos accenditur, & dentes acuit. Rex Gallus labra in eos una contorquet. Ipsi vero universam videntur Principum potentiam negligere. Maximilianus Cæsar, caprearum venatu per montium anfractus invigilat. Rex Anglus vir sagax, qui pacatissimus in uberi Regno inter maris Oceani fluxus & refluxus ociosus degit, thesauris cogendis sine ulla jam sollicitudine, post habitum à Philippo Rege Ducem de Suffulch incumbit. Turcarum Princeps, confectus gravi senio, atque invalidus sortem; suam lecto jacens transigit. Sophius jam Persarum, Medorum, Parthorumque Regnis habitis, inter Philosophos receptus, novas velle condere Leges dicitur. à distantibus regionibus, longæ ambages. Soldanus Babylonicus, ad quem ego quondam Orator, contentus possessis intra suos limites, Veneri, Bacchoque (ex Mahometica lege) non inimicus, se continet, de futuro minime solicitus. De Regno Neapolitano Ducatuve Mediolani, provinciis celeberrimis, quid vis referam? Serviunt qui quondam Domini ac potentes. nil ultra. spontene, an inviti, vos colligite. Valete. ex Valleoleti. VI. Calendas Maii, M D VI.

EPIST. CCCII.

Commendatitia Moralis.

P. M. A. M. Idem Archiepiscopo.

STatueram nolle ulterius aures tuas, optime Præsul, effundendo preces prolabentibus fatigare. At nova me ratio movit, ut vertam sententiam in supplices. delictum sensi non esse grave. Romerius in Abbatem Albazini tuæ Granatæ urbis tribus, mavis *parrhesia* verba solvit non decentia. Minus illum reverenter ac debuit, allocutus est. scio Abbatem ipsum Licentiatum de Frias, non esse ita Hyrcanum, ut carere velit fructu, qui ex benigna solet clementia colligi. In secundo est Romerius gradu salutis, qui erubuit, & veniam sibi porrigi exoptat. Aëria fuit à ventis illico rapta, hujuscemodi temeritas. Ignoscatur igitur illi, benignissime Præsul, & in pristinum sacri tui pectoris amorem recipiatur, ipsique Abbati reconcilietur. Vale, sanctissime Antistes mi. Legioni, quam dicitis Hispani *Leon*. nonis Maii, M D VI.

EPIST. CCCIII.

Commendatitia Moralis.

P. M. A. M. Licentiato Frias Abbati Albazini Montanæ Granatæ Regionis.

ANimi est non trucis aut immitis à lapsu surgere cupientem serena fronte suscipere dextramque illi porrigere. major namque, uti professio tua theologica fatetur, inter Angelos ob resurgentem à casu animæ unum censetur esse lætitia, quam de nunquam corruptis mille. Romerium igitur ad te cum rubore metuque reverenti venientem (licet inania superbaque verba in te protulerit) suscipito tum meo rogatu, tum ut ignoscendo fructum à misericordia benignitateque merearis; à nobis autem, uti hactenus à literatura, ita nunc ab humanitate laudaberis. Vale. Legioni nonis Maii, M. D. VI.

EPIST. CCCIV.

Appulsus est Philippus Rex. suspicio, an sit servaturus pacta cum socero.

P. M. A. M. Comiti de Tendilla.

OPtati jam tandem gener & filia Ferdinandi Regis ad Hispana litora, Clunium Galetiæ portum amplissimum advenerunt. Rex ubi portum attigisse intellexit, repente movit ex Valleoleti, Palantiamque urbem petit, Carrionio inde, post Sahagonio & Mansilla oppidis insignibus, Legionem regni caput Castellæ veteris, proficiscitur. per diversa diversi proceres ad Philippum Joannamque Reges venientes, relicto Ferdinando, convolarunt. plærique adstant Fernando Regi; nescio quid hodie novi immurmuratur. Philippum fama est pacta non servaturum, si armis Procerum ac suis superiorem se senserit. magnus fovetur ignis, quid futurum sit, ignoramus. Inter utrumque tabellarii cursitant frequentes. ut Deus bene vertat, orate. Valete. Legioni in nonis Maii, M. D. VI.

EPIST. CCCV.

Dissident socer & gener. quid Regina. it Autor Philippo ostensurus male sanum esse, dissentire à socero. Laus Philippi.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

VOs duo Viri optimi, vasto hiatu pacis amatores, vobis consulite, sunt versa in obscurum omnia.

Iam Zephyrus Boreasque truces stimulantibus unum
Torribus accensis, confligere velle videntur.

Pravi consultores novarumque rerum studiosi Proceres. Philippum Regem ducunt persuasum, ne ullo pacto socero credat, ne auscultet, ne illum audiat, ne Joannam Reginam filiam genitori tantum ostendat, ne soceri jugum patiatur, solus regnet. Istis assentitur, & non intelligit, quibus veniat irretitus laqueis. Juvenis est licet mitis, bonæ & magnanimæ naturæ. non est rerum experientia pollens, præsentes illum susurri adstringunt ac præcipitant. Absentium sana consilia excutit, velut aper acuto genuino despumans. stare se nolle fœderibus ictis, aperte jam professus est. ex Asturica, ubi nunc agimus, illum cras adibo, libere illi pandam, quid ei conducat, quidve sit nociturum, quid ab albido nigrum differat, quid à portu placido male fida statio, aperiam. credet arbitror meis dictis, quandoquidem sese mihi ostendit mitissimum, quando Regina ejus socru vivente, Princeps hæreditarius ob uxorem se contulit in Hispaniam. Magno me amore prosequebatur, interque familiares internos admittebat, & audire plærumque à me delectabatur. Nullum ei queo, in tanti muneris benignitate, congruentius obsequium præstare. Meo fungar officio. Deus faxit, ut proficiam. Joanni Fonsechæ, Palentino Episcopo, qui Regis Ferdinandi latus nunquam deserit, consilium hoc meum aperui. Me summopere apud Regem laudavit à proposito. Regi ut hoc exsequar, summopere placet. Hujus ad bonum prona est voluntas. Arma sumere nullo pacto statuit. Quamcunque sortem mavult experiri, quam armis in filios agere. gemit, luget, dolet generi cæcitatem, quod se adire nullo pacto velit nisi armatus & tanquam capistro raptatus. Joanna vero uxor, ut invalida, prægnans ducitur, ut elinguis tacet. confusa sunt omnia. Nemini datur intelligere, unde tam grande malum scateat; licet unde scateat intelligatur, ex impatientia namque societatis in sceptro. Scribo quæ ferveant. si aliud cupitis, aliunde quærite. Ex Asturica. Idus Maii, MDVI.

EPIST. CCCVI.

Non statur fœderibus. quid Proceres. quid Autor cum Philippo. Laus Philippi. Oratio Autoris ad Philippum.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

INgemuisse vos, quod socer & gener non conveniant, scribitis, timetisque, ne si forte socer succubuerit, omnia ruant in præceps. non quia Philippi diffidatis ingenio ac bonitati, sed quia non bene queat dignoscere, ex parva rerum experientia, quibus frenis, quibusve calcaribus, sit hos Proceres indomitos gubernaturus, qui Regibus inter eos natis & enutritis, rabidas sæpe verterint, eversis calcibus clunes, atque ab eis vel invitis regios aliquando census, extorserint. Arguite ut vultis. Nil video desiderabile. superioribus literis, me iturum ad Philippum Regem fui pollicitus. ex Asturica Ponferratam in Galitiæ faucibus situm oppidum insigne me contuli. triduum ibi, an aliqua emergeret in melius immutatio exspectans, commoratus sum. Labi rem in deterius sensi. ad Philippum igitur per Villafrancam, Zebreriumque montem, transito Minio ditissimo flumine Compostellam profectus sum. Inde Clunium, ubi Philippus Rex, cum fornacibus accensis, Emmanuele, ac reliquis dissidia cupientibus pedem fixerat. Adivi, Philippum Regem salutavi. Is putavit, me ad se ivisse eadem labe infectum, qua cæteros. hinc sese mecum (præteriti amoris in me non immemor) in secessu abdito, amotis testibus reclusit, fores custodiente Claudio de Silli, quem consilii mei feceram participem, quia recti erat judicii, ne quis mihi sermonem ingrediens discinderet. Tunc sic exorsus sum: *Philippe Rex, utinam bonis avibus te Deus ex tot maris ac terrarum discriminibus ereptum ad hæc dotalia Regna perduxerit! esto memor, quanto me favore, à legatione mea Babylonica redeuntem anno quo tu Princeps hæreditarius hic eras, susceperis, qua me benignitate sæpenumero compellaveris. Nefas esset me oblivioni tradidisse, quanti & scripta, & res meas alias feceris, sculptum corde habeo, quæ mihi fueris pollicitus, modo viveres, animo fixum sedet. Debeo hinc quantum nec facultatibus, aut vita ipsa, minime rependi queat, persolvere cupio pretium tibi, mi Rex, utilius futurum, si mihi auscultaveris, oblaturus advenio.* Loquendi quæ vellem, copiam dedit, foreque sibi grata, quæcunque dixero, professus est. Tunc ego:

Univer-

Universum terræ ambitum, mi Rex, sub tuis sentire videor pedibus fluiturum, si soceri tui consiliis inhæseris, ab eoque te regi patiaris. si namque tua magnitudo animi, cum istis & ingenii dotibus, & juvenilibus corporis viribus, illius immiscebitur prudentiæ, nil erit sub orbe lunæ, quod vobis obsistat; Quom tot præcipue jam Regna uterque possideatis. At si ab his raptari malueris, qui tibi nunc dissidium hoc persuadere nituntur, rebus suis, non tuæ saluti consulendo; Non intelligo, qualis ab eorum famelicis faucibus sis evasurus, cruentum & in mille frusta lacerandum puto Regnum, quod uxorio tibi jure habiturus es. Consule tibi, mi Rex, dum licet, quales in istorum manibus prisci Reges vixerint, qui se ab eis passi sunt gubernari, in quas illos ærumnas conjecerint, sciscitator. Aliorum exemplo aperito oculos. Hæc ego, & multa præterea. Audivit attentis auribus, auscultavit, mihi gratias egit. plura quam ego dicere constitueram, percunctatus est. Modo perstet, non incassum laborasse, me arbitror. Interea valete. ex oppido Clunio. pridie Calendas Junii, MDVI.

EPIST. CCCVII.

Cur nil grande in humanis. cur nos occupet rerum satietas.

P. M. A. M. Ludovico Santio Regio generali Thesaurario discipulo.

AGebamus paucis ante diebus ex itinere in Galeciam, in urbe Pallantia, meridie, fere ociosi, quando in sermonem incidimus de varietate desideriorum in rebus humanis, à te ipso conjecturam fecisti, qui omni studio, nixu, opera rem aliquando quæsitasti, quæ parta nauseam tibi postmodum non minorem excitasse quam pulliculorum elixorum epulum, febre laborantibus solet afferre, quande sub magni genitoris tui ductu, adhuc adolesceres, grandia posse, qualia genitor, pertractare negocia, te intemperanter optasse fateris. Nunc autem paucorum annorum intercapedine à patris interitu, quibus quicquid magni est, per te agitur, ab ea te cupiditate non minus distare inquis, quam distet ab albido nigrum. Unde in mortalibus tanta scateat animorum varietas, percunctatus es. Accipito quæ sentiam, & hoc primum, in humanis nil grande, quia nil immortale. Nil toto conatu optandum, quia nil incorruptibile, quia brevi, qualecunque sit, interiturum; nil tam dulce, quin in eo lateat cumulatior acrimoniæ mensura. Rerum incommoda priusquam ista, quæ optabilia videntur, assequamur, minime discernimus: latentes inter florentia prata colubras, non intuemur; vepribus circumseptas esse rosas, non intelligimus. Quare primo rerum adspectu pellecti, apertis faucibus, hiatu vasto, ad illas procurrimus. Quando vero allata gustamus, ad interna ipsorum per cognitionem descendentes, ab exiguo commodo, magni ponderis incommodum, ex suavi amarum, ex tranquillo laboriosum & ærumnosum, ex lætitia mœrorem, ex bono denique, quod quærimus, malum prodire, ad nos insilire, impetere, perterrere, perturbare mentis quietem, sentimus. Ex illis namque invidiæ terrores, ambitio, quo magis crescunt, major avaritia, fluctus, procellæ, quassationes animi, pullulant indies magis ac magis. Quare illarum commercio lassi, oscitamus, ructamus, evomimus fastidium, veluti repletis crapula, advehunt. Hinc rugosa nobis ipsis fronte senescentes irascimur. Hinc animus qui se derelictum, sui mancipii causa, cognoscit, suspiriis agitur, gemit, conqueritur. se hac mole corporea circumseptum dolet, tetro se videt ac cœnoso inclusum carcere, nec spes ulla ex inveterata jam, durefactaque vitiorum consuetudine enatandi. libertatis si namque palustribus sese illis sinubus exsolvere conabitur, veluti cathenis & compedibus arctatus, si rumpere vincula contenderit, in deterius, ex concepta labe, corruet, multo gravius premetur. Tu ergo dum per juvenilem licet ætatem, mentem ita fluctuosis istis negotiationibus, quibus jam te saturum esse prædicas, implicator, ne te mergant in profundum, ne te corporeæ mole beluæ pessundent, ne immergant, uti cœpisti à teneris, procedito, suis assiduis dapibus animum cibato, & vitam protrahes nitidam, jucundam, nulla oppressam molestia, uti moris est tui, libris inter negocia, doctorumque familiaritatibus inhæreto. Quicquid tibi temporis à latere Regis, qui te diligit, honorat, de rebus gravibus consulit, superest, id omne, de virtute, sermocinando, disceptando, illius felicem gustum exsorbendo conterito, uti te facere mihi professus es. Mihi inde gratulabor, qui talem sim discipulum & amicum assecutus. tibi gaudebo, qui se beata hic frueris tranquillitate, multo beatiorem futuram exspectas. Hæc pauca nunc à semiotioso me, quom jam apud Philippum Regem deliberata peregerim, accipito. Plura si vixerimus, ad ingenii tui elegantis ornatum habiturus. Vale. ex oppido Clunio pridie Calendas Junii, MDVI.

EPIST. CCCVIII.

Conveniunt socer & gener Reges. discordes abeunt per diversa. fœda de quibusdam Proceribus.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

HEu! heu! quid ultra sperandum? ex Fernandi Regis benignitate erga filiam generumque tanta in Philippenses immanitas ac petulantia emanavit, ut Regem socerum inermem, senem, triumphis onustum, venire semisupplicem ad generum armatum, juvenem coëgerint. Hæc est rei summa. Ipsius nunc seriem habetote. Philippus ex vastarum voraginum consilio, socero in Villafranca Galletiæ exspectanti fieri obvius obviumque ultro venientem socerum suscipere neglexit. ut soceri congressum vitaret, alio divertit. Ex Compostella namque Divi Jacobi tumulo, per Rivadaviam, Lemosque & montium pene inviorum anfractus, iter cepit. Fernandus vero Ponferratam regreditur. Id ubi Asturicæ Marchio & Beneventanus Comes, per quorum ditiones venturum se putabat, intelligunt, redeunti Asturicæ ac Beneventi portas occludunt. O quam fœde fortunam secuti sunt, aperto sua per oppida edixere præconio, ne quis ex incolis Fernandinum quempiam susciperet, nec alimentis juvaret. Horrendum dictu! atrox visu! per villulas Fernandus Rex, heri (ut ita dixerim) fere omnipotens in terris, cum paucis hodie visus est errabundus incedere, nil præter filiæ generique congressum expostulans. post multas tabellariorum concursationes, Oratorum varios contractus, multiplices itinerum diversiones, conventum est tandem, ut in adversis Galleciæ faucibus, qua Philippus & uxor veniebant, inter Senabria rura congrediebantur. Ex Popula Senabriæ munito oppido Philippus, ex villa campestri, nomine *Rio negro*, Latine *Rivus niger*, Fernandus movent. In infelici ruris exigui agello, nomine *Remessal* conveniunt. præcedunt Philippum in conspectu soceri, compositis ordinibus, armati Belgæ, circiter mille. Fernandum socerum, ac si capere illum, abducereque vinctum vellent, circumsepiunt. apparet tandem Philippus, movent alterne. it obvius genero armato ipse inermis. colloquuntur. aspere hostiliterque visus est à longe socerum gener compellasse. ex generi motibus id colligebam. In Populam Senabriæ, gener ad Rium nigrum, & Asturianum oppidulum socer, corruptis animis regrediuntur. pacti sunt, ut Regnis Castellæ Fernandus abeat. nec datum est, filiam videre. Ita jactabundi redeunt Philippenses, quod sui voti compotes sint effecti, lugentes autem & semianimes in tanto facinore Fernandini. ut malum malo addatur, eadem vespera nuncius ad Fernandum mittitur, qui petat ab eo, ne impediat loca, per quæ venturus est Philippus gener, cedatque ipsi venienti. Ita Philippus Beneventum, Fernandus ad Villafasilam digrediuntur. Quid ultra petitis? Hispana quies videtur vos velle deserere. Nescit hic juvenis, nescit quo se vertat, hinc avaris, illinc ambitiosis, atque utrimque vafris hominibus circumseptus alienigena, bonæ naturæ, apertique animi. trahetur in diversa, perturbabitur ipse atque obtundetur. omnia confundentur. Utinam vana prædicem! Ex his arboribus nescio fructus alios colligere. Vos valete. Ex Villafasila Divi Jacobi commendataria. XII. Calendas Julii, M D VI.

EPIST. CCCIX.

Secundo conveniunt & dissentiunt. quid Regina prosit. multa horrenda. Vega laudatur. Dux Albæ.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

UT aliquanto minutius vobis hæc fercula regia scindam, imperatis, quo facilius digerere illa possitis. quid petitis? nisi Joanna, licet inutilis, quia invalida, viveret, media, vel Philippo genero redeundum ad Belgas fuisset, vel Pharsalica strage cruentior esset ista contentio. Certarunt Cæsar & Pompejus, quia non ultra socer & gener sublata Julia, hic ab armis temperatum est à Fernando quia paternus amor tot opprobria ferre coëgit: speravit semper, Philippum intellecturum, quantum distaret ab eo regi, aut ab autoribus Stygiis præcipitari. Fernandum à Vega Galeciæ proregem, vita, moribus & doctrina clarum uterque vestrum novit. Is Orator, atque una Ramon à Cardona Fernandi Regis affinis, ad Philippum missi, Philippo salutis fores aperirent, & mihi, ut ea Philippo referrem, quæ ad vos me relaturum scripsi, consuluerunt. Ipsis namque in oppido Clunio, priusquam Philippum adirem, pectus aperui, quæ me causa traheret, edixi, neque Fernandi à Vega profuit sapientia; neque utriusque prudentia potuerunt, ut Philippus suam vellet perniciem intelligere. ita ducunt irretitum ex Belgis Tisiphoneus Emmanuel, & cæteri ipsius interni necessarii cum negociatoribus Optimatum, ad res perturban-

turbandas missis, capistratum trahunt infelicem. Aliud audite truculentius. en statutum, ut à Regno Fernandus discedat, quod ipse maluit quam armis agere in filios. Datur Emmanueli mandatum, ut paciscatur inter utrumque. Is non venturum se ad Fernandum, nisi Dux Albensis loco sui obses ad Philippum mittatur, qui Dux Fernandum pene solus de tot affinibus, & de ipso bene meritis, nunquam deserere decreverat. Mittitur Dux pro eo obses ad generum. venit ipse ad socerum. plura illi ex concordia Fernandus Rex, majoraque pollicetur commoda quam ex discordia sperare queat. ut eam perturbationem omittat, ut utrumque reconciliet, quandoquidem ita est, ut ejus apud generum sit auctoritatis, & hortatur, & monet. omnia in cassum. nil agit, præterquam de discessu. Fernando à Vega ejus amico veteri, ut det operam, ne Philippus gener eat contra icta fœdera, consulenti, & ex reconciliatione uberiorem utilitatem amico ostendenti, respondit; *Nolle se beneficium ullum, aut gratiam ab Aragonico Rege recipere.* Ita perfricata fronte, re infecta, *nullo se pacto, assensurum* inquit, *ut in Castella moretur.* Discessit. Immanem ejus animum ratione ulla frangere non potuerunt. His ita stantibus, Rex uterque Vallemoleti versus, pedem movit. Tudellam oppidulum à Valleoleti octo millia passuum distans, ad Meridiem, Fernandus habitat; in villa Muzientes, ad milliare tertium à Valleoleti ad Septentrionem Philippus pedem fixit. Quia Joanna Regina & uxor progredi recusavit. Sic statur. successus habebitis. Valete. ex Valleoleti. pridie Calendas Julii, MDVI.

EPIST. CCCX.

Male conclusum inter Reges. de novo Comete.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

SCripsi ad vos, in villa Muzientes, Philippum & Joannam, Fernandum vero in oppidulo Tudella consedisse. à Septentrione alter, alter à Meridie habent Vallemoleti. pactum est, ut se invicem revisant, socer & gener. Est ab Oriente ipsi municipio vallis Oleti villula nomine *Renedo*, ad milliaria tria, dicunt vicini *lequam*. In ejus villæ sacello iterum conveniunt intra sacrum inclusi (Proceribus, innumeraque utriusque Regis familiarium multitudine, foris, rei eventum exspectantibus) circiter horæ dimidium collocuti sunt. generum reperit à consultoribus ita instructum, quod neque ab eo saltem potuit extorquere filiæ, (priusquam discederet) conspectum. Durior Caucasea rupe, paternum nihil auscultavit. minus benigne, ut multis visum est, egit cum eo, qui ei tot Regna cum summo diuturnoque labore una cum uxore paraverat. nil egit, nisi ut iter jam capiat ad hæreditaria Regna; pacti tamen prius fuerant per internuncios, ne illi Philippus Divi Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, Magistratus, dimidiamque Auri insularis partem perturbet, nihilque contra eum in Neapolitano regno moliatur. Quando ne icta fœdera rumpat, nec se objiciat socero, qui eum æque amat ut filium: Quando tutiores esse paternos amplexus, quam ignominiosam istam defectionem, sub promissæ præsertim Concordiæ nomine differebat. Quando libenti animo se discessurum à Castellæ regnis pollicebatur, modo filiam ipsumque bene instructos cum Regni proceribus relinquat prius. Aspidis illi surdas obtusasque aures præbebat. Ita rebus male conclusis ad uxores ambo, Tudellam Fernandus, Muzientes Philippus, regrediuntur. Fernandus Rex se propediem abiturum dicit: apud Joannam ejus filiam ex ipsius mandato manebo. Quibus agitanda sit fluctibus ista navis, non intelligimus. & hoc unum accipite: Euntibus ex Tudella Muzientes versus, continuis tribus diebus, primo noctis crepusculo à fronte crinita sese offerebat nova stella, quæ simul cum reliquis stellarum orbibus fixarum, rotante cælo immobilis occidere cognoscebatur. Fere sub Arctico est; ad Zephyrum tamen apparebat prima vespera. dehinc occidens in dexteram adspectantibus vergebat. ex oppido Tudella stellam prospicientibus perpendicularis villæ Muzientes videbatur imminere. Cometes est, non caprea saltans. Quid portendat, novit Altitonans. Valete. Ex Valleoleti, inter utrumque Regem nonis Julii, MDVI.

EPIST. CCCXI.

Autoris collachrymatio super Castella ob discessum Fernandi Regis. multa Moralia. Laus Philippi. Dux Alba laudatur.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

MIrabimini forsan, cur ita crebras ad vos jam literas dem. exigit regula temporum, ut modo raras, modo frequentes scribamus. Estne torpori locus hac tempestate? Liceat vestræ hujus Castellæ imminentem calamitatem collachrymari: cui non tantum debeo, quia non mihi natalis terra; ut

ut vel unicum verbum ejus causa cogar à vero detorquere. Vixi libens in tuo gremio Castella, dum illa terrarum lucidissima lampas Regina Helisabeth, hujus uxor, dumque is tibi rexit habenas, nunc invitus, mœstus, ac de abscessu cogitans Fernandus tibi cum uxore, ignotam hactenus pacem pepererat. Is partam servare potens erat solus, pace aurium Philippensium dictum velim. non benignitas, non ingenium, non animi magnitudo Philippo deest, rerum caret experientia. Redibis, ô misera Castella, redibis ad pristinam confusionem tuam. quandoquidem tuam abs te animam abjecisti tanto turbine conflictaberis, ut quo te vertas, ignores. Proh rerum humanarum fallax possessio! triginta atque amplius annorum commercio ex his qui Fernandi Regis causa, cum ejus conjuge, tam auxere patrimonia, thesauros congessere cumulatissimos, tum sanguine propinquis. nullus illum non deseruit, præter Federicum Albæ Ducem ipsius consobrinum & Bernardum Roies Deniæ Marchionem. Cæteri partim metu, partim cupiditate, permisere Fernandum incomitatum discedere. Hujus Discordiæ satores, in Scyllam puto casuros, qua se Charybdeam voraginem vitaturos putarunt. Justi namque atque injusti Deum memorem esse scimus. qua lucrum exspectarunt, jacturam forte consequentur. Ducem hunc Albæ ac Marchionem nullus est qui non extollat miris laudibus qui Fortunæ malunt se suaque omnia committere quam Fortunam sequi. Marchio vero se, quacumque Fernandus eat, iturum pollicitus est, in Aragoniam Fernandum comitatur. Lugemus omnes, qui sentimus, quid parere queat ista rerum mutatio. in Valleoleti sumus. Ex Muzientes namque villula, huc se Philippus & Joanna Reges, post Fernandi abscessum (sed Joanna de genitore ignara) contulerunt. Vos valete. Ex Valleoleti. VII. Idus Julii, MDVI.

EPIST. CCCXII.

Quid Philippus. quid fautores. auferunt Galli Claudiam à Principe Carolo, quam ei desponderant. de arcium præfectis. de nocte acta per Reginam in agro Muzientes.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

TUmidi, tanquam ex alto, cæteros homines inspectantes Regnum Philippenses perambulant, quod jam Fernandus eorum cesserit consiliis gloriabundi. At in Philippo nescio quid turbinis videor inspicere. Is conqueritur, quod ex tot Regnorum mole census non dentur, unde suis, quos ex Belgis advexit, persolvere stipendia queat. Quicquid haberi pecuniarum potest, inter se consultores partiuntur; nec minus undique tunditur, quatitur, expugnatur; ut manum aperiat. Multa jam abalienavit, uxore inconsulta, cujus dotalia sunt bona. nihil minus sibi regii consultores capiunt quam possint. Segovianam, Gienensemque ac Placentiam arces Emmanueli jussit Philippus obsignari. Cæteras eodem ordine à veteribus præfectis ereptas suis præbuit. At cum in Valleoleti moraremur, à Rege Gallorum missus Orator, Philippo Regi publice nunciavit, Claudiam ipsius Regis filiam, quam Carolo vestro Principi hæreditario desponsatam, aliquando vobis memoravimus fuisse à Carolo Principe oblatam, occasione sumpta, quod Dominus de Angulemam sit futurus Rex Gallorum, nisi filius Ludovico Regi masculus aliquis nascatur, propterea fore æquius, ut Claudiam is habeat uxorem, ne Gallica potentia per minorem Britanniam Jus ad Claudiam matre deficiente pertinens, minuatur. Hoc nuncio de divortio suscepto, ex Valleoleti Segoviam proficiscebamur, ut ex Marchionis Moiæ, & ejus uxoris Boadillæ manibus, illa tolleretur arx, quando in villulæ nomine *Coxezes*, agro aperto, Regina Joanna perstitit equo insidens, suspicata, ne in ejus villulæ Arce, quam habebat munitam, relinqueretur. Sibi namque id sive ex ingenio suo, sive ex delatoris alicujus verbis persuaserat, ut scilicet vir & consultores, quos oderat, arce aliqua essent eam inclusuri. Integram in agro egit noctem equitans, nec precibus aut minis adduci potuit, ut Villulam ingrederetur. Postero die placuit, ut Burgos urbem peteremus. Civitatem hanc celebrem VII. Idus Septembris ingressi sumus, MDVI.

EPIST. CCCXIII.

Discedit ex Hispania Ferdinandus Rex. febricula Philippum occupat. pœnitenti est animo Philippus, quod socerum amiserit. Laus Marliani.

P. M. A. M. Archiepiscopo.

DE his quæ attinent ad calamitosum panem istum à quæstorum manibus quotannis extorquendum, Hieronymo Matritensi, quem tu Capitularesque tui constituistis œconomum, scribam. Posthac, quandoquidem ipse tuo capitularique nomine, quid

quid facto sit opus mihi significat, & sapidior est interdum, ac molesta minus viva vox quam epistola. De Statu rerum vultis vos qui duo unus estis (ne cadat à cultura dextera) certiores faciam, uti soleo. Fernandus Rex suum iter Neapolim versus prosequitur. Barchinonæ cum valida classe mare conscendit. Onerariis pluribus & multiformibus aliis navibus, fluctus navigat. Ipse tamen sibi familiaribusque internis, triremes subtiles elegit, ut captare terram, pernoctareque in terra sit arbitrium. Philippus vero Rex laborat febricula: ex ludo pilæ, quo delectatur, exortam putant. ad sudorem namque acrem, nudiusquartus lusit, nec donec pori recluderentur, & imbiberetur sudor, accurate sibi prospexit. intemperanter & ad sedandam ex labore conceptam sitim, potasse ajunt plerique. Animi etiam ferunt nonnulli dolore pressum, quod stipendia persolvere non queat suis Belgis; quos per varia rerum discrimina secum advexit. hæc Aloysius Marlianus Philippi & fidus Medicus & prudens consiliarius, addiditque, se vidisse in penetralibus Philippum, oculos cum his verbis in cælum tetendisse: *Va misero mihi! quis in hanc me conjecit ærumnam, ut sub magni Regis nomine mei desint ad victum necessaria? quibus Flandriæ solum Comes, divitias opesque ad cultum, ad copiam, ad elegantiam impartiebar.* Nec desunt qui putent, actorum cum socero pœnituisse. Nescit namque se de molossorum faucibus cervus mitis exsolvere. utcumque sit, æger est. Cæteri Medici parvi faciunt ejus ægritudinem; at eximius hic Marlianus, qui est inter Philosophos & Medicos lucida lampas, qui & Philippi arcana novit radicitus, *se vereri, ne cura Philippo noceant*, mihi professus est. Sum namque illi (quia & ipse Mediolanensis) amicitia devinctus. Interea dum quid hic morbulus pariat, videamus. Valete. Burgis XI. Calend. Octobr. MDVI.

Epist. CCCXIV.

Quid agendum, ut nos honorent homines.

P. M. A. M. Ludovico Mendotio sui Comitis Tendillæ hæredi erudito.

CUpisti semper, ut homines te honore prosequantur, huic & bene vivere credant. quod si vixeris, uti sentis & consulis, si natura igniculum habueris vitæ ducem, si te ipsum audiveris, uti ab aliis tua vis auscultari, quæcunque optas, assequeris, & de te bene sentient homines, & à cunctis honoraberis. Sin aliter, sambucam æmulaberis, quæ aliorum aures suo sono demulcet, ipsa vero concentus ignorat suos. Non mordemur modo, sed etiam à tergo conspuimur ab auditoribus, quando nos aliter prædicare, vivere aliter animadvertunt. Memini, cum adhuc puer essem, audivisse à parentibus, accidisse Mediolani rem hujuscemodi memorandam. Fœneratorem ferebant quendam pulpitarios corrupisse sermocinatores, qui populo persuaderent, ne quis vicinos usuris premeret, ne pecunias magnifacerent, ne se vinci à pecuniis paterentur; pauperibus, orbis, viduis succurrerent, auxilio essent Dei ministris indigentibus, pecunias profunderent. Quum vero ad unguem radicitusque resecata res est, dilacerator ille, duo nefanda scelera sub eo tectorio honestatis pietatisque uno cogitasse, repertus est. Ex aliorum ipse liberalitate, callido olfactu, qua pecuniæ præbebantur, intelligens, astu, dolo, fraude, ab innocentibus illas hac vel illac extorquebat. Dehinc cum cæteri pulpitariorum, minis, æterni damni pœna proposita ab usuris deterrerentur, solus ipse per usuras, quicquid auri, quicquidve argenti, in tota urbe reperiebatur (sed inglorius, sed ab omnibus fama dilaceratus) absorbebat. Erimus & nos infames, & per hominum ora odiosi volitabimus, nisi orationi nostræ consonæ operationes responderint. Sic igitur operator, ut sentis, ut aliis consulis, & gloriosus vives. Vale. Burgis. XI. Calend. Octobris, MDVI.

Epist. CCCXV.

Quid Medicus cum ægrotis debeat observare.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Belecensi.

LAborare te febribus, & capitis anxia gravedine renunciatum est. Nihil est quod magis displiceat. angit me quidem languor tuus. at cum esse apud te intelligo Aloysium Medicum eximium, levor omni cruciatu animi. Spero fore, ut cito ab utroque morbo liber evadas. quia præditum scimus, ornamentis omnibus, quibus eximius constare potest medicus, ingenio utpote, literis, & experientia, gravem etiam ac diligentem audio, deliberare mature, exequi non præcipitanter, quod agendum sit in præbendis remediis. periculosumque namque est obviare illico naturæ operanti. Interroganti etiam mihi de ordine ipsius, per pharmacane, an ciborum accommodata observantia, morbos

regat, abstinere illum à præbendis pharmacis, quoad fieri potest, allatum est. Laudatissimus est in Medico modus iste. Consilium prosequatur, illi suadeto, & agenti credito, & libereris propediem. Vale. Burgis. XI. Calendas Octobris, M D VI.

EPIST. CCCXVI.

Moritur Rex Philippus. proclamatio Autoris, de sorte humana. cum Philippi laudibus.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

EJa agite, Sapientes duo, confidite blanditiis, & magnis rerum humanarum pollicitis, eja, referamne? an conticebo? periit Philippus Rex. Philippus ille, qui jam sibi animo totum orbem absorbere videbatur, maternum æmulans avum. Octavo Calendas Octobris animam emisit ille juvenis, formosus, pulcher, elegans, animo pollens & ingenio, proceræ validæque naturæ, uti flos vernus evanuit. Nil profuit, genitorem avumque Romanorum Imperatores habuisse. tantorum Regis ac Reginæ generum sustulit è medio tenuis febricula ex insperato, in ictu oculi obiit. Regina illi laboranti semper affuit, sive immoderato dolore præpedita, sive quod jam non sentiat, quid sit dolor, lacrymam vel unam emisit nunquam. Mortuum familiares ejus more Belgico noctem integram super structo in ingenti aula tabulato, preciosis vestibus ornatum, & auleis circumseptum, ac si vivus in regio throno jaceret, servarunt. His & nos Reginæ familiares affuimus; innumera religiosorum diversi habitus, adstante caterva, quæ sacra per noctis vigilias flebilia decantaret. Sole adventante, abstulerunt è tabulato cadaver, ut illud eviscerarent, & condirent aromatibus. Ita duobus accitis Chirurgis, ab imo ad summum aperuerunt universum, suras, femoraque, & quicquid erat in eo carnis, vulneratim, ut emuncto sanguine serius putresceret, exsecuerunt. Cor evulsum, ferunt se in patriam ad ossa majorum ejus, aurea pyxide inclusum, allaturos. dissolutis compaginibus capitis, educto cerebro, & scisso utero, ereptis intestinis, cadaver postea (sed calce prius & aromatibus fucatum, deficiente balsamo) consuerunt, vittisque lineis ceratis membratim adstrictum, per singulas commissuras in feretrum locarunt plumbeum, lignea cassa superaddita. Id exsangue corpus in cœnobio de Miraflores, ab ipsa urbe Burgensi stadia circiter quatuor Carthusiensis professionis, nunc est sub nomine depositi reconditum; sed testamento legavit, ut isthic apud vos Granatæ cum Regina Helisabeth socru tumuletur. Valete. Burgis. IV. Calend. Octobris, M D VI.

EPIST. CCCXVII.

Quid statuat socer, generi audita morte. de Gibraltaro municipio cum Duce Sidonio. de Regni regimine. quid proceres. Valentinus evadit è carceribus.

P. M. A. M. Archiepiscopo & Comiti.

DIstuli ad vos scribere, quia defuit nuncius, qui post Philippi Regis obitum ad vos proficisceretur. Nunc quid curæ habeamus, accipite. est in mari Lugustio à Genua urbe circiter viginti millia passuum, portus qui dilacerato nomine ab incolis *Portufi* dicitur, Latine *Portus Delfini*. Ibi in anchoris stanti Fernando Regi, pridie nonas Octobris, nuncius de Philippi generi morte allatus est, per cursorem missum ab Aloysio Ferrerio viro Valentino equite grandævo à Fernando, cum discederet, relicto, apud generum Oratore. Indoluit non parum, aut indoluisse visus est. gener erat amatæ filiæ maritus; cœptum iter tamen prosecutus, Neapolitanum in Calendas Novembris captavit portum; cum ingenti applausu populi susceptus est. Scribit, se illic ad Regni statum componendum, creandosque novos Magistratus, ac Regni Leges reformandas, dies aliquot moraturum, se tamen de reditu in Castellam esse sollicitum. Nobis autem nova vox exorta est, audito Philippi obitu, Medinæ Sidoniæ Dux, Gibraltarum in coronæ Regiæ dedecus, armatus obsidet, quatereque tormentis parat. à Regina chirographa petuntur signata, quibus vicinis imperetur, ut laborantibus Gibraltarensibus succurrant, Ducemque illum solvere obsidionem cogant, regiam injuriam propulsent. ab ea neque chirographum, neque verbum ullum extorquetur. Ex fenestella Toletanum Archiepiscopum cæterosque Principes remedia poscentes audit, at non illis auscultat. nulli adhuc tabellæ manum imposuit, præterquam de solvendo cantoribus Belgicis stipendio, quos solos admisit ex Philippensibus in familiam. musicis namque modulis delectatur, quam artem à teneris ipsa didicerat. His ita consideratis, sumpsere Regimen universum in se cum Toletano Archiepiscopo, magnus Comestabilis, alteri vestrum amitinus, & Naiaræ Dux, factionum Hispanarum, *Ognez & Gamboa*,

Gamboa, primaria capita, uti apud Italos insanæ, detestabiles ac Tartareæ appellationes *Guelforum* & *Ghebellinorum*. Hanc urbem una pari gressu percurrerunt ambo, Toletano domi relicto ob auctoritatem sacram, ne quis tumultus oriatur, studuerunt. Inania hi quædam statuta confingunt. neque enim de Proceribus quispiam est, qui alii parere subjiciique patiatur. Sic vivitur, beneficium exspectamus divinæ Providentiæ. Fernandus apertis visceribus à bonis desideratur. Is nisi redierit, ruent omnia. Est aliud quod vobis significem, licet extra aleam sit hanc. Cæsar Borgia Dux ille Valentinus fratrum Alexandri Pontificis nepos, qui universam aliquando Italiam suis armis, & petulantia deturbabat, ex arce Methynnæ Campi, ubi captus tenebatur, evasit. Solutum præfectus illum servabat, à mœnibus arcis, per funes se demisit, ad Beneventanum primo Comitem confugit. Inde transiliit in eam Cantabriæ partem, quæ *Navarra* dicitur, ad Regem ipsius Navarræ, cujus sororem, vivente propinquo ejus Alexandro Pontifice, cum titulo Ducatus Valentini, abjecta rubra tiara, in Cardinei honoris dedecus, uxorem fuerat assecutus. nil aliud fervet in hac olla. Valete. Burgis x. Calendas Decembris, MDVI.

EPIST. CCCXVIII.

Ioannæ Reginæ vita. quid de Antisteis vacantibus. quid de Rege Fernando.

P. M. A. M. Michaëli Perez de Almacam, magno Fernandi Regis Secretario.

SCio innumeros esse, qui tum adulandi, tum alio tendendi gratia, scribunt quotidie ad Regem, quæ libeat. propterea fuit consilium, ad omnem assentationis suspicionem tollendam, hæc ad te pauca, non ad Regem exarare. Haud aliter Fernandi Regis adventus ab Hispanis (paucis exceptis seditionum amatoribus) desideratur, ac sicca tellus dicitur à Philosophis imbres appetere. In præceps eunt omnia. nisi properatis ad nos venire. Miseretur filiæ Reginæ, quæ gravis utero vidua relicta, minime negociis, ut ipse pater novit, exercitata, vitam ducit infelicem, tenebris & secessu gaudens, dextra mento infixa, atque ore clauso, ac si esset, elinguis, nullius commercio delectatur, omne præsertim fœmineum genus & odit & abjicit à se, ut viro solebat vivente, ut chirographo tabellæve ulli, ad rerum gubernationem, dextram imponat, nullo modo potest adduci. De sede vacuis Antisteis, Placentina utputa, Segoviensi, Ovetana, pluribusque aliis non parvi momenti rebus, quando urgetur, ut summo Pontifici supplicet, quos velit assumi, respondet; *Se genitorem exspectare, qui merita novit ac mores hominum.* repetentibus, ut conjectet, exoriri solitos mille errores, multasque animas deperire, nisi cuique gregi pastor adscribatur, inquit; *gravius fore arbitror, si pastores gregibus regendis minime aptos elegero.* Nil ultra potest ab ea extorqueri. De solo patre mentio. hunc cupit, hunc viduitatis & invaletudinis suæ futurum solamen exspectat. Ut ad patrem scribat invitata, *nolle se tantum laborem genitori proponere* dicit, *ut terrarum marisque tam vasta discrimina sui causa subeat.* Hujuscemodi sunt ejus colloquia rara. Venite, & Regna hæc de luporum faucibus, qui jam rabiosis dentibus dilacerare cuncta cœperunt, eripietis. Valete interea Burgis. III. Calendas Decembris, MDVI.

EPIST. CCCXIX.

Significativa de statu rerum.

P. M. A. M. Catholico Regi Fernando.

STatueram tuas aures, Catholice Princeps, meis literis non fatigare, quia tantarum rerum pondere pressum Regem, lecturum attente quæ scriberem, minime posse putabam. At aliquorum ambitio, aliorum ad aucupandam gratiam adulatio, variæque in hoc tanto rerum turbine opiniones, in quo alii fabellas innectunt, alii sub specie recti venena conspargunt, plærique non quæ rei conducunt, sed quæ sapiunt, operantur, vel negocia invertentes, aut de necessariis aliqua prætereuntes, mutare consilium, me coëgerunt. Quare mea erga tuam Majestatem integritas, ei notissima, illam à longe hortatur, ut tanquam à rabida peste, à plærisque caveat, qui præter cæteros errores, in quos cadunt, hoc pestiferum immiscent, ut se rei proficere arbitrentur, quando argumentis se velle ostendere inquiunt, horum Regnorum regimen ad Majestatem tuam attinere. In ambiguum hisce cavillationibus locant, id quod est sole clarius & aëre patentius. Quid opus est in controversia statuere, debeatne Fernandus Rex, an Maximilianus Cæsar hoc sibi sumere gubernaculum? quis tam iners est? quis tam hebes ingenio qui non intelligat, quantum distet à patre, an à socero, pupilli patrimonium debere gubernari? non modo hisce motoribus

non agat, aut referat gratias, immo imperet (si bene consultum iri rebus exoptat) ut hæc agitare desistant. Est jus tribuere, est arguendi causam præbere malevolis, est in dubio ponere quod dubio caret, si (ut sæpe retuli huic Ludovico Ferrerio viro probato, qui tuam hic apud filiam Majestatem refert) inanes horum dissidentium cogitatus deriderent. Si catellorum latratus floccifacerent, conatus omnes eorum infringerent, & à semetipsis à cæcitate, qua merguntur, rubore suffusi deciderent. Scio quid me moveat, cur hæc audeam non invitatus scriptitare. audio, video, sentio, quanta sit aliquorum temeritas. Vidi tuæ Catholicæ Majestatis literas, quas ostentant gratiarum activas. Pauci sunt ad quos ista scribi mereantur. Arbitror ænigmata hæc tuæ Majestati fore non obscura. Patentibus valvis fores omnes adventanti tuæ majestati aperientur, non portæ, non mœnia, non janua, non ostium obstabit. quia nullum est aliud dare medium. quia solum in tuæ Majestatis adventu remedium; à bonis, qui pacem exoptant: à malis, quos necessitas dissidiorum cogit, exspectatur. Quam libere semper tuam sum allocutus viva voce Majestatem, tam libere nunc statui absens calamum solvere. Plæraque scripsi ad eum, qui tuæ Majestatis novit arcana, Almazanum dico; illum Majestati tuæ recitasse arbitror. Propterea non ero longior, ne felicissimas istas aures longiore fastidiam oratione. Ergo valeat tua Majestas. Burgis. VII. Idus Decembris, MDVI.

EPIST. CCCXX.

Quid respondeat interrogata Regina. quid Pontifex. quid Gallus pro Bononia. Prognosticon de Bentivolis.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

RES nostræ in vepribus habitant, nil mutantur in melius. Regina prægnans relicta, & vidua & invalida, solitudinis amica, domum semotam ab hominum commercio campestrem *de la Vega* dictam adiit. Quam ad stadia circiter decem ab hac urbe Burgensi pater hujus Comestabilis amitini tui ad æstivas sibi delitias, inter sata nemora construxerat. Ibi moratur; ut provideat, ne Regna hæc hæreditaria ruant, monetur, rogatur, oratur ab Optimatibus quietem optantibus. Iri perditum omnia, perturbari, accendi protestantur. ipsa vero arguit, *se ex viri amissione, ex pondere ventris, ex valetudine, ex patris absentia nequivisse hactenus negociis incumbere: at operam daturam imposterum, ut rebus una cum ipsis consulatur.* Inquit, *propterea patrem venturum, qui & sciet & volet cuncta dirigere.* ad hæc usque verba integro videtur esse sensu; at, quod ad genitorem scribat, quod dextram ulli Chirographo insigat, absurdum est ac supervacaneum instare. *Se non audere ad patrem scribere, ut propria Regna deserat, aliena gubernaturus, ut à quietis pacatisque veniat ad perturbata & ita direpta, ut nullo pacto sine magno labore jam queant resarciri, se nolle* inquit cum reverenti pudore, *genitorem fatigare*; ut Proceres tamen Senatusque à seipsis id scribant ad Regem, supplicentque illi ut veniat, suadere videtur. In his versamur. longa Pacis consuetudo, atque hinc spes, inde timor efficiunt, ne undique conflictemur; à Rege autem, crebro literas recipimus per tabellarios, qui dispositis equis frequentes eunt redeuntque; *propediem se venturum* pollicetur. De summo Pontifice Julio II. fertur nescio quid, de repetenda Bononia, Bentivolisque ejiciendis, quod jam non sint dicto parentes, Pontificiaque abutantur autoritate. Gallorum Rex suppetias Pontifici se laturum in Bentivolos fertur promisisse, moverique jam utriusque exercitum, ad provinciam capessendam fama est. Casuram domum illam Bentivolorum florentissimam, peregisseque jam cursum Fortunæ suæ arridentis, multi suspicantur. Interea dum quæ succedent aut jam apud eos successerunt, habeamus. Vos Valete Burgis. XIV. Calendas Januarii, MDVI.

EPIST. CCCXXI.

In discrimine Gallus exercitus in agro Bononiensi. de promissis Card. Aragonii.

P. M. A. M. Alfonso Troyæ Protonotario & Subdiacono Apostolico, amico.

EX urbe Bononia scribis parum defuisse quin Gallorum exercitus funditus interierit, soluto per Bononienses Rheno fluvio, qui Bononiam interluit, per planitiem urbi adjacentem, ubi castra metabantur, data fuit illis gratiosa discedendi venia. Scripsisti una, Ludovicum Aragonium Cardinalem mihi, dum in Hispania versatus est, discipulum, omnem operam suam si quid rei acciderit, quod mihi sit conducturum, fuisse pollicitum. Tunc generosi Principis officio functum prædicabimus, quando dictis suis, meisque in eum obsequiis facta responderint, quod haud aliter fore existimo. Vale. ex Burgis. XI. Calendas Januarii, MDVI.

EPIST.

Epist. CCCXXII.

Gratiarum activa.

P. M. A. M. Ludovico Aragonio Cardinali.

ALfonsus Troya Subdiaconus Apostolicus scripsit ad me, sublimitatem tuam animo esse erga me, qualem decet erga fidos asseclas, regio sanguine ortum potentemque Principem, nil non meditatum, aut novi retulit, quod summus noster Pontifex Julius II. de quatuor oblatis supplicationibus pro beneficio Reneræ Toletanæ diœcesis, eamque meo nomine suæ suit sanctitati porrecta, ferri ad Datarium jusserit, cæteris rejectis, gratiæ sunt ejus Sanctitati agendæ. Obnoxium ab hac die perpetuoque dicatum, dum vixero, ex ea de me opinione sua Sanctitas comparavit. Burgis. xi. Calendas Januarii, MDVI.

Epist. CCCXXIII.

Quid Rex cum Angiovinis in Regno. de Regina. de Principe. quid Proceres adversi Regi. de Cesare. Papa ejectis Bentivolis Bononiam recuperat.

P. M. A. M. Suis Archiepiscopo & Comiti.

VIx bene terga verterat cum meis literis ad vos tabellarius, quando à Rege accessit alter, per quem Rex se venturum denuo pollicetur. Plures ad eum Itali Principes ivere, cæteri per Oratores illum reverenter salutarunt. Servat, quæ cum Gallis jecerat fœdera, de recipiendis in Regno Angiovinis ejectis: licet fieri id non queat, sine suorum, qui de Gallorum manibus Regnum eripuerunt, ingenti jactura. Res hæc illum vehementer implicat. Filiæ vero Joannæ Reginæ tenor est idem. Non desunt, qui persuadere illi nitantur, ut vel Maximilianum socerum vocet: Aut Carolum filium Regnorum hæredem duci debere ad Regnorum regimen, ut eam à regendi levent sollicitudine; quandoquidem vidualem velle servare secessum, est animo fixum. His acute breviterque verba hujusmodi respondit: *Carolus hæres meus, quia è maribus primogenitus infans est, necdum Regno aptus. Maximilianus vero Cæsar socer, suo implicitus, Imperii nequit molem deserere; superaddito præcipue regendi patrimonii mariti mei ejus filii pondere. At si venire per alia negocia liceret, Regnorum tamen meorum regimen, haudquaquam calleret, quæ genitori sunt notissima; qui ea mihi cum summis laboribus & vigiliis comparavit partim, partim deperdita restituit.* Nil diceretis esse hac fœmina sapientius, si ejus extemporanea responsa audire daretur. Sed si ad signandam ullam pro rerum statu tabellam obortis etiam lachrymis supplices deveneritis, frustra laborabitis. De cæteris autem rebus hæc habetote. Hisdem fere diebus, quibus Rex Neapolim ingressus est, Bononiam summus Pontifex Bentivolis ejectis habuit in deditionem, veruntamen cum Gallorum suppetiis; qui à Pontifice in auxilii præstiti mercedem; dura quædam, ut ajunt, pacta efflagitarunt; sex utputa rubros galeros, Gallis Antistitibus præbendos; Novam in rebus Mediolanensibus pragmaticam, qualem alias in Gallia universa præteriti Reges fuerunt assecuti; quod legatio rerum Gallicarum Cardinali Rothomagensi assignetur, dum ille vixerit. Sint à Pontifice cuncta hæc habituri, nec ne, non est nostrum quærere. sit satis. Bononiam Pontificiæ tiaræ reddidit. Bononienses ut se à Gallis (qui jam tormentis à planitie urbem quatiebant) exsolverent, Pontificem illico portis apertis susceperunt: hac tamen lege ne Gallorum in urbe quispiam admitteretur. Bentivolus jam confectus senio, à dulci patria, cui tot annos imperitavit (visu miserandum) cum omni familia in exilium missus est. Domus ejus direpta, diruta, eversa. Ita vivitur in infelici Italia. Bellis modo à prora per Gallos, modo à puppi per eosdem, & Hispanos ab utero, modo per suosmet alumnos conflictata. Vos valete. Burgis. xii. Calendas Januarii, MDVI.

Epist. CCCXXIV.

Exhumat Regina mariti corpus. quomodo eatur cum feretro, & quo.

P. M. A. M. Suo Archiepiscopo & Comiti.

NUgis agimur, rodite nugas. Scripsi alias ad vos, Philippi Regis corpus exanime, in cœnobio Carthusiensi de Miraflores, sub nomine depositi, fuisse reconditum. Id Regina relicta vidua inquit, *velle se maritum ad statutum, ab eo moriente, sepulchrum ad vos Granatam, adducere.* It ad mariti tumulum, ut à tumulo pheretrum extrahatur, imperat. obstant cucullati Carthusienses. Instat Regina, *velle se mariti corpus tollere.* Supervenit Burgensis Antistes; Vetitum esse Legibus, & Philippi testamento, quod ipsa velit, Reginæ proponit. Intra semestre, cadaver ullum moveri à deposito non licere, arguit.

guit. In furias illa concitatur, pervicacissimeque suis familiaribus, nec sine minis, ut sepulchri fornicem aperiant, pheretrum educant, imperat. Ulli Proceres, aut Antistites, ab eo instituto divellere illam nequiverunt. Non ultra obstandum, ne forte præ rabie, quem gestat utero fœtum, abortum ejiciat, fuit sententia. XIII. Calendas igitur Januarii maritum exhumavit. Intra plumbeam capsam, lignea superaddita, locatum vidimus, Oratores qui aderant, à Pontifice, Joannes Ruffus Episcopus Britonoriensis, à Maximiliano Cæsare, Andreas Burgensis, & à Catholico Fernando Aloysius Ferrerius, & ego cum Antistitibus quatuor, Burgensi, Giennensi, Malacensi & Mindoniensi, quos, aperta utraque capsa, vocavit, ut mariti corpus recognosceremus: nil vidimus præter hominis quandam formam jacentem, nec an facies hominis esset, bene dignoscebatur. Vittis namque ceratis involuta erat, & spissa calce consucata, ex gypso caput confectum inspicere nos putabamus. Ita illitum aromatibus & calce, familiares ejus ipsum humaverant reconditum. In curru quadrijugi (quem quatuor equi sonipedes è Frigia ducti, vehunt) asportamus. Auro & serico Regio cultu ornatum, eminens pheretrum comitatur. in Turri Cremata oppido Behetriali insigni in itinere medio ad vallem Oleti, pedem fiximus. Processura sit, priusquam pariat, necne, ambigimus. In templo municipali, ac si hostes adessent, mœnia concussuri satellitibus armatis, cadaver custoditur. Ne qua mulier introeat, accuratissime servatur. uritur namque misera Zelotypia eadem, qua cum maritus viveret, cruciabatur. Solennia Sacra quotidie cum funerali pompa non inferius exercetur quam si nuper interiisset. Itidem qualibet vespera fiebat, quando viatores eramus, nocturnæque custodiæ locabantur. Hæc nos versant negocia. Vos valete. Ex Turri Cremata IX. Calendas Januarii, MDVI.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS.

Epist. CCCXXV.

Amica suasio de tristi ministerio funerali.

P. M. A. M. Joanni Ruffo Episcopo Britonoriensi, Apostolico Legato.

ACcingis te, inquis, ut ad nos venias. Institutum tuum tres tibi deditissimi laudamus. Sunt interea nobis epistolæ tuæ, licet macerrimæ, refugium nocturnum, ad triste pheretri Philippi ministerium, cui armatis satellitibus commixti, per dispositas vigilias, vicissim excubamus, perpetuo fumo funalium ardentium colorem nobis Æthiopem coaptavimus. sæviret in omnes Regina, si à dato nobis ordine sepiendi maritum discederemus. Vale & veni. ex Turre cremata. VI. Idus Januarii, MDVII.

Epist. CCCXXVI.

Suasiva de Adventu Rufi legati ad Curiam, & propositio oblectationum honestarum.

P. M. A. M. Eidem Joanni Ruffo Legato.

MAlacensis ac Mindoniensis Antistites, & ego, qui Reginæ adstamus, videmur nobis sine spiritu, animaque vivere, quia hic oppidamur sine te. Quid Burgis incomitatus agis? cui nihil otio solitudineque horribilius. Aëris forte, qua urgemur, intemperiem exhorres. Non opprimit hæc, tantæ dignitatis viros, contagio. Plebem tabes hæc, sicco pede perambulat, hospitium tibi habeo per metatos præbitum, oppido ubi agimus consonum, non negligendum tamen. Suboppidanum præterea rus tuæ meæque familiæ ad supplementum lectorum assignatum, habemus. huic est nomen *Cordubilla*, non distantius ab oppido decem stadiis. Deambulatorium amœnum, inter amnes duos situm, Arlancam & Alarconum. Proh quam sapidas fluviorum ripas, quam umbrosa delectabilia ilicea nemora, & venatu apta, & quo lignatum nostri proficiscuntur muliones. eo animi gratia divertemus aliquando. constans namque fama est, Reginam hic pedem fixuram, quoad fœtum emittat, & se à partus angustiis reficiat. Virentia hic etiam tibi prata, benignis irrigata fluminibus, offerimus. Coëunt namque paulo infra Cordubillam prædicta flumina, & Turrim Crematam uno alveo perlambunt; violis, prateisque aliis diversis floribus inter dumos passim jam hoc Januario mense colligimus. Veni ergo, & nos tuo commercio beabis. Vale interea. ex Turre Cremata. II. Idus Januarii, MDVII.

Epist. CCCXXVII.

Iocosa de Musis & furatis perdicibus.

P. M. A. M. Eidem Joanni Ruffo Legato.

DIanam auxilio magis quam favore Minervam, tibi affuisse inquis. quia perdices ex tuo captu ad nos miseris saginatas, epistolam autem dederis incomptam. Sphingeum ænigma non capio. OEdipo esse opus cœlestium penetralium indagator Malacensis, Mercurio Mindoniensis acutior, atque una Martyr tuus, obtuso plumbo hebetior, adjudicamus. Volucres namque Dianeas quas polliceri videris, nullas, epistolam vero cultissimam, sed equo Gallatii Alcantarensis magistri, viridem apicem somniantis, strigosiorem habuimus, nil est illo equo macilentius, nil tuo epistolio brevius. Quid autem palato nostro gustandum præbeas, non intelligimus, ni forte Mindoniensis ingluvies immoderata illos fuerit suffurata. rapto namque vivit. Suspectum nobis illum quidam subtecti risus faciunt. Vale, & te ipsum jam, non Dianeas volucres nobis præstato. ex Turri Cremata. Idibus Januarii, MDVII.

Epist.

EPIST. CCCXXVIII.

Vanus frater Reginæ, suscitatum iri aliquando Philippum, persuadet.

P. M. A. M. Eidem Joanni Ruffo Legato.

EX duobus cucullatis fratribus Mirafloranis Carthusiensibus, qui Reginæ jussu, nobiscum exanime Philippi corpus comitantur, alter à priore est lævi sicco folio levior, licet aqualiculo sexquipede Matone corpulentior, & Terentiano milite gloriosior. is Reginæ, ut gratiam ejus aucuparetur, propositum de celebrando perpetuo mariti funere laudavit. Is *se legisse* inquit, *post quartum decimum ab interitu annum, Regem quendam à tumulo surrexisse*. Sperat Regina hujus vani hominis verbis infantilibus persuasa, rediturum ad superos virum Regem. ita blacteronis cucullati sermo, illius insedit pectori. His agimur nugis, & una vigilanter busto (quod extra nugarum est aleam) adstamus. Vale. ex Turri Cremata. Idus Januarii, MDVII.

EPIST. CCCXXIX.

Duos Episcopos & se vocat Autor Triumviratum. nequit Regina divelli à loco tabido, de gravi peste.

P. M. A. M. Eidem Joanni Ruffo Legato.

EX Triumviratus tui mutata sententia, nullo pacto ad nos venias, aut siste: aut si propior nobis esse cupis, Palantiam te confer, vel ad castrum Cæsaris vicinius. Pestilentia falcem in nos jam tendit iracundiorem. accenditur indies magis. nec mendacis cucullati, qui mortuos Reges suscitat, Yarcimenta, nec nostri Malacensis, cujus est apud eam autoritas, blanditiæ, vel Ludovici Ferrerii, qui Fernandum Regem patrem refert Orator & rector, consilium, quicquam operantur. hinc evelli haudquaquam potest. Illi atque nobis una timemus. Toletanum Archiantistitem, Comestabilemque cæterosque Proceres discessum è tabido loco suadentes, nihili pendit, nullius viventis verba auscultat. Quid sors latura sit, exspectamus. Latronem tuarum volucrum deprehendimus, has Mondoniensis vastus hiatus inglutivit. Jocosum se fuisse lepidumque, quod nos tuo munere spoliaverit, gloriatur; nos latrocinio arguimus. ex Turri Cremata xv. Calend. Februarii, MDVII.

EPIST. CCCXXX.

De lepore ab aquila interempto, & à pastore capto, jocosa & allusiva ad Papam pastorem.

P. M. A. M. Eidem Joanni Ruffo Legato.

NUllum unquam donum hoc tuo fuisse lepidius scribis, quia per multas excitaverit turbulas; non ortygiis volucribus tuis, quæ ad nostrum, ut inquis, oblectamentum, capi putarunt, sed Mondoniensi ingurgitationi omnes gratiæ debentur, qui sibi natus, nunquam partitur amicos. Tu vero à me pro verbis, palato sapidam quadrupedum, Bilbilitano vate judice, gloriam, accipito. Hanc Jovis ales æthereâ plaga delapsa, uno alarum verbere stravit, necdum discerptam ex uncis unguibus, semianimem oblatus Opilio, rapuit. tibi ergo qui mortalis Jovis pastorum Principis, refers potestatem; jure merito servatum, pastoris auspicio gloriosum pecus habeto, ut spacio dierum septem, licet ille Marcus Martialius non sis, formosior efficiare, quod te Pallantiam, ubi agunt; & Regii & Inquisitionis hæreseos Senatores, iturum putes, laudamus consilium. Proficiscar & ego illuc propediem, quia majori indies obruimur discrimine, ob lethalem pestem, quæ coalescit. Vale. ex Turri Cremata XII. Calendas Februarii, MDVII.

EPIST. CCCXXXI.

De dissidiis Procerum Ognez & Gamboa in Curia. de spe adventus Regis. de Rege Navarra & Comite Lerini.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti Tendillæ.

SI forte aliquos armorum strepitus audivistis, ne perterreamini. sedata sunt omnia. Utriusque factionis scilicet Ognezinæ & Gamboinæ principes, Dux Nagiaræ, magnusque Comestabilis, tumultum excitaverant; verba inter utrumque gravia interciderant, arma capere incipiebant, confligere invicem in hoc, ubi Regina moratur, oppido, parabant. Ita præcipites ira trahebantur. Missi à Regina plærique Senatores, qui forte aderant, Marchioque Villenæ, Uruennæ etiam Comes sese medios injecere. Utrumque adierunt, priusquam certarent. pacarunt eorum animos. De negociis autem nulla mentio. Reginæ digiti eodem concreti sunt torpore, signare quicquam recusat. Arguit nolle

nolle incipere, unde cogatur prosequi ad genitoris adventum cuncta remittit. Rex vero spe nos inani replet. Scribit namque se venturum quotidie. Salutiferi adventum Medici desideramus: venturum tamen ut Reginæ laboranti, Regnisque his prope ruentibus subveniat, in quibus est enutritus, multi arbitrantur. Alii magna suorum veterum, & Neapolitani recentis Regnorum mole pressum, implicari putant, nec rediturum ultra credunt. Ipse tamen post filiæ partum, quæ XIX. Calendas Februarii natam peperit, inter gratulandum in hæc verba de adventu suo scriptitavit idiomate vestro. Quando non meditabimini, vobiscum erit tabellarius, qui vos de meo discessu certiores faciet. Accipimus, quæ dedit, nequimus aliud. Extra hæc, scitote Regem Navarræ, quæ pars est Cantabriæ constituisse funditus evertere Lerini Comitem, ut Regni perturbatorem, arma jam in eum movit. Incursionibus se invicem prostrant. quæ inde referentur, habebitis. Allatum est etiam Genuenses, nobilibus ejectis à Gallo Rege defecisse. Sibi ipsi ruinam adstruit misera illa Civitas. Hic laboramus aëris intemperie; pestis horrida nos urget, nec ullo potest hinc pacto Regina dimoveri. Deus bene vertat; ejus dextra quæ nos tueatur, indigemus. Vos valete. ex Turre Cremata. XII. Calendas Frebruarii, MDVII.

EPIST. CCCXXXII.

Quomodo vehatur Philippi corpus. dispersi familiares. Quid pravi consultores. imitatio status.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

SAlomonem, qui sibi Antonomasice *Sapientis* nomen vendicavit, sua fefellit opinio. Interrogatus namque *quid est*, *quod præsens est*, *quodque futurum.* Respondit, *idem esse quod fuit hactenus*; fuisse hactenus, quod nunc ipsi pertractamus, habemusque ante oculos, nusquam legi, nusquam me audivisse memini. Cadaver de tumulo raptum, quadriga circumvectum quadrijugi, funerali pompa septum, cum initiatorum turba lugubre concinentium, nulla ætas meo judicio vidit. Triumphanti pene similem, duximus ab urbe Burgensi, quatuor sonipedum ordine quadrigam trahentium nocturnis itineribus, & huc asportamus, observamusque. Hoc igitur meum nisi solveris propositum, aliasque rem huic similem contigisse ostenderis, tu qui Salomoni sapientia propior es, in tuum istum Salomonem os aperiam. Ad cætera, Philippo, è luce solis ablato, familiares ejus, Sortes de Villa, Fulanus de Aves, Filibertus de Vere, ac reliqui hujus bonæ farinæ, inter socerum & generum sparsæ, pistores, sibimet conscii, per Galliam in Belgas iter fecisse ajunt. Commendatitias à Rege Gallo ad Regem Fernandum, ut sibi magistratus reditusque à Philippo præbiti redintegrentur, petiisse feruntur. Regem ajunt illis respondisse: *Apud Fernandum Regem, se juxta eorum futura obsequia in eum intercessurum.* Reginales autem res eundem servant tenorem, de his quos falso *Grandes* vulgus (cum sint mille servorum servi) appellat, meretricis Fortunæ filiis, hæc habeto, quæ Comiti nostro, multorum ex eis affini, referas, circumsepti satellitibus armatis, frendentes invicem, ut se conficerent, perambularunt hactenus. Nunc vero præter Palatinos milites circiter centum; qui dispositi per noctis dieique vigilias, & Philippæo semper adsunt cadaveri, & præsto sunt, si forte tumultus aliquis exoriatur, nullos habemus satellites. De Regnis, labanturne an coalescant, Reginæ nulla cura. peste premimur atroci. stat immobilis tamen. est Saturno adeo pessundata, quod aut mutare se, aut si semel sederit, surgere loco nesciat, aut velit. Do quod habeo, si aliud cupis, aliunde quære. Vale meum lumen. Ex Turri *peste* Cremata. IV. Calendas Martii, MDVII.

EPIST. CCCXXXIII.

Luzerius inquisitor Cordubensis, Archiepiscopi familiam taxat hæreseos. quid autor pro eo.

P. M. A. M. Archiepiscopo.

QUalis erga te sim, resque tuas omnes, & sororem, atque ejus sobolem in carcere conjectos Cordubæ, tuus alumnus à teneris Canonicus Gonsalus Cabezas, quem hic habes ad hæc tantum negocia, tibi significabit. Is mihi testis est qui mei sint & quanti de tua bonitate, sapientia & sanctitate, sermones. Quam falso putem te, tuosque *Lucerium* (quem justius *Tenebrerium* appellari censerem) insimulasse, quibus artibus, ut figmentum probaret, testes fuerit aucupatus, & singulis domi forisque, & concionatim aliquando, judicibus edissero. Interdum & cunctis cælitibus evocatis, præstitas fuisse ad tam grande facinus aures, ira concitus conclamo, incuso, redarguo, non dubito, quin hæc tibi late significentur, per aliorum literas. Ergo satis, ne tibi videar, si quæ sit erga te opera mea, recensendo exprobrare. Vale. ex Turre Cremata. nonis Martii, MDVII.

EPIST. CCCXXXIV.

Qualis sit Archiepiscopus Granatensis. quam male sit contra tales viros moliri quidquam adversi. de Luzerio Tenebrerio.

P. M. A. M. Ad suum Comitem Tendillæ.

SÆpius, Illustris Comes, jam ad me scripsisti, ut summa cura & diligentia navem operam isti nostro Sapienti, alteri Salomoni sanctissimo, alteri Hilarioni, Archiepiscopo nostro, ne patiar, quoad satis mihi autoritatis ac virium fuerit, ut in tanti viri famam quis frangat genuinum, prædicem ejus innocentiam, tuear nomen, quod perditum iri ex Lucerio in Tenebrerium mutatus ille conatur. Quid retulerim in re, referamque sæpissime, mihi testis Altissimus. Visus sum aliquando judices sensisse (apud quos agitur causa) persuasos, quando præcipue sic arguebam ab experientia, quæ mater rerum esse perhibetur. En agite sacrosancti judices, huic tantæ rei addicti, per quam facultates, fama, vita denique ipsa multorum in propatulum trahuntur, octogenariumne agnoscitis esse jam Archiepiscopum Granatensem? novimus, inquiunt, Sanctosne appellamus alios, præter eos, quorum doctrina moribusque cuncti mortales elucidantur; quorum opera sunt charitate refertissima. Ex Salvatoris quippe sententia, nullos quidem alios, quam eos, qui sancte fecerint & docuerint, *Sanctos* licet appellare. Si hoc annuitis; negare namque nephas est, cujus unquam doctrina sanctior? cujus opera sanctiora? cujus vita modestior? temperantior? aut continentior? quem antistitum integritate morum, charitate in pauperes, fervore in veteribus Christianis erudiendis, novis alliciendis, huic antesfeceritis? Ego, ego acerrima accusatione in eos insurrexissem, si ex multorum annorum commercio, quibus apud eum, & genus ipsius ac familiares versatus sum, quicquam alienum à fide operatos, aut locutos fuisse animadvertissem. Cum his assentirentur, non defuere aliquando, qui taxare cordis arcana fuerint aggressi. Ad hoc ego, *neminem arbitror, Deum sibi tanta consanguinitate adstrinxisse, ut scrutari corda hominum ei concesserit, quia sibi propriam hanc servavit prærogativam, id hominum quisquam audet velle profiteri, quo nec Angelorum ullum participem adhuc effectum fuisse intelligimus, in hominum penetralia descendere nemini datur. Estote igitur, Sacrosancti Iudices, Salvatoris Christi mandato contenti, qui* à verbis, & ab operibus debere homines judicari *nobis Legem dedit; quisquis ultra tetenderit, eundem in laqueum nimium trahendo Ius incidit, in quem & ignavi Iudices incidunt, nimium Iura remittendo.* Legatus Apostolicus, cui est à Pontifice cum cæteris ad Sacrosanctam hanc Inquisitionem electis, hoc onus demandatum, hæc optime capit. Multi præterea sanæ mentis viri, propterea elucinatum iri aliquando atque obtenebratum Tenebrerium istum, qui lucidissimam istam lucem Lybico leone immanior exstinguere aggressus est, jure putamus. Sit satis jam nimium; perrumpo præ animi turbatione. Nolui ad eum ista scribere, ne vel adulationis, vel exprobrationis notam subiisse judicarer. Vale jam. ex Turri Cremata in nonis Martii, MDVII.

EPIST. CCCXXXV.

Quam gravi peste Curia urgeatur. quid operetur Autor pro Granatensibus. quid asportent à Regina, qui eam adeunt.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi.

QUinto nonas Martii manu tua exaratas habui literas. binæ ad te meæ proficiscebantur, quando has mihi nuncius à vobis porrexit. harum alteræ vix bene domo exierant. De pecuniariis negociis nulla est impræsentiarum spes. exspectandum est, ut tempora mutentur. interea ferte vestram & vos æquo animo cum cæteris turbulentiam, fluctusque quibus agimur, donec redemptor Fernandus Rex adventet. Nullus exspectatur ordo rerum. ut valeamus, interrogas. dextra sua nos servat creator, sine qua nemo jam nostrum viveret. Pestilentia degimus circumvallati. intra Reginæ atrium jam flagrat. puellam servitio addictam ipsius oppressit. à fronte & à lateribus lævo dextroque mei hospitii, tres sunt jam infectæ domus. intra hospitium desponsatæ puellæ intumuit subalaris fovicula, at sine febri. Malacensi Antistiti (tuos apprime redolenti mores) octo jam rapuit familiares. quo in discrimine versemur, colligito. præ pudore nemo nostrum audet, Regina manente discedere Speramus aliquando suadentibus, ut hinc abeat, crediturام. Tu vero, sancte Præsul, istas à legato Apostolico literas accipito, quibus intelliges, quid de te sentiat, qualisque sit erga te animi. persuasum illum habemus, in re tua, qualiter expedit, & quales egeris octoginta annos, latissime tenet. Idem ut summus Pontifex intelligat, per ejus literas laborabimus. magni erunt momenti. quia non parvæ est apud

apud Sanctitatem suam auctoritatis. De statu rerum jam satis ample certiorem te feci. Reginam multi adeunt. It namque ad maritum crebro. ibi datur fandi copia publica. hos depascit lætis verbis, illos tristibus alloquitur. Abeunt hi fronte obducta, solo fixis oculis, & crispo supercilio, illi alacres, & lætitia imbuti, fructus æqualis. Andreas Burgensis à Maximiliano Cæsare, & infante Carolo Principe Regnorum hærede orator, spe nutrit inani multos mortales, venturum Cæsarem his, illis Carolum blacterat, magna pollicetur, fovet seditiosorum conventicula. Literas à Flandria à Principe è Germania à Cæsare spargit. is mihi est notissimus, & amicitiam profitetur. Interrogatus à me, *speretne non iri perditum hæc Regna, si alia quam Fernandi Regis manu gubernentur*, fatetur, *non alia*. cur igitur tribulos, cur infelix lolium jaciat in has segetes percunctatus, *imperata se exsequi oportere*, respondet. ait; *sese in mandatis habere, ut quoquo modo possit, sive id jure, sive injuria fiat, adventui obstet Fernandi Regis*. Et à Cæsare, atque una ab his, qui Principem Carolum infantem circumveniunt, qualia sint horum pectora, judicatu facile est. Vale. ex Turri Cremata IV. Idus Martii, MDVII.

Epist. CCCXXXVI.

Descriptio moralis de loco, modo & tempore mortis Valentini Ducis. de Pontifice. de Cæsare. de Comestabili. de duce Nagera. de Rege Navarræ & Lerino Comite.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Corollarium accipito, quo extra Castellanarum rerum aleam palatum novo gustu demulceatis. Navarræ Regem in Lerini Comitem, Regni ejus Comestabilem arma cepisse, jam ad vos scripsi. Is habebat exercitus præfectum sibi sororium *Cæsarem Borgiam* rubri galeri contemptorem, Valentinum Ducem, qui ad eum ex arce Medinnæ Campi, quo post obitum Alexandri Pontificis, cujus ipse fratris nepos esse dicebatur, ex urbe Neapoli vinctus fuerat asportatus, corruptis quondam custodibus è muro demissus profugerat. Dum exercitus, dum belli munia pararentur, levibus præliis intra utrosque certatum est. Lerinenses consulto terga verterunt, nimium effuse Dux illos Valentinus adoritur. primus ex acie hostes Valentinus consequitur. ex insidiis prosiliunt Lerinenses, telis Valentinum conficiunt, ex aliis paucos assecuti sunt. insidiis namque intellectis, priusquam in eas inciderent, receperunt se in tutum. Ita perturbatricem illam animam cuncta obvia (quondam Pontificia Gallicaque potentia armatam) sternentem, casus inopinatus rapuit. neque enim noverant interfectores, quem confoderent. Quam sint divinæ Arcana Providentiæ animadvertite. Quem solutis habenis, imo effrenem tanto tempore vagari dedit Omnipotens, huic abjecta morte satellitum dextera, quo anni die tanquam ignominiosum aliquid in Cardineum decorem dicitur conspuisse, reddere spiritum ardentem, ex alto Deus imperavit. Sed quo in loco, percunctamini. Intra Pampilonensis Episcopatus ditionem, quem & primum fuerat in fano titulum assecutus, & profanus futurus primum abdicaverat, ista dicuntur accidisse. Hæc de Valentino extrema feruntur. Quem quondam populus (dum fortuna fuit) ad astra ferebat; nunc, fortuna cadente, probris laceratur. ultori Deo factorum pœnas dicitur rependisse. De Valentino satis superque. Rex autem Navarræ Lerinum urgeri intendit Comitem, ejiciet è Regno; fert Regi suppetias Magnus Castellæ Comestabilis tibi amitinus. Comes autem Lerinus, quia Duci sit Naiaræ ex Ducis filia sui filii uxore affinitate devinctus, hostem habet tuum amitinum, Naiaræ Duci infensum. Cessit præterea Naiaræ Dux impotens obsistere adversario. Ex Turri Cremata abiit cum Joanne Emmanuele. Vivimus jam quieti. De Maximiliano Cæsare diversi diversa sentiunt. alii Flandriam versus moturum putant. alii ad Italiam, ut coronetur à Pontifice. summus autem Pontifex ex recepta Bononia Romam tendit. Palmarum diem in Urbe ferunt celebraturum. Vale. ex Turri Cremata. IV. nonas Aprilis, MDVII.

Epist. CCCXXXVII.

Negociativa beneficialis.

P. M. A. M. Bernardino Mendotio Illustrissimi Infantacii Ducis filio.

Prosit mihi, illustri genere orte Bernardine, ut parochialem Reneræ quam mihi (si non reservata) Toletanus Archiepiscopus Ordinarius præbuit. Si reservata legatus Apostolicus, liberam linquas, sensisse quanti Venetis dixerim te esse momenti, quando ex legatione Babylonica me redeuntem Venetiis reperisti; domumque tibi, mea opera, in qua ego te biduo habui convivam, à Veneto Senatu mihi Oratori præstitam, Idem Senatus permiserit, Alexandri Pontificis exesis

 jam

jam ejus ossibus vis tu spectativam alicujus esse momenti vel efficaciæ: qua fretus rem occupasti. nil tibi juris est in hac causa. quia præcipue de quatuor supplicationibus novis, uti optime nosti, inter quas & tuo nomine unam, Pontifex summus *Iulius II.* jam tertius à tuo Alexandro meo nomine porrectam, solam voluit ferri ad Datarium expediendam. Cur igitur hominem tibi deditum, tu amice, studes amittere? sperans me litigando fatigaturum, quod es aliquando per judicium edicta facturus, id tua sponte præstes, discedam à mea possessione. tui armati satellites, qui templum irato in te vehementer Archiepiscopo Toletano prosanant, Procuratorem familiarem meum armis abjecerunt, quid opus est vi? quid *castellare* (ut vulgo loquar) prodest? Legibus, non armis agendum est. Sis igitur memor tui ipsius, ne te trahant in præceps pravi consultores tui. Moveant etiam te Comestabilis patrui tui literæ, quibus tantopere te rogatum facit, ne me perturbes, in re præsertim, quæ tibi magnanimo locupleti generoso tenuis est. Vix namque annuas sexaginta auri dragmas, id est, ducatos census ejus exsuperat. Parum tibi est rem auctura familiarem. Vale ex Turri Cremata. IV. nonas Aprilis, MDVII.

EPIST. CCCXXXVIII.

Congratulativa & suasiva.

P. M. A. M. Theologo fratri Mauro Hispano.

DEsunt mihi verba, quibus scribere queam, quanam sim lætitia affectus, quando Ludovicus Montalunus conterraneus tuus mihi retulit, paternitatem tuam ex urbe initiali nostra Hierusalem, ubi aliquot annos Guardianus cum vice Pontificis summi in orientali plaga fuisti, rediisse in Castellam tibi patriam & natale solum, hoc tuum in Conchense oppidum insigne jam tandem pervenisse: attamen quod ad me non dederis literas (quandoquidem sese talis nuncius obtulerat) iniquo tuli animo. Iucundæ quidem mihi fuissent literæ tuæ, at multo jucundiorem spero futurum aliquando congressum, si te ad nos contuleris, uti per hujus nuncii verba polliceris. Proh quales amplexus, quæ colloquia, quantum nobis gaudii afferet illorum temporum secura recordatio, quibus una mecum vastam illam urbem Ægypti, Syriæque & Idumææ caput Cairum dies aliquot incoluisti. Nil beatius quam extra omne discrimen, atque in tuto portu amicis, quibuscum intra vastas procellas, & summa pericula fueris aliquando jactatus, occurrere. cætera coram. Vale. ex Turri Cremata. IV. nonas Aprilis, MDVII.

EPIST. CCCXXXIX.

Moretur Regina. de pheretro aperto Philippi, ubi sistatur. quid de senatoribus cum Regina. quid de progressu.

P. M. A. M. Suo Comiti.

ANcoras è pestifero Turris Crematæ fundo, velut à statione malefida tandem eruimus. At è Scylla nos hæc nostra Regina in Charybdim, ut est in proverbio, summersit. in villulam nos duxit ad milliaria inde duo, nomine *Fornillos*, magalium est forte octo & viginti, ibi est condita commoda satis domuncula quædam. hac ipsa contenta est, quia sui tantum capax. Proceres qualia possunt, domicilia incolunt. Toletanus Archiepiscopus & amitinus tibi Comestabilis primas vices gerunt. Fernandum & cupiunt & exspectant. Plærique aliter optarent, ne scilicet rediret. nos patitur solos, Malacensem, Mundoniensem, & me, sibi adesse sedendo. Maritum vult eodem, quo diximus modo servari, honorari, comitatum jacere. Exstat lapideus insignis pons trajiciendus Fornillos è Turri Cremata tendentibus, ubi pontem transimus, monacharum occurrit illico cœnobium. Ibi deponi feretrum, repente imperat, atque in nudo campo jussit, fratrum existimans. at ubi sensit esse fœminarum domum, raptari feretrum repente imperat, atque in nudo campo sub divo (facibus vix lumen servantibus, præ ventorum vi) nocte namque attolli corpus jussit, per fabros ad id accitos aperiri capsam utramque, scilicet plumbeam ac ligneam. viri cadaver adspectat, primariisque accitis in testes, iterum claudi jubet, attollique humeris, & Fornillos asportari. Jam post primum gallicinium novam stationem captamus. post paucos vero dies, quom figere pedem illam animadverterent Proceres, ut Pallantiam aliamve urbem aliquam Curiæ capacem adeat, hortantibus, respondet: *Viduam non decere per ornatas urbes, aut oppida magnifica proficisci.* Magnus quidem est in ea Castitatis servandæ vigor, propterea sibi persuasit villas tanquam secessus, esse quæritandas. Ex Pallantia, ubi major Curiæ pars inhabitat, jussit accersiri Senatores. quos à parentibus novit quondam electos retinuit, cæteros à viro conscriptos dimisit. eat quisque aliam sibi sedem quæsitum imperat. ut quemque ex novis admitteret precibus, monitionibusve, potuit haudquaquam

quaquam dimoveri. Electis ut gubernent, donec pater veniat, edixit. Ita suburbalibus tectis & scenis à nobis ipsis constructis castrensi fere more pedem nos cum ea fiximus. cæteri Pallantiam urbem rediere. De sacrosancta Inquisitione Hæreseos hoc habeto, quod nostro referas alteri Salomoni, quod capti testes à Tenebrerio (ut fama est) corrupti solvi sunt jussi. Tenebrerium putant aliquando inventi facinoris inauditi, pœnas luiturum. Vale. ex villa Fornillos, in Kalendas Maii, MDVII.

EPIST. CCCXL.

Simultates Methynnæ Campi. Genuenses subjiciuntur à Gallo. de galero Toletani.

P. M. A. M. Archiepiscopo Granatensi & Comiti.

SAlutiferum sit necne, quod Fernandus Rex veniat, ex emergentibus colligite. In Methinna Campi emporio Castellæ tanta est inter oppidanos exorta contentio & simultas, ut seipsos mutuo furore conficiant. Perempti jam sunt in ipsa oppidi platea plærique ab utraque factione dimicando. oppidi Abbatia (quam sua morte Segoviensis Episcopus Jo. Doctor de Methinna alteri vestrum collega Romæ in oratorio munere dehinc successor, vacuam reliquerat moriens) in hanc oppidanos traxit ruinam. Per ipsius namque Abbatiæ discordes initiatos electores, ad quos eligere Abbatem pertinet, directa in diversos suffragia, in hoc discrimen oppidum adduxerunt. hi namque Sortem, illi Platonem optabant, neutrum dignoscitis, propterea neutrum nomino, nec dignos calamo judico eos, quorum ambitiosa causa, novæ in urbibus factiones exoriuntur, imo & tollendos penitus è medio mallem. De his satis superque. quia sunt odiosa. A longe trahamus, quid ultra feratur. Genuenses, qui nobiles paucis ante mensibus pepulerant ex urbe, Rex Gallus magno exercitu comparato, ducibus ipsis nobilibus adoritur. non magno fuit opus certamine. Imperatore miseri carebant, tanquam oves sine canibus tutoribus, sine consultoribus sanis, sine ordine diffident, illico sicco se pede Regi dediderunt. Ita jugo Gallico subdiderunt colla Genuenses, non minus jam Coronæ Gallicæ subjecti, quam Parisius aut Lugdunum. De Rege vero, se indies strictius venturum pollicetur, rebus Neapolitanis compositis. Negotiatur interea cum summo Pontifice Julii II. de galero rubro mittendo Archiepiscopo Toletano. Valete. ex villa Furnillos nonis Maii, MDVII.

EPIST. CCCXLI.

Vide superstitionem exortam.

P. M. A. M. Archiepiscopo.

IN Berna urbe Germaniæ novas quasdam pullulare superstitiones, inter cœnobitas concionatores allatum est. Et de illorum numero elegerunt *Ioannem* cognomine *Ietzer*. is cerdo quondam innocens, correptum se fatetur quodam expiato Spiritu antiqui ejus cœnobii Subprioris Parisiis, actis jam annis centum sexaginta, à nocturnis petulantibus juvenibus occisi, qui extra gregem (Obedientiæ impatiens) errabat. quom jam Subprioris Spiritus à torquentium ipsum Dæmonum potestate fuisset ereptus, quia recti justique præter impatientiæ crimen cultor esset, Joannis Jetzer sibi pectus habitandum elegit. ex hujus purgati Spiritus suasu, Joannes Jetzer fertur, populo protulisse, *virginem Deiparam* Mariam *sine macula originali conceptam fuisse.* quod ubi senserunt Cœnobitæ primarii, sunt veriti perniciem, si tot annis pertractata materia, tot Syllogismorum argutiis in Franciscos sustentata dilueretur, Joanni Jetzer innocenti persuadere præstigiis conati sunt, eum adverse à certo intellexisse, ne id populo patefaceret, ut facinus id optatum adstruerent. ex consilio fratris Magistri *Stephani* concionatoris, duorumque aliorum, Subprior cognomento *Franciscus Visth* simulata virgine nocturnis Jetzer colloquiis ex fenestella fallebat, originali maculæ virginem fuisse obnoxiam, proponens ac suadens; utque placidius innocentem ad votum traheret, præstigiis & arte magica sine autore accendi faces in templo, lampadesque, ac pulsari campanas, & sudore repleri quoddam Virginis simulachrum, & plæraque alia, & tonitruis etiam repleri domum horrendis, ad extremam usque cænobitarum omnium formidinem per magicas artes, ut è cælo ad fratrem innocentem descendere cum majestate virgo Deipara putaretur, de seipsa notam originalem professura. Hæc nuper allata sunt, una cum literis ad Andream Burgensem Cæsareum Oratorem. quæ sequentur, habebitis. ex Fornillos. pridie Idus Maii, MDVII.

EPIST. CCCXLII.

Soluti è Luzerii manibus affines Archiepiscopi. Philosophica pleraque.

P. M. A. M. Archiepiscopo.

DEcanum & germanas ejus cum genitrice tibi sorore, reliquosque tuos familiares innocentes, quos pestifera pectoris contagione respersus sub religionis specie *Tenebrerius* tetro carcere concluserat, esse jam tandem solutos, & lætor & gaudeo. Hæresis illos teque arguerit Tenebrerius, nequeo pati æquo animo. hujuscemodi facinus nusquam memini me legisse, ut qui legem & doctrina & opere studiose profiteatur, isse contra Legem arguatur. Proh scelus! tantumne potuit aconitum è Tartareis exhaurire speluncis, immanis isto Cerberus, ut summum etiam Pontificem & sacrum Cardinalium Senatum fere infecerit. spero equidem fore, ut ego aliquando in Tenebrerium iratos Cælites omnes, ac terrestres commotosque ad vindictam tanti sceleris videam. Sed quid? dices, *rependetne passerculus impudens tot tantarumque aquilarum, etiamsi mille animas effunderet, injurias?* non quippe. At quid fiet? Proverbium inolevit: *Dei non esse, quin fuerit, quod jam evenerit, obstare.* Solum est ad hasce procellas remedium *Patientia*, altera de Philosophiæ columnis. est Sapientis æquanimiter adversa ferre prosperaque. Vale. ex villula Fornillos XII. Calendas Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLIII.

De arce Segoviæ. de Ponferrata. de Bononia & Bentivolis. de magno Capitaneo. de Toletano.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

QUæ ad Reverendissimum Antistitem meum pertinent, ad eum scripsi. Cætera quæ una conferatis, tu habeto. Marchionissa Moiensis viro valetudinario, virili animo fœmina, ubi primum Philippus Rex excessit è vita, Segovianam arcem ab ea ablatam, quæ Joannis Emmanuelis nomine servabatur, armatis militibus circumsepserat cuniculis tormentisque aliquibus illam presserat. Aliquandiu illam vi armorum, quæ hominum judicio inexpugnabilis videbatur, Idibus Maii cepit, tenetque, salvis tamen, eorum qui inerant, facultatibus. pullulant indies magis ac magis Hydrea capita. Comes (qui dicitur *Delemus*) Gallecus Princeps Ponferratam insigne oppidum in Galleciæ situm faucibus aggressus est, occupavit tenetque. Ita paulatim ignis protenditur, qui totam exuret Castellam, nisi malorum exstinctor propere Fernandus succurrerit. Ex Italia fertur miserum Bentivolum Bononiam natale solum armis tentasse, at à præsidiis Pontificis profligatum, re infecta, miserrimum rediisse Mediolanum, ubi exul degit cum uxore ac filiis uno & viginti, tum ex legitimo natis matrimonio, tum ex transverso habitis. Magnum tibi amicum Gonsalum Fernandum Capitaneum nostrum Pontifex & Veneti cupiunt, & student Imperatorem sibi habere exercituum. Ab urbe Roma fertur, ad Cardineum evectum honorem, Toletanum Archiepiscopum. Inquisitionis una Hæreseos illi provincia demandatur. Vale. ex villula Fornillos. XII. Calendas Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLIV.

Archiepiscopi Granatensis mors & collaudatio & vita.

P. M. A. M. Comiti Consolatoria pro morte Archiepiscopi Collegæ.

PRoh Deus! infensos jam nobis esse arbitror Superos, qui tantum ab orbe terræ virum sustulerunt. obiit Fernandus à Talavera primus Granatensis Archiepiscopus, ex quo de Maurorum potestate Granatæ Regnum sublatum est? obiit. Vas istud preciosum confractum est. ignoscant qui supersunt Antistites, dictum eorum pace velim, obiit, aut saltem est diminutus sub orbe Lunæ in Pontificibus *dexter charitatis oculus.* Prudentiæ clarum lumen exstinctum est, & prius eum excessisse, quam adverse valere audivimus. repentinus fuit ejus interitus, inquis. quid in octogenario dici potest repentinum? ad eum ego putans bene valere, paulo ante scripseram. actum est. Piget, pœnitet, crucior, tantum nobis virum sublatum è medio, cujus virtus, cujus ardor fidei omne humanum ingenium superabant. Hic erat meo judicio, qualem Deus desiderare videtur, sine macula, sine auri cupiditate, sine thesauri acervo. Hic ita profusus in pauperes vixit, ut nec sibi quidem servasse inquam reperiatur, unde vel mensem, si necessitas urgeret, parare sibi quiret epulas. & quales quantasque epulas? uno tantum ferculo arietino, diluto leni vino, paneque contentus communi. affini cuiquam nihil unquam præter victum impartitus est. *Nolle se pauperibus portionem tollere*, inquiens. Væ igitur miseris!

miseris! Væ viduis & parentibus orbatis! quid refugii desolatis restat? quæ spes auxilii? Video ex illius obitu, abscissum tibi esse dimidium animæ. Eratis anima (si fieri potest) in duobus corporibus unica. Inter amicorum rara in terris paria commemorandi, novi non infirmam tui te corporis partem amisisse. At si tuum incommodum cum ejus commodo pensitaveris, æquo animo feres jacturam tuam. Ego autem si ad te Consalatoriam dare voluero, si ad id natum, ut moreretur, arguere intendero, si tunc mori cœpisse, cum nasceretur, si massam illam ex diversis compactam, necessario ad sui primordia redituram disputare intendero, ægrotus ego agricola incolumi Æsculapio condire Medicinam præsumpsero. Memini namque ex officina tua fabrefactas quondam, licet sermone patrio de tui fratris Jacobi Furtati Cardinalis obitu, qui vestræ familiæ spes integra videbatur, Consolatorias geminas. Sed tunc præcipue, quando tu, cuja magis intererat, majore indigebas consolatione, collegisti ad sororem utriusque germanam Menziam, quæ nec Apollo ipse, aut quisquam è junioribus ab eo cumulatius potuisset. Sit dictum satis, ne nova recordatione dormiens forte sensus excitetur. Vale. ex villa Fornillos. pridie Calendas Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLV.

Consolatoria & Laudativa.

P. M. A. M. Doctori Francisco Ferrera Decano Granatensi.

Vitæ ducem avunculum istum tuum Archiepiscopum fateor, amisisti. At solare illius solatio, laborum jam mercede ipse fruitur. Nefas arbitror, aliter quenquam judicare, si quales egerit annos octoginta scrutari oblocutores voluerint, boni omnes hoc idem sentiunt de viro vobisque illius prosapia, quod & nos sentimus. Quum una dierum Licentiati Vargas Tellusque plærique etiam alii Senatores regii una sederemus, de illius obitu eduxit in medium negociator quidam, quod ab eo de reddita valetudinariis incolumitate miracula prodiissent, respondit sublata voce Tellus, *se nihil horum de tali viro dubitare.* Vargas addidit, *nil ego miror, quod à tali Heroë miracula prodeant, si è lenone diceretur, aut fœneratore hæsitarem. E tali fonte tales latices exspectandi sunt. Quid hic unquam debuit Hilarioni eremitæ, quid D. Hieronymo, vita moribusque?* hi atque alii præterea sermones de avunculo tuo, hi debent animum tuum ad ejus mores imitandos, quoad fieri potest, excitare. Digito monstraberis posthac, mi Decane. *En illius sacrosancti viri propago est! en sanguis*, dicent homines. Literarum quibus mihi Hieronymus Matritensis quondam œconomus avunculi tranquillum atque felicem ejus obitum pulchre disserebat exemplaria, Romam ad summum Pontificem, variosque Cardinales legatus Apostolicus direxit, ut ex eorum pectoribus à Tenebrerio seminatum virus abradatur, totis viribus innititur. Longioribus ad Comitem scribo cum hoc eodem tabellario. Tu vale. ex villula Fornillos. pridie Calendas Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLVI.

Qualis sit ubique rerum status, & de Archiepiscopo quodam.

P. M. A. M. Ad suum Comitem.

Quod Ubedæ cuncta sint perturbata, quod se invicem diversæ factiones, Molinensis scilicet, & de la Cueva, mutuis cædibus conficiant ac deleant, quod hi arcem occupent, illi civitatem, hi *Principem infantem Carolum, sui stomachi captatam occasionem, se exspectare*, inquiant, illi *Fernandum unicum salutis remedium fore* proclamant. Quibus appellationibus plusquam civili inter se contentione disceptent, novi refers, communis est tempestatis nostræ contagio, generale malum, nil levius alicubi. Si namque scires, quibus furiis agatur Toletum, quibus Abula, cæteræque urbes, de Ubedæ fluctibus minime mirareris. Veniet aliquando qui cuncta sedabit. Collegam tuum vita functum nemo bonus est qui non miris extollat laudibus. Ego profecto illius famæ defensor acerrimus sum, sicuti prius fueram. Salutis cujus aut familiarium, aut propinquorum si ego mentem corruptam aliquando sensissem, si à doctrina & operibus dissonare animum intellexissem aliquando, adversatus ego ipse tanquam in teterrimas vulpes profecto fuissem. Integro in Christum Spiritu arbitror ipsum genusque illius omne perpetuo vixisse. Vale. ex villula Fornillos. VI. Idus Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLVII.

Negociativa.

P. M. A. M. Didaco de Mendoca illustri Duci Infantati.

Alfonsus Carrillus per literas me certiorem fecit, tractasse te cum Prothonotario

tario Bernardino, tibi ex utroque parente germano, ne mihi fructus usurpet parochialis de Renera, quandoquidem nullum jus Bernardinus sibi quæsitum habeat, ex jam consumpta ejus Alexandrina spectativa, mihi vero fuerint parochialem impartiti Archiepiscopus Toletanus, si non sit reservata; si vero reservata, Legatus Apostolicus. ad firmiorem titulum pro utroque Summus Pontifex, qui de quatuor porrectis supplicationibus, inter quas & Bernardini nomine una, jussit posthaberi cæteris, præter eam, quæ meo nomine supplicabat, quam jussit ore proprio ad Datarium deportari. pervicacis esse ingenii scribis, fratrem istum tuum, nec tuis parentem dictis, tibi tamen debeo, licet nihil peregeris. Ipse vero aliquando cedet, quia debilibus hebetibusque armis rem aggressus est; suo Juri jam alæ cruraque deciderunt. Tu autem, Illustris Dux, vale, cui me commendo. Ex villula Fornillos. VI. Idus Junii, MDVII.

EPIST. CCCLXVIII.

Laudativa. Laus Ioannis Fernandez ab genitore & avo alisque.

P. M. A. M. Didaco Furtato à Mendocia Infantadi Duci.

SUm recenti ex causa isti tuæ familiæ deditus ob amicitiam cum Joanne Fernandez, tuo procuratore in hac nostra labefacta Curia, quod urbanus sit ac lepidus & omnium qui Curiam pro Optimatibus sequuntur, sagacissimus, quodque genitorem habuerit doctorem Alfonsum Fernandez Matritensem: qui vos Hispanos nobiles ab errore quo cæci vivitis putantes, *Literas obesse armis*, dejecit; Si oculos intellectus aperueritis, potuit. Audivi quippe doctorem ipsum literis eximium fuisse, nec eo minus armis clarum. Quis namque eo tempore quo Alfonsus Carrillus Archiepiscopus Toletanus & plærique alii Proceres regnum fere universum Toletanum in fide Portugalensium sustinebat, sese magnanimus ostentavit? nonne is primus pro Regibus Fernando & Helisabeth in villa viridi una tantum munita domo & fidis familiaribus fretus patentia in prospectu præsidii universi Matritensis, quod Portugalensium partibus sub Marchione Villenæ favebat, vexilla erexit? nonne contra universam Procerum potentiam forti animo se tenuit, donec primus tuæ gentis Dux, avus tuus, eodem nomine, quo tu *Furtatus Mendocius* nuncupatus cum magnis copiis adventavit, & doctore liberato Madritum obsedit, cepitque tandem. unde robur sumpserunt Rex & Regina, Regnumque universum Toletanum confractis adversariorum viribus recepe-runt. Quum sit ergo Joannes Fernandez à tali viro progenitus, qui vobis ostendit, armis literas non obesse, quom quod sit suavissimum ejus commercium, & prudentia polleat innata, virum amo non mediocriter, tibique gaudeo quod talem sis tibi consecutus familiarem, ab cujus ore suspensi pendent, ubicunque concionetur, auditores. Vale. ex villula Fornillos. VI. Idus Junii, MDVII.

EPIST. CCCXLIX.

Rogatus Autor à Duce Infantati, dat causas, quare nequeat à Curia discedere.

P. M. A. M. Eidem Duci Infantati.

EAdem vespera qua die mihi porrectæ fuerunt literæ ab Alonso Carillo Petrus Beles tuus in Curia Procurator, alias mihi tuas dedit. cupere tete, inquis, Dux Illustris, ut interea dum rebus ordo aliquis exoriatur, dum obdormiunt negocia, proficiscar ad te, simque tecum interea, ut ocio fruamur liberali, & Martinum quem præ filiis (quos habes plurimos) amas, in literarias delicias infigere dentes & prægustare his diebus ostendam. neutrum ego recusarem, si mihi essent sopita negocia. nullo unquam tempore negociosiorem me reperi, tum quia præter tres, Malacensem, Mindoniensemque Episcopos & me Regina patitur neminem sibi obsequi in ceremoniis; tum quia meis humeris incumbit quicquid panis, quicquid reliqui victus est habiturus Granatensis Clerus, qui à regiis pendet Computatoribus. Initiatum Regina vult adesse neminem præter Belgas, quos à viro elegit vocinatores. horum harmonia demulcetur. horum concentu lenit vidualem, Saturniamque turbulentias. nec possum Archiepiscopo Granatensi vita functo, suoque generi universo deesse, quibus *Luzetius* quem ego *Tenebrerium* æquius appellaverim, insidiatus est, eos hæreseos crimine arguens. Si forte me aliquando ab his curis exsolvero, tibi mihique ipsi satisfaciam. nunc vale, Dux illustris. ex villula Fornillos. XV. Calendas Julii, MDVII.

EPIST.

EPIST. CCCL.

Quod confracti fisci redditus. & de literis Regis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SCribis, Comes Illustris, iri perditum cuncta, Granatensis Regni littora hostiliter ab Afris infestari, diurnos nocturnosque latrones itinera cuncta intercipere. neminem domo tuto egredi. tempora rediisse confracta priscorum Regum ignavia. quia militibus quibus tibi Proregi datum est ad Regni regimen imperare, stipendia non solvantur. non stare illos ita famelicos dictis imperatoriis conquereris, & desperatis animis discessisse multos sine imperatorio commeatu, inquis: te fere solum cum tua familia penuria rerum pesteque circumvallatum (talis namque est hic annus & pestifer & calamitosus alimentorum egestate) ingemis, qualis esse debeas à nobis ipsis conjecturam facimus, & ab his quæ quotidie ab universis Hispaniæ urbibus scribuntur. proposui tuas querelas computatoribus regiis coram Toletano Archiepiscopo magnoque Comestabili amitino tuo, in quorum nunc manibus est summa rerum. respondent & ipsi, iisdem de causis provinciis oppressis vectigalia portuariaque regia deperdita, exactores quæstoresque omnes decoxisse. adjecit tamen Comestabilis stimulis à me actus, ut aperte, quid tibi vellet, respondeam. *Scribito*, inquit, *Comiti*, *ut ipsemet Regni ejus reditus exigere jubeat*, *neque computatorum exspectet remedium*, *provideat*, *ne Regnum istud detrimenti quicquam patiatur. Interea venturum*, *qui rebus ordinem statuat.* recentes namque literas à Rege habuerunt, quibus denuo se propediem venturum pollicetur. Tu vale interea. ex villa Fornillos. IV. Calendas Julii, MDVII.

EPIST. CCCLI.

Quæ spes de adventu Regis. Reginæ affectus. de sacello combusto.

P. M. A. M. Suo Comiti.

J*Am tranquilla dies laxis adventat habenis*, lætare Comes illustris. Jam se exsolvisse à Regni negociis Rex scribit. Diem assignavit per literas nobis, quo sit mare conscensurus, septimum Calendarum Julii. Immoderatum pene fuit eorum qui sano vivunt pectore, gaudium. ne literas ultra exspectemus priusquam è classe inquit. Regina vero quæ ut ulli ad Regnorum regimen chirographo manum imponat induci nunquam potuit, ab Ludovico Ferrerio (qui apud eam *genitorem Regem* Orator & gubernator refert) suasa *ut pro incolumi patris adventu supplicationes sacraque fieri curaret cum debitis ceremoniis*, respondit integro sensu; *id imperaturam: ast rem esse tanti per seipsam meriti in genitore qui pacata propria Regna deserere constituat, ut aliena perturbata confractaque gubernaturus assumat; parvis indiget, qui tanta charitate rem ita arduam aggreditur, hominum apud Deum precibus. Deus eum reget ac tutabitur.* Ingenio pollet & memoria hæc nostra Regina. Quæcunque non ad fœminam modo, sed ad magnum attinent virum, acute sentiat. caret diffinitiva, executivam abjicit. qualem nobis Belgæ remiserunt, talem habemus. modo spe nos proximæ incolumitatis replet, modo enervat. sic vivitur. Incomitem delemus & Ponferratam mittitur exercitus. Duces eunt Dux Albæ & Beneventanus Comes. Quid hoc portendat judicate. Hujus villulæ templum incensum & combustum est. Vix Philippense feretrum est igne liberatum. Hæc fuit unica Reginæ eo tempore cura. multi præterea se vidisse Cometem errantem fassi sunt. Vale. ex Fornillos. III. non. Julii, MDVII.

EPIST. CCCLII.

De discessu Regis ex Neapoli. cum Gallo Rege conveniet. Pontifex ad Ostiam Tiberinam proficiscitur. profligatur in Africa Domicellorum præfectus.

P. M. A. M. Suo Comiti.

FElix & quam tibi felix Hispania dies illa, lapillo tibi candidissimo numeranda. Ex recentibus regiis literis habemus, Regem è portu Neapolitano flantibus in puppim ventis ad nos vela dedisse. Nullibi se, inquit, moraturum, præterquam unicum Savonæ, in Ligustici maris litore, diem, ut ibi Ludovicum Aurelianensem Christianissimum Gallorum Regem affinem conveniat. Pontificem ajunt ex Urbe ad Ostiam se contulisse Tiberinam. Sperat Regem eo descensurum è navibus, ut una se conspiciant, colloquantur; de communibus agant rebus. Suosque oculos augustissimum nostræ fidei ducem, cui ipse insidet, contemplando, depascat. Comes Regi venit noster, *Antonomasice*, Magnus Capitaneus Gonsalus Fernandus; qui patriam virtute bellica tot trophæorum cumulis ornavit. ejus loco ad Regni Neapolitani gubernaculum Comes Rivagorzanus Regis ex fratre nepos suffectus est. Ad propiora veniamus. Nil dulce quin amari acrimoniæque aliquid immisceatur. Scribere nequeo, quo

mœrore confecti sint hi Proceres omnes, qui Reginæ assident, quando ex tuis literis profligatum in Africa fuisse cum jactura trium millium militum Domicellorum præfectum, qui nostro exercitui in Africa præerat. Sors hæc est Martialis, ut nunc hostes premamus, nunc urgeamur ab hostibus. Quid sentiatur de rebus Ubedæ, cupis intelligere; si verum vis fatear, tu es apud Primarios suspectus, quod factioni faveas, ex Granata, Molinensium, quodque hospitio susceperis Antonium Marricum Ubedæ gubernatorem, qui Fernando Regi adversatur; teque fœdus cum eo in arcanis iniisse murmurant. Sit necne, tu videris. Scribe quid vis, respondeam. ne levi rumore moveantur, eis persuadere nitor. Vale interea. ex villula Fornillos. Idibus Julii, MDVII.

EPIST. CCCLIII.

Quare Pontificem Rex non adierit. in Savona Rex. quid de magno Capitaneo.

P. M. A. M. Suo Comiti.

A Rege & internis ejus familiaribus literas habemus. Romanæ stationis male fidæ periculum sibi classique timens (est namque procellosa) ab Hostia Tiberina abstinuit. Non desunt qui ex industria præteriisse putent. Displicuisse id ajunt Summo Pontifici, qui illum avide operiebatur. Savonam urbem v. Calendas Julii captavit. Aderat Rex Christianissimus. Si quibus complexibus, colloquiisque, una congressos fuisse alterne, scribatur; si quibus tantum hospitem Rex tantus susceperit modis; si quo apparatu, qua elegantia, qua copia rerum scribere tentavero, nimis longa texetur oratio. Ergo brevibus. Quo tantus suscipi à tanto decuit, susceptus est. Hic si virtutis præmium laus est, si honor, si gloria, bellicæ virtutis suæ, Magnus noster *Gonsalus Fernandes* præmium est assecutus. Rex namque Christianissimus, descendentem illum, æque ac si Rex alter, & allocutus & complexus est. Eadem qua Rex uterque, ac Regina Germana, discubuit mensa. Admirabundus Rex Gallus, toto convivii tempore, fixos oculos in mactatorem suorum exercituum dicitur tenuisse. Indefesso virum intuitu semi absorbebat. Tollebat virum præsentibus convivis ad astra. Non colloquiis, non conspectu satiabatur. Tanta est virtutis etiam in hoste vis, ut nihil de vera laude illi abstulerit. Hæc ex Sabona scribuntur. Tu vale. ex Fornillos villula. XIV. Calendas Augusti, MDVII.

EPIST. CCCLIV.

Est in litoribus Hispanis Rex. quid de Ponferrata.

P. M. A. M. Suo Comiti.

QUam nobis serenat frontem divinus amor! beatiores nos indies magis ac magis facit. Cursores de adventu suo secutus Rex jam ad Hispana litora dicitur pervenisse. In portu quem de Cadaches in Laletania dicunt incolæ, jecit anchoras incolumis, salva classe universa. Quid beatius, Comes Illustris? Comes de Lemus ubi sensit Regem certo venturum, vi etiam armorum territus, jam emollescit. Se facturum Regis imperata, ubi venerit, profitetur. Hæc ejus excusatio non admittitur. Itur in eum aperto Marte. Vale. ex Fornillos. IX. Calendas Augusti, MDVII.

EPIST. CCCLV.

Predones Mauri cum navibus naufragantur. de hospitis Autoris morte.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SI raræ interdum, aliquando crebræ ad te meæ literæ perferuntur, rari aut frequentes ad te moventes sunt in causa tabellarii. Projecta tempestatibus in litus Berramedæ ac Sanctæ Mariæ Portuensis infra Malacham unum & viginti piratarum Afrorum navigia nuper nobis significasti, circiter sex centum prædones armatos, inquis, ea præda captos, navigiis omnibus ex naufragio confractis, id fuit gratum audiisse. Licet ad nostram sub præfecto domicellorum jacturam sit parum resarcitum: pensatum est tamen aliquantulum. Non diu ea Mauri victoria spero gloriabuntur. Pœnas pendent arbitror septecuplices. Quod autem Bachalarius jam nostræ Metropolitanæ Canonicus hospes meus interierit, doleo tibi mihique. Amisimus namque, Tu obsequentem magnæ prudentiæ virum, ego amicissimum. Ergo quid? Comes Illustris, feramus æquo animo naturæ necessitatem. Rediit unde venerat. Idem nos aliquando iter aggrediemur. Elemento cuique prior ipse quam nos impendit, quod mutuo acceperat. Vale. ex villula Fornillos. pridie Calendas Augusti, MDVII.

EPIST.

Epist. CCCLVI.

Significativa & Moralis.

P. M. A. M. Gometio à Toleto Ducis Albæ affini, Granatensi Canonico.

INstas ut tibi significem, quid de te sentiam. in Fortunæ rota, rotabis propediem. creaberis Episcopus. hinc arguo. Affini tuo, Albensi Duci animo fixum sedet, ne quandoquidem Placentinum Episcopum fratrem Guterrium amisit, Episcopatus una exeat è familia. Is, licet quinque legitimos habeat filios, pluresque fratres, neminem tamen sacris initiatum iri intendit. In te unum oculos conjicit, quia proximior ei ab illis es. Insidebit istis humeris Episcopalis abolla, vertici galerus. Nil tibi apud Toletanum jam electum ad purpuream cristam, defui, cæterosve, quibus erit, Regi jam proximo, suadere, quibus Antisteæ impræsentiarum vacuæ debeant impleri viris. Præter cæteras in te ingentes virtutes, utilem eis persuasi te fore concionibus pulpitariis exercendis. Quod maxime in pastore desiderandum est: quod est inter generosos alba cornice rarius. Vale. Fornillos pridie Calendas Augusti, M D VII.

Epist. CCCLVII.

Negociativa.

P. M. A. M. Hieronymo Matritensi Canonico.

SEro cum Phrygibus sapuisti. seræ fuerunt literæ tuæ, quibus velles Magistrum Alfonsum Campos fore tibi collegam, post obitum utriusque amici Rami, Canonici, in subcollectoria Apostolica per legatum. Id munus Archidiacono vestro Granatensi legatus ipse jam præbuerat. Si manus, noster Comes Prorex, ad stipendia militibus solvenda imposuit, reditibus Archiantisteæ vacantis, providebimus, ne tollat quicquam. Sunt namque Pontificia bona. Nec ipse aspernabitur legati literas, quibus eum rogat, ne se in Pontificiis vectigalibus implicet. Vale. Fornillos. pridie Calendas Augusti, M D VII.

Epist. CCCLVIII.

Quid Imperator in conventu. de Margarita Cæsarea. ex Valentia Rex scribit. Fagiardus ad Regem. qua pompa.

P. M. A. M. Suo Comiti.

QUo propius accedit Rex, eo suaviùs auras vitales exsorbemus, obbibimus & recreamur. E Valentia Tarraconensi, Regno ipsius hæreditario avito, III. Idus Augusti orsum iter cœpit. Temperatis ad nos proficiscitur itineribus, quia multis Proceribus obviis impeditus. Vellet ipse, ob filiæ desiderium, longis. Noster Petrus Fagiardus Murtiæ præfectus, ut vulgo dicitur *Adelantatus*; ubi Regem sensit Valentiam attigisse, ipsius dominatui proximam, quingentorum amplius equitum caterva comitatus, ad Regem prævolavit. De illius ornatu, elegantia & copia, comitumque mira referuntur. Largos illius sumptus Valentini Oriolanique cives stupent. Nil prædicant aliud quam de juvenis benigna liberalique beneficentia. Quibus lachrymis præ gaudio fluentibus, quibusque ludis, hymnis & cantibus, apparatibus etiam Regem suum, ab exteris redeuntem terris, Valentini nobiles & populus, viri ac fœminæ susceperint, calamo minime licet aperire. de nostris hæc. ab exteris, Maximilianum Cæsarem ferunt in Constantia urbe conventus Germanos coëgisse: ubique pro concione orationem luculentam habuisse, qua contumelias, injurias, damnaque à Gallis Regibus duobus, Carolo & Ludovico Aurelianensi, tum dolo, tum vi receptas, percensuit. de Britanniæ minoris Ducissa, conjuge rapta, de Margarita filia repudiata, Burgundia filio usurpata, & multis id genus, postulans, ut sibi ad vindictam auxilia ferant, quandoquidem Imperii membra sunt, in deterius labi res Germanas res indies, nisi præteritis provideatur, congemit; suæ famæ, gloriæque multiplici nota commaculatæ, reique familiari tum suæ, tum filii sive Caroli relicti ab eo Archiducis deperditæ misereantur, magis rogare quam imperare nunciatur. Sive id ita fieri soleat in Imperio, sive quod ipse Cæsar benignus sit. Est profecto benignissimus. hac via cum Germanis & Proceribus & urbanis egit; auxiliaturos arbitrantur multi. Margarita Cæsarea, futura (si fata Deusque dedissent) vestra Regina, quia primogeniti vestri quondam conjux, Carolum infantem curandum ex Flandriæ consilio sumpsit. Magni est ingenii fœmina. subjacent non inviti ejus Bel-

gæ imperio. Vale. Fornillos. VI. Idus Augusti, MDVII.

EPIST. CCCLIX.

It obviam genitori Regina. Cæsar in Gallos. de Geldrensibus. de negociis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

AUdito Patris adventu; Regina ad limites usque, Aragoniam à sua hæreditaria Castella dirimentes, properasset, ni genitor, per literas obstitisset, paterno imperio benigne parens, ut locum vicinum eligat, utriusque Curiæ capaciorem, nocte fere media, IX. Calendas Septembris, post iterum apertum viri feretrum, quadrijugo plaustro funerali præcedente, movit ex Fornillos villula, in oppidum nomine *Tortoles*, ad milliaria quindecim. Exoriente Sole, pedem fiximus, noctu semper graditur ajens: *Non decere viduas, sole maritali amisso, Solis ultra lucem, in itineribus præcipue, ne conspiciantur, intueri.* Hic Regem exspectaturam arbitramur. Ex Germania Andreas Burgensis mihi retulit; Cæsarem in Italiam in Gallos descensurum, ut eos Mediolano ejiciat, cum ingenti exercitu, nec addidit, *Si quibit*. Genuenses mercatores augere dicuntur & ipsi numerum armatorum, ut se, descendente Maximiliano, in libertatem vendicent. Margarita rei familiaris Flandriæ, Carolique infantis gubernatrix in Geldriæ Ducem (ea est Sicambria) cogit exercitum. Is namque Dux postquam ex Britannica Philippi Regis tempestate, contra ictum fœdus evasit, duro infestat Flandrenses bello, crebris incursionibus, vastat obvia cuncta, immo & expugnare jam velle videtur aperto Marte oppida. Propinquus tuus, Infantati Dux dicitur isse Regi obviam, Almazanum usque municipium, & urbem Osoniam. Mei Capitulares conquesti sunt, quod aliquid de decimalibus eorum reditibus sumpseris ad militum stipendia; Ex his præcipue, quæ ad Sedem pertinent vacantem, *id* legatus Apostolicus *se non passurum*, inquit. Abstineto propterea (licet te necessitas urgeat) pecuniarum. ex regio quæratur. *non licet polluere sacrum.* Vale. ex oppida Tortoles. VII. Calendas Septembris, MDVII.

EPIST. CCCLX.

Petitiva.

P. M. A. M. Capitularibus Granatensibus.

VElim ut Collegam, qui meæ sit erga vos mentis, meorumque laborum, & operæ testis, mitteretis. non erit mihi gratum, vestris rebus secus intendere. Mallem sarcula vel ligones exercere, quam pecuniariam rem ullam cum his computatoribus Regiis tractare, his præcipue corruptis, & annorum egestate ac peste, deficienteque moderatore, temporibus. Pro viribus interea studebo, ut vobis quoad fieri poterit, satisfiat. Valete. ex oppido Tortoles. VII. Calendas Septembris, MDVII.

EPIST. CCCLXI.

Accusativa.

P. M. A. M. Aloisio Marliano.

NOn tibi fuit satis, Marliane, & conterranee & amicissime, ex Turricremata nobis insalutatis discessisse, quin etiam ad hanc Curiam ad quosdam literas dedisti, ad me vero nullas. In te, an in istam Philosophiam tuam, quæ te arripit à mortalibus, stupidumque reddit aliquando, culpam conjiciam, non intelligo. Vale. ex oppido Tortoles. VII. Calendas Septembris, MDVII.

EPIST. CCCLXII.

Quid sit vivere. & quis vivat. quomodo vivatur.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Bellecensi Antelantato Murciensi.

VIvere vitam velles, quod pauci assequuntur. De grege te populi ac stultorum exsolve, & vitam vives. Sapiens namque solus est, cui datur vitam vivere. Sapientes pauci, in paucorum te numerum vendica, & vitam vives. Qui assequi id possis, percunctaris ne te ipsum fallas, ne tibi mentiaris oportet. Mentimur nobis, quia nos esse sapientes, nobis persuademus ipsis & fallimur. Abest namque tantum à sapiente, qui se vinci, perturbarique à cupiditatibus sinit, quantum distat ortus ab occasu. Sapiens incerta non complectitur pro certis. Incerta ac fragilia, supervacaneas opes, titulos ac honores esse cognoscimus. Illis tamen semper major pars hominum inhiat, licet vana esse intelligat. Omni tamen nixu illa quæritat, quibus obvoluta, veluti pulliculus inter stupas semper exæstuat, gemit sub pondere semper. O vos miseros! qui felicitatem in summa locatis infelicitate opulenti. Nil aliud vos esse comperio, quam nundinarios Fortunæ asellos, qui anxii per cruciatus & tormenta, quod ociosi sectatores vestri comedant,

edant, vestiant, luxurientur, coacervare quæritatis. Mulos vos esse lignorum portatores invenio divites, quos ad nemora sylvasque, lignatum vos (ut ipsi calefiant) vestri sectatores impellunt. Vos autem læti sub sarcina cæteris mulis grandiores, sub onere tandem, quo majore premimini, aut obruti cœno per pluviosam hyemem, aut pulvere suffocati æstu procumbitis: animamque miseram, quæ nec horam vixit dum viveret, ab ipsismet, in quorum causam miseri vixistis, derelicti exhalatis. Tu autem, qui consilium vis exemplo aliorum deterritus edocetor. Desine sperare, satiari tuum posse appetitum rebus, quæ satiare minime possunt. Quicquid namque sub orbe jacet lunæ, sub una congestum crumena satiare haudquaquam animam unam sufficit. Quia *ipsa universo preciosior orbe*. Humanis igitur his bonis utere, ut servis, ad necessitatem, non ad affluentiam. Illa tibi habeto, non illa tibi, ut molestos sessores dorso conjicito. Bonis autem animi confidito. atque inhæreto in Deum, & vitam vives. Et vale. v. Calend. Septembris, MDVII.

EPIST. CCCLXIII.

Conveniunt Rex & filia. pulchra congratulatio. de Duce Najara & Emanuele.

P. M. A. M. Suo Comiti.

JAm tandem venit optata dies. lux tibi tua rediit, quam amiseras Castella, qua latente in obscuro propediem ruitura jacebas, è fletu & mœrore, ob discrimen, quod jam imminebat, in gaudium prosilito. Paternos complexus IV. Calend. Septembris in oppido Tortoles observatrix filia Regina tua Joanna subiit. Rex præ lætitia non temperavit à lachrymis. Regina vero licet immobilis extiterit, quia nescit à deprehensa pellice Belgica ob doloris atrocitatem, quid sint lachrymæ: non leviter tamen animum aperuit in lætitiam. Institerunt ad multam noctem alterne, contenderuntque, uter locum eligeret, ad quem commodius Curia duceretur. *Tu Regni Domina*, *licet filia*, Pater inquit, *tuum est deligere*, *quid aut quo malis*, *proficiscamur.* Regina vero *perpetuo genitores à natis observatum iri debere* arguit. Paterna vicit reverentia. Est ab urbe Burgensi oppidum ingens annona omnis generis uberrimum, ad sex lequas nomine *Sancta Maria del Campo*, eo ab Rege appellato, quo solemus more, Rex ubi eluxit, Regina noctu viri busto comitata, tetendimus. Letheam Rex quadrigam tollere, licet monstrifica res inaudita, non audet, ne illam perturbet. Hinc agitur cum præsidiis ab Emanuele discordiarum inter socerum & generum satore, in arce Burgensi locatis, quam Emanueli Philippus Rex tradiderat, ne iracundiam malint Regis experiri, quam Arcem dedere. Emanuelem in tutelam dux Naiaræ assumpsit. De Emanuele, quamvis tantorum fuerit causa malorum, ea est ratio, quæ generoso leoni de mure exiguo. Arcem tantum solvi à præsidiis imperatur. Comes Petrus Navarrus cum peditatu delecto, & bellicis ad muros quatiendos machinamentis jubetur accingi, ut nisi steterint imperatis inclusi arce pervicaciæ pœnas luant. se namque arcem dedituros inconsulto Emanuele recusant. Dux Naiaræ receptor Emanuelis ab Rege vocatur ad Curiam, salvum petiit conductum, tutelares de regressu pro libito literas, quædamve sibi pacta fieri. Irrisit Rex viri audaciam, jussit per nuncium ab eo interrogari, an soleant Proceres Leges à Regibus exigere, qui licet regio se nomine libens Castellæ spoliaverit, Jus tamen integrum Regis habeat. Veremur, ne Ducis magnanimitas eum in præceps trahat. superat vires animus. Vale. ex Sancta Maria Campi in nonis Septembris, MDVII.

EPIST. CCCLXIV.

Datur in Mahamut galerus Toletano. cur non in Curia.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SEræ sunt hæ literæ, sero nuncius occurrit. Quæ fiunt, accipito. Iidem busti regii custodes in hujus oppidi templo, hæ eædem initiatorum ceremoniæ, ac si nuper conclamatum esset. Vetuit ibi Regina rubrum Toletano Archiepiscopo galerum imponi, qui cum Rege allatus est, aulæa jussit, cæteraque ornamenta deportari: Non oportere lætum quicquam, aut jucundum exerceri, ubi ipsa lugendum mariti corpus habeat inclusum. Ad stadia igitur duodecim, distat oppidulum aliud nomine *Mahamut*. In ejus oppiduli sacello Rege præsente, ex summi Pontificis Julii II. mandato, Cardineo ornatus est Toletanus galero XIX. Calendas Octobris, actis rite solennibus sacris. Eodem die Comes Petrus Navarrus ex obsidione arcis Burgensis scripsit, se habere tormenta machinamentaque omnia stata jam & deposita, sexdecim horarum spacio se dirupturum è mœnibus, quantum sat sit ad immittendos expugnatores, nisi aliud imperetur; cœpturum se, ubi primum illuxerit, solvere tormenta in obsessos. Inclusis ni sese illico

illico dederint; edixit interniciem. Civitas quæ sese obtulit in pertinaces, jussa est quiescere. Vale. ex Sancta Maria Campi v. nonas Octobris, M D VII.

Epist. CCCLXV.

De arce Burgensi. de discessu Andreæ Cæsarei Oratoris.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Vix domo superiores literas emiseram, quando allatum est; obsessum in arce Burgensi præsidium pro Emmanuele sese, cum necunde auxilia speraret, dedidisse; vim tormentorum iramque Regiam veritum. Andreas Burgensis, ne ultra dissidentium animos vanis concionibus foveret, dimissus est ex Hispania; donatum tamen & honoratum remisit Rex. Ita jam nullæ vepres, nulli tribuli. purgata omnia. Regina patrem mira colit reverentia. Ex Germania fama est constans, Maximilianum, qui paulo ante armatus dicebatur, jam deposuisse arma; pacemque initurum cum Rege Gallo, ut una omnes in Turcas sese expediant: Ab Rege tamen Catholico nostro suasi, cujus animus fuit semper in nostræ fidei hostes pronus. Vale. IV. non. Octobris, M D VII.

Epist. CCCLXVI.

Negotiativa.

P. M. A. M. Gometio à Toleto.

Gometi nunc frater, quia tu ejusdem metropolis Canonicus, cujus ego Prior, future propediem Patrone salve. quod hiatu optas vasto, assequeris. fies Episcopus, nescio, an Placentinus, an Segoviensis, an Ovietanus. Hic tuis affinis Dux Albæ tibi soli studet. Scribis, ut Canonicatus tuus Hieronymo detur Matritensi à Rege cujus sunt patrimonium omnia istius Regni beneficia; atque illius portio Vianæ quondam Archiepiscopi à secretis. utrumque placet, quia uterque vir bonus, supplicabimus. dicito Concapitularibus nostris, Tria & viginti ea beneficia quæ petierunt, ad unguem à Rege illis initiatis concessa, quos ipsi præposuerunt. Vale. ex Sancta Maria Campi. IV. nonas Octobris, M D VII.

Epist. CCCLXVII.

De mutatione Curiæ.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Quando crebros habeo nuncios, frequentes ad te literas do. Si raro, raras. Pacatis rebus Burgensibus Rex natam compellavit, ut ex Sancta Maria Campi in amplam urbem aliquam Curia duceretur. Annuit patris mandato. discessimus quisque suo more, matutinis Rex, nocturnis Regina itineribus, suoque ferali curru, & duobus filiis, mare Fernando, Catharina fœmina infantibus in Hispania natis comitata. Arcos villa est itinere recto ad urbem Burgensem ad stadia quindecim, ea iter faciebamus, quom Regina ignara prius quo duceretur, progredi recusavit; *Nolle se Burgos urbem ultra visere, dum vixerit; quia ibi marito sit privata*, inquit. Fiximus ergo pedem cum ea nos ejus comites, Aloisius Ferrerius pro Rege, vir jam senio confectus prudensque, Malacensis Mindoniensisque Episcopi, & ego cum Franciscorum Carthusiensiumque de Miraflores initiatorum multitudine. Rex Burgos cum reliquis tetendit. Sic diversi agimus. Septimo Iduum Octobris in hanc nos villam conjecit. Vale. ex villa Arcos. IV. Idus Octobris, M D VII.

Epist. CCCLXVIII.

De adventu Reginæ Germanæ. de noverca & privigna.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Ubi sedeamus, jam alias ad te scripsi, nunc quæ volitent accipito. Rex *Germanam* uxorem, Reginam, Valentiæ, ad nos veniens, ut expeditior proficisceretur, reliquerat, eam jussit accersiri. Joanna Regina à genitore petiit, ut uxorem, sibi novercam, ad se duceret videndam. Duxit, convenerunt. uti propriæ genitrici assurrexit, manumque petiit osculandam, quali decuit filiam reverentia suscepit. Ipsi urbem incolunt, nos ruramur. Vale. ex villa Arcos. nonis Novembris, M D VII.

Epist. CCCLXIX.

Moralis.

P. M. A. M. Gometio à Toleto.

De Fortunæ gremio, in quo sedere anxius optas, nil novi, Rex neminem adhuc elegit;

elegit; tu emerges, ne verearis. Scio quibus agam fundamentis. At ne tibi cupido majus onus, quam honos paretur, ſtudere incipito. dorſum ſæpe gravant hæ ſarcinæ. trahunt in præceps animos, niſi evigiletur. Spero te futurum loco dignum, caveto præſertim ab adulatorum aucupio. Vale. ex villa Arcos. in nonis Novembris, MDVII.

EPIST. CCCLXX.

Quid Luzerius ſuper proceſſibus. quid cæteri arguant.

P. M. A. M. Suo Comiti Tendillæ.

SAcroſanctæ Inquiſitionis Hæreſeos Senatores quibus præſidet Toletanus noſter jam rubro inſignitus galero, fraudem dolumque in Luzerianis promulgationibus interceſſiſſe ſuſpicantur, aſtu partim, partim cruciatibus creditur à teſtibus in damnatos accuſationes extorſiſſe. Alii neophytas ipſos iſta confinxiſſe, ut quo latius crimen pateret, eo evaderet impunitius, quia proverbium inolevit, *Multum dimitti, quicquid à multis peccatur.* Et ſub occaſione Potentum (potentes namque jam commaculabant) qui hæc adſtruxerint, veniam ſe conſecuturos ſperarunt. Neque hi Luzerium immanitate liberant, qui apertis & patentibus figmentis in tantam prodierit feritatem, ut Chriſtum voce publica operibuſque profitentes, erroreſque quibus taxabantur, ſe admiſiſſe negantes, ignem tamen traderet. Luzerius autem ipſiuſve collegæ, juxta Legum præcepta ſe proceſſiſſe ajunt, allegata ſcilicet & probata. Quibus argumentis vita hominum agitetur, ac fama (quod eſt ipſa morte deterius intellige) propediem iſta detegentur quæ nunc latent. Væ interea miſeris ademptis! Tu vale. Arcos. pridie Idus Novembris, MDVII.

EPIST. CCCLXXI.

Cedit Regi Dux Naiaræ.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SOlet magnanimitas egregiis bellorum ducibus gloriam (nec injuria) parere. Duci autem Naiaræ perniciem videbatur adſtruere. Pertinax erat. Rex imperat, ut omnes ſui patrimonii dedat arces. Ibat exercitus interim deleturus funditus omne patrimonium ejus, niſi eſſet dicto parens. Subjecit collum jugo. Naiarenſem illi arcem tantum Rex reliquit, nec abſtulit reditus, novis arces ejus regio nomine præſidiis munivit. Hæc pauca, quia novi amicum tibi ſemper Ducem hunc bellorum trophæis inſignem fuiſſe. Vale. Arcos. x. Calendas Decembris, MDVII.

EPIST. CCCLXXII.

Quæ petunt, aſſequuntur Capitulares Granatenſes.

P.M. A. M. Decano Granatenſi.

CApitulares habui veſtras literas, quibus petitis, ut vobis liceat trimeſtri otio frui, ut cæteris Cathedralium Eccleſiarum initiatis, utque liceat matutinas horas primo noctis crepuſculo propter male ſalubrem nocturnum rorem ob imminentes urbi nivales montes & nocturnos graſſatores nuper ad Legem Chriſti tractos, quorum eſt major in ea urbe, quam veterum Chiſtianorum numerus. Velletis etiam, ut initiatorum numerus ad duodecennium in ſingulos ordines (quod redditus non ſuppetunt ad ampliorem) reducatur. ut ſint utputa Canonici duodecim, duodecimque portionarii. idem in cæteris. En quæ petiſtis, omnia conſequimini. Literas habeo regias ad ſummum Pontificem, cuja eſt hæc omnia condonare. nil Regi negabitur. A Luzerio de ignominiis, injuriis, damnis, internitionibus illatis in miſeros innumeros mortales poſtulatur. Feritatem immanem interceſſiſſe jam ſuſpicantur judices. rei eventum exſpectamus. Vos interea valete. ex villa Arcos. XII. Calendas Decembris, MDVII.

EPIST. CCCLXXIII.

De Cæſare in Gallos. de Tunes in Aphrica. de Sophio. de Flandria.

P. M. A. M. Suo Comiti.

ADverte quam cuncta rotent, quam volvatur orbis. Summus Pontifex nova dicitur jeciſſe cum Cæſare fœdera. Cæſar autem ipſe novum exercitum in Galli Regis potentiam comparare: Mediolanum ſe velle, inquit, à Gallorum ſervitute liberare. Ex Europa nil aliud habetur. Ex Africa vero Teneſius Regulus per Oratores Regi noſtro ſe, ſuaque offert omnia; *abhæredatum ſe*, inquit, *à Rege Tremeſſenio, ejectumque ab illo, ab uberi Mauritaniæ regno, ad maritima*; Legationem hujus non magnificare videtur Rex. Sophium ajunt Veneti cum Turcarum Principis exercitu manum conſeruiſſe, duobuſque certaminibus ingentem ex eorum copiis copiam trucidaſſe. E Flandria Gallos quoſdam qui venerant in Geldrenſis Ducis auxilium, fuiſſe peremptos allatum eſt. nil novi aliud. Vale.

Vale. ex villa Arcos. pridie Calendas Decembris, MDVII.

EPIST. CCCLXXIV.

Negotiativa & oblativa.

P. M. A. M. Magiſtro Alfonſo Campos eximio Theologo.

FUrtatus Mendotius Abbatiæ Sanctæ fidei Granatenſis oppidi mihi eſt amicus. Is mihi pollicitus eſt, me inſcio cum nemine ſe contracturum. Moretus Canonicus noſter quædam interjecit argumenta, ſurripere nobis negocium diſſimulanter conatus eſt. cavet à me. ſcit obſtiturum ratione tui, quem majoris facio, quia ſanioribus vivis inteſtinis. diſtatis in immenſum & literis & moribus. Propterea dabitur omnis opera, ut eam tibi ſedem paremus. tu vide, unde ſis redditus, quos impenſites, habiturus. cætera nobis erunt curæ. Quæris, ubi ſiſtamus. ubi nullum, aut unquam eſt ſiſtere, ſiſtimus; in Curia ſcilicet, nunc apud Reginam in villa Arcos, nunc apud Regem Burgis ad milliare ſextum. Ubi negociis intenditur, utraque in Curia contubernium habemus. te ſatis laute, ſi ad nos aliquando venires, utrobique hoſpitabitur. Vale, III. nonas Decembris, MDVII.

EPIST. CCCLXXV.

Mira conſolatoria, exemplo Platonis.

P.M.A.M. Dionyſio Profeſſori Poëſis & Oratoriæ Toleti gutture capto & linguam ob elephantiam.

DUplici me conficit iſte morbus tuus mœſtitia. doleo amici doloribus, angor, quod vas liquore plenum precioſo, ita Fortuna concluſerit, ut latere in tenebris cogatur, neque prodire queat ad communem hominum utilitatem in publicum. eras namque commodiſſimus iſti urbi, dum licuit inſtrumento uti. Triſtor atque iterum angor, quando iſta conſidero, interclusum tibi guttur, linguam corroſam, fœditate vultus ex elephantia maceratum. At quando Sapientum mecum ipſe ſententias evolvo, permitti ab Altitonante iſta, ut in clientes cadant ſuos, reperio. Vult namque per ignem & aquam, per terrores & pœnas, per anguſtias & calamitates parari ad ſuperos iter. Macerari, torqueri, cruciari debere ſervum, ne ſæviat in Dominum ſanxit. Ex incolumitate namque, otio ac cæteris Fortunæ illecebris, ad animæ ajunt perniciem impedimenta pullulare. Ut igitur teipſum fortitudinem amplexando ſoleris, & hortor & rogo, teipſum, id eſt, animi providentiam complectitor. Et videbis te ad idem natum, ad quod & nos, ut ſcilicet aliquando hinc diſcedamus, quo venimus. Et vale. Burgis. III. nonas Decemb. MDVII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

Epist. CCCLXXVI.

Super Comitatu Belcaſtri negotiativa.

P. M. A. M. Joanni Jacobo Trivultio, Equiti Mediolanenſi primario, Marchioni Viglevani, Franciæ magno Mareſchallo.



Oannes Antonius Angleriensis nepos meus, qui ſtipendio ſub tuis vexillis militat Gallico, ad me venit x. Calendas Januarii, tuas mihi literas porrexit. De Comitatu Belcaſtri cauſam tuam Regi propoſui Catholico, Domimino meo. qua fraude Francavillæ Duciſſa, Comitiſſa Accerrarum *Conſtantia de Avalos*, tibi Comitatum illum uſurpet, aperui. Quanti ſis faciendus & bello & pace, quantus ſis, Regi ſignificavi. talem ſuaſi virum, qui ducẽtandis regendiſque exercitibus, nemini par ſis, non eſſe abjiciendum; quia præſertim jus ſibi ſervatum iri petat, nec aliud quicquam, quod nec hoſtibus ſolet negari. Quæ tu in Marchionatu Salutiæ in Alpibus ſitæ, Carmagnolæ redeunti mihi è legatione Babylonica, dixeris, repetii, te ſcilicet nullo pacẽto arma in Aragonum quenquam Regem ſumpturum, quia ſis apud eos fere enutritus Neapoli, honoribus auctus & auctoritate. Propterea de te, domum illam bene meritam aſſeverabis. Addidi præterea te (quom apud Carolum Regem de militari ab eo ducatu ſumendo ageres) primum cum eo fœdus jeciſſe, ne tua uteretur opera in eam domum, licet magno te Mareſchallatu (ut ajunt Galli) ornaverit. Comitatum vero iſtum Belcaſtri tunc à Rege Fernando I. ex Aragonica domo Neapoli regnante, aſſecutum propoſui, quom ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo, bello urgebatur, Proceribus Regni, paucis exceptis, deficientibus, ut è Regno Fernandus ejiceretur. te namque cum duabus & viginti catafractorum turmis, non infirmis auxiliis, à Ludovico Sfortia miſſis Fernando ſuppetiis, iviſſe in Regnum, Regi nunciavi. Tuis laboribus, tua vigilantia, diligentia, opera, cum ea parte exercitus, Fernando fuiſſe robur non parvi faciendum diſſerui. Tua igitur virtute bellica Comitatum fuiſſe iſtum tibi à Fernando condonatum, non aliunde partum. Qui ſi fortis & prudentis Imperatoris officio functus non fuiſſes, deturbatus è Regno, forte Fernandus Rex fuiſſet. tanti obſequii præmium, ne tibi tollatur, Regem oravi. Senatoribus igitur Regiis demandatum eſt, ut utriuſque partis jura ſcrutentur diligenti cura. Suum cuique tribuatur, imperavit. Quæ ſequentur, intelliges. Vale interea. Burgis. IV. nonas Januarii, MDVIII.

Epist. CCCLXXVII.

De Cæſare & Gallis. quis Imperator ſit Galli & Veneti exercitus. Trivultius patriam vendidit Gallis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Paucis ante diebus venit ad me nuntius à Joanne Jacobo Trivultio noſtro concive, magno Franciæ Mareſchallo. Is præter patroni negocia, Maximilianum refert Cæſarem, ex Alpibus Tridentum uſque Imperii urbem Epiſcopalem, deſcendiſſe in Italiæ fines, cum magna impedimentorum & machinarum copia. Sed addidit, parvam eum & peditum & equitum habere coactam manum, quod deſint facultates ad ampliorem comparandam. Formidat ipſius acceſſum tamen Rex Gallus. Formidant & Veneti, qui ne in Italiam ingrediatur armatus, una cum Gallis obſtare parant. Sunt ex Germania in Italiam Cæſari tria itinera, ab Helvetiis per Comenſem lacum, unum & qua Benacus, *Garda* nunc, lacus, alterum, quæ ambo ex Alpinis jugis derivantur. Tertius ex Rheticis montibus per vallem Cadobrenſem, in provinciam, quæ Forum eſt Julii, nunc *Frivolum* appellatum à Venetis. Cujus provinciæ caput Urbs eſt Utinum. à Foro Julii Venetus agit in Cæſarem exercitus. ab utroque lacu radices occupant Alpium, copiæ Gallico merentes ſtipendio, quadripartitæ; Vaſconum fama eſt, ineſſe millia decem, totidem Italorum, duo Helvetiorum, quos *Suizios* dicit noſtra ætas, Hiſpanorum millia tria. Diverſi diverſis objecti

jecti angustiis Alpium. Catafractorum mille octingentorum habet exercitus Gallus numerum. *Cataphractum* vocat Gallus *lanceam grossam.* Amborum est electus exercituum Imperator conterraneus meus Joannes Jacobus idem Trivultius, qui nisi propria raptatus rabie in Ludovicum Sfortiam patriam Gallis vendidisset, cunctis mortalibus gloria belli præcelleret: quem nosti, quando Mediolano in Hispaniam iter faciebamus. Hi sunt novi belli apparatus. quæ succedent, intelliges. De Sophio autem Persa, inquiunt Veneti, non minoris se facere illius prosperos successus in incommodum Christianorum, quam si Turcæ illum sternerent. Magni esse animi ajunt virum, magnique ingenii, atque una Philosophiæ sectatorem, amatoremque, cujus illi puero, Pater emoriens rudimenta reliquerat; naturæ amicus, quæ naturæ sunt consona fovet. Libertatem populorum, ut animos alliciat, se quæritare prædicat. De Turcarum Principis sobole filium ajunt ad Sophium confugisse, stimulisque Sophium urgere, ut in patrem progrediatur, qui jam senio marcidus æger jacet, uni deditus è filiis, quos habet plurimos, cui omnia Regna relinquere cæterosque exhæredare cogitat. Vale. ex urbe Burgensi. IV. Idus Januarii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXVIII.

Suasiva, ne quis inani vento crucietur; ne mutato loco mutetur animus.

P. M. A. M. Magistro Alonso Campo seximio Theologo, Canonico Granatensi.

FUrtatus Mendotius nostræ Granatensis Sanctæ Fidei Abbas, nostro se rogatu annuit Abbatiam tibi præbiturum. Sed reddituus petit æquantes Abbatiæ censum. Tu nonne Canonicus? nonne mercede frueris annua quadraginta numorum millium? ut quid irretire te cupis cum incommodo? Si quid iste velit pensitaveris, de tuis quadraginta potius aliquid est tollendum, loci te anxietas movet, video. Prior me sedebit Sortes? prior Plato. en vir bone, misero sunt ista popello quæritanda, qui aliter jaceret, nisi talibus adminiculis, atomo levioribus, inniteretur. Viro autem egregio secus. Is locum honorat, adornat, non locus ipsum. quid tibi, hic an illic sedeas, qui doctrina mortalem æquas quemque, qui sapientia sidera vincis. futilis est igitur hæc ratio, & si contenderis, aliena tibi manu, rete quærito. Nolo ego talem mea dextera virum gratuito cuiquam subjicere & implicare. Matritensem Canonicum amicum utriusque procuratorem meum, per Legatum Apostolicum, Bacharium creavimus & Licentiatum, ab illo tu strenam exigito gratulabundam. Non scribo ad eum, ne videar collatum velle beneficium exprobrare, quod probro par est. Nunc apud Regem sum Burgis, quo veluti Castor & Pollux dimidium tempus diverto, reliquum in villa Arcos ad stadia forte XV. apud Reginam. Vale. ex urbe Burgensi. IV. Idus Januarii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXIX.

Negotiativa.

P. M. A. M. Capitularibus Granatensibus.

QUalis mihi fuerit, cum Regii Fisci computatoribus, super taxatione frumentaria pestilentis anni sexti & quinquagesimi contentio, referre nequeo pertinaciter. quo pretio fœneratores redactum in coctum panem triticum famelica vendunt plebi misere, eo intentarunt precio nos in eadem decimali undecima, quæ nos tangit, onerare. Dilatus est in alium diem conventus eorum, quid statuetur, intelligetis. pedibus manibusque (ut vulgo dicitur) enitar, ne nos opprimat. Valete. Burgis. IV. Idus Januarii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXX.

Trivultii & Francavillæ merita super causa Belcastri.

P. M. A. M. Joanni Jacobo Trivultio Mediolanensi, Marchioni, Magno Franciæ Mareschallo.

IN Belcastrensi re tua infensos habes Curiales omnes, non quod tibi sint, qui te non norunt, inimici, sed quia sint adversariæ competitrici, & uxoris tuæ sorori Ducissæ Francavillæ, quam Neapoli noverunt amici, mulierem à literis, ab elegantia, à forma commendant, at virtute bellica tollunt ad sidera. Nisi hæc mulier Hispano sanguine progenita Hispanis Isclam insulam, quam ditione tenebat, quæ fere in faucibus jacet Neapolitani portus, dedisset, quo tempore bellum atrox inter Gallos & Hispanos ingruebat, qui de Hispanis interrogant, salutem Hispanis, Gallis vero perniciem hanc fœminam peperisse contendunt. Ex ea insula ferunt Hispanos vires in Regum collegisse. duras

præterea

præterea fuisse passum obsidiones propugnando, trucidatos coram vidisse strenuos nepotes duos. Hæc & multa præterea una voce arguunt, omni propterea gratia, omni favore dignam dicunt. Quid præmii tantæ fidei, fortitudini, constantiæ tribui potest, inclamitant. his ego, tantæ mulieri, quam Herculem superasse vultis, tam bene de vobis meritæ dimidiam saltem Regni partem deberetis jure merito impartiri. Sed de vestris, non de alienis facultatibus illi satisfacite. Quid si hic, qui Gallicam in nostrum exercitum imperaturam recusavit, in Regnum Neapolitanum, in quo ab annis teneris arma exercuit, vias, passus, plana, montes, angustias, patentes campos, flumina, mores denique hominum callet, tantum inermis domi manens promeruisse vobis probetur, quantum illa totis viribus innixa, Galli duces in vos missi furore boreali perciti, rerum Italarum ignari, laborum, vigiliarum, algoris atque æstus, & inediæ impatientes, prudentiæ, magnanimitatique jure merito magni Gonsali Fernandi imperatoris nostri facile cesserunt. Testem vobis magnum eundem habetote, quanti reliquos illius exercitus adversi fecerit, quando Trivultium non venturum intellexit in eum, *Opimiora*, inquit, *spolia ex hoste referemus, quo plures in nos venerint*. Solus hic Trivultius animum illi in diversa trahebat, cum pari rem se habiturum argumentabatur. Sed quid ego hæc? Sua petit integra fide, immenso labore quæsita. nolite igitur tantum virum à Regiis obsequiis tollere. nequeunt mollefieri, conceptam servant pervicaciam. Rex tamen literas tibi Savonæ, quom una duo maximi Catholicus & Christianissimus convenerunt, præbitas jubet corroborari affirmarique. propediem ad te Joannem Antonium cum his literis remittam. Si quid ultra emerget, integro tibi animo, ut patriæ principi obsequar. Vale. Burgis. III. Calendas Februarii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXI.

Cæsar à Pontifice Imperator electus *appellatur. quomodo Germanis succedat. de Sophio. de Afris infestantibus Granatam.*

P. M. A. M. Suo Comiti.

MAximilianum Cæsarem inter Tridentum & munitam Venetorum arcem nomine *Rovoredum* castra metantem novo Summus Pontifex titulo insignivit. loco namque aureæ secundæ coronæ Imperatorem electum Pontificio chirographo nuncupavit. Rovoredi expugnationem tentasse dicitur, ac re infecta discessisse. Validis namque reperit illam præsidiis & machinamentis munitam. Posthæc relatum est circiter Idus Majas per Venetos milites, Germanos complures, qui forte pabulatum & frumentatum ab exercitu ierant, fuisse trucidatos. damna potius recipiunt Germani quam inferant. Joannes Jacobus Trivultius utriusque ductor exercitus castra habet opposita hostium castris. Cito *Taratantara* clanget, nec loci natura, nec alimentorum penuria stare diu patientur, quin concurrant. ad vos illico mittam, qui referant rei exitum. Sophium Persam ferunt in hyberna secessisse, nec lacessere quenquam. Proxima, inquiunt, proditurum æstate. Cæteri Principes dormitant. De nobis quid? pace fruimur aurea sub Fernandi clypeo Regis tecti. Quod vero Aphri piratæ Granatæ litora perturbent, Christianosque abducant captivos, pœnitebit illos. non post multo luent pœnas. Vivat Fernandus, in decuplum solvent. Mos est, uti nosti, bellicus, ut hinc rapiamus, inde spoliemur. Viribus agit Mars. Burgis. XII. Calendas Martii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXII.

Consultiva & Congratulativa.

P. M. A. M. Aloisio Marliano Philosopho Vatique egregio Concivi S.

CAlesii te freti procellosas rupes & Belgicas quas vocant *Bancos*, Syrtes Flandriæ evasisse scribis. Margaritam rerum Caroli principis Infantis administratricem, adiisse inquis. Lætamur qui tibi bene cupimus, quia præsertim dicis eundem te locum apud eam Carolumque Principem retenturum, quem Philippo vivente fueras assecutus. At te iterum armatum inquis & militaturum, Maximiliano electo Imperatore, in Italia, quem ais ex Ducatu Mediolani utrique nostrum patria Gallos ejecturum. quid sentiam intellige. quod incolumis evaseris, sisque in tuto, non aliter mihi gratum, quam si meæ dimidium animæ fluctuantis servatum renunciaretur. De bello autem si consilium amici vis, bella gerant bellatores, Philosophis inhæreat lectionis & contemplationis studium. qui fieri potest ut bello aptus urgente senio reperiatur, qui à teneris unguiculis perpetuo libros, arma nunquam exercuerit? Si electus Imperator voti compos efficietur, liberum tibi erit in patriam redire. At si duros repererit obices, duplici Gallos iracun-

dia in te liberosque tuos, & familiam concitabis, qui toto Sfortianus es pectore. Exspectato igitur sub tecto, non sub pellibus rerum eventus. Et vale. Burgis in Calendas Martii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXIII.

Negotiativa.

P. M. A. M. Decano & Capitularibus Granatensibus.

PEtitis ut vestræ mensæ Capitularis portio ab Episcopali, nunc vacua secernatur Rege inconsulto. Id haudquaquam fieri est æquum, Regi rem proposui. *Simus nostra sorte contenti* respondit, *donec pastorem nobis dederit.* De pecuniis quæ nobis in Salinis assignatæ in exactorum Fiscalem decoctum inciderunt, Chirographum accipite. De cæteris creditoribus neque volunt, neque ab æquo justoque discedit, ne ordinem pervertant, citentur, inquiratur in eorum prius facultates juridice, & juxta Legum sanctionem, tunc mutabitur in aliud Fiscale membrum, quod deerit. Abices redditus quondam à Mauris suo Mahometi dicatos includere in ordinaria vestra stipendia tentarunt, obstiti. Computatorum disjeci pertinacem contentionem. De cæteris quæ petitis, in ordine initiatorum ruralium & parochialium tribuum, ne cui amplior quam duodecim numorum vestrorum, quos *maravedinos* vocatis, milium superet, neve addatur quis adsignato jam numero. fiet, uti censuistis, quod vestro privilegio addicti census præcedant cujuscunque alterius privilegii solutionem. Respondetur, multorum esse particularia, vestrum generale, nec tolli posse quod alicui in loco signato conscriptum sit, ut generali tribuatur. Valete. in Calendas Martii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXIV.

Imperatorem Gurritiam, Trigestum & Exercitum ajunt amisisse. de Gallis quædam.

P. M. A. M. Suo Comiti.

CÆsari electo Imperatori satius fuisset, ut video, Pace media vixisse quam bellum quæritasse, quandoquidem impar duobus tantis hostibus. multi putant provinciam sumpsisse confisum Rep. Veneta, quæ jam ægre ferebat Gallorum viciniam. At sero sapuit. Ita multis ante diebus convenerat, sed electi mora præbuit Veneto necessitatem, ut cum Gallo fœdus redintegraret, ne in se Gallicum furorem converteret, solusque sarcinam levaret cunctante Cæsare. Si tunc è Germanis descendisset montibus in Italiam, quando à Venetis arcessebatur in Gallos, forte fortuna Gallorum cantus rauco sonasset gutture. In hac amisit lucta Imperator electus Gurritiæ Comitatum; amisit & urbem illustrem Trigestum cum omnibus Trigestino freto oppidis adjacentibus. De ipsius autem exercitu quid? per exploratores Hispani generis milites castrenses factus certior, Trivultius Imperator adversæ partis jacere Germanos in castris, non ea cura vigiliis dispositis, quam exigit regula Martis, prosiluit noctu, ad eos compositis ordinibus, qua nocte Dominicam observamus resurrectionem, Germanorum adoritur castra, palantes oppressit. subita formidine dispersit, vicit, profligavit atque in fugam vertit. Saucii qui cædi superfuerunt, in Germaniam redierunt. Esset Cæsarea majestas in castris, necne, nondum intelligimus. Vale. Burgis in Calendas Martii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXV.

Luzerius ut rationem det de Processibus, accersitur.

P. M. A. M. Decano Granatensi.

CArdinalis hic noster Hispanus Toletanus Archiantistes à quo sacræ Inquisitionis hæreseos summa dependet, una cum ejus Senatu ad se *Luzerium*, vel, quod rei aptius *Tenebrerium* accersunt, testesqus adduci jubent, quos iste creditur tum astu, tum cruciatibus circumventos, ut inficeret religionem falsis delationibus, imo & fatuis. ineptius namque confingi quicquam potest, quam quod virgines quæ à vicinis probantur paterna domo nunquam exisse, ibique visæ perpetuo, dicantur Hispaniam universam peragrasse, ut recutitam Legem veterem prædicarent, Christi autem dogmata sternerent? Quid doctrinæ speratur in reclusis virginibus? Quid animi ad maternas delicias deserendas? ut per orbem incompositæ proficiscerentur. Et ut Bacchanales adstruxit, pro equis hircorum tergoribus usas & temulentas. Hujuscemodi multa quis potuit judicum hisce fabellis non tam infantilibus, sed tartareis aures præstare? ut hinc fundamentum caperent, ad damnationem & infamiam totius Hispaniæ. Senatus igitur hic, unde tanta contagio, scrutatur. Processus formatos lectitant. Judicia tot crematorum, totque taxatorum quotidianis inspectant consiliis. Vale. Burgis. III. Idus Martii, MDVIII.

EPIST.

EPIST. CCCLXXXVI.

Negotiativa.

P. M. A. M. Jo. Jacobo Trivultio de lite Belcastri.

SOroria ista tua & adversaria Francavillæ Ducissa coram Senatu Neapolitano, tuæ litis judici, proposuit literas, tibi Savonæ præbitas, nullius fuisse vigoris, atque hinc surreptitias, quia Secretarii Almazani dextera minime fuerint referendatæ (ut ajunt) ego autem regem denuo adivi hortando, monendo, orando. à Rege petii, ne tantum virum, qualis tu es, velit à se abalienare, qui Comitatum illum non tanti facias, quanti Ducissæ ipsius verba incomposita, quibus gloriam tuam, quæ ingens est, taxare commaculareque videtur. Quia te adversatum esse arguit Regi, quod in ejus auxilium in Regnum non veneris contra Gallos, qua fraude illi à te sororio Comitatum creditum à Fœderico Rege jam spoliato sub data Castelli novi cum discedente Iscla Fœderico conscriptum sit privilegium impetraverit. Immo à misero Rege hospite, qui exul in Galliam divertebat, extorsit, quando ipsa infami tectorio quo fraudem suam velat, te non venisse in Regnum inquiens. Regi ego dico, non minus te fuisse Regi obsecutum, quod non veneris quam ipsa fœmina (licet Herculeo eam multi vigore insigniant) potuerit promereri, nec quin ipsa bene se gesserit adnegamus. addidi Regi, ne patiatur, quod in ejus Curia, tanto viro quisquam adversetur, quem si amiserimus, quid lucri conjicere possimus in crumenam, non intelligo. jussit propterea Rex (illis invitis) literas propria dextera subsignatas, expediri. En illas tantopere desideratas. utinam voti compos efficiaris, quandoquidem tanta te urget anxietate hujus Belcastrensis Comitatus possessio, quod primum fuerit tuæ bellicæ virtutis præmium. Vale. Burgis pridie nonas Maii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXVII.

Narrativa & laudativa & suasiva.

P. M. A. M. Trivultio Episcopo Comensi Scaramusiæ magni Trivultii nepoti.

MAtthæus Malfelitus vir Balearicus Aragonici Senatus Vice-Cancellarius, qualis quantusque sis mihi rediens ex Gallia Orator pro Catholico Rege meo retulit, qualem genere, talem te literis prædicat & ingenio pollere, nullam tibi naturæ dotem ex his deesse, quas (quom se beneficam in quemquam ostendit) solet impartiri. Jo. Antonius Anglerienfis nepos meus, qui sub tui patrui vexillis mœret, secundo ad me missus cum literis regiis à patruo petitis. super lite Belcastrensi revertetur. velim profuturas. officit patruo tuo, Francavillam è nobili genere Hispano esse ortam, & affines & amicos hic habet, quotquot Regis adhærent lateri. Tuus autem patruus neminem, me excepto. quia illam omnes, patruum nemo noverunt. nomine tantum notus est, illa & sanguine Hispano cara, & meritis grata. de illius fœminæ morum elegantia, forma, literis & eloquentia, quicunque Neapolim Regi Catholico fuere comites, mira prædicant. At de fortitudine (suffla) Nezarinam quidem Sacarum, aut Hippolyten Amazonem bellicosissimas clariora belli facinora gessisse ratiocinantur. Semiramidem tantum excipiunt, quia insulam Isclam Hispana mulier Hispanis, non Gallis dederit, obsiderique se atque oppugnare passa fuerit. egregie quidem se gessit, sed nil supra homines, ut isti volunt. his agimur procellis in primarios omnes, nitemur tamen contra rotantium sphærarum impetum. de rebus autem meis per eundem intelliges, quid velim. officio fungere nobilis & magnanimi viri, si quid erit in quo apud istos Gallos, quorum Senatus Princeps esse diceris, opus fuerit opera tua. Cardinali Rotomagensi Legato meas impartitor literas. Burgis. pridie nonas Maii, MDVIII.

EPIST. CCCLXXXVIII.

Quale sit patriæ desiderium. quibus causis cogamur amare illam. inter Reges negotiativa. remuneratio de studio.

P. M. A. M. Georgio de Ambasia Cardinali generali totius Galliæ Legato.

QUanta sit soli natalis vis in natura, nemo est, qui ambigat.

Dulcis amor patriæ, dulce solum patriæ est,

attritum est proverbium. Degenerarem igitur ab universo, non modo humano, sed ab omnium animantium genere, nisi & ego mihi bene cuperem in patria. Nisi mutatam ab ea elementorum particulam corporalem hanc, substantiam redditurum creditoribus aliquando statuerem; en & qualis anxietas Spiritus est, qui per illos cœli meatus, in hanc molem persundatam infusus, cupit illo trahere materiam istam, qua reclusus est, ac si nulla speraret

 alia,

alia, via hinc prodiens, quam illa cognita ad superos posse remeare. Magno me, Purpurate, affecisti beneficio, quom redeunti mihi ex legatione Babylonica Carmagnolem Marchionatu Salutiæ, vobis Alpes transeuntibus, cum Christianissimo Rege ad rem Neapolitanam, tutelares à Regis à manu imperasti literas, quas dicitis *salvum conductum*, atque etiam gratis impartiri, quibus ducibus ego & universus meus comitatus, tam fractis bellorum temporibus, provincias omnes Gallicas trajeci securus, & honoratus ab incolis quacunque pedem tuli. acta placuit recensere, Præsul optime, ut in memoriam tibi revocem; *Magnanimi esse, quem semel in patrocinium sumpserit, eundem cumulatioribus indies augere beneficiis.* Beatorum Gratiani, Philini, Carpophori & Fidelis ossa in Abbatia Aronæ Borromæorum ab urbe Mediolano millia circiter quadringenta jacent; ex Abbatum crudeli incuria, contempta, in angulum abjectum cum suis quodque capsulis projecta jacent, & miserando prospectu Abbatiæ ipsius templum dirutum. in id me oppidum genitrix utero portavit, & peperit. tantam impietatem, inde transiens, ut locum natalis viserem, fui collachrymatus. Vovi, me totis viribus daturum operam, ut quacunque daretur, Abbatiam assequerer. Voto addidi, redditus illos vel majorum illorum partem, si voti compos efficerer, me in illius templi restitutionem, & corporum illorum, qualem deceret, tumulaturam exhibiturum. Hinc ubi jam inter Hispanos & vos Gallos arma cessasse Concordiamque intercessisse vidi, meis apud quos multos jam annos versatus sum, Regi & Reginæ, rem proposui, ut à vobis Abbatiam impetrare conarentur, supplicavi. annuerunt meæ pietati. Ad Christianissimum, teque, aliosque omnes, quos apud vos alicujus esse momenti, senserunt, literas precarias dedere, ad oratores suos, imperativas. ex oratorum incuria, nil actum est ad hanc usque diem. Rex autem Catholicus, qui nunc vobiscum est affinitate adjunctus, fretus amicitia & sanguinis vinculo, fretus & amore tuo, vir illustris, erga Catholicam suam majestatem, per literas non modo signatas, sed propria manu scriptas, ad oratorem suum Jo. de Albion, Christianissimum Regem Reginæ uxoris ejus avunculum, & te legatum, cum ampla Pontificali potestate, rogatos facit, ut Rex jubeat, tu Præsul amplissime, præbeas illius Abbatiæ possessori tantundem alicubi reddituum aliorum. Abbatiam istam soli natalis mei dirutam, nobis relinquat erigendam. Id tibi, Clarissime Legate, modo velis, facillimum erit. Hac tibi opera Deum propitium, Cælites illos, quorum corpora honoratum exposcunt sepulchrum, patronos, Regem Catholicum amicum, me obsequentissimum comparabis. Benignis igitur auribus Reverendissimum Comensem Episcopum concivem meum, & familiarem, quem ad id negocii misi cum literis regiis audito, manumque beneficam aperito. Et Vale. Burgis ubi Curia est Hispana, pridie nonas Maii, M D VIII.

EPIST. CCCLXXXIX.

Congratulativa, Suasiva & Donativa.

P. M. A. M. Comiti Misochi, magni Trivultii, filio hæredi.

SOlent homines, à notis patribus, in ignotos filios amorem dirigere. Paterna causa te, magnifice Comes, observavi hactenus. posthac autem, quia delatum est, te omni ornatum virtute, atque inniti ut præclare gestis & bellicis trophæis onustum genitorem, æmuleris, te ipsum ut illum observabimus. Hæc pauca redeunti Jo. Antonio nepoti meo, licet ex transverso nato, sub tui genitoris Mareschallatu stipendio Gallico militanti ad te dare constitui. Duos is ad te meo nomine canes Gallicos ex Hispania ducit, & equestria Hispano more calcaria totidem, pignus nostri amoris erga te, ætati tuæ munera non dissona, equo etiam illum donavimus Hispano cursore, militari. Commendatum habeto juvenem. De patriis negotiis ad patrem satis late. De his ad te nulla sit cura, licet ista tibi omnia parentur. Vale. Burgis. pridie nonas Maii, M D VIII.

EPIST. CCCXC.

Instructiva & Suasiva.

P. M. A. M. Fernando Hispalensi familiari suo in Gallia.

JO. Antonius noster Anglerienfis, quæ velim, referet Puto legatum istum Rothomagensem Cardinalem, Catholici Regis nostri literas, manu propria præsertim, exaratas, non neglecturum, daturum operam arbitramur, ut voti compotes efficiamur. Andreas Burgensis Imperatorius, in ista Gallica curia orator, duram inaccessamque rem istam facit, quia cum Gallis res sit. Quos ipse ait extra se ipsos, neminem putare augendum esse beneficiis. Dic isti meo nomine, Gallos esse homines, qui & ipsi ratione vinci queant. Ita Barbaros aut inhumanos haudquaquam fore arbitror, ut rem sint hujuscemodi tanto Regi affini

asthni negaturi. Res hæc nec statum, nec autoritatem, aut gloriam, vel quod illi durius esse credunt, crumenam tangit. Ecclesiastica hæc, ignavis hominibus atque iisdem inertibus. ipsos videmus, quotquot horis plena manu effundere, desidibusque aqualiculos, istis dapibus farcire. Præterea Rex noster Catholicus morem Gallis gessit sæpissime. Ipsi autem vices non reddiderunt ullas. Dic ei meo nomine, vigilet, laboret, studeat qua capiendi sunt Galli. Scio, eum novisse, modo expergiscatur, majorem me in eo spem habere, quam in isto Oratore Regio Albiono, ignaro literarum, & à natura sibi nato. daturum ostensurumque literas regias. Albionem credo, sed secuturum leporem fugacem diffido. Valete ambo. Burgis. pridie nonas Maii, MDVIII.

EPIST. CCCXCI.

Ratiocinativa & rogativa.

P. M. A. M. Jocabo Albiono viro Laletano Regis Oratori in Gallia.

HAbes, Orator amice, quod petisti. literas scilicet Catholici Regis tui, propria manu conscriptas, in amoris fidem erga me ad Rothomagensem istum, universæ Galliæ legatum, gratiarum activas, quod tibi benigne responderit, seque Regis nostri postulata impleturum promiserit, quia præcipue non nobis, sed ipsiusmet Abbatiæ dirutæ restitutioni, redditus ejus optamus, ubi jacere multa Sanctorum corpora tibi alias significavi. Fungere amici officio, & tui Regis mandata exsequi curato. Hæc est nostro pectori unica rerum humanarum cupido. ex multiplicibus namque ambitionis titulis, cumulatiores molestiarum prodeunt acervi, quam delitiarum. has unciatim ex tumido fastu excerpimus; illas omni modiorum & heminarum mensura nobis fortuna ministrat. Habebis me tibi perpetuo deditum, si enixe huic meæ rei studueris. Scio quanta sit muneris Oratorii vis. Vale Burgis. pridie nonas Maii, MDVIII.

EPIST. CCCXCII.

Carmine defletur hoc exordium de morte Ducis Mediolanensis. Quid Marchio Plegii in prætorem curiæ. quid Petrus Gerio contra Regem.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SIt qualis Fortuna, vide, Comes Inache, magnus Dux ille, ac sapiens, poterit tibi dicere, quid sit Novercæ rabies, spumas ubi mandere cordi est.

Princeps ille, ab orbis Principibus universis prudens habitus, quem finitimæ potentiæ formidabant, Turcarum Princeps magno faciebat, qui Reges Neapolitanos deturbavit, Gallos in Italiam, Maximilianumque Imperatorem affinem adduxit, Venetos, quacunque sederet animo, aliquando trahebat. Is exul, in angusto, sub Gallica servatus custodia, periit. Quali dolore animam illam exhalaverit, tu judicato, ab illo victus, captus, in vincula conjectus, qui & ipse Ludovicus, pauper quondam, & carcere clausus, capitis reus est habitus. ab eo, quem ipsemet Novariæ septum durissima fregit obsidione, deditumque cepisset, nisi obsidionem invitis etiam fœderatis Venetis, solvere properasset, veritus Gallicam potentiam in se concitare. en fatorum ordo! en Fortunæ constantiam! ut celsa ruant, ut strata resurgant. Tu vero scribis Petrum Aquilarium Plegii Marchionem mihi discipulum, ne judex à Rege missus, seditiosos quosdam Cordubæ, debitis afficeret suppliciis, obstitisse. Et quod inconsultius, judicem ipsum Curiæ prætorem, ad oppidum avitum suum Montillam vinctum, satellitibus septum, ductum iri jussisse. Majorem mihi in modum id displicet. Pœnitebit Marchionem, reique participes omnes. Proderit fortasse uxorem habere Regis amitinam, Magnique Gonsali Fernandi patrui auctoritas, quæ maxima est apud Regem. at vereor ne Regi nuper ad Regni habenas redeunti, expediat, nullo pacto tale facinus impunitum relinquere, ne à cæteris postmodum contemptui & risui habeatur. vereor, ne in ejus caput faba cudatur talis, ut ejus exemplo cæteri deterreantur. Præ ira video Regem flammas evomentem. nil hinc boni speratur. Petrus autem Gerio Comitis Ureniæ primogenitus, qui & ipse literaria mea suxit ubera, temperantius se habuisse prædicatur, licet & ipse Regem aliquantulum perturbaverit. quom namque Rex illi jusserit edici, ut Medinæ Sidoniæ Ducis tutelam deponat, quam ei Ducis pater moriens reliquerat, respondisse dicitur, se affectum ingenti molestia, quod nequeat dicto esse Regio parens sine gravi deserti pupilli nota: At se suaque omnia esse Regi obnoxia. Creditam retinuit invito Rege tutelam. Sed nullam solvit ex ore labem. nulla in Regium quemquam sparsit convitia, ne modo injuriam ingentem. me miseret Marchionis, ne in calamitatem aliquam trahatur, dubito. Ludovico hæredi tuo consule, ne in Regiam insurgat Coronam unquam. Et valebit. ex villa Arcos. v. nonas Junii, MDVIII.

EPIST.

EPIST. CCCXCIII.

Luzerius capitur. divinatio deploratur. testes Luzerii solvuntur. Rex it ad Marchionem Plegii. capitur in Africa Pegnonum.

P. M. A. M. Suo Comiti.

PAulatim enatat afflictorum innocentia. Archiepiscopi, qui fuit quondam animæ dimidium, accusationem Tartarea desputam rabie, patet latissime. Soluti sunt vinculis omnes testes, quorum dictis, tum inanibus & fatuis, tum iniquis & perniciosis, Tenebrerius inhærens, occasiones raptavit, quibus tot corpora confligeret, animas perturbaret, familias innumeras infamia repleret. O miseram Hispaniam, tot virorum fortium genitricem, tam nephanda labe, contra jus fasque commaculatam! Ductus est Tenebrerius in Burgensem vinctus arcem. præfectoque arcis imperatum, ut sub fida servetur custodia. Sed quid? mortene sua Thersites mille pensabit Hectorum ærumnas? levabit miserorum curas. cordis anxii pressuræ midebitur aliquantulum, se injuria damnatos, se sub iniquo judice causam habuisse, patefieri. Sit satis de hac tempestate tractatum, Comes Illustris. Rex Cordubam versus, filia in villa Arcos relicta, in male consultum Marchionem de Plegio movit. Deus bene vertat. Timeo Marchioni discipulo meo quondam. Veh præbentibus æqualibus exemplum! In Valle agimus Oleti. Ex itinere, fama est, Petrum Navarrum Comitem, bellorum magistrum, impetiisse, expugnasse, cepisseque promontorium in faucibus Veles de la Gomera in Africa, unde Hispana litora piratæ Afri sæpe spoliant, favente illis Regulo Bellecensi, quem ajunt vino Venereque sepultum vivere. Commodissimam fore stationem nostris posthac rupem illam inquiunt. Vocant promontorium id *Pegnonum*. Vale ex Valleoleti. in nonis Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCXCIV.

Duplex Pragmatica in Regno. quid de utroque litigante super Belcastrensi lite.

P. M. A. M. Trivultio, Magno Mareschallo, Marchioni.

TU scribis regias tibi literas in lite Belcastri parum profuisse. Ducissa vero Francavillæ, tibi sororia, atque eadem adversaria, tonitruis ingentibus Curiam replevit. Affines autem & fautores ejus, vocibus intonant horrendis hujusmodi: *En! contra Francavillæ Ducissam, quæ in Regno tantum est Regi obsecuta, quæ affuit, propugnavit, bella gessit, nepotes amisit, fauces Neapolitani portus Hispanis aperuit, pragmaticis abrogabitur illius causa, qui urgente necessitate deseruit, cum hostibus fuit, in Hispanos consuluit? estne ista tantorum obsequiorum merces?* contra literas tibi à Rege mandatas, me inscio, impetravit, per affines & fautores, quibus ut utrumque Pragmaticæ regiæ caput servetur, edicitur. *Id tua causæ conducere minime*, inquis. Tu autem quid petis? ut Pragmaticæ regiæ tua causa infringantur? sustineri Leges conditas minime iniquum est. At, si latentem in re fraudem, pensitaverimus, nil est in quo Ducissæ fiat injuria. Primum namque Pragmaticæ regiæ caput, hunc habet sensum: *Si qua inter possessores rerum ab Alfonso I. Fernandoque illius filio habitarum, lis exoriatur, nobis inconsultis, nostra Sancta Clara in Regno Senatus, quæstionem discutiat, deliberet, decernat.* Alterum: *Si de rebus ab Alfonso Fernandoque secundis Fœderico Regibus elargitis, quid emerserit, sanxit Rex Catholicus, ad se rem deduci, ut meritis & qualitate personarum inspectis, suo Regio nutu res procedat.* Hæc est utriusque Pragmaticæ medulla. primum tibi caput expedit, quia tuis meritis Fernandus I. Comitatum impartitus est. Secundum vero causam implicat tuam, quia Fœdericus Rex, licet Regno discedens, Ducissam tuo donavit Comitatu, pretium hospitii, quia illum in Iscla extorrem, in Galliam spoliatum proficiscentem, suscepit. *Te vero non modo*, ajunt fautores Ducissæ, *non affuisse nobis indigentibus, verumetiam & cum hostibus fuisti.* Tibi ut cæteris, qui affuerunt, abstulimus. Quid quereris? annuit tamen Rex, *te magni esse faciendum, cupereque se, ut tibi mos geratur.* Sed nescit qua tendat. Omnis opera impenditur. Non dormiemus. Interea vale. Burgis. VI. Idus Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCCXV.

Autoris contentio cum Rege super Belcastrensi negocio. quid Regi ferat de utroque litigante. quid de ipsis advocati dicant in judicio.

P. M. A. M. Scaramutiæ Trivultio, Magni Trivultii nepoti, Episcopo Comensi.

PRoficiscente nuntio ad patruum tuum, qui labentis Italiæ solum est lumen, & spes solatii, fuit consilium, ad te quoque pauca dare. De re Belcastrensi ad illum late scribo. Tu vero hæc accipito, quæ illi ociose referas. Quantum publico debetur laudum præconi,

præconi, tantum vos Francavillæ cupiditati, dolosisque tectoriis debere cognosco. Coacti namque fuimus, patrui tui merita, virtutumque acervos ingentes, & bellorum illustria gesta Regi, universæque Hispaniæ patefacere, quæ apud eos sopita jacebant. Quanti sit iste tuus patruus merito faciendus, jam didicere, qui hactenus eum ignorabant. Ipsa vero, si laudi suæ consuluisset, eam, qua sororium falso commaculare est conata, hostilitatis notam contexisset; Sororium insignem chlamyde (ut ajunt) cooperuisset. Seipsam horrida securi percussit. Competitorem extulit ad astra. Opertuit namque ad infringendas Ducissæ propositiones, utriusque opera, quid uterque valeat, quid promereatur, educere in medium. Qui de fœmina illa illustri honoratissime sentiebant, re intellecta, mutantur, quando præsertim advocatorum allegationes, quarum hic exemplar habemus, inspectant. Horum hic rapacissimam in publico suggestu & concione coram Regio Senatu Neapoli vocat. Ille nil intactum relicturam, alius, manus habituram promptas ad omne nefas, proclamat; quandoquidem perfricata fronte in tantum sororium ausa est id facinus. Judicibus omnes publice suadent, ne isti fœminæ aures præstent. Nec desunt qui se probaturos profiteantur, diu illam hæsitasse, Gallisne an Hispanis Isclam esset deditura. Sed majore spe lucri compulsa, Hispanos dicitur admisisse. Imo & in proditionis notam, præcipitem ajunt decidisse. quum namque in Galliam, exul jam extorris Regno miser Fœdericus Rex, in Iscla, ipsi Ducissæ homagio credita in præfecturam, se accingeret ad iter, ut Gallis, non Hispanis insulam traderet, quo minus graviter se Galli victores premerent; Pinguius dicitur, famæ oblita, pignus elegisse. Quom ista Regi refero, nec datur ista conticere, obmutescit. Trivultium fuisse maximo Hispanis commodo, quod in eos exercitum non ductaverit Gallicum, negat nemo. Hæc & multa præterea, quæ longa essent narratu, speramus tamen rem aliquando consecuturos. Nunc vale. ex Hispana Curia VI. Idus Augusti, M D VIII.

EPIST. CCCXCVI.

Ratio, quare pauci fruantur possessis. & quomodo vita vivatur.

P. M. A. M. Ludovico Sancio Regio generali Thesaurario.

PAucos esse homines, qui præsentibus fruantur, etsi per facultates liceat, sæpe numero te audivisse sensisseque experimento, inquis. Velles præterea, cur id mali accidat, intelligere. Non leve namque malum est. quia dum animus ad futura distenditur, oblivione sui, velut vermiculus inter vepres deperditur, ita vitam quisquis de futuro sollicitam transigit, infelix vivit. Nec vivere dici potest, quia semper ut vita labatur, optare videtur. qui enim ad crastinum oculos intellectus protendit, ut cras jam tandem veveniat, anxie cupit. Dum vero mentem implicitam atque irretitam habemus, vivere hodie desinimus. Ita diem ex die protrahens major pars hominum miserrime vitam perdit, nec vita fruitur unquam. Unde autem tanta calamitas mortalibus exoriatur, advertito. Ex insanis rerum cupiditatibus ista proveniunt. Si contenti præsentibus essemus, nil ultra expetentes viveremus. Ex absentium igitur & futurorum cupiditate, vita hominum fit misera. Si sapiens igitur fueris, finem impones cupiditati, & vita frueris. quia sibi semper præsens sapiens esse reperitur. Stultus vero cupidus semper à se est alienus, & alteri addictus. Ejus namque rei servus est quisque, quám toto animo concupiscit, & quæritat. Inutilem nitimur depascere beluam, *corpus* utpote, cælestem autem dominum *intellectum* fame conficimus, curis, suspiriis, sollicitudinibus exagitamus. Ambitione animum Sortes cruciat, divitiarum cupiditate perturbat Marcus, luxu marcescit involutus cæno Lucius, gaudet vicinorum incommodo luridus Antonius, simultatibus assidue studet Publius. De animi tranquillitate nulla cura. Vivunt ergo miseri, qui sub hujusce perturbationum pedibus strati jacent; nec vita fruuntur. Væ infelicibus! quam futuram exspectant, qui talem transigunt. Tu vero quandoquidem doctrina polles & ingenio, ita hisce fluctibus te implicato, ut fluctibus obsistas, illisque ad tranquillitatis portum, pro placidis ventis utare. Id eveniet, si tu illis dominaberis, præsens tibi, si hoc observaveris, semper reperieris. Futuris ergo ita provideto, ne te, quin pascas animum studiosis operibus, distrahere valeant à præsentibus, & vita frueris. Quod cæleste munus paucis est hominibus à Superis impartitum. Vale. ex Hispana Curia VI. Idus Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCXCVII.

Significativa. Quando cœperit Autor pati renum & iliorum passionem.

P. M. A. M. Eidem generali Thesaurario.

SEquens ab ea qua Regem, teque in ejus cubiculo salutavi dies, ilibus renibusque maceratum, præcipitem dedit Martyrem tuum, diebus noctibusque septem, quales sint Tartareæ pœnæ didici. Ignotum mihi tormenti genus hactenus. Audi præterea pauca quæ familiaris meus referet. Ne irrita facias rogo. Vale. ex Hispana Curia. IV. Idus Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCXCVIII.

Paradoxa quibus colligitur quid sit verax verum primarium & quid successivum.

P. M. A. M. Fernando à Vega Ciceroniano viro, Consiliario à Secretis Regio, Commendatario Majori Castellæ.

VErum se toto nixu quærere amicus ille noster de Primatibus Hispanis unus, quum tecum ille egoque una domi tuæ meridiaremur, obloquitur. Qua verum excuti queat ea se tendere ingenium, die noctuque, prædicat, & repetit, nil sibi ultra sedere animo, ac placere, quam unicum id quod est verum. Quid sibi hac ratiocinatione velit, non intelligo. Nosti enim tu, qui oratores omnes ac vates egregios exsuxisti ad unguem, Philosophiam percurristi, doctores nostræ religionis examussim complexus es, solum id esse verax verum, quod est Deus. Nullus hominum, quorum nos sanctiones & autoritatem observamus, posse Deum aliter quæri quam inventus jam diu sit, monumentis reliquit. posse quæri? balbutivi, imo & igne cremari eos videmus quotidie, qui sibi volunt aliter quæri posse persuadere. Lex statuta nobis est, à qua divertere nefas est, atque impium. Verum igitur hoc jam repertum est. Quo tendimus ultra? ab hoc autem vero, quod veri totius semen est, cætera manant vera, veluti à bono semine, bonæ segetes prodeunt, disperguntur per universum. In his tanquam segetibus licet hominibus sese involvere, in his versari, hæc pertractare. Icareæ nobis alæ cremabuntur, & pelago mersi deglutiemur, si altius tentabimus evolare. Si vero, ut ex pendentibus veris, quæ veriora sunt, elicere queat, libris solum se inhærere profitebitur, cur ab ubere verorum omnium, post illud verum, in quo nemini licet ultra ruminare, divertit Philosophia? Qui adamante vel pyropo jam effosso, quid quærat effodiendo interrogantibus, se pyropum vel adamantem quærere respondet, Draconem forte in subterraneo specu latentem, qui eum absorbebit, pro adamante vel pyropo reperiet. Contenti ergo tu & ego, vivamus his quæ super terra ab antiquis effossa videmus. Et tuti adamante fruemur. ejus tu pendentium verorum genitricis lacte nutritus, vitam hominibus utilem, Regibus sano consilio directariam, tibi tranquillam eglomeras, quia finem sequeris qui solus est finis optandus virtutem, quæ unico tramite graditur, veluti ad unicum sagitta signum dirigitur. Hinc est quod vitiis imbuti stupeant vagantes, quia extra finem procedunt, cum vitiis pateant lata æquora campi, quibus inviis vagi pererrent. Propterea semper fluctuant animis nunquam contenti cupiditatum sectatores. Vale jam, ne te nimis longa oratione, tibi nota fatigem. pridie Idus Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCXCIX.

Quid virilem, quid fœmineum appetitum urgeat.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Bellecensi discipulo.

QUi fiat, ut fœminas viri magis quam fœminæ viros appetere videantur, cum & experimento & Aristotelis sententia, qui dicit *non infirmius fœminam appetere virum quam sicca tellus desiderat imbres*, è converso accidere constet, velles intelligere. Nemini dubium est, quin ardentior, insatiabiliorque sit fœminæ appetitus in Venerem quam viri, *quom fœmina ex viri semine pinguescat, exhilaretur, valeat, vir autem ex fœmina commercio hebetatur, languet, deficit.* Unde igitur tam diversa tendant, ausculta. Eja age si tibi exciderit ex annulo preciosus lapis, licet assueto careat lapis ornatu, minime ad te redire curabit. Tu autem preciosum lapillum, omni studio amissum quæritabis. Sensatum accipe exemplum. En dic: Si è stabulis saginatus equus rupto evasit capistro, liber ad pascua, cuinam acrior erit cura? equone redeundi ad assuetas stragulorum hordei nitidissimi, ac fœni purgatissimi, & scalpentis strigilis delicias, aut equi domino de reducendo? Domino profecto maxima, equo vel nulla, vel non eadem, ne redigatur in servitutem. Quorsum hæc, inquis? ex Adæ costa fœmina

excidisse

excidisse vult nostra Religio, liberam se fœmina sentit à viro separata; viro autem conjuncta mancipium sese aliquando, ex naturæ institutione inclusam fuisse virili costæ divinat. Unde ne in eam iterum regrediatur, semper suspecta videtur, quod maxime appetit, non quæritare, virumque, ut ad se proficiscatur, exspectare. Licet regula sæpe numero patiatur exceptionem. Videmus namque gustato viro plures fœminas sese dedisse præcipites viri amore, quam è converso. Tu credito quæ voles, & vale. Idibus Augusti, MDVIII.

EPIST. CCCC.

Philosophia ostendit ad superos iter.

P. M. A. M. Fernando à Vega, Consiliario à Secretis regio, aurato equiti.

ARtes aliæ, vir magnifice, possunt ab humanorum ingeniorum officinis, dici excussæ atque inventæ. Genitrix autem illa felicitatis humanæ, si qua felicitas reperitur, de qua tibi paucis ante diebus disserui, Philosophia nullam sibi originem aliam, quam ex celsa sede tonantis habere profitetur. Si ex Deo igitur recto venit tramite Philosophia: ubi sperant homines extra hujus prædia, possessiones ac fundos, suæ peregrinationis viaticum ad promissa virtutum præmia, posse reperire? cum cætera sint omnia ad bene recteque vivendum sub Deo jacentia: huic veluti fortunatis agris, uberrimæ segetes obnoxia. Ea enim est, per quam Deus verus instituit Religionem, qua tranquillitas animi, qua iter ad Superos patet, qua Deo conjungimur. Est inter Deum & homines fidissima interpres, dux amantissima. Ea nobis per Elementorum admirandam utilemque discordiam, per siderum cursus, per eorum in terras afflatus, à quibus variarum rerum generatio prodit, quanta sit rerum autoris vis, quanta sapientia, quantus amor, ostendit. ea in terris anima dicitur esse civitatum, quia ex divinis superisque legibus, humanas, quibus rite gubernamur, elicuit. Ea militarem disciplinam urbium, domorumque structuram, civium cœtus, agriculturam ad victum, medicinam ad salutem docuit. Hæc tandem ab hominibus, qui eam complectuntur miseriam detrudit, animi perturbationes expellens, felicitatem parit, quia scire uti rebus, quas possidemus, ita ut ipsarum nos domini esse sciamus, non illarum nos servi, ac si porrecto digito indicaret, ostendit. Jam satis. vale. XII. Calendas Septembris, MDVIII.

EPIST. CCCCI.

De duobus rationis aurigis & de Bonis perfectis.

P. M. A. M. Fernando à Vega, Equiti aurato, à Secretis Consiliario Regio.

ALbensem Ducem istum tuum, cui te, inquis; annorum triginta commercio devinctum majorum heri bonorum esse possessorem, quam tu possideas, ratiocinatus es; oportere propterea te illi familiarem esse fateri, non æqua lance invicem intima familiaritate conjunctos. Si propositionem tibi majorem satis apte confutavero, nil detractum de illius amplitudine ac fortuna decore aperta fronte profiteri licebit, quod vos intima esse devinctos familiaritate, imo & necessitudine recensuerim: majorum, inquis, esse bonorum possessorem, pedibus manibusque; quia utrumque non infirme cognosco, negandum id jure merito probabo. Is namque majorum est possessor bonorum, qui Deo propior per virtutem elevatur. Ille beatior inter homines vocitatur, qui animæ vires ad divina, sæpius erigit. Duas animæ beluas immanes; Irascibilem & Concupiscibilem (inter sacra Dei penetralia ratione fabricata) prosternit, calcat, lacerat, depellit è præcordiis. cordis ac jecoris vires rationi, veluti equi duo aurigæ: ut illi pareant, quacunque illa velit, proficiscantur, addictæ sunt. Hos quicunque bene domitos reget, res humanas tanti faciet; quanti oportet fieri. Is hostium internorum victoriam assequitur. quod est quam totum orbem vincere, gloriosius, & recta patebit huic iter ad superos. Is fragilia quæ adeptus est, liber possidet. illis velut instrumentis utitur, non ut sessoribus paret, ad necessitatem servat, ad exigentiam diffundit. Is petulanti bestiæ, appetitui scilicet corporeo, quæ conveniunt feræ bestiæ impartitur, ad animum vitæ causam tribuens; & vitam ratione duce componens. Qui per hæc vasti maris æquora suam navim ita gubernabit, raro ullius egebit, raro (ut major pars hominum semper) dolebit. De re satis multa. Adaptemus jam tandem. Iste tuus, quia seipsum non possidet, nihil possidere dici potest; quia servis homini datis in servos, subjacet & duci quà velint, patitur. Tu vero, licet in Fortunæ gremio sedeas, quæ fortunæ sunt, de Fortunæ acervo sumpta intelligis. tantique illa facis; quanti debent; nec pateris, ut te relegent à te ipso, aut disturbent. De Virtute namque major tibi cura est, quam de divitiis, aut Ve-

 neris

neris & Bacchi consuetudine. Quantum igitur ab noctivaga Phebe distat crinitus Apollo, tantum à divite longa titulorum pagina circumvoluto distat animi bonis ornatus. Quare tibi factam (si qua intercessit) injuriam existimo, non illi. Quia si te Fortunæ superat blandimentis, illi tu præcellis intra virtutis amplexum. nec plura his. Vale. ex Valleoleti. in VII. Cal. Septembr. MDVIII.

EPIST. CCCCII.

In Berna urbe Germaniæ confusio inter fratres de Conceptione Virginis. qui & ubi combusti.

P. M. A. M. Suo Comiti.

ANno superiore scripsi pullulantem in Berna urbe Germaniæ superstitionem inter concionatores ad Archiepiscopum tibi collegam. Quæ post hæc evenerint, accipito. Veriti cœnobitæ concionatores, rem hanc de conceptione beatæ Virginis, fore ipsis perniciosam, si eorum argumentatio, tot annos manibus pedibusque sustentata, infringeretur, cogitasse feruntur de veneno in cibo semel, in potu secundo, in Eucharistia tertio, fratri illi Joanni Jetzer innocenti, præbendo: Is *nulla fuisse tactam originali macula beatam virginem*, persuasione sani spiritus edicebat. Id quominus processisset, frustrati ad magicas artes confugiunt. E cœnobio viri quatuor, quorum unus clarus fuisse dicitur concionator, magister frater *Stephanus* Subprior, alter nomine *Franciscus Visth*, chirographa proprio ipsorum quatuor sanguine inscripta, feruntur Dæmoni sub specie Æthiopis porrexisse. Dæmon is, ad eorum postulata, cum sociorum cœtu, aderat. eorum opera, nemine accendente; in templis accensæ faces repertæ sunt, pulsarique auditæ sunt campanæ, trahente restes nemine; cœnobium ipsum ingentibus fremitibus noctu semper concutiebant; sed tunc præcipue, quando fallere innocentem Jetzer statuerant. concussis namque cellæ ipsius foribus, sub Beatæ Virginis habitu fœmineo, per fenestellam Subprior apparebat; fratre Stephano inspectante, Gabrielemque Archangelum dissimulante, ut fratri innocenti persuaderent, *ne sine originali nota genitam Beatam Virginem putaret, ne id ultra populo ediceret*. Innocentis dehinc opera usi, in manus illi acri quodam pulvere injecto stigmata, Christi plagas æmulantia figebant, & præbito soporifero poculo ad ecstasin distrahebant. per aliud poculum in se rediens experrectus, populo mirante, quæ fratres adstruxerant, veluti fanaticus enarrabat. Ita decepti Bernenses aliquot menses, fraudem contextam patefecere. per judices Pontificios deprehensi quatuor hujus facinoris structores, damnati pridie Calend. Junii anni hujus MDVIII. publico incendio absumpti, in Araris fluminis ripa, fuisse dicuntur. Hæc habui ab his qui ad Curiam veniunt ex Germania Oratores ab inclyto Cæsare Maximiliano electo Imperatore. hæc habeto, & vale IV. Calend. Sept. MDVIII.

EPIST. CCCCIII.

De Temporum angustiis.

P. M. A. M. Capitularibus Granatensibus sede vacante.

NImium vobis eblandimini. Instatis anxie, ut vobis alia sint tempora, ac reliquis istius Regni Ecclesiasticis. Almerienses Malacensesque initiati, vix anni præteriti chirographum, quod dicitis declaratoriam, exigendorum redituum ipsorum sunt assecuti. Vos autem illam & præsentis anni alteram habuistis. neque adhuc sedatis animos. obolum vos dilatum deploratis? multi aureum ablatum patiuntur. nonne animadvertitis, quam calamitosa, peste fameque tempora fuerint? putatis vos esse solos quibus redditus implicentur. nec vobiscum agitur, ut fiscalium redituum decoctio exigeret. ne sitis adeo teneri ut liquefiamini durum vobis videtur pedum plantam madefacere, ubi vicini vestri merguntur. De re autem frumentaria, quam anno sexto & quingentesimo ad Pragmaticæ pretium habuistis, satis controversum est, panem illum datum fuisse pauperibus ab Archiepiscopo; propterea fore impium rem hanc ulterius in medium trahere, ut majore pretio post illius obitum vobis computetur. In os tamen Colchici draconis aureos pulveres conjeci, qui res hujusmodi è subterraneis meatibus effodit. puto dissimulatum iri, silentioque prætereundum. Valete. Cordubæ. pridie Idus Septembris, MDVIII.

EPIST. CCCCIV.

Petri Aquilaris Plegii Marchionis executio in Curia pratorem, quo die Corduba fuimus.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Antelantato.

VIdisse perpetuos in Curia negociatores tuos fecit, ne ad te literas hactenus dederim. existimavi namque Pachiecum præcipue tuum, qui maximus est rerum indagator, nil prætermisisse, de quo te certiorem non fecerit.

cerit. nunc autem quia neminem hoc tuo nomine video, nova præsertim ea superaddita, quod Tendillæ Comes ductor meus in Hispaniam ad nos in Curiam venit, qui à me ista exigebat. Quæ apud Regem accident, à cujus latere nunquam discedo, ad te scribam. hoc primum tibi minime dulce futurum habeto. Rex ubi intellexit condiscipulum coætaneumque tuum *Petrum Aquilarem* Marchionem Plegiensem, Curiæ Prætorem sub tua custodia captum, misisse Montillam, obstitisseque, ne reos plecteret, percitus ira (longis ex urbe Burgensi itineribus) per insensos æstus, huc se contulit. Cordubam VII. Idus Septembris ingressus est. per Senatores Regios leges ac jura citantur quotidianis consiliis. esse Marchionis uxorem Regis amitinam, quia Enrici avunculi Regis filia sit, forte à mulcta temperabitur. Sed vereor, ne durior, quam tu egoque vellemus, faba in illum cudatur. Regi conducit, si velit imperare, cæteros Proceres hujus exemplo deterrere. nosti, quales animos in Reges ignavos ac desides, vos Regni Principes habere soliti sitis. Timeo propterea vehementer Marchioni nostro. Quæ statuent in eum, intelliges. Vale. Cordubæ pridie Idus Septembris, MDVIII.

EPIST. CCCCV.

Qua mulcta Rex in Marchionem Plegi processit ob Prætorem violatum.

P.M.A.M. Petro Fagiardo Marchioni Antelato Murciensi.

MOErens gemensque sumpsi calamum. Proh! quam utilius fuisset Marchioni nostro Plegiensi febribus eo die laborasse, quo præ nimia benignitate in concives suos & amicos Cordubenses, præsidem illum misit Montiliam sub custodia. audi qua fuerit ex Legum sanctione jactura pessundatus. Montiliana illa atria, quæ vidisti aliquando, multo auro, multoque ebore compta ornataque, proh dolor! funditus dirui sunt jussa, quia privati carceris, in Curiæ præsidem præcipue, ministerio sint functa. Indicta est insuper illi viginti myriadum (dicitis Hispani *Contos*) mulcta. arcis & juris dicendi præfecturam Antecheræ oppidi insignis abstulerunt, aliasque arces omnes aviti patrimonii. Interdictum etiam illi est, ne Cordubam, dum vixerit, ne Vandaliam universam decemnio adeat. Ita sua impensa & incommodo, legem cæteris Proceribus statuit, qua vivant, quod nobis male gratum. De cæteris civibus qui Marchioni adhæserant, partim supplicium sumptum, partim abdicati à magistratibus exilio mulctati sunt. His actis jam accingimur Hispalim profecturi, quæ ibi acciderint, per me habebis. Vale. Cordubæ. XIV. Calend. Novembr. MDVIII.

EPIST. CCCCVI.

Pe. Giron abducit in Portugalliam Ducem Methinnæ Sidoniæ.

P.M.A.M. Petro Fagiardo Marchioni Belecensi.

VEnimus Hispalim acciti, pupillus Methinnæ Sidoniæ Dux & tutor illius Petrus Giron, tibi sub nostro ductu condiscipulus, Ureniæ Comitis hæres primarius, alterne tutor & pupillus, licet non coævi sororibus conjugati, suis uxoribus contenti vivunt. quanquam per ætatem nondum sit Duci nota copula, Ducem Rex tibi ex nepte Cæsaraugusta, ni Archiepiscopi filia captare affinem voluisset: tum ut eam sibi familiam in Andaluzia, quæ est Vandalia, potentem in futuros eventus devinciret, tum etiam ne duæ domus istæ, Urenia scilicet ac Sidonia colligatæ, insolescerent præ potentia, turbarentque aliquando pacem auream, si tempora tulerint, ut Philippea paulo prius accidit tempestate. Accessit uterque Petro Gironi, ut Ducis tutelam solvat, Rex imperat. Magnorum Procerum tutelam ad Regem, ex Regni consuetudine, Rex arguit attinere. Respondit Gironi à Ducis genitore socero sibi tutelam testamento relictam, cum moreretur. nec posse pupillum geminato sororium, sine insigni nota deserere. Rex instat, ut Ducalis domus, familiaribus ipsius gubernandæ rei ducalis curam linquat. Renuit Giron. è Curia Gironem Rex jubet discedere, manere Ducem. E suburbanis Hispalensibus villis, equos disponit cursores Giron, noctu confractis exilii terminis, urbem Ducisque atrium per scalas ingressus, è lecto jacentem pupillum educit. in Portugaliam transportat. missi à Rege cursores celeres, qui deprehensos traherent, neutrum sunt assecuti. Quid ultra fiet, habebis. Vale. Hispali. VIII. Calend. Decembr. MDVIII.

EPIST. CCCCVII.

Obsidetur à Mauris Arzilla. Niebla oppidum datur in prædam. Conveniunt Papa, Gallus & Hispanus Reges in Venetos, & Cæsar. Fonseca.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Bellecensi.

PORtugaliæ Regem habere in Africa urbes, ut novis utar vocabulis, Tangiar, Arzillam, & loca plæraque alia, quæ ditionis fuere quondam Regni Fezensis in Mauritania. Arzillam tumultuario bellatorum centum millium amplius exercitu comparato, Rex ipse Fezensis, cæteris Africæ Regibus potentior, adortus est. urbem illico cepit. obvios mactavit. Portugalenses cædi superstites in arcem sese receperunt. Ad id angustiæ deventum est, ut triduum tantum ad deditionem pacti fuerint. genero Regi Portugaliæ imploranti opem propere misit auxilia socer Rex noster. Curiales omnes Duce Antonio Fonseca egregio equite amico tibi accinguntur. Jam trajicere in miserorum laborantium auxilium parabant, quando illorum calamitati, Comitem Petrum Navarrum classe maritima, quam per ea litora ductitabat, allatum est, succurrisse. E navibus namque vi tormentorum hostium castra aperto in litore sedentia ita concusserat, ut ex obsidione discedere coëgerit. Mira est ejus viri fortuna in re bellica. Mauris igitur inde fugatis, servatisque arcis præsidiis, urbe tamen à Mauris diruta, nostri rediere. Iisdem fere diebus quibus ista in Aphrica gerebantur, ad præfectos arcium Methinnæ Sidoniæ Ducis, nuncii à Rege mittuntur. dedant arces, oppidaque de Jure Regni edicitur. Væ oppido Nieblæ egregio, diviti. Mandata Regis detrectant oppidani. expugnatur oppidum, præconis voce monitum, ne vim exspectaret. datur in prædam, nec viris parcitur, nec mulieribus. Primarios oppidi viros octo curiæ præses nomine *Mercatus*, qui aderat cum exercitu, è pinnis mœnium sublimioribus, laqueo suspendit, defectionis suasores. formidabili exemplo perterriti cæteri deduntur omnes. Regiis arcibus locatis præsidiis, discessum paramus in veterem Castellam. Audio de Conventu Pontificis, electi Imperatoris, Galli & nostri Regum. in Venetos nescio quid immurmurari. nil apte habetur. Vale. Hispali XII. Cal. Januar. MDVIII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

Epist. CCCCVIII.

De Conventu Cameracensi contra Venetos & Turcas. quid quisque petat ab eis.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Bellecensi.



EX quo die Iduum Decembris quinta Hispali ad veterem Castellam ituri, terga dedimus, quo cum ad te scribere quiverim, ad hanc usque pridie nonarum Februarii, nullus occurrit, qua Reginam ibi degentem viduam ejus filiam salutaturus, in villam Arcos se Rex contulit. quom in itinere natalem Christi celebraturus diem, Rex in insigni municipio nomine *Caceres* pedem fixisset, per celerem è Gallia missum tabellarium habuit; In urbe Germaniæ inferioris, nomine *Cambray*, per Oratores quemque suos, Pontificem Julium II. Maximilianum Cæsarem electum, Ludovicum Christianissimum Gallorum Regem & Catholicum nostrum de bello in Turcas una gerendo, qui potentissimi Christiano nomini minitantur, convenisse. addito capite in fœdere, ut è Venetorum potestate sua quisque prius extorqueat; Pontifex ut puta Ravenam, Cerviam, Ariminum, Faventiam & multa præterea Juris Ecclesiastici loca. Maximilianus Veronam, Paduam, Vicentiam, Trivisium, Friuoli provinciam, Trigesti civitatem, & maritimum sinum universum; Gorriciæque Comitatum, diversis usurpata temporibus. Rex autem Gallus Brixiam, Bergamum, Cremam, & recenter habitam, in venditi vicini Ludovici Sfortiæ Mediolani Ducis precium Cremonam cum adjacentibus. Rex vero noster in Neapolitano regno, portuosas urbes Brundusium, Tranen, Hidrontum, ut junioribus utar vocabulis, & multa præterea sub occasione pignoris à Fernando II. Rege, ad se tracta oppida, cum suis quæque peditibus in Apulia. Magnum, si tempus tulerit, occupandi Regni totius momentum. Ictum est in fœdere, ne quisque è collegio se queat exsolvere, suis etiam receptis, ni fœderatorum quisque, prius quæ ad eum attineant, assequatur. Væ potentiæ Venetæ, si una omnes in eos se converterint. male restituros suspicandum est. Aliis nunc artibus agendum est, quam cum res eorum, qui sunt Itali, cum Italis gerebantur. Vale. ex villa Arcos. pridie nonas Februarii, MDIX.

Epist. CCCCIX.

Congratulativa & exhortativa moralis.

P. M. A. M. Gometio à Toleto Ducis Albensis Consobrino.

EN habes quod te hactenus macerabat, torquebat, cruciabat. Episcopus es Placentinus designatus. tecum habita, quandoquidem literas calles, Theologicisque es imbutus doctrinis, quibus homines iter ad astra quæritant. curato, ne te Fortunæ ista frons læta ab instituto primo divertat. Utere ista potentia, quæ annuas duodecies auri dragmas superat millies, tanquam instrumento ad temperantius vivendum, & beatam vives vitam: Trium tibi jam ferorum animalium imminent discrimina, à quibus hactenus liber eras, Ambitionis utputa, Avaritiæ atque Ocii illiberalis. ab his si tu caveris, bene tibi consultum fatebor. In illa si decideris, è fortunato fies infortunatissimus, & è Granatensi Canonico, in pinguem Antistitem emersisse aliquando pœnitebit. Vale. ex villa Arcos. pridie nonas Februarii, MDIX.

Epist. CCCCX.

Mutatur Regina. aperta in Venetos adjuratio. quare Mediolanenses oderint Venetos. de Cancellario Mercuriano.

P. M. A. M. Eneco Lopez Tendillæ Comiti, Regni Granatensis Proregi.

MEæ à te literæ (quia corporibus præsentes eramus in Curia) discesserant. Jubes ut revertantur. hoc est injuriam Fagiardo meo inferre, ad quem ista cœperam absentem dirigere, tibi prosit esse illo seniorem exempla-

exemplaribus ille contentus erit. modestus est, non succensebit nobis, quanta senibus reverentia debeatur, non ignorat. ergo ad te revocati redeamus. Reginam Joannam jam tandem, tum artifice patientia, tum blanditiis, minis etiam commixtis, ac si proceram ulmum, ad centrum usque radicatam, convulsisset, ex villa eruit Arcos, infortunata cæli temperie Rex. Regina in itinere in villula Renedo à Valleoleto ab Oriente tres distanti lapides morante, cum quadrijugi maritali busto solito, Rex ad Vallemoletum concessit. en aperi aures. ibi IV. nonas Martii Antistite Palentino celebrante, inter divina sacra, admoti altaribus in populi conspectu, affuerunt oratores pro Julio II. Pontifice Maximo Joannes Ruffus Britonorus Episcopus Apostolicus legatus, pro Cæsare duo illi Oratores, quos Monzonum constat venisse pro Imperatore, Germanus alter, alter Italus: Mercurius de Gatineria pro Principe Carolo, cumque illis aderat Claudius de Cyli, vir Burgundus, tibi notus, quia diu versatus est in hac curia regia Orator; Regis autem Galli nomine Monsieur de la Guixa, una cum Rege ipso, qui aderat pro se Rex, suisque Regnis, & filiæ, pro Dominis cæteri, altaribus & sacrosanctæ Eucharistiæ dextris impositis addito jurejurando polliciti sunt, neminem è fœderatis desertures, donec quisque antiqui sui Juris facultates, ex alati Leonis marini faucibus ad unguem assequantur. Mediolanenses hac deliberata sanctione gaudebunt. nil namque magis verentur quam Venetorum jugum, nobilibus intolerandum, quos omnes paulatim abolere, aut dè medio tollere, de quacunque civitate nituntur; propterea nobilibus exosi. Rabidi vivunt in illos Mediolanenses, qui præter Brixiam, Bergamum, Cremam & Vicentiam Ducatus crura & lacertos ablatos quondam: per nuper in precium sui Ducis vendidití, Cremonam cum Abduaglarea, viscera & jecur ipsius urbis Mediolani, abreptam terrarum fortunatissimam glebam, dextrum Ducatus oculum, ad mœnia fere vastæ illius civitatis applicati Veneti, jam labra lambere & deglutire salivam super ea videntur. Vidit, vidit miserando intuitu Venetorum Orator quæ agerentur. aderat & ipse. Qualem ei stomachum hæc fercula præbuerint, tu colligito; & vale. ex Valleoleto in nonis Martii, MDIX.

EPIST. CCCCXI.

Pars Venetiarum comburitur. Roma fulgur. Alexandrinus Cardinal. justus moritur. Regina ducitur Tordesillas.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SI licet prodigiis aures adhibere, Venetis prodigia minari videntur ruinam. nono Calendas Aprilis ab Urbe relatum est, inaudito casu, Venetorum navalia, tormentario pulvere succenso, fuisse combusta. Sed audi novum inopinumque eventum. Scripsi ad te alias esse Venetorum navalia munitam urbem, per seipsam, ab urbis eorum corpore semotam, in quibus navigia fabricantur omnia, & fabrilia cuduntur, ad rem maritimam cuncta, universus ibi tormentarius pulvis conficitur, tam ad terrestrem, quam ad maritimam rem bellicam, ex pulverariis artificibus, capsam resarciens unus, malleo clavum in ea suffigens, ignem è clavo excussit. In pulveris acervum transiliens favilla, illico succendit cameram, atque ex ea in aliam, in qua erat pulveris coacervata magna moles. Fit strages horrenda. tantus fuit ejus incendii furor, tanta vis accensi pulveris, ut Arsenale universum labefactarit. columnas plures marmoreas, quæ tabulatum sustinebant, eruit, & per aëra volitando deportavit in diversa. multi cremantur, universa urbs concussa est. è vicinis domibus extra navale ruerunt nonnullæ fenestrarum vitrearum valvæ, quibus ad decorem & arcendos algores caloresque urbs Veneta pollet, ad rupturam usque quatiebantur. terræ motum, qui rem ignorabant, urbem submersurum arbitrati sunt. In urbe Roma iisdem fere diebus, cujusdam Cardinalis atrium fulgure ictum exarsit. paulo inde post obiit Cardinalis ille Alexandrinus, Christianorum Principum pro Ecclesiastica libertate acerrimus propugnator. Is in Rotæ Senatu severus semper habitus, à recto Pontificem quemquam ullius Principis causa frena solvere nunquam quoad potuit, passus est. A nobis hæc habeto; Reginam Joannam filiam in oppidum Tordesillas in Doriæ fluminis ripa sitam eminenti, jam tandem Rex genitor perduxit. ibi acturam putamus, quicquid ei superest vitæ Saturnia solitudine contentam. Vale. ex Tordesillas. III. Calendas Aprilis, MDIX.

Epist. CCCCXII.

Cabanillas Valentinus & Orator pro Albiono.

P. M. A. M. Joanni Baptistæ Anglerio fratri.

JOannem Albionum Catholicus Rex herus meus è Gallia revocat, quem in rebus nostris minime operosum reperistis. Novum mittit Oratorem. Is *Hieronymus Cabanillas* nomine, eques Valentinus & generosus, mihi est amicus. Speramus alio studio in rebus nostris mandata sui Regis exsecuturum. Viva namque illi Rex Catholicus voce imperavit, ut à Christianissimo Francorum Rege suo nomine regio, Abbatiam quam (quia natale nobis solum) tantopere cupimus, postulet enixe sibi dari, non alteri, Rex efflagitat. pensatum iri alibi Rex pollicetur. Fernandum familiarem à teneris meum, ad id cum Oratore ipso remitto. Illi famulabitur & obsequetur, ut avidius Orator nostris rebus intendat. nil prætermittimus quod ad hominem attineat. Superi statuant in melius. vos autem invigilate, ut à vobis, si quid emerserit, fiat Orator illico certior. puto non defuturum, tum quia nobilis, tum quia in Curia sim ego ipsius absentis rationem in ejus negociis habiturus. Vale. ex Hispana Curia. VII. Idus Aprilis, MDIX.

Epist. CCCCXIII.

Apparatus Cardinalis Toletani ad rem Oranensem.

P. M. A. M. Suo Comiti.

CRepidatus hic noster Cardinalis Hispanus, cujus animus in nostræ Legis aversos pronus semper fuit, stimulis Regem agitavit, licet ejus rei cupidum, ut in Oranum urbem, quandoquidem arcem ejus Mazalchibir, & magnum portum possidemus, provincia caperetur. ad id se pecunias mutuaturum obtulit. est namque uti nosti, Crasso Romano pecuniosior, quia thesauris cogendis inhiaverit. res statuta est, cum sit Rex gravioribus nunc implicitus negotiis, ipsemet exercitum sequetur. assignavit illi Rex è fisco regio, unde sit, quoscunque numos ad bellum præbendos, exacturus. Jam comparata est militum manus. Carthaginem novam sunt conventuri, ut inde trajiciant. Duces habent egregios magistros à longa rerum experientia. Primarius est ei ductor Petrus ille Navarrus Comes, mari & terris bellicæ gloriæ fama illustris. Accessos ut proprætores Rodoricum Moscosum virum Gallecum, Comitem Altomiræ, mirum & animi dotibus & corporis agilitate juvenem, in hostes nostræ fidei ferventem, turmarum ductores pro Centurionibus, strenui & bello exercitati sequuntur Joannes Spinosa multis vulneribus pugnando acceptis insignis, animo integerrimus, in Mahometanos præcipue. Duo præterea inter amicorum paria numerandi, Petrus Aries Segoviensis cognomine *Iustator*, & Gonsalus Aiora, non minus armis quam literis clarus, egregii ambo, & morum præstantia & corporis habitudine. multi deinde, quibus integri exercitus cura credi libere posset. Quorum mihi nomina, nec forte tibi nota. His circumseptus crepidalis frater Franciscus decore Cardineo insignitus, Carthaginem petiturus est. Quæ sequentur, habebis. Vale. ex Valleoleti. III. Calendas Maii, MDIX.

Epist. CCCCXIV.

Ruptura cum Gallis. de Turcis. de Sophio. it Gallus in Italiam. quid Anglus. Regina Germana filium peperit. de Cæsare.

P. M. A. M. Suo Comiti.

JActam esse aleam intra fines Venetorum intelligimus. Intra terminos eorum, hostili acie Galli *Franciam*, *Franciam* inclamitantes, Abduam fluvium trajecerunt; fugaci cursu, inde regressi sunt, quia furtim parva manu, ut belli tantum indictores, fuerant ingressi. propinqua Venetorum præsidia Gallos insecuta, terminos & ipsa Gallos ingressa, ut Mediolanenses audito nomine Libertatis incitarent, *Libertatem*, *libertatem* ingeminabant. Ita jam ignis excitatur novus, cum miserrima Italiæ calamitate. Sero extinguetur. Jam *la Guixa* Gallus orator discessit ad herum. Venetus dimittetur propediem, ne illius mora fœderatos in suspicionem inducat. Is miser: qua profecturus sit, quia mari terrisque conclusus est, ignorat. Quotquot petit à Rege tutelares literas, impetrat, se tamen minime tuto evasurum credit. Claudius de Sili, qui pro electo Imperatore ac nostro Principe hic assidet, Cæsarem magna parare in Venetos mihi retulit. *Ex Flandria*, inquit, *ad eum missa in auxilium armatorum decem millia*. Turcarum Princeps in Sophium Persam, grandes mittit copias. Formidolosus ei est, populos Turcæ ditionarios cum exercitu infestat ingenti. Rex Gallus, ipse ipse, ut militibus animum augeat, copias in Venetos ductitabit. Jam iter cepit in Italiam. Rex Anglus

conjugium differt promissum ejus filii, & Catharinæ nostri Regis filiæ, jam dudum illi post alterius viri mortem desponsatæ. renuit pecunias dotales. est opinio, sponsum primum, qui novi frater erat, intactam, (quia esset invalidus, ætate non matura) reliquisse. Regina vero *Germana*, ex Rege nostro viro, v. nonas Maii acto meridie, circiter horæ dimidium, quo puncto Saturnus filiorum devorator cum signo Virginis Orientalem spectabat horizontem, marem filium peperit. Is non integram vixit horam. Spem tantum novæ sobolis Regi præstitit. Miraberis tam diversas, tamque multiplices una me tibi arca segetes contrivisse. habebis aut nulla vel pauca alias, ut nostra munera pensitentur. Vale. ex oppido Tordesillas pridie Idus Maii, M D IX.

EPIST. CCCCXV.

Mors Regis Angliæ. Gallus in Venetos exercitu tripartito. Quid Mediolanenses. Quid Cæsar. Quid Turca.

P. M. A. M. Suo Comiti.

VArias tibi messes, paucis ante diebus, uno acervo præbui. non minores tibi nunc in horreum intendo conjicere. Rex Anglus Regum omnium auro ditissimus concessit ad superos (si ad superos concedere divitibus datum est) periit, inquio. Rex Gallus in Maii Calendas Mediolanum ingressus est triumphans. festivis susceptus est canticis à meis civibus. Quia in Venetos exercitum ducturus, Ducatus Mediolani paulatim voratores. meis civibus formidabiles jam intra viscera recepti, ob Cremonam atque Abdueglaream, tripartito jussit Venetorum fines infestari. A lacu de *Garda* vulgo per Marchionem Mantuanum stipendiarium sibi, per Chiamonum Ducatus gubernatorem à Cassano oppido in Abduæ ripa eminenti sito. per Palizam veteranum ducem alibi incursitatum est. quo die certabitur signis collatis, Mediolanenses in primam sese offerunt aciem prodituros. Tantum est de Venetis conceptum odium, magnaque formidine premuntur, ne sub eorum jugo aliquando corruant, qui alienæ sunt nobilitatis hostes acerrimi, sibi suisque mercatoriis nobilibus nati. Veneti magnificis apparatibus exercitum habent in Gallum instructum, miro tormentorum numero munitum, Comite Petiliano Duce *Nicolao Ursino*, à teneris in armis educato. partem ductat copiarum Bartholomæus Livianus animo & viribus pollens, atque multis præliis insignis. tenues habent in Pontificem Veneti copias. propterea Pontificii milites vallem, quæ dicitur *de Lamon*, profligatis Venetorum copiis, & eorum duce capto in ditione Faventiæ, receperunt. Summus vero Pontifex aqua & igni, & omni hominum commercio Venetis interdixit, deditque præconio publico in prædam ipsos eorumque facultates, & anathemate, ab Ecclesia summovit, tanquam putridum & vicinis omnibus injuriosum membrum. Imperatorem electum fertur venturum, at sero, amota scilicet mensa, cæterisve convivis jam cœna repletis, thoros quæritantibus. Turcarum Princeps ne ista Christianorum inundatio in ipsum convertatur, timet, licet senio confectus & invalidus, lecto semper moribundo similis jaceat: dat tamen operam, ut præsto sint ejus milites in armis, si qua opus sit facto. Heri curiam à Gallo Rege novus orator ingressus est, dictus *Monsieur de Mirapoix* Galliæ Narbonensis, sub Carcassonæ Mareschalli nomine, gubernator. Sit satis uno pugno comprehensum. Vale. ex Valleoleti. M D IX.

EPIST. CCCCXVI.

Venetorum horrenda strages.

P. M. A. M. Suo Comiti.

MAjus ex benigno & placido à natura in tetricum, furibundum & præcipitem, hoc anno conversus est, ex solita serenitate Gradivi, solisque commercio (qui vigesimo Tauri gradu in ipsius Calendas coiere) turbulentiam parturivit obscuram. Cassanum in Abduæ ripa situm est eminens municipium. ibi exercitus uterque Gallus scilicet ac Venetus, fluvio intersecante (ad balistæ ictum tormentariæ) castrametabantur. Imperatori Petiliano & Duce Bartholomæo Liviano, & Proveditoribus (ut ipsorum utar vocabulo) ab inclyto Senatu Veneto, ex suffragiis universa nobilitatis imperatum est, ne ullo pacto manum consererent. victoriam se in cunctatione in manu habituros Veneti arbitrabantur, atque ita omnium judicio cessisset. stare namque diu Galli illic nequivissent. at superni Regis sententia, quæ mutari raro solet, occasionem ruinæ quæsivit. Pontem instruit Gallus. inspectantibus hostibus, partem exercitus infirmiorem præmittit. structa cataphractorum acies, nemine turbante transitum, subsequitur. A tergo agmen agens Rex ipse, trajecit. en habes in agro fortunatissimo Cremonensi, gemina castris opposita castra, perniciem sibi alterne minitantia. Spectaculum horrendum, atrox & tormentorum

torum

torum ferali mugitu, & cristatorum militum armatorum numero, & magnitudine fere paria. Ductitabat Gallus cataphractorum (*grossas* dicunt Galli *lanceas*) duo millia, levis armaturæ equitum duo millia quingenta; peditum tria & viginti millia. Venetis vero cataphractorum duo millia merebant, levium armorum equites tria millia, peditum tria & triginta millia. Veneti mutandi locum, ut Rivoltam proficiscantur, qua venturi Gallis jam transmissis erant commeatus, consilium capiunt. sive per exploratores id Rex Gallus intellexerit, sive perniciem suam sentiens, ni Rivoltam prius ipse occuparet, idem constituit. qua hora exercitum Veneti movent, eadem fere & Galli, gressum eadem dirigunt via. Antesignana Gallorum acies, quæ Mediolanensium majori ex parte fuerat, in Bartholomæum Livianum, qui à tergo, cum equitibus septingentorum, & peditibus duo millia agebat agmen, ex insperato incidit, sive bellandi cupidus, sive quod ita cogeret occasio oblata. Bartholomæus Petilianum imperatorem, consultoresque, qui præibant agmen incedens, de rei statu per celeres nuncios certiores facit. eunt redeuntque ter nuncii. Imperatorem & hortatur & monet Livianus præsto sit, illi succurrat; necessario esse pugnandum; neque vitari, neque differri ultra certamen posse nunciat. Distabant in immensum. quia progrediebantur medii, cum machinamentis multiplicibus, commeatibusque plaustrorum & rhedarum ordines, tractum immensum occupantes. Impetit stringitque prima Gallica manus, desertum à suis ultimum Venetæ globum. Livianus certare cogitur. it præceps in primam hostium aciem. ruunt & ipsius milites animo forti: tanto in hostes furore prorumpit, ut cedere illos coëgerit, multosque trucidaverit. Sed cum parva copia nequivit miser immensæ multitudinis impetum sustinere. Rex namque ipse, qui non longe aberat, primam videns aciem suorum deturbari ac flecti, sese ipsum cum vasto cataphractorum cuneo in paucos conjecit, detrusit, confregit disjecitque Liviani strenuorum aciem. Horum nemo evasit, quin aut equorum incursu calcatus fuerit & contritus aut trucidatus. Bartholomæus ipse multis vulneribus confossus; sed uno præcipue hastæ ictu in faciem, vivus capitur, incertum an victurus sit. Petilianus autem Comes audita Bartholomæi Ducis antesignani exercitus strage, una cum Venetis consultoribus in fugam (relictis impedimentis omnibus) se convertit. terga dantes Galli insequuntur. *Sexdecim*, inquiunt, *millia hominum illo certamine periisse, in agro Venetis fatali, de Caraviagio, ubi quondam Franciscus Sfortia, Ludovici nuper capti, & Ascanii Cardinalis genitor, illos ad interniciem profligavit*. infausta vero decima sexta dies, pridie fuit Maii Iduum; quo à Venetis defecturas vicinas conflictus, civitates audita exercitus Veneti strage, suspicamur. Interea dum quid tanta formido pariat, intelligamus, vale. ex Valleoleti v. Calendas Junii, MDIX.

EPIST. CCCCXVII.

Consultiva & significativa moralis.

P. M. A. M. Hieronymo Matritensi, Granatensi Canonico.

TRanquillo vive animo, cupiditatibus jam finem impone. Quod tota mente desiderabas, assecutus Pontificia plumbata Chirographa, vasto à te hiatu exspectata, tandem adventarunt. ex Canonico Abbas Sanctæ Fidei, urbeculæ Granatensis diœcesis, effectus & honorem & locum mutabis. cave ne teipsum mutes. Vixisti hactenus, qualiter virum decuit laude dignum. Solent homines pinguiori pastu torpescere, honoratiorique sede insolescere. Quod te facturum minime credendum est. Consummati namque viri jam mores imbibisti. Volui ego ista, non ut diffidam, sed ut amice me semper tecum egisse cognoscas. Vale. ex Valleoleti. v. Calendas Junii, MDIX.

EPIST. CCCCXVIII.

Orana expugnatio.

P. M. A. M. Suo Comiti.

TAbellarium habuimus ab exercitu cui præest in Africa, crepidatus hic noster Cardinalis è Carthaginensi portu. XVII. Calendas Junii Christiana classis vela dedit. Angustum tractum illum biduo peregere. Magnum portum, sine objice incolumis est ingressa. Arx Mazalchebir Christianis munita præsidiis, descensum è navibus tutum nostris præbuit. Cardinalis post compositos ordines, Moysen orando imitaturus arcem ingreditur. Duces exercitus in litore, nil cunctati acies instruunt. Diversa: montem qui portum sepit, adscendere incipiunt. obviam tutaturi montem Mauri, equo pedibusque numero ingenti occurrunt. tormenta nostri balistasque progredientes paulatim in hostes solvunt atque una irrumpunt. Vertitur Maura manus in fugam. nostri profligatos properato cursu (ne vires resumant, ne se iterum conglobent,

globent) insequuntur. deturbant, mactant, permixti hostibus ad urbis mœnia trucidando adveniunt. nulli hostium data est copia recipiendi se in urbem. portas oppidani claudunt. Qui hostium cædi superfuere, per colles dispersi palantes fugiunt. Martis afflatum felicem nostri secuti, & prædæ cupiditate accensi, per scalas admotas, perque lanceas oblongas, quas *Picas* vocat militaris ordo, oppugnare incipiunt. deficientibus bello aptis propugnatoribus, aut paucis adstantibus, muros occupant nostri. è muris in tecta prosiliunt. Interea dum pauci rem peragunt, cæteri ingrediuntur. Duarum horarum spacio universa urbs capitur. captivorum fuit & supellectilium præda opima. Mercatorium namque nundinale emporium Aphricæ fuisse Oranum per longa annorum curricula, ob portum *Antonomasice* magnum fuisse audivimus. Hæc impræsentiarum. Vale. ex Valleoleti. in nonis Junii, MDIX.

EPIST. CCCCXIX.

Qua Venetorum internicies. Papa & Cæsar sua recuperant. quod Galli Regis periculum in pugna.

P. M. A. M. Suo Comiti.

DIes pridie Iduum Maii, Venetis infortunatus, qualis fatorum sit ordo, quid provideat Altitonans, ostendit. Remp. mari terraque cunctis gentibus formidolosam annis mille amplius coalescentem, quamvis à Turcarum exercitibus plæraque damna sustulerint, brevis hora, fere radicitus contrivit. Audita strage Petiliano Comiti cæterisque terga vertentibus hosti, clausæ fuerunt urbium portæ. Sequitur victoriam Gallus Rex, Cremona, Brixia, Bergamum, Crema, universaque Mediolani quondam Juris oppida & appendices Gallo sese dedunt. Misit & portarum claves, Venetis dimissis, Padua. miserunt & Verona ac Vincentia. procedit Gallus exercitus. Pesquera oppidum est in Gardæ lacus faucibus, qua Mintius fluvius, qui Mantuam interluit, lacus ipsius aquas suscipit. Veneta Pescharìæ præsidia furori Gallico restiterunt. Ex arce atque ipsius aggeribus tormentorum ictibus paucos è Gallis peremerunt. Sed præcipue nobiles, & rei bellicæ consiliarios, qui convenerant in oppidi templo, de rebus deliberaturi, duarum machinarum in templi muros conjectarum ictibus ipsius templi muros tectaque in consultantium caput diruerunt, atque ita vivi, contra morem nostræ tempestatis, sepulti in sacro jacuerunt. ea jactura iratus Rex admotis machinamentis omnibus, tum suis, tum in castris repertis, hostium arcem quatit, atque una scalas & omne genus machinamentorum jussit apparari. muri diruuntur. Conscendit Helvetia phalanx, qua muri patebant. Subsequitur universi exercitus peditatus. capitur arx. quingenti milites, qui præsidio aderant, ad unum trucidantur. Nec præfecto arcis qui vitam multo auro redemisset, quia è nobilibus Venetis opulentus esset, nomine vir clarus, ignoverunt. Nobiles cæteros tum in pugna, tum in deditis urbibus captos, Mediolanum Rex misit captivos. Ipse adhuc est in castris Paduam, Veronam, Vicentiam Imperatori electo (quia Juris ejus essent) assignat. Oratores Cæsareos, qui erant in castris, ad ea misit loca, ut imperatorio nomine Leges caperent, & præsidia. Summus Pontifex & ipse Ravennam, Cerviam, Faventiam, Ariminum, arce excepta recuperavit. Cæsar ipse, medius Tridento & Inspruch cum parva manu sicco pede sua sumpsit. Petilianus Comes, cum reliquiis exercitus, Trivisium se recepit. Id solum exstat in Italia in Veneta fide municipium. scribitur à rerum bellicarum peritis, Gallum Regem una cum exercitu universo in discrimine bis versatum ultimo. stat sententia, in pontis jacti à Gallis transitu, Gallos implicitos & turmatim, non agmine denso, trajicientes, colla in Venetorum potestatem, si concurrissent, subjecisse. transmissam namque exercitus partem facile disturbassent. Nec altera transportatis auxilio esse potuisset. Si præterea Comes Petilianus illorum imperator, Liviano succurrisset eo impetu quo suis laborantibus Rex Gallus subvenit, de Gallis & eorum Rege, omnium judicio qui rem intelligunt, Abdua reditum prohibente, actum fuisset. Hæc est rerum humanarum sors. Petilianus Comes in Proveditores sibi datos, ut pupillo tutores, culpam conjicit. neque aliter credendum est. Egregius namque bellorum ductor est, & Venetis ab eorum veteri instituto, insitum est detrectare pugnam. Artibus quam viribus Fortunam malunt gubernare. Tu vale. ex Valleoleti. III. Calendas Junii, MDIX.

EPIST. CCCCXX.

Tumultus exortus Venetiis. quæ spes Venetorum. quid cum Gallo. Rex Hispaniæ nondum sua recepit in Regno. Toletanus ex Orano rediit. quare.

P. M. A. M. Suo Comiti.

VIx è manu priorem solveram epistolam, cum ex Italia nuncius alter, & tabel-

tabellarius ad te iturus occurrit: quoniam frontem vertere aut ostendere rugosam filiis, inimica quietis Fortuna, donec ad ossa illos trahat, nunquam desistit. Fama est ad augendam calamitatem, Venetiis tumultuatum inter cives. auditas ajunt fuisse voces, Galli hostis nomen proferentes geminato. Alii populum in Patres & nobiles jurgiis agere, de secessuque à nobilibus, locutos populares nonnullos. Fertur præterea Senatum ipsum, Oratores ad Regem Gallum misisse, qui de Concordia tractarent. Regem ad hæc, *non licere sibi, nec velle ipsos audire, sine confœderatorum omnium consensu*, atque ita mœstos dimisisse. Proh! Comes illustris, quid sentis jam tandem? Quid de volatili rerum humanarum statu? Quis putasset unquam, tam proceram arborem istam uno spiritu potuisse interire? Non interiit tamen. Radices adhuc habet validas, urbem ipsam natalem, & Trivisium in Italia. forte aliquando reviviscet, quia præcipue Creta illi, Corcyra, Cyprusque restent incolumes, felicia quondam Regna. vires resumere inde quibunt. Sed ingens fuit hæc ruina. Res Neapolitanas Rex noster nondum recepit. Paratur exercitus qui manu postulabit, nisi sat erit petere. Ex Africa vero crepidatus noster Cardinalis, capta urbe Orano, Carthaginem dicitur illico rediisse in Hispaniam. Sunt qui ferant tumultu perterritum militari, quia non præberet stipendia, quæ promiserat, licet ex regio fisco habenda. Alii ferunt, ut relictis in Africa novis succurratur auxiliis cum Rege acturum rediisse. Varia sunt hominum dicta. Tu vale & cape quæ sentias. Ex Valleoleti in Calendas Julii, M D IX.

EPIST. CCCCXXI.

Nuptiæ Angli Regis. quid Cæsar & Gallus. In Orano familiariter se tractant Christiani & Afri. recuperantur à Venetis oppida Regni.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Aperi crumenam, & collige, nec raras ire meas conquereris. Rex Anglus patre mortuo Catharinam Regis nostri filiam, illico sibi jugali vinculo copulavit. quo die Joh. Baptistæ natalem colimus, è Gallia Regi nostro scribitur. Imperatorem electum & Gallum Regem Christianissimum, Veronæ conventuros. ex Africa fertur Arabes (quos Hispanum idioma vocat *Alaraves* vocabulo corrupto) quæ gens est vaga exlex, sub divo agens, aut castrensibus tentoriis, quæ sua suosque camelis gestant, quacunque proficiscuntur; ita frequentia cum nostris qui Oranum præsidio tenent, commercia exercere, ut à centeno videantur anno fuisse familiares invicem. Armenta gregesque venum ad nostros important, altiliaque ac cæteras res venum, haud secus ac rurales ad fora solent urbana. Allatum una est ex Italia, Venetos tum strage hebetatos Gallica, tum nostri exercitus jam gradientis formidine, Brundusium, Tranem, Otrontem & reliquas pendices, quas in Regno possidebant, solvisse, nostrisque regiis Ducibus dedisse. sero repullulabunt in Regno. Crepidatus noster Cardinalis insuetos sibi labores bellicos temperaturus & resumpturus vires in Alcala, oppido juris Toletanæ Antisteæ, quod putatis *Complutum* esse, regressus est. Ibi moratur Academiæ quam construit, intentus. fore rem insignem arbitramur, si uti cœpit, in ejus fabrica reddituque illi adnectendos prosequetur. Vale. ex Valleoleti. IV. nonas Julii, M D IX.

EPIST. CCCCXXII.

Congratulativa & negociativa.

P. M. A. M. Suo fratri Jo. Baptistæ de Angleria.

Ex quo profligatum fuisse Venetum exercitum (in quo tu aderas necessario, quia sub Petiliano Comite Nicolao Ursino Veneto stipendio militabas decurio) animo vixi semper anxio, veritus, ne in gladium incidisses. Ab hac me sollicitudine Jo. An. noster Angler. exemit. Scripsit namque te incolumem evasisse, meaque gratia Jo. Jacobum Trivultium magnum Franciæ Mareschallum dedisse operam, ut tibi, uxori natisque tuis, quos Brixiæ habebas, salvis etiam facultatibus, ignosceretur. gratiæ isti Patrono debentur. nitar & ego totis viribus, ne illum beneficii pœniteat. Rex Catholicus herus meus denuo ad Oratores suos, qui Romæ agunt, & in Curia Gallica, ut à Pontifice & à Rege Christianissimo exigam literas, quibus ne ultra differatur possessori Abbatiæ tantopere à nobis desideratæ, quia nostri natalis locus est, qua recompensatio præbeatur, literas mittit. Deus faxit, ut jam tandem navis ista portum optatum assequatur. vos me cogitis (imo verius patria) ut insaniam in hujus rei petitione. viverem æquo tranquilloque animo, quia nil deest, meque Rex tantus amore non mediocri prosequatur, ni vos in patria angeretis. Vale. & meo nomine, illustri magno Trivultio, af-

finibusque omnibus & propinquis salutes impartitor, ex Hispana Curia. IV. nonas Julii, M D IX.

EPIST. CCCCXXIII.

Pisas recuperat Florentia. Quid Gallus & Hispanus Reges cum Florentinis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

NUper allatum est Florentinos fuisse assecutos à Regibus Gallo & nostro, ut Pisanos destituant moneantque, ne Florentinorum detrectent jugum. uterque Rex à Florentinis (dividenda in partes æquas) ducatorum millia centum recepere. Ita miseri Pisani cives deserti, qui annuas agrorum populationes, qui obsidiones horrendas, qui & oppugnationes hostiles fuerant animo invicto ob libertatem perpessi, fœminis etiam viriliter propugnantibus cervicem imperio Florentinorum subjicere coguntur. Hoc Florentinis laudi adscribitur: afflictorum miserati calamitates, quas Pisanimet Pacis conditiones voluerunt, eas Florentini sanxere, ne viris fortibus civitas desereretur. Tum etiam ut tanto bello jam tandem finem imponerent, quo & ipsi exhausti jam ex diuturnitate, imprimis lege statutum est, ne Florentino cuiquam liceat ullo tempore injurias, aut illata damna, quæ favente Carolo Rege Christianissimo transeunte Neapolim, cum Pisani rebellassent à Florentinis, repetere. utrosque sapientes judico, ut Pisanus civis tam fractis rebus Fortunæ jam tandem cedat: Florentinus vero, ne ultra fortunam experiatur. Tu vale. ex Valleoleti. Idibus Julii, M D IX.

EPIST. CCCCXXIV.

Cur non conveniant Cæsar & Gallus in pactis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

SUperioribus ad te scripsi diebus conventuras Veronæ Maximilianum Cæsarem & Regem Gallorum. Liquefacta est ista pactio. causas innectunt varias. Defuisse Cæsari commeatum Imperatoriæ Majestati consonum, inquiunt aliqui. plærique non confisum putant. Sit utcunque. neuter alterum adibit ultra. Vale. ex Valeoleti. xv. Calendas Augusti, M D IX.

EPIST. CCCCXXV.

Recuperant Veneti Paduam. de Germanis quadam.

P. M. A. M. Suo Comiti.

LIteras habuimus circiter Calendas Augusti ex Italia, quibus allatum est, Petilianum Comitem, Trivisii cum reliquiis exercitus Veneti receptum Paduam recuperasse, trucidatis Imperatoriis Germanorum præsidiis (octingentorum amplius hominum) sese in urbe ipsas obsidionem omnem, quæcunque emerserit, cum duodecim militum delectorum millibus exspectaturum inclusisse. Ajunt barbaros Germanorum mores ab Italis longe dissonos, Paduanos cives nequivisse pati; propterea defecisse, dedisseque secreto hanc operam. Sed miselli à Charybdi vorabuntur, qui Scyllæ scopulos putaverunt evadere. non passuros namque confœderatos, Paduam à Cæsare tolli arbitramur. Quæ hinc evenient, habebis. Vale. ex Valleoleti. in nonis Augusti, M D IX.

EPIST. CCCCXXVI.

Iterum in Venetos itur. capitur à Venetis Lignagum oppidum. capitur & Mantua Marchio. Gallus liberat Mediolanenses à vectigalibus. Quid cives. revertitur in Galliam Rex.

P. M. A. M. Suo Comiti.

QUod Veneti Paduam receperint, summus Pontifex labra mordet. Cæsar & Gallus rabidi rem sentiunt. grandes parant exercitus ad ejus obsidionem. Additur & aliud fortunatum Venetis. Marchio Mantuanus Venetis infensissimus, ob lacus Benaci, *Gardia* dictus, oppida municipiaque à Venetis majoribus abrepta ipsius, Lignagum oppidum præsidio tenebat, quia stipendio Gallico merebat. Veneti levis armaturæ, quos vocant *Stradiotes* equites, tertia vigilia ex insperato adoriuntur oppidum. Marchio Gallos esse, quos exspectabat, ut una in Venetas copias grassarentur, est arbitratus, quoniam copias adventare significatum est novas. Sit necne videant alii; in re, oppidum stradiotæ, ingrediuntur, palantes Marchionem & milites ipsius repererunt. ex ea incuria, sive ex oppidanorum proditione capitur Marchio; ex ipsius militibus qui restitere, trucidati sunt, cæteri cum eo vinciuntur. Venetias ipse ductus est. est & aliud referendum. Rex Gallus VII. nonas Augusti ex Abiagrasso Ducali oppido, ægrotus in Galliam

Galliam profecturus, discessisse dicitur. profuturum ei patrium aërem medici pollicentur. Mediolanenses ex Brixia, Bergamo, Cremona & Crema, cum suis pendicibus, primariis Ducatus membris restitutis, reliquit lætabundos, quia se vident à Venetorum ingluvie tutos, qui paulatim ex Principum discordia, illos exedebant, ut populi etiam animos discedens captaret; è portuariis & vectigalibus à Sfortiadis impositis, partem non exiguam deduxit, liberiores reliquit. Primariis vero pensiones annuas opimas assignavit. Christianissimi Regis in cives suos & subjectos (quia maternus eorum sanguis) animus integer est & mitis, cupitque ut cum eis benigne agatur, modo cæteri, quibus de gubernando Ducatu Provincia relinquetur, à jurgiis, contumeliis, & injuriis abstineant. Ambitio illa borealis, & in quodcunque genus hominum superbia innata Gallis suspicari me cogunt, non laturos diu Mediolanenses Gallorum jugum, ni forte nativos mutaverint se temperando mores. Vale. ex Valleoleti. xv. Calend. Sept. MDIX.

EPIST. CCCCXXVII.

Mille morbis laborat Rex Gallus. Cæsar obsidet Paduam. qui obsessi. quid speretur.

P. M. A. M. Suo Comiti.

E Curia Gallica fertur, Christianissimum elephantia podagraque laborare. Ex Italia, inquiunt, Cæsarem electum Imperatorem, obsidione gravi Paduam premere, Confœderatis omnibus suas copias in exercitu ejus habentibus, quadraginta hominum millia coacta, est opinio. At si forti animo rem obsessi complectentur, duram se provinciam obsidentes amplexatos fuisse cognoscent. est namque triplicibus septa muris urbs illa. difficilis est ad ejus mœnia accessus ob fossas, vallos & antemuralia munitissima. Magno præterea cedet adjumento Petiliano Comiti, propugnationis duci, cives omnes armis ineptos, fideique Venetæ suspectos emisisse. Inclusorum nullus est jam, qui pati extrema non malit omnia quam sese dedere, quia præsertim, uti fama est, primariorum Venetorum filii centum amplius insint, cum singulis quisque decem fidis clientibus, ad necem potius sustinendam paratis, qui animum firmant stipendiariis. ambiguus igitur est hujus rei eventus. Tu vale. ex Valleoleti. pridie Idus Septembris, MDIX.

EPIST. CCCCXXVIII.

De quadam Beaticula & ejus causa discordant concionatores, fratres. quid Rex & reliqui sentiant.

P. M. A. M. Suo Comiti.

NOvum audi genus Latriæ, quod nunc pullulat. Fanatici cujusdam rustici Abulensis Diœcesis filia, ab unguiculis primis in oppido quod vulgo dicitur *Piedra hita* Salmanticæ enutrita ex genitoris instituto, intenta contemplationi, corpus fertur cibis adeo tenuibus assuefecisse, ut stomachus ejus jam vix escam ferat Habitum hæc grandiuscula concionatorum sumpsit. nunc vaticinatricem Sibyllam se facit. Deum se habere familiarem nutibus, gestibus & colloquiis; seque Deum corpore his videre luminibus, stringere complexibus, & in amore ejus liquefieri, profitetur. quando se Deo plenam esse prædicat, rapta in exstasim veluti mortua, protentis in crucifixi Jesu formam lacertis, jacet. concretos illi nodos diriguisse, omnes in sicci batilli speciem multi spectando publice fassi sunt. excitata, mira de Divinis proloquens, ignara literarum fœmina, sapientes æquare Theologos dicitur. Sacerdotem sacra tractantem interdum æmulata, veluti de Sapientia Salomon, amatoria in Christum verba audientium corda frangentia promit. *Se Christum nunc habere comitem, nunc se ipsam Christum esse* dicit. Interdum se *Christi sponsam* profert palam. Attonita plærumque Deiparam confingit Virginem adesse; cum ipsa de honore ac dextra, veluti cum sui nati sponsa contendentem, in propatulo illam adverterunt. Quando per angustum sit præcipue prodeundum, ac si corporaliter præsentem socrum inspectaret, uti præeat repetens alloquitur, veluti dicenti socrui, *Decet tanti filii sponsam præcedere.* nemine quicquam aliud audiente, aut vidente, respondet, *nisi tu Virgo Christum peperisses, Christum ego sponsum non assequerer, sponsi mei genitricem oportet omni honore dignam judicari.* his veluti fanatico Spiritu oppressa, involvitur. Nugæne sint, an cælite afflata mente ista proferat, in dubio est. ex ipsismet concionatoribus fratribus Dominicanis hi rem derident, abscindendam superstitionem exorientem inanem arguunt, contendunt, instant. alii tuentur *Beaticulam*; hoc namque nomine Hispanus sermo vester *Moniales Vagas* appellat; ex Deoque prodire quæcunque illa promat, conantur sustinere. Altercatio inter eos orta est non mediocris, quæ non facile abluetur. ad summum Pontificem

tificem res delata est. Legato ipsius Joanni Ruffo Forolivienſi viro, Episcopo Britonorienſi & Burgenſi ac Vichenſi Antistitibus Theologis egregiis ambobus ejuſdem Regulæ concionariis viris, ut una tres ipsi rem ſcrutentur, demandatum est à ſummo Pontifice, ſcindantque ſurgentem levitatem, ne ſcandalum pariat, ſi fœmineam levitatem eſſe repererint. Rex, qui ſani eſt animi, ſano pectore iſta fieri putat, ut rem ſanctam ſuo acceſſu ad *Beaticulam* fovet. Crepidatus noſter Cardinalis Beaticulam laudat. infuſam in ea divinam ſapientiam arguit. Ita in diverſa trahuntur. Tempus rerum judex ſagaciſſimus, quæ ſim ego crediturus, mihi aperiet. Tu vale. ex Valleoleti. pridie nonas Octobris, M D IX.

EPIST. CCCCXXIX.

Solvitur obſidio Patavina. Christianæ triremes à Turcis fœde capiuntur. De miſera Vicentia.

P. M. A. M. Suo Comiti.

MAximilianus Cæſar electus Imperator Paduanam fruſtra oppugnationem tentavit. propugnatores intra urbem triplicibus turritis mœnibus, vallo, foſſis & machinamentis munitiſſimam, ſe viros ſtrenuos oſtendere. longe abeſt, ut vi capi queat, niſi concluſis animus defuerit. longa forſitan poterit obſidione deficientibus alimentis capi. Retroceſſit ergo hyematum, ad millia quinque loci aquoſi & algentis iniquitate coactus. In ſtativis Ver exſpectaturum, ajunt, ut aſſentiente anni tempore, regrediatur. Vicentiam gleba fortunatam urbem, amœnam & opulentam, mœnibus nudavit, ejus urbis primarii cum familiis & ſuppellectile Venetias confugerunt, priuſquam Germanorum inundatio adventaret. Ex urbe Roma fertur, in mari Adriatico, qua ſpectat Apulia montes Epiros Galearum Triremium Pontificis & noſtrarum claſſem, cum Camalio prædone pyrata, magni Turchi ſtipendiario, præfecto maritimo ejus artis perito duce, concurriſſe, & noſtros pugna navali commiſſa, tres triremes cum univerſis, qui inerant, amiſiſſe ferunt. Ex noſtrarum Galearum præfectis in Turcharum claſſem unum temerarie, non uti regula Martis exigit, incurriſſe, noſtra claſſe à longe reliqua ſubſequente, unde copia fuit Camalio, qui conglobatam claſſem integram trahebat, adoriri, capere, ſternere præeuntem, noſtra claſſe hebetata, regreſſum eſt. Hac elati victoria Turchæ, ad uſque Syracuſas, Siculum infeſtaſſe dicuntur littus, univerſamque inſulam formidine repleviſſe. Ita in hac alea *Venerem* aliquando, interdum & *Caniculam* reperimus. Vale. ex Valleoleti. Idibus Octobris, M D IX.

EPIST. CCCCXXX.

Ingens terræ motus Constantinopoli. de Sophio. de Papa cum Albigenſi Episcopo. de legato & Gallis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

PEr tabellarium ab Urbe habemus, terræ motu Conſtantinopolim fere mediam corruiſſe, nec Sophiæ templo illæſo hactenus, quin ſcinderetur, peperciſſe. Pontifex vero ad Regem à magno magiſtro Rhodio ad ſe datas miſit literas, quibus ſignificabat, Sophium de Chriſti Lege ſumenda cogitare. Is adhuc verſat in ambiguo, neque Mahometis legem colit, neque Moſeis adhæret inſtitutis, neque Chriſtianam adhuc Religionem complexus eſt. Summus Pontifex agit Viterbii, ab Urbe diei iter diſtantis. Ibi Galerum rubrum Albigenſi Epiſcopo alias promiſſum, recuſavit præbere, quia ſit Rothomagenſis Cardinalis legati ex fratre nepos, cui eſt Pontifex iratus, ex ſuſpicione mali animi adverſus ſe. Obſcuro vultu fronteque obducta ſuſcepit Albigenſem, quia præcipue nuper legatus ipſe vacantes quaſdam in Mediolani Ducatu Abbatiarum & Epiſcopatuum deturbaverit, nec Pontificio Chirographo plumbato, adſignatos admitti paſſus fuerit. Eadem volunt Galli frui Pragmatica in Inſubria (quam occupant) qua in Gallia, non cogitantes, an ipſi, uti majores eorum, periclitanti ruentique Eccleſiæ ſuccurrerint. Quibus auxiliis præſtitis & Chriſtianiſſimorum nomen ſunt aſſecuti. Vale. ex Valleoleti. XII. Calendas Novembris, M D IX.

EPIST. CCCCXXXI.

De Regina Ioanna. de Polonis. de Turcis. de beaticula.

P. M. A. M. Suo Comiti.

DE externis hactenus, de utriſque nunc ſermo reſurgat. Turdeſillas oppidum æternam Reginæ Joannæ ſedem futuram, Rex ejus genitor adivit, ut ingruente hyeme in hac vaſta Caſtellæ veteris planitie, quæ à Pyrenæis montibus non longe diſtans, frigida eſt, ab æſtivis filiam cubiculis, Dorio fluvio imminentibus, ad apricas in eodem atrio, & blandimento regali ſtructas, abducat

cat cameras. Est Saturno adeo plena, motus inimica adeo, ut à lethalibus ad vitales, ab aëris ventosis & ab omni intemperie tutas stationes concedere recusaverit, neque profuerunt paternæ blanditiæ, neque minis, quas immiscuit interdum, commota, genitori paruit. quem alias observat, veneratur, colit. Patentes tamen aulas, quas inhabitat, storeis constratas & auleis, parietibus contectis, ea semi-invita fecit habitaculum filiæ componi, satis apte, ne frigore torpescat. his actis, ad Vallemdoleti regressus est. Ibi per tabellarios audivimus, Poloniæ Regem Turcarumque copias terrestri certamine conflixisse. in quo ajunt, Turcarum quinquaginta millia, Polonorum triginta trucidata. De beaticula Abilensi est etiam quod referam. Apostolicus legatus Britonoriensis Episcopus & reliqui duo Episcopi Burgensis & Vichensis, impunitam solvi debere sanxerunt. sive quod simplici mente agitari fœminam senserint, sive quod res ejus probaverint, aut de hujus infantilibus actis curandum minime putent. Utcumque sit, liberandam censuerunt. Ex Valleoleti. IX. Calendas Novembris, MDIX.

EPIST. CCCCXXXII.

De Regis debito ad fabricas Ecclesiarum Alpuxarrensium.

P. M. A. M. Decano & Capitulo Granatensibus.

JOannes Lopez Reginæ vita functæ Testamenti examen & cura me allocutus est. Statutum esse, inquit, in Regio Senatu, cui est onus injunctum de exsequendis Reginæ legatis, ne ultra differantur illorum quinque & viginti millium ducatorum assignatio qui in vallium, montium fabricis Ecclesiarum debentur, ex Pontificis decreto, qui redditus eos decimales, hac lege Regibus addixit, ut ubi novis opus est Ecclesiis, illas erigant. Ubi vero, ex Meschitis Mahometanis, Ecclesiæ mutantur, quicquid dirutum male compositum reperiatur, resarciendum fore Reges obligantur, neque novas erigere, neque collabentes reficere hactenus curarunt. Decimales autem redditus ad unguem fiscus exegit. Satisfiet igitur propediem. Vos vero tum dabitis operam, ne templorum structuræ defraudentur. Quæ ad Religionem attinent, diligenter accuratéque amplectemini, ne divino incomposite cultu exercitato, novi Christicolæ nuper in fidem recepti malo exemplo perturbentur studete, & valebitis. Ex Valleoleti. IX. Calendas Novembris, MDIX.

EPIST. CCCCXXXIII.

Rex ad Afros. Capiuntur triremes Veneta in Pado. quid Veneti retineant. amici Rex Hispanus & Cæsar denuo.

P. M. A. M. Suo Comiti.

FAma est Madritum nos propediem ituros, ut ad vestram vestro vocabulo *Andaluziam* proficiscamur. Sedet animo Regi, classem ingentem, qua trajiciat ipse ipse in Afros Mahometanos, parare. iisdem diebus allatum est, Venetos è classe, quam in Pado fluvio ad Ferrariæ damna ductitabant, triremes quindecim cum ingenti hominum & machinamentorum jactura amisisse, quod gravi Venetis cedit incommodo. Paduam tamen, Trivisium & Vicentiam sustinent. Unde sperant, aliquando se vires resumpturos. Adversis hactenus animis, ob res Castellæ, Cæsar Imperator electus, & Rex noster (uti nosti) vivebant. Nunc per internuncios fœdere adstricti sunt, atque amici. Jam sentit Imperator, unicum esse in Fernando consocero, regendæ hujus Machinæ Castellanæ remedium. nil aliud occurrit. Vale. ex Valleoleti. IV. nonas Decembris, MDIX.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

Epist. CCCCXXXIV.

Quæ fiant in universo. quid in pugna contra Mauros Comes Altemira Gallecus.

P. M. A. M. Suo Comiti.



Ccipe quæ à diversis orbis partibus habeantur. In Europa Cæsar Maximilianus, Rex Gallus, & noster, secundo in Venetos convenerunt, animis, fœderibus & armis, ut Paduam & reliquas Italiæ terras ab eis tollant, quæ Cæsarei Juris esse reperiuntur. Conqueritur namque se extra Confœderatorum aleam declusum, cum aliorum sua quisque receperit. Ex Asia vero Asiæque vicinia scito, Selimsachum magni Turchi secundo-genitum, qui Asiæ Minori præest, pro genitore simultatibus agere cum fratribus reliquis, studereque ut aut interfecto, aut dejecto fratre grandiore, Imperium ipse usurpet suum, etiam patre vivente, qui decrepitus lecto confectus spiritum vix dentibus retinet. Ex hac discordia, si Christiani Principes in Turcas convenirent, facile Turcarum Imperium rueret. Ex Africa nuper habuimus, Comitem Petrum Navarrum egregium bellorum magistrum ex Æoliis insulis, Siciliæ suburbanis, classe ibi munita per dies aliquot Bugiam Regni caput Africani unius abiisse. in prospectu urbis ob ventos in proram illi à terra flantes in nonis Januarii velificando moratus est horas quinque. Data est Bugianis civibus ex hac circuitione copia emittendi in fœminis, & senibus bello inutilibus, pueros & supellectilia. armis apti capiendis cum suo Rege parati animis ac telis suscipere nostros, neve descendant, impedituri ad litus prodeunt. Ex turritis urbis mœnibus connitebantur ducentorum amplius tormentorum omnis generis lapideos ferreosque globos in nostras naves conjicere. sed sive quod ex alto mitterentur, aut magistrorum imperitia, sive quod verius puto, nostrorum fidem Christus ex excelso suæ Deitatis throno despectaret, fere nullam percussere è nostra classe navem. Jactura igitur exigua minime territi compositis ordinibus in terram nostri detrudendo Afros descenderunt. Rex eorum decem millibus peditum, equitum vero satis apta caterva septus, montem, qui adjacet urbi, captat, ut è culmine facilius in nostros ruat. Nostri radices montis occupant egregie cuneati. Paulatim per acclivem serpserunt. Sagittis & plumbatis è sclopetis emissis ab imo ad summum Afros perturbant, gradatim adscendunt. Proh! quid Judicii fuisse censebimus apud Superos? Bonus ille strenuus miles, militum rector egregius, naturæ dotibus præcellens, lenitate morum, agilitate corporis eximius Rodoricus Moscosius, Comes Altemiræ, vir Gallecus, nulli viventium inferior, omni virtute, pietate, erga Christum & Christi fidem fervore mirandus, venenata à suismet, qui eum sequebantur, sagitta, infelici eventu transfixo fœmore vulneratus est ad necem. quom namque balistis armatis montem peditatus gradatim adscenderet, ipse autem præiret invito balistario, qui ad hostes tantum oculos intentos habebat, balista solvitur in Comitem ipsum, sagitta pervolavit ab imo. quando sese vulneratum sensit, erectis in cælum oculis gratias fertur egisse Altitonanti, qui quod ipse vehementer optabat, ei fuerit impartitus; ut scilicet contra Mauros pugnando liceret occumbere. Hoc illi restat solamen amplissimum, quod non illico deciderit. Forti animo cæteros exhortans procedit. Afri truduntur. Hi versis primo vestigiis retrocedebant sensim. At ubi cominus ventum est, ubi hastis multiplicibus, ensibusque agi cœptum est, propere terga vertunt in fugam. Una hostibus commixti nostri, ad urbem pervolant, urbem capiunt. in prædam datur. Rex eorum cum paucis evasit. O laude dignum facinus! Nil jam Hispanis arduum, nil aggrediuntur incassum. Africam formidine repleverunt. Vale. ex Madrito, quo mutavit Rex Curiam, ne ocio sub tectis diu agentes, torpescamus. x. Calendas Februarii, MDX.

Epist.

EPIST. CCCCXXXV.

Deditur in Africa urbs Alger, Gallus Veronam recipit pro impensis pro Cæsare. Comes Petiliani moritur. de rebus Africanis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

ALger urbs est in Afro litore, non longe distans ab urbe Bugia. ea vicinorum damno edocta, ne in eandem incidat Charybdim, ut in prædam eat; Oratores ad Regem misit. recepta est in deditionem. novam ibi arcem condidere, nostrisque præsidiis muniverunt. Iisdem fere diebus ab Italia scriptum est, Veronam in Gallorum venisse potestatem, sub occasione pignoris, recuperandarum aliquando pecuniarum, quas Maximiliano Cæsari Gallus Rex, ad bellicas impensas mutuasse arguit. Est igitur Verona Gallicis fulta præsidiis. Ita sibi paulatim Gallus, non Cæsari res, à Venetis abreptas, Imperatorio nomine usurpat. Ajunt præterea Nicolaum Ursinum Petiliani Comitem Venetorum Imperatorem, senio laboribusque, ob duram obsidionem confectum, vita functum. ejus tumulo Veneti, Ennianum illud de Romanorum Fabio, à Virgilio sumptum,

UNUS HIC NOBIS CUNCTANDO RESTITUIT REM,

inscripsisse feruntur. A nobis autem hæc habeto. Rex cum videat paucorum militum Hispanorum, sub Comitis Petri Navarri ductu felices eventus arguit, à fortiori: Si tanta formidine incolas Afros omnes, paucorum ad eos accessus replevit; quid fore putandum est ipso Rege cum exercitu valido trajiciente? Sub jugum venturam Africam universam, jure merito credendum est. Insurrexit igitur animus Regi ad Africanam provinciam totis viribus capessendam. propterea nunc statuit, in avita Regna se conferre, ut Aragonium, Valentinum & Catalaunum conventus cogat, ad exigendas ab eis pecunias, quibus augere possit, ad rem tantam, facientes copias. Ad illa igitur nostro mari adjacentia regna, ubi primum festos Resurrectionis Dominicæ dies egerimus, proficiscemur. Interea vale. Madrito. XVI. Calendas Aprilis, MDX.

EPIST. CCCCXXXVI.

Iterum in Venetos. quid Veneti. quid Papa & Roma fecerint ob captam Bugiam. Dux Termenensis in Venetos mittitur. Philosophica quædam. Monzonum imus. Regina Angliæ paritura. de spe Venetorum.

P. M. A. M. Suo Comiti.

TErtio nonas Aprilis Madrito discessimus, cum ex itinere in Cæsarea Augusta, quam vulgus dicit *Zaragoçam*, moraremur, ex Anglia *Albion* insula Regi nunciatum est, ejus insulæ Reginam sibi filiam, partui proximam esse, quia nono gravetur mense. Monzonum oppidum in rapacis Cingæ fluminis planitie situm, trium Regnorum fines contingens, Rex ad conventus excitandos elegit. Huc v. Calendas Maii pervenimus. ex Gallia sensimus iterum convenisse Confœderatos, ut in mare Venetos nitantur detrudere. Italia dimissa Veneti Paduam, Trivisiumque adhuc sustinent, ita fultas & munitas, ut duriorem forte provinciam sint reperturi, quam existiment. Duobus his locis in Italia, licet Vicentiam & Lignagum teneant, Fortunæ rabiem statuerunt sustinere, donec mutet sententiam. Sciunt namque esse inconstantem. Nil præterea illis de maritimis quæ possident Regnis ablatum est; Cretæ utputa, Corcyræ, Cyprique intacta adhuc retinent. Scribit Cabanillas orator noster in Gallia, non inferiorem exercitum parari ad Venetos eradicandos ab Italia, quam is fuerit, quem Rex ipse ad eos infringendos anno superiore ductitavit. Scribitur præterea ab Urbe, Pontificem & Curiam universam hymnis, canticis & nocturnis per Urbem ignibus, eum diem exornasse, quo ipsis allatum est Bugiam urbem, de Maurorum ereptam fuisse potestate. Ajunt una, Ducem de Termines Neapolitanum Principem, copiarum nostri Regis ductorem, cum valida militum manu, è Neapoli laturum Maximiliano suppetias in Venetos, jam discessisse Monzonum. VI. nonas Maii, MDX.

EPIST. CCCCXXXVII.

Rex Bugiæ profligatur.

P. M. A. M. Suo Comiti.

FElicioribus indies magis ac magis eventibus, Deus duce Petro Navarro Hispanos prosequitur ex Bugia. Quam virtute militum paulo prius ceperat, per exploratores,

Navarrus ipse intellexit, Regem ejectum, comparata vicinorum equitum & peditum manu, castris positis sub divo esse, in herbida planitie quadam, ad millia à Bugia quindecim. unde ne alimenti genus ullum importaretur ad nostros, itinera cuncta intercipiebat. rem licet arduam, complecti statuit. Prima noctis vigilia cuneos militum extra urbis mœnia, nemine gnaro, quo ducerentur, instruit. ut se quisque cibo potuque recreent, edicit; parentque pedes ad laboriosum iter, animosque capessant sollicitos, hortatur. noctem eam, quæ aderat fore cunctis gloriosam, & aliorum præclare gestorum ornamentum, favente Deo, cujus causam gerunt, enunciat. Illa dies erat Veneris signata, XIII. Calendas Maii. Pergunt viam pullulante aurora, Regis Bugiæ castra in prospectu habuit, taciti ex Ducis mandato, agmine composito, ad latus usque castrorum gradatim procedunt. Insanus quidam tympanistes signum dat extemporaneum. sopiti jacebant hostes, nil tale timentes. excitantur, capiunt arma attoniti. nostri citato cursu ad castra proficiscuntur, obvios trucidant, castra occupant. Rex eorum primariis aut peremptis aut captis, raptim è lecto, lintea tantum texta coopertus; transiliit. equum, qui primus oblatus est; nudo resiliens dorso præhendit aufugitque percusso cane velocius. evasisset nemo de universo Regis exercitu, ni tympanista properasset. gravatos namque somno oppressissent omnes. Sexcentos è præfectis arcium, & primariis ejus Regiæ aulicis trucidarunt. castris spoliatis, quadringentorum boum, camelorum autem ducentorum, armenta in prædam abduxerunt. multa boum, camelorum etiam capita, tubarum & tympanorum strepitu ac militum clamoribus perterrita, in diversa evaserunt. quæ non fuit consilium ultra perquirere. quia sciebant superventuras illico Maurorum turmas, audita incursione illa insperata, tum quia longo itinere & labore noctis quam duxerant insomnem, fessa nostrorum phalanx esset, in cujusdam fluminis ripa vicina, turba hostium, quæ confluxerat, nostros stringit, tentavitque bello pro viribus. Sed ubi immobiles fortibusque animis consistere nostros animadvertit ea multitudo, quæ ingens erat, transitum facile passa est. plumbatis namque ac sagittis accedentes, transverberabantur. quia semi sunt inermes. Cum præda igitur ad urbem nostri regressi sunt incolumes. Tu vale. ex Monzono. v. Idus Maii, MDX.

EPIST. CCCCXXXVIII.

De conventibus & extortoribus Aragonicis.

P. M. A. M. Suo Comiti.

DIstamus à vobis & septi sumus, ac si Alpinis aggeribus secluderemur. Quia nemini licet ab his regnis semel ingresso referre pedem, quin in cujusque Regni finibus, labra rabidus confricare cogatur, ob avaros, crudos & truculentos exactores portuariorum, & vectigalium, qui ad textam usque interiorem viatores exeuntes denudant, ut scrutentur, an pecunias exportent, nulla ratione habita, an illas ad viaticum reditus importaverint, si quæ supersint. Jumentorum clitellas, equorum & mularum ephippia & phaleras, ut si latentes in eis pecunias repererint, abripiant illas, reique auctorem mille conficiant molestiis, reperti sunt aliquando scidisse; nec licet viatori vestem ullam aut lineam textam efferre non indutam, quindecimam ejus valoris partem eorum arbitrio taxatam, relinquat. putas fore horum ingluviem immoderatam, regiis parcere supellectilibus, novis præsertim, quin ejus à cubiculariis, quando hinc exitur, exigatur portuarium? Regnicolarum namque sunt hæc, non Regis intoleranda tributa. Quorsum hæc, dicis? ob has efferas necubi terrarum assuetas extorsiones, pauci ad nos veniunt, rariores ad vos regrediuntur. Ab hac frequentia, nisi cogat summa necessitas, abstinetur. habes hinc non crebras à me literas. Quæ autem nunc agantur, accipito. A V. Calend. Maii, qua huc sumus ingressi, ad diem usque Iduum quartam, variis inter Catalanos & Aragones quæstionibus, tempus consumptum est. propositio tandem ex composito, lingua dictata est Catalana, responsum vero Aragonica. contentiones inanes reipsa bonorum sunt usi officio incolarum. Petiit Rex ab eis, ut è facultatibus publicis subveniatur, ad parandum in Christi hostes bellum. Responsum est laudari propositum, libentique animo impartituros; at quædam prius è Rep. proposituros. Hæ sunt horum ambages, qui liberi patriis Legibus nil imperio Regis gubernantur. Tu vale. ex Monzono, per eundem tabellarium, per quem superiores dedi, qui triduum post eas præbitas, moratus est. Pridie Idus Maii, MDX.

EPIST. CCCCXXXIX.

Mors & vita Cardinalis, Legati Galliarum. de Gallis & Venetis. moritur Cæsarinus Cardinalis. Vicentia & Lignagum capiuntur.

P. M. A. M. Suo Comiti.

GEorgius Ambosius Cardinalis Rothomagensis, vulgo *Ruanus* Galliæ legatus universæ, cujus nutu Rex Gallus gubernabatur, vasto hiatu Pontificatus cupitor, quam ob causam & Pontifici semper adversatus est, & Cardinales seducere nunquam destitit, è Gallia scribitur, ad æterna præmia evolasse. qualia sint, ipse referat. caste vixisse hominem, fama est: at non sobrie. vino namque minime parce fruebatur, licet Medicorum consilio aversum: quia podagra laborabat crebro; podagraque interiit tandem, quæ illi ad cerebrum protenta est. Ita corporis arce occupata, reliquum mors habuit in deditionem. laudanda erant de Pontificatu hominis colloquia. ajebat enim, *se optare Pontificatum, ut Ecclesiæ mores, ut clericorum vitam reformaret & exactiones moderaretur.* Loquebatur optime Reverendus Pater, quid autem sentiret; scrutatori animorum patebat; neque ambitione, neque avaritia moveri putandum est, quandoquidem id ipse de se ferebat. De cadavere satis. ex Italia dicitur in ea provincia quam *Polesenum* appellatam, in Padi fluminis ripa jacentem, aquosam, hominum industria uberem, Veneti quondam à Duce Ferrariæ rapuerant, belli causas in eum quæritando, Gallorum simul & Venetorum acies, se invicem perturbare incursionibus. Alterne se (levibus tamen præliis) conficiunt. Integro agmine concurrere neutri statuunt. Ab urbe Roma Cardinalem Cæsarinum inopinata morte raptatum inquiunt. A nobis scito proximos esse ab Imperatore unum, à Margarita Flandriæ Principisque ipsius Caroli moderatrice alterum, oratores. Quid ferant, nescimus. Habetur aliud ex Italia. Galli Vicentiam à Venetis abripuerunt, at fere desertam & peste vexatam. captum est & Lignagum oppidum, quod adhuc in fide Venetorum, ex quo ibi Mantuarium Marchionem apprehenderant, servabatur. Monzoni, pridie nonas Junii, MDX.

EPIST. CCCCXL.

Opinio de Tripoli urbe in Africa & Petro Navarro. Gallus exercitum dimittit. Pontifex cogitat liberare Genuam. Cardinalis Narbonensis capitur.

P. M. A. M. Suo Comiti.

EX quo à nobis literas habuisti, ex Africa relatum est, Comitem Petrum Navarrum velificando nunc hac, nunc illac; tanquam errabundum per aëra milvum, suorum militum classem Siciliam inter & Lybiam dissimulanter pervehere nescio quid, clausis immurmuratur labellis, impetiturum ex tempore Tripolim Barbaricam urbem, urbium maritimarum tum arte, tum natura munitissimam. quid verset animo vir iste, miramur vehementer. omnia putat se facilia reperturum, ex quo ita sicco pede Auranum & Bugiam validas turritis mœnibus urbes depopulati sunt, & bellica virtute ceperunt. ex Italia ferunt, Gallos majorem sui peditatus partem dimisisse, Paduanamque provinciam deseruisse. *nolle se pro aliena re*, inquiunt, *vires suas hebetare. satis Cæsari factum videri debere, quando semel in ejus manus Paduam cæteraque conjecerunt.* Rex tamen Catholicus noster, tercentum cataphractorum lanceas cum Duce Termenensi ad Cæsaream mittit majestatem. At ipsum in itinere stitisse pedem ferunt, audita Galli peditatus dimissione. novum exspectat à Rege mandatum. De Pontifice pullulat novus cogitatus. Vellet de Gallorum potestate Genuam Savonamque sibi natale solum abripere. durum fore putandum est, de tanti leonis faucibus prædam illam iri ablatum, Pontificia solum costa. Ajunt una, Pontificem conjecisse vinctum in Adriani molem, Sancti Angeli castellum, Cardinalem Narbonensem, Legati Rhotomagensis ex fratre nepotem, patrui mores in Pontificem redolentem, quia insalutato Pontifice ad Regem Gallum profugere tentavit. De nostris conventibus nil est quod referam. conveniunt quotidie, concludetur nihil. Vale. ex Monzono. XVI. Calendas Augusti, MDX.

EPIST. CCCCXLI.

De investitura Regni. Oratores à Cæsare & Carolo Principe. Mercurius de Gatinera Orator.

P. M. A. M. Suo Comiti.

DIversis ad te literis habuisti, quantum certaminis, quidve disceptationis de

 Neapo-

Neapolitano Regno. ejus, ut vulgo loquar, Investituram, nunquam est à Pontifice, cuja interest Neapolitanum Regem coronare, consecutus Rex noster ad hunc usque diem, nuper allatam scito. fuit nostro Regi lætitiæ non mediocri. neque enim legitimus illius Regni Rex aliter poterat appellari. Gallo fuisse ajunt infestissimum. Cur hoc ipsi referant (de summa potentia prius vita quam invidia tolletur; in ea præsertim re, à qua semel gustata, quis fuerit ejectus) ipsi viderint; nos juncos in imo jacentes malumus æmulari, quam cacumina montium incolendo à rapidis per aëra raptari Typhonibus. à Cæsare diebus iisdem *Ioannes Schad* Germanus juvenis, nobili ortus prosapia Matthæi Langæ magni, Cæsari à Secretis & Gursiensis Episcopi sororius, Papiæ enutritus à teneris, orator accessit: à Margarita vero una Mercurinus de Gatinera vir Italus meo natali vicinus. distat namque passuum millia tantum duodecim à Verbano lacu Gatinera, qui *Lacus Major* appellatur Antonomasice. is est literis & rerum experientia clarus, pro Carolo Principe, Burgundi Senatus princeps, magni nominis vir. Quid uterque afferat in mandatis, nondum intelligimus. Allatum est & aliud magnanimum dictu quidem, sed omni judicio arduum, durum & impossibile factu. Quonam pacto non par viribus, de fortis leonis faucibus agnum catellus abripiet? Minatur summus Pontifex noster Julius, de Galli Regis servitute se liberaturum Genuam & Savonam, Ligustici maris urbes, sibi patriam; nec passurum cives suos Gallico premi jugo, qui ad hæc usque tempora liberi vixerunt. corroditur, cruciaturque animo, propterea dentibus frendens triremes, partim proprias, Venetorum partim, cum armatis militibus, undecim ad portum misit, ignaro Gallo Rege, Genuensem, terraque turmas peditum plerasque, ut una urbem terra marique impeterent, ad defectionemque in libertatem provocarent. Urbs autem Galli Regis potentiam verita, quia præcipue sit ob castellum nuper in ipso portu structum graviter oppressa à tumultu cavit, nemo ad defectionem inclamitare ausus est. Ita re infecta, excitato concitatoque in iram, dormiente Gallo, terrestres maritimæque suppetiæ discesserunt. Deprehensum habuit tamen intra urbem Episcopum quendam è primoribus Genuensibus habitu militari, qui ad defectionem cives incitaturus advenerat, missus à Pontifice. Ita sero misera requiescet Italia. Tu vale qui es in tuto. Monzoni. Idibus Augusti, MDX.

Epist. CCCCXLII.

Quid Ferrariæ Dux Miranda. Tripolis urbis in Africa expugnatio. de Hispanorum fortitudine in ea expugnatione.

P. M. A. M. Suo Comiti.

Superiores clauseram ad te literas, quando differente discessum tabellario, accessit alter ab Italia. Summus Pontifex grandia versat animo. Alfonsum Hestensem Ferrariæ Ducem è statu avito ab annis circiter tricentum, abdicaturum minatur. Cardinalis Rothomagensis Legati qui Gallicam universam ad se potentiam vivens trahebat pollicitationibus & favore fretum, inquit Pontifex, Ducem ipsum irreverenter temerarieque & locutum & operatum in eum, decidisse propterea è Jure Feudi. Est namque Ferraria (uti nosti) Pontificiæ Tiaræ feudataria. Salinas præterea novas in Pontificis ignominiam, ipso invito monenteque, ne Jus Pontificii Fisci labefactaret, ne jacturam ejus in sui commodum quæreret, construxisse conqueritur, per terminos citatus juridicos coram Cardineo Senatu, nisi ad Pontificium Cardineumque tribunal, de se rationem redditurus, accesserit, in contumacem agetur. Ita novæ nascuntur in Itala messe vepres, novi tribuli pullulant. Ex Africa facinus audi minime credibile viribus humanis accidere potuisse. Audisti aliquando Tripolin esse urbem Barbaricam Africæ ditissimum emporium, turritis mœnibus invictis, mari terraque septam, natura munitam & arte mira, sub ditione agentem Regis Tuneti, dicitis Hispani *Tunez*. Eam urbem ex Æoliis insulis classe advectus Petrus idem Navarrus Comes adortus impetit. Ad novæ classis prospectum, ab alto incolarum equitum peditumque multitudo accurrit, sagittariis scopetariisque littora complentur. Suspicati namque fuerant, ea nubila in terras eorum procellas advectura, quia per varios nuncios didicerant de copiis illis Hispanis, quod intra insulas eis vicinas stantes egressum in Africam pararent. sagittis globulisque plumbeis, majoribus etiam æneis balistis & multiplicibus tormentis, descensum è navibus prohibere nituntur. E converso nostri cujus causam agerent, Christi scilicet memores, intrepidi hostium ictus suscipiunt, redduntque vices easdem, & detrudendo Aphros in terram saliunt, arcent à litore cunctos. acies instruunt. gradatim agmine composito in hostes movent. cadebant utrimque pugnando non pauci. Mauris nam-

namque patriorum mœnium prospectus, uxorum filiorumque, & pænatum manes ac propriæ domus, animos præstabant. nostros fidei zelus & prædæ una cupiditas, & gloria belli accendebant. Ita certatum est duro Marte in littore, duarum horarum spacio. Victi tandem Tripolani terga vertunt. trucidantur passim. Interea dum pars una littoralem cuneum exagitat, pars altera eventu non infirmiore, muris innixa, per scalas hastasque (quas *picas* vocat nostra ætas) adscendit. Magna vi, propugnatores è pinnis & propugnaculis Hispanus miles detrudit. è muris in urbem transilit. portæ nostris in harena victoribus aperiuntur. Ita nostrorum pars utraque urbem occupat. Ibi dira belli facies, ibi luctus, ibi languidus clamor & vagitus lachrymabilis. Quid in filios parentes, quid in uxores viri gemerent, tu judicato. Non minus horis totidem intra urbem in vicis, plateis, atque domibus, forti animo strictis gladiis pugnatum est. Miseris Tripolanis in uxorum & penatum conspectu rabide pro re familiari, libertateque ac vita certantibus in stando pervicaciter, tandem vulnera inserendo, accipiendo, moriendo, trucidando, cuncta ruunt. Ingens fuit atque opima præda. In servitutem uterque sexus ætasque omnis trahitur. Ita rerum vices versant humana. formidabiles quondam Hispanis Aphri, nunc Hispanis cedunt, quacunque concurratur. Vale. Monzoni. Idibus Augusti, MDX.

EPIST. CCCCXLIII.

Anathema in Ferrariæ Ducem. & tenor Anathematis. quid Gallus. quid Helvetii.

P. M. A. M. Suo Comiti.

AB urbe Roma nuper allatum est, summum Pontificem Julium velle constanti pectore Ferrariæ Ducem familiamque illam Hestensem antiquam radicitus eruere. Bononiam se Pontifex contulit, ut ex propinquo rem amplexetur. In Alfonsum ipsum Ducem auxiliariosve suos quoscunque, aut suppetias ferentes, Anathema promulgavit horrendum. aqua interdicit & igni. cristæ mihi præ horrore, quando edictum legi riguerunt. Ab avo ac genitore hujus Alfonsi, taxare incipit familiam Hestensem, quod armis favoribusque perturbatores Ecclesiæ fuerint prosecuti. Aperte Alfonsum arguit, quod statuerit non degenerare à majoribus: specifice vero, quod Rothomagensi Cardinali legato, de perturbanda Pontificia Tiara, deque ejiciendo ipso Julio Pontifice à Petri sede, cupidissimo semper inhæserit, in ejusque favorem, cum potentia Gallica, suas vires, suosque conatus omnes paratos habuerit, & structas salinas in Pontificis ignominiam, & Ecclesiæ detrimentum, contra jus feudi statuat exercere. Hæc & multa enarrantur præterea. Gallus autem Rex anathemate minime perterritus, licet fautores auxiliariique in eo includantur, sentiens, quo Pontifex tendat, Alfonsum Hestensem tutari statuit. Cardinales in Pontificem nititur, quotquot potest concitare, per quos ad Concilium cogitat vocare, aut per Concilium deterrere Pontificem. Quis panis ex hac tam trita exspectetur farina, quid tranquilli speret Italia, tu conjectator. Ad nostra veniamus. per tres conventus statutum est, ut quæcunque Rex petiit, exhibeantur. quingenta dragmarum auri millia inter se Regi præbenda assignarunt, pro cujusque conventus facultatis portione. Quo die sua conclusit Aragon Comitia, quisque namque per se conventus agit, eodem de Tripolitana victoria allatum est, idque in Comitiales publicos actus annotari censuerunt. propediem igitur hinc jam peractis negotiationibus discedemus. sed audi, quid à Tripoli fuerit post ejus excidium habitum. Turcarum Princeps audito Christianorum in Tripolim incursu, diu Mauros ad ejus obsidionem cogitans, quatuor destinavit navigia eorum appellatione *Fustas*. quid rei esset exploratum, ad eas è portu triremem (*Galleam* dicimus) Comes ipse Navarrus dimisit. dimicatum est. quatuor captæ fuerunt fustæ, atque una cum eis Caravella, qua pyratice capti quadraginta vehebantur Christiani. Ex urbe vero Roma scribitur, Pontificem, sanctumque Senatum Cardinalium Senatum Urbemque ipsam universam fluxisse in lætitiam, ob Tripolim de Mahometanorum potestate ereptam, quia posse capi viribus humanis, ob ejus & artis & naturæ robur, nullius hominis sedebat judicio. Magno cedunt hæc nostrorum præclara facinora nostræ religioni adjumento. sit satis laboratum. Vale. ex Monzono, Cinga rapaci nobilitato. pridie Calendas Septembris, MDX.

EPIST.

EPIST. CCCCXLIV.

De truculenta tyrannide in Ariza in viatores. Quid Papa, quid Gallus, quid Helvetii. quid Hispana lancea tercentum. de tyrannide vectigalium. de sævitia qua exercetur in Ariza.

P. M. A. M. Suo Comiti.

PEractis ad Regis nutum trium conventuum Comitiis, terras mutavimus. In tuto jam sumus, ab efferis portuariorum, fines custodientium, extorsionibus. Ac si Regna hæc Satanus Lemurum princeps, illa Christus gubernaret, sic vivitur. nullum immanius latrocinium, si præcipue per tyranni Sisypho Tityoque avidioris oppidum Arizam iter feceris. ibi Cerbereæ fauces, ibi Charybdea vorago. En! quid truculentius? peregrinus sacerdos Compostellam petens, horario veteri (quod dicimus *Breviarium*) armatus, Arizam prætergrediebatur. Id quia tabulis esset licet confractis, sordidisque ex longa manuum contrectatione diffutum, octo & viginti Aragonicis denariis redimere fuit coactus, cumque illi deesset summa, per Arizanorum ostia mendicare compellitur. nec inde aliter datum est discedere. nec cuiquam tyrannidis ignaro, qui libellum vel minimum importaverit, pro rapina libellum linquere, si minoris sit, permittit. argenteum cogitur pro quolibet libello tabulato persolvere. Item Comes illustris, in cæteris rebus omnibus est tanta pluribus in locis horum vectigalium sævitia, quod nec Regiis ignoscant suppellectilibus. de his grassatoribus jam satis. Madriti tuo natali Guadalaxariæ vicini agimus. Hic habuimus, perstare Pontificem in sententia Ferrariensi, evocasseque in Italia Suiciorum (sunt *Elvetii*) numerum ingentem stipendiarium, qui Mediolani Ducatum impetant, in Regem Gallum fautorem Alfonsi Hestensis Ducis Ferrariæ. Helvetios ubi sensit Rex Gallus adventare, impetravit à Cæsare, ut illis imperaret, ne in feudatarium Imperii arma caperent. in feudum namque Mediolani Ducatum se habere ab Imperatore fatetur Gallus. Licet namque jugum nesciant, aut minime patiantur Cæsareum Helvetii, adstricti tamen fœdere sunt, & jurejurando, ne ipsius Cæsaris injussu bellum gerant ullum in Imperii membrum. Imperatoris edicto regressi Helvetii, frustratum sua spe reliquere Pontificem. Rex autem noster auxiliarios ad Pontificem misit catafractos trecentos, qui fidenti animo prosequitur in Hestensem Ducem. Tricentas has lanceas ex icto fœdere debet Rex noster quotannis, quandocunque bellum gerat Pontifex, in auxilium Ecclesiasticæ rei, cum suo duce præbere, ob feudum Neapolitani Regni, per quadrimestre. Cataphractorum dux est Fabricius Columna, vir bello egregius, Romanus eques nobilis. hæc ferunt ægerrime Gallum tulisse, nec stare excusationibus, quod ad tutelam tantum rerum Pontificiarum, non in quenquam alium lanceas illas dederit. In Romania (quam dicunt *Flaminiam*) provincia Pontificia, moratur Fabricius, quo sit eundem, exspectans. Pontifex justam sumere provinciam videtur, at duram, obstante Gallo, qui sic è medio Dux Ferrariæ tollatur, Genuæ, cæterisque Cisalpinæ Galliæ, quæ *Lombardia* vulgo dicitur, quas possidet terris timet. Suo igitur magis commodo, quam Ducis ærumna motus, de tutela contendit. Vale. Madriti. v. Calendas Octobris, MDX.

EPIST. CCCCXLV.

Strages inaudita in insula Gerves. internicie sque lachrymanda nullo persequente. Laus Garsia à Toleto.

P. M. A. M. Suo Comiti.

INfelix habuimus adeoque triste nuncium, ut Regis Curiæque totius animos acriter perturbarit. Nostine Federici à Toleto Albæ Ducis filium, futurum, si ordine suo fata processissent, hæredem? Juvenem dico *Garsiam*, lenitate morum, & doctrina ita pollentem, ut Curialium omnium oculos in se conversos haberet. Hunc juventus colebat omnis. Hunc senectus admirabatur, in hunc genitoris viscera præ gaudio liquefiebant, quando tantum filium se genuisse contemplabatur. Regem ipsum talem fuisse sortitum subconsobrinum, haud equidem pœnitebat. natus namque pater ejus est ex Regis genitricis sorore. Tot animi corporisque dotibus, ut paucis absolvam, vix alium nostra tempestate de suæ bonitatis acervo natura donaverat. Is gloriæ cupidus, ut Bugiam pro genitore, cui est credita, in Africam mitteretur, omni studio institit. Amatæ uxoris, quam ventris pondere pressam relinquebat, ac duorum, licet annum vix ageret tertium & vigesimum, filiorum immemor, accepta venia, Malacham proficiscitur, ut inde trajiceret in Aphricam. sequuntur illum è nobilibus complures. Interea dum è Curia iter peragit, Bugiam gravi peste urgeri allatum est. Per genitoris, per Regis etiam literas, ne Bugiam pergat,

pergat, monetur; redeat hortantur, imperantque uterque. In commodius tempus aliud animi sui gloriæ cupiditatem servet, edicunt. De reditu, obtemperare infausto sidere recusavit. navigat. Bugiam præterlabitur. ad Comitem Petrum Navarrum, de hostibus Afris tot trophæis onustum, tendit. quo tempore Comes inter Syrtes Aphricas, positam insulam, quæ vulgo dicitur *Gierves*, erat impetiturus, accedit. Ejus namque vadosa littora jam pridem exploraverat. eunt, in terram saliunt, acies instruunt. Ebulliens juvenis, leo magnanimus, gloriæ raptatus cupiditate, primam petit à Comite aciem in hostes ductitandam. renuit Comes, quamdiu potuit. Ad veteranos eam provinciam attinere, sub veteranorum ducum regula rem militarem prius experiatur, quam se tanto periculo exponat; hortatur, monet, immo &, quisnam esset, conjectans orat. Variis inter eos agitatum fuisse argumentis fertur. At victus tandem generosi juvenis precibus, Comes primam illi aciem in hostes, licet invitus, permittit. Vigebat calor Aphro spiritu pestilens. potus deficiebat, siti fere peribant. Ad sextum intra terram lapidem puteos insula tenet. magis hauriendæ aquæ aviditate quam conferendi manus ad puteos, non rite servatis ordinibus, milites procurrunt, multis præ siti deficientibus in itinere. Puteos adeunt incompositi, non sine tumultu aquæ haustui intendebant. Gervienses è transparietibus prædiorum puteis vicinorum, inter palmeta latentes, id futurum arbitrati, quid fieret, despectabant. Ad nostros sublato clamore ingenti, solutis habenis, ex insidiis provolant. Octoginta primum equites, palantes nostros, & letali siti & ardore solis languidos adoriuntur. Garsias juvenis licet ductandorum militum inexpertus, strenui tamen militis & magnanimi ducis vicem gerit, arma capit, comites adhortatur, vires animosque ex necessitate resumant, edicit. Hæc referens, paucis comitatus, in hostes ruit. Cæteri terga vertunt partim, partim semineces, præ lassitudine interfici se patiuntur. Garsias paucique illi ab equitibus trucidantur. O facinus inauditum! rem tantam hostes ipsi admirati, verebantur insidias, nec libere insequi audebant. tanta fuit fugientium concepta formido, ut nemo faciem ad hostes verteret, præ sitis languore plærique cadebant. in harenosas voragines herbidas, prata esse putantes, multi viarum ignari absorbebantur. latentibus alii sub harena vorticibus obruebantur. Ea est illi terræ natura voraginosa. Quid multa? Flos nostræ gentis amissus est. Qui hostium ingentibus copiis parva manu non modo restiterant, sed eas sæpe straverant, fugaverant, trucidaverant: qui urbes Oranum, Bugiam, Tripolim inaccessas, mari terraque potentes, natura atque arte munitissimas vi ceperant, spoliaverant, depopulati fuerant, qui cælum jam suis posse capi dextris arbitrabantur, egregia illa corpora, fortesque illas trophæisque ingentibus ornatas animas in octoginta insularium rusticorum semiinermium fauces attulerunt, ut inhoneste truculenterque illis abuterentur. O quam lachrymanda strages! ferro paucos, siti plures, terræ tectis voraginibus & hiatibus submersos multos ajunt, circiter quatuor millia egregiorum militum, cum suis ductoribus, interiere. Quid Comes ipse, quid cæteri superstites in tanta fortunæ rabie fecerint, alias habebis. nequeo præ dolore dextram ultra movere. Vale. ex Madrito. in Calendas Octobris, MDX.

EPIST. CCCCXLVI.

Ratio, cur Autor novis magis quam veteribus utatur nominibus, licet alias dixerit.

P. M. A. M. Suo Comiti.

CUr vetera in urbium, locorum & provinciarum appellatione nomina prætermittam, quæris, ne te aut eorum quempiam, ad quos meæ pervenerint, confundam, monemur, ut dilucide scribamus. obscurescit sermo incerto vocabulo intersertus, quando de ipsius loci indagatione agitur, consentaneum esse judico, ut sua veteri appellatione promatur, non prætermittendo novam, si novam induerit. At quærentes, quid nascitur? quid emerget in rebus humanis? cur ignoto nostra tempestate sono lædemus? Cordubam Tarraconem liceat, Nolam, Capuam, quia sunt eadem & in cæteris hujusmodi. Si vis etiam veteri denominatione propinqua, ut Tagus, qui nunc *Tajo*, Cæsaraugusta, quæ nunc *Zaragoça*, Hydrontem, quæ *Otronto*, Tunetum, quod nunc *Tunez*, pro Aurano *Oranum*, pro Hipono *Bona*, haud equidem displicet. Historiam desiderans, si in eas inciderit terras, quæ abrasa penitus appellatione antiqua novam sumpsere, quid efficiet? si nomine ignoto involvetur? turbabitur & hæsitabit quidem. multis namque hoc evenit locis. quæ tum ut bellorum injurias aut aquarum incursus vitarent, è planis ad tumulos propinquos, aut ad montana sublata sunt, tum è montanis, uberioris agri colendi gratia, vel aquarum penuria, deducta, velut legimus sæpenumero, quæ ad

ad victorum arbitrium, aliam appellationem sunt assecuta. Trahetur profecto in vertiginem, quicunque de rebus Granatensibus aliquid optat intelligere, si Granatam *Illiberim* appellavero, si Almeriam *Abderam* dixero, ut plærique fecere, quia præcipue dubium, an illa sit Illiberis, an hæc Abdera. Quid si Ecigiam *Astigiam*, si Sibiliam *Hispalim*, si Jaënum *Mentesam* vocavero? rugas in frontem contrahet auditor. immo & piget Guadalchevirum fluvium, *Bethim*, Andaluziam *Vandaliam*, aut *Bethicam* aliquando dixisse, Neapolimque appellasse *Parthenopem*. Vivamus igitur hoc pacto hactenus, ut à tergo labore irrito ac frustrato, & vocabulorum omni tetricitate relicta, epistolarum orationem nostram apertam lenemque ac patentem efficiamus, non animus est aliam velle nimium curiosis rationem reddere. tibi paucis, præter ea, satisfactum iri arbitror, hoc nostro instituto. Nil rerum nunc habes, quia nihil habemus. ex turbulenta, putrida, torrida Fortunæ olla, quando quid ferbuerit, stomachum tibi replebimus. Vale. ex Madrito, non *Materto*, ut quidam. in Calendis Novembris, M D X.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER VIGESIMUS QUARTIUS.

EPIST. CCCCXLVII.

Veneti Vicentiam recipiunt. Veronam quatiunt. Papa in Bentivolos. Bononiam it Chiamonus. Cardinales à Papa secedunt. Cæsar & Gallus eis favent. Papa fere moritur. Chiamonus ad mœnia Bononiæ. Fabricius succurrit. quid populus, quid Galli.

P. M. A. M. Suo Comiti.



Eneti resurgunt, Vicentiam urbem, urbium & ubere & amœnitate gemmam receperunt sed miseram ovem ter Galli Germanique diripuere. Ad ultimum solatium, Germanus illam mœnibus nudavit. Ita dilacerata discerptaque à tot undique lupis, vix urbis faciem retinet. Veronam & Veneti concussere tormentis, tentaruntque oppugnationem, sed in cassum. De summo Pontifice Julio, Sacrique Cardinei Senatus rebus hæc habeto. Cardinalium cœtus universus, licet invitus, tum quia per alienas minime soliti errare terras, tum etiam, quia duram magnisque discriminibus referant provinciam, Pontificem amplexurum cernebant, à qua precibus aut monitis divertere illius animum nunquam potuere, ab Urbe tamen ut suum Pontificem sequeretur, movit graviora in Pontificem, præ cæteris incussere murmura rabidioribusque susurris taxavere illum. Bernardinus Carvaiallus vir Hispanus Placentinus nobilis & disertus concionator, & Theologiæ peritus Cardinalis cumque illo Cusentinus, & ipse Hispanus è Gallis, nullus erat, qui non detrectaret. ubi Florentiam in Etruria Carvaiallus & Cusentinus, una cum Gallis collegis, devenere, Mediolanum ad Regem Gallum diverterunt, Pontificem, Gallo favente, nec abnuente Cæsare, ut de se moribusque suis rationem reddat, in Concilium se vocaturos Cardinales; illi contendunt in Pontificem, libellosque formant. Pontifex, relicto in Urbe Rotæ Senatu, causarum judice, Bononiæ parabat exercitum, in Alfonsum Hestensem Ducis nomine privatum anathemate, quando in Alfonsi Hestensis auxilium, Chiamonus generalis Ducatus Mediolani gubernator, & *magnus* Regiæ domus Gallicæ, ipsorum titulo *magister*, cum exercitu Gallico advenit, ducentibus eum Bononiam Bentivolis exulibus, post utriusque parentis Joannis & Genebræ obitum, qui Mediolani animas exuerant miseras extorres è patria, multis cædibus afflictorum civium Bononiensium, ob tyrannidem onustas. Chiamono Bononiensem agrum perpetuis incursionibus infestante, in fere lethalem incidit valetudinem Pontifex. cum jam laboraret extremum, actumque de illo putarent Aulici omnes, ad Bononiæ mœnia copias applicat Chiamonus. Populus audito Bentivolorum nomine, quos eorum factionarii ex longa temporum consuetudine appetebant, & Gallicum formidans furorem, conventicula exercebat. de deditione cogitare videbatur. Dum ita populus fluctuaret, in deteriusque res indies laberetur, neque Pontificiæ copiæ ad arcendos, si vim inferre decernerent, satisfacturas viderent, ecce transiliit ex adverso Fabritius Columna in urbem Bononiam cum trecentis illis catafractis, nostri Regis, de quibus alias mentionem fecimus. Fluctuantes, fereque deficientes cives, animo invicto confirmat. pullulantem jam seditionem sedavit. utraque factio Fabricii auctoritatem secuta, in fide perstitit. Ita ex Hispania, Pontifici vix vivo, Senatui etiam Cardineo, salus exorta, sub Italo tamen duce. quam fragilis populi sit voluntas, quam vento mobilior adverte. Qui populus paulo ante jam arma capere in Gallorum auxilium, Pontificemque suum in Gallorum manus conjicere parabat, Fabricio duce petit, postulat, instat, ut educatur in Gallos armatus: Se Gallos ad unum trucidaturos proclamant, qui fines eorum sint ausi conterere. constans viget opinio, ad interniciem actum fuisset de Gallis, ni Fabricius obstitisset. Vix tamen Chiamonus & ejus milites evasere, quia populi furorem frenare penitus nequivit Fabritius, cujus rei ratio ab affinitate atque amicitia inter ambos Reges exorta est. Sciebat enim Hispano Regi nostro, sedere animo tantum, ne Pontifex Pontificiaque tiara quid detrimenti caperet.

Cujus Regis stipendio trecentas illas lanceas ductitat. Nec longe abest, ut credi queat. Venerat namque Chiamonus, Bononiensis populi animis in Bentivolos magis, quam sui exercitus, licet egregii, fretus viribus. Sit jam satis. ex Madrito. in nonis Januarii, MDXI.

EPIST. CCCCXLVIII.

Miseranda descriptio de reliquiis Gervensibus. Classis Soldanica prostratur à Rhodiis. de strage Maurorum in Bugia.

P. M. A. M. Suo Comiti.

VAriis conditum ferculis cænam accipito. In strage nostrorum in insula Gervensi, qui cum Navarro Comite agmen agebant à tergo, desertis & ipsi signis, præcipites in mare ad naves divertebant. Tantus terror omnes invasit, quod in horæ, ut ita dixerim, momento nullam viderint constare aciem, attoniti. omnes, quo furor & formido trahebant, eo dispergebantur; quid fugerent, quove tenderent, ignari. clades horrenda, nullo cladem exercente. fuga super omne dedecus ignominiosa, nemine insequente. Et quo miseri irruebant? Si qui evasere, ad naves, in quibus nullus vini erat, aquæ nullus haustus. freti namque terræ, quam impetebant, alimentis, sed aquæ præcipue, vacuos advexerant cados omnes & penu vacuum. Vis paucis? consumpta est tandem fere universa decem millium virorum fortium gloriosa trophæis & spoliis opimis multitudo: cui nec validæ potuerunt resistere turres hactenus, nec multarum fere adamantina urbium mœnia. de tam infelici atque atroci eventu, satis superque. ad aliena curramus. Literas Rex habuit ab Oriente, quibus intellexit, inter insulas Cycladas, quarum contexturam nostra ætas vocat *Archipelagum*, circiter mare Ciliciæ magni Magistri Rhodi classem ingentem aliam Magni Soldani Babylonici profligasse, cepisseque universam, cum ingenti hominum, emptarumque mercium pretiosarum copia; quæ una cum classe ipsa Soldanica è Syria, Damasco & Alexandria Ægyptia, duobus emporiis egregiis, vehebantur. E Bugia vero fertur, sub vafro stratagemate fuisse Afros à nostris præsidiis magna strage confectos. Audi rem narratu dignam. est apud Aphros genus hominum fanaticum, vocant ipsi *Morabitos*. his fidem præstant, afflatosque divino spiritu arbitrantur. A Morabitis persuasi convicini omnes, quia suis se orationibus tormentorum omnium nostrorum vim compressuros daturosque operam, ne solvi queant à tormentis globuli, vires etiam Christianorum hebetaturos, coacto ingenti cuneo Maurorum Bugiam impetunt. nostri per exploratores, re intellecta, taciti rem exspectarunt. subterraneos manu factos ad id cuniculos extra mœnia, lychnis è cuniculis ad interna deductis, nostri pulvereis farciverunt cadis. Mauri, ubi silere omnia senserunt, vera esse quæ Morabiti sacerdotes eorum disseruerant arbitrati ad mœnia, oppugnaturi, turmas applicant. nostri una balistas & universa tormentorum genera, suffixo per lychnos latentes igne, in applicatos hostes ad mœnia discutiunt. hinc per aëra cum excussa tellure, cadisque cunicularibus, & horrendo fragore, Maurorum multa corpora volitarunt. Illinc frustatim discindi reliqua, & per campos patentes à ferreis lapideisque asportari globis cernebatur. Ab Italia scribitur, Venetos adhuc sustinere Gallicum Germanicumque. furores. Vicentiam retinent. Veronam consequi nequivere, quia præsidiis eam repererint, præter Cæsarea, munitam Gallicis: sitque urbs ipsa per se arte summa expugnatu difficilis. Summum etiam Pontificem revixisse ajunt; nulla vitæ spe dies quatuor laboravit extremum, nulli sunt ejus firmiores quam de recuperanda Ferraria, belloque in Gallos gerendo, sermones; ejecturum se Gallos ex Italia minatur, palamque hoc sæpe dicere inquiunt. quæ fient, habebis. rem omnium judicio arduam complectitur. Tu vale & vive magna auditurus. Hispalim sumus propediem profecturi, ne Scytharum mobilitatem, quos hæc nostra Curia æmulatur, discamus. Madriti Idus Januarii, MDXI.

EPIST. CCCCXLIX.

De hujus anni varia calamitate. quæ spes de Afris. Moralia quædam. de Gallo. de Papa. de rerum eventu. de duce Ferrariæ. Horrida hyems. de pecudum interitu. Trajectus in Aphricam.

P. M. A. M. Suo Comiti.

AB Idibus Januariis septimis, quibus Madrito discessimus, ad usque fere mœnia hujus urbis, gelatum nivibusque perpetuis albicans iter, peregimus; IX. autem Calend. Februarii sumus Hispalim ingressi, insuetam nulliusque hominis memoria, inquiunt incolæ medii, tam horridam hyemem se fuisse perpessos. raro nivibus, gelu rarius regiones mediæ vexantur. hoc autem anno visu miserandum, greges majori ex parte consumpti, balantes

balantes circum exhausta matrum ubera catulos fames & frigus una cum matribus perimebant passim. nulla dumeta, arbustula nulla, non circumsepta hœdis agnisque mortuis, vel jam exhalantibus animulam. Hirundines tamen ex apricis terris transvolasse reperimus; Solitam hic aëris temperiem inventuras putantes & properasse pœnituit. Ex hac urbe valido exercitu comparato Rex in Africam se transjecturum inquit. Jure merito credendum est: Licet eventus belli sint incerti, uti per Giervianam stragem liquet colligere, collum Hispano jugo Africam formidine trepidantem submissuram. Variæ sunt rerum vices. stravere quondam Hispaniam subjecereque traducti (duce Comite Juliano) Mauri. nostra vero tempestate vobis Hispanis, ad universam Africam domandam facilis via panditur; captis jam per vestros Duces, nec multitudine mira Orano, Bugia & Tripoli ditissimis Emporiis & munitissimis urbibus. mutari non potest rerum ordo, quin æterno motui obnoxius sit. at vereor, ne nostri Regis conatibus, vasta Galli Regis ingluvies occurrat. Scripsit namque ad me Hieronymus Cabanillas Regius noster apud Gallum Regem Orator, mihi amicissimus, sedere animo Gallo ipsi, velle in Italiam proficisci, ut exercitu coacto in Pontificem, sub prætextu tutandi Alfonsum Hestensem, gerat bellum. Hanc si provinciam Gallus amplexabitur, nostro Regi minime conducit alienis se terris bello implicare. Si namque Gallus aut detrudet è sede Pontificem, uti minatur, aut vicerit, vel ad votum traxerit, Neapolitanam sumpturum illico expeditionem, nullus est qui non suspicetur. nil namque versat animo magis, uti per apertas colligitur conjecturas, quam ut susceptas in ipso Regno contumelias, injurias, damna, jacturas, cædes, strages, & internicies aliquando resarciat. Pontifex autem in concepto stat proposito, ut privatum jam nomine Ducis Alfonsum Hestensem familiamque illam veterem irreverentem extinguat. quas rosas ex his spinetis exspectemus, tu videris. Vale. ex urbe Sibilia, dicat *Hispalim* curiosus nimium. pridie Calendas Februarii, MDXI.

EPIST. CCCCL.

De obsidione Mirandulæ à Papa. de Imola & Cardinalibus privandis. de Duce Urbini. de Papiensi Cardinali & alia diversa.

P. M. A. M. Suo Comiti.

EX Urbe Roma paulo post missas ad te priores literas, habuimus, quod summus Pontifex ipse ipse, licet eam exagitet horrida hyems, Apennino proximam regionem, ad Boream versam, exercitum ductitat. Mirandulam oppidum insigne, quia sit fœdere possessor ejus Alfonso Hestensi adstrictus, obsidet. tormentis quatit. fossas oppidales ajunt gelu concretas. oppidani sese tuentur. è muris in castra ferrei globi ex tormentis jaciuntur. De Pontificiis tentoriis, ab ejus latere raptatos fuisse frustatim ferunt familiares aliquot à discussis tormentis, ipsum tamen stare imperterritum. secum habet ex fratre nepotem Urbini Ducem, sub-imperatorem exercitus. Bononiam vero Cardinali credidit Papiensi præsidio, viro ab ipso Pontifice ad summum erecto fastigium. Is se jactat ab antiquis Immolæ Dominis ortum, atque inde nobili progenie. nec desunt qui putent ad ejus urbis sceptrum tendere, quod mutationi crebræ est obnoxium. Veteres namque Dominos, Comes quondam Hieronymus Sixti IV. Pontificis Maximi nepos, viventis Cardinalis Sancti Georgii frater; abstulerat ejus filiis orbis genitore, vivente matre, Cæsar Borgia, Valentinus Dux, Alexandri VI. semen. Valentino Julius II. Alexandro VI. vita functo. Rex Gallus Lugduni agit. De transitu ad Italiam contra Pontificem cogitat. Magna tempestas exoritur. Pontifex autem animo fixum tenet, velle honore Cardineo, & reliquis fortunæ ornamentis privare *Bernardinum Carvaiallum* Hispanum; *Renatum de Prie & Guilielmum de Brisonet* Gallos, atque una Federicum Sanseverinum Neapolitanum, *Schismatis eos auctores*, & *Schismaticos* suis scriptis appellat. Rex vero noster alio tendens animum, edicit, quæcunque navigia in Hispanis reperiantur litoribus, sese apparent ad suscipiendas exercitus in Africam trajiciendi copias. Latinas & ego ipse literas plures, habita vulgari materia à summo Secretariorum Almazano, conscripsi ad omnes singulatim Christianos Principes, ad Suiziorum etiam XII. Respublicas, quas ipsi *Cantones* appellant: quia in Saboiæ Ducem arma capere intendunt, veterem quandam nacti occasionem, quod plæraque floreniorum millia testamento jam pridem moriens Dux qui-

dam reliquerit. Pontificem orat, Gallum Regem rogat, cæteros hortatur, ut conveniant, arma inter se deponant. ne sint ei ad Aphram provinciam in nostræ religionis augmentum, impedimento; sed præcipue Regi Gallo affini, & fœdere adstricto suadet instanter, ut ab incepto in Pontificem desistat, non decere filios in universi Christiani generis parentem, arma capere. Liceat Pontifici ditionarios suos effrenes domare, inertes calcaribus agitare, ut libuerit. ne obstet juste agenti, suadet, hortatur, monet, rogat, unitatem in Ecclesia quæritet ac foveat. dissensionem, sub Concilii Particularis prætextu abdicet, tollat, quia præsertim Generale Concilium Pontifex se habiturum ordine recto pollicetur. Ita diverso Christiani Principes diversa discutiunt. quæ succedent, habebis. Interea vale. ex urbe Sibilia, dicat *Hispalim* curiosus. v. nonas Februarii, MDXI.

EPIST. CCCCLI.

Papa capit Mirandulam. Papa compurgat Venetos. quid in hoc Cæsar. quid Gallus. Moritur Chiamonus Gallus Mediolani gubernator.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni Bellecensi.

HAbuisti hactenus literarum, quas ad meum Tendillæ Comitem exarabam, exemplaria. habebis primaria posthac. præsentem namque illum habemus in Curia, per exemplaria proxima, Pontificem *Iulium* ex Pacifico *Martialem* effectum, ductitasse acies intellexisti. horrenda frigora perpessus est. Mirandola tamen sese dedit. nec passus est dari militibus in prædam. per murorum rupturas, qua tormentis via patebat, perque gelatas fossas, pedibus non per patentes, aut equo portas ingressus est. præ ira in turbatorem Gallum nutrire barbam cingulotenus dicitur. quid sit Pontificis ardor iste pectoris pariturus, non intelligimus. grandia sunt quæ versat animo. *Christum, cujus se causam suscepisse proclamat, viam inventurum*, qua & Hestensem familiam disperdat, & Gallum Schismatis, & Hestensis fautorem, puniat, sermone roborato affirmat: *Cælites*, inquit, *proprias causas, modo qui eis patrocinetur, assurgat, nunquam deseruisse*. Venetos in amicitiam & fœdus admisit; Cæsari hoc Galloque Regi molestissimum. Gallo quia Venetos purgatos & expiatos Anathemate resurrecturos suspicatur: Cæsari, quia ex Cambrensis conventus pactione, sua se non possidere arguit. Pontifex satis putat factum ad ejus partis rationem, quando Paduam, Veronam, Vicentiam, & multa præterea, in ejus potestatem conjecerunt, cæteris quæ supererant ad eum attinentibus captu facilibus, extenuatis Venetorum viribus, in strage Caravaiensi. *Nil esse*, ait Pontifex, *cur illi debeant succensere, si pacta per confœderatos tueri Cæsar nequiverit. Cupere se* prædicat, *Italiam jam tandem placare, ne perpetuis bellorum jacturis conflictetur*. Rex noster animo cruciatur. Pacem inter eos totis viribus quæritat. Ad Aphricanam tamen expeditionem sese accingit. Est aliud quo claudam epistolam. Chiamonus ille Mediolani gubernator, & Gallici ductor exercitus, febri correptus, Mediolani periit. Descendisse illam animam ad cælos autumant homines, & tartareas visitasse cavernas, quia Pontificem quondam Bononiæ, Acharonteas jam jam perambulantem fabulosas ripas, non pingui Minerva læserit, & quo tempore spiritum naturæ reddidit, Pontificem haberet iratum. Barbatum Petrum piscatorem hominum, paradisi claves ea die abscondisse, Romæ, inter jocosa dicteria, Curiales obloquuntur. Tu vale. data Sibiliæ, nolo ultra *Hispalim* hanc urbem, nolo reliquas veteribus appellare nominibus, ne te aut cæteros, ad quos scripsero, rem, non sonum quærentes, vocabuli curiosa hæsitatione confundam. Idibus Martii, MDXI.

EPIST. CCCCLII.

Trivultius sufficitur in locum gubernatoris Chiamoni. Conventus Mantuanus. quid proponat Cæsar, quid respondeat Papa. quid conclusum.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

CHiamono Gallo vita functo, curam exercitus, quam ille gerebat, & Ducatus Mediolani gubernaculum, magno nostro Trivultio Rex Gallus credidit. Is nisi Ludovici Sfortiæ inimicus Gallis patriam vendidisset, primum inter egregios Heroas locum assequeretur. Pontifex equo invectus candido, sed barbatus, Bononiam regressus est. De Pace agi placet. Mantuæ conventus habetur. Matthæus Langa Cæsari à Secretis, & Charus Gursensis Episcopus pro hero suo, pro Rege nostro Cataniensis Episcopus, genere Aragonius, & Hieronymus Vicus Valentinus, hic apud Pontificem, ille apud Imperatorem electum agentes, oratorio munere convenerunt. Affuit & Parisiensis Antistes Gallici Senatus princeps. Ibi statutum est inter eos, ut Gursensis nostrique ambo Pontificem adeant, quæ acta sint, relaturi, Parisiensis rei

eventum

eventum exspectet à Pontifice. Langa Gursensis postulat, ut Venetos non modo deserat, sed Cambracensia pacta redintegret. *Se nullo pacto deserturum Venetos* Pontifex edicit. *Si quid inobservanter admiserint, pœnas luisse Venetos non absonas crimini* arguit. *De fœderibus autem Cambracensibus, nil esse causæ, cur ultra debeant novari. quandoquidem ad unguem expleta, nec confœderatorum quempiam esse, cui non satisfactum fuerit. Si autem de manibus sibi decidi permiserit Imperator, in manus illi conjecta, quæ sui juris quondam fuisse arguebat, præter Trivisium, Confœderatorum neminem dignum accusatione* Pontifex Gursensi placide proponit, *nolle se perpetuo fluctu Italiam, Christianumque nomen in præceps trahere.* Gursensis autem Langa, frustra de Pace sermones fieri aliter, ira concitus Germanica, dicit, datque terga Pontifici; nec suasionibus, nec precibus moveri potuit, ut consultius ageretur, ut herus ipsius Cæsar, ut Catholicus Rex noster, de propositionibus consulantur, ut exspectet, quid ad hæc ipsi respondeant, ut res in deliberatione sistatur, ut utrimque rationibus agatur, minime potuit detineri. re infecta discessit. nullum posse medium reperiri, quo Cæsari satisfaciat, hac dempta de deserendis Venetis ratione. turbatiora quam veniens repererat, reliquit omnia. non desunt qui seductum à Gallo Rege venisse suspicentur. cuja videtur, ne pax ista sortiatur effectum, interesse. Sub namque rupti fœderis Cambracensis occasione, belli causas nanciscitur in Pontificem. proque Schismaticis agit, & Hestensi familia. Ita procellosis agitur Petri navicula fluctibus. Tu vale. data Sibiliæ. IV. Calendas Maii, MDXI.

EPIST. CCCCLIII.

De Concilio & Conciliabulo. stant Gallorum castra opposita Pontificiis & Hispanis castris. quid velint alterne.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni.

VIx bene superiorem epistolam emiseram, quando alius ad nos cursor ex urbe Roma pervenit. Is affert, turbata esse omnia. Cæsar & Gallus de particulari Concilio agentes per Cardinales à suo Pontifice alienatos, in Concilium Pisas, in Septembris Calendas Pontificem citavere. At Pontifex è converso, publico edixit præconio, generale Concilium in Lateranensi palatio, Pontificia sede, ad Dominicæ Resurrectionis proximæ diem celebrandum. Armis agere Gallus statuit, si rationibus nequiverit. Stant namque jam castris opposita castra, Gallicis Trivultius, Pontificiis Urbini Dux, & bello egregius ductor Fabricius Columna, trecentorum catafractorum, quos Pontifici Rex noster ex composito debet, Imperator, præsunt. In Padi ripa castra metatus uterque, Ferrariam petiturus Pontificius, ne Ferrariam petat Gallus, obstiturus. quid hinc queat scaturire, colligito. Iterum vale, & geminas accipito, aliquando nullas habiturus. ex urbe Sibilia. III. Calendas Maii, M D XI.

EPIST. CCCCLIV.

Quid Pontifex. quid Gallus. quid Hispanus. quid Fabricius Columna cum trecentis lanceis Hispanis, magna controversia.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

VAh quam importuna est hæc gens Gallica! A provincia in Pontificem Rex noster nullo pacto potest Regem Gallum divertere. per amicitiam initam, per affinitatem, per & mille Cælites, à nostro Rege Rex Gallus efflagitat, ut ad infringendam Pontificis iracundiam, Pontificem aliquantulum linquat. conqueritur namque Gallus, ex nostri Regis favore, Pontificem eum sibi animum induisse; ubi pacatum senserit, se futurum illi obsequentem filium pollicetur. Id facile factu dicit, si se desertum senserit. Rex igitur noster, ut à Gallo tollat omnem dissolvendæ amicitiæ occasionem, peracto quadrimestri, quo in Pontificio tenetur exercitu ter centum lanceas sua pecunia sustinere, Fabricium jussit cum catafractis ipsis, redire Neapolim. ex Regni namque feudo ita pactum est, ut quotannis ad rerum Ecclesiæ tutelam, Rex noster ad Pontificem, si exercitum cogat, per quadrimestre mittat. non contentus his Gallus, ut Classem in Africam trajecturam, solvat, rogando precandoque efflagitat, in aliudque tempus rem differat, per literas, per oratores, per Reginam Germanam sibi ex sorore neptem, nostri Reges uxorem orat, ut sibi morem gerat; se hoc pro supremo habiturum beneficio. quia Pontificem arbitretur credere, ad sui auxilium in ipsum classem parari eam, non contra Mauros & Africam universam. propterea superbire adeo Pontificem, Gallus immurmurat. hæc & multa præterea in hanc sententiam. Rex autem noster dentibus præ rabie frendens, quod à tanto incepto distrahatur, persuadere Regi Gallo nititur, ne talem sibi pervicaciam imbibat: ne contra summum nostræ Religionis Pontificem, omnium animarum parentem,

parentem; cui cælorum claudere atque aperire portas datum est, leves nactus occasiones, arma sumat. proponenti Gallo Pontificem studere, ut è Mediolani Ducatu, post ejectos Hestenses è Ferraria, ipsum detrudat, idque minatum fuisse. Rex noster vadimonium offert, se tutaturum eum, in auxiliumque venturum, si Pontifex hujuscemodi rem tentaverit, quia se Pontifici debere in Ecclesiæ tutelam, non in affinium & amicorum incommodum suorum pollicetur. Iterum instante Gallo, nec ulli rationi cedente, repetit Rex, ut exemplo sui edoceatur, quo stomacho possit Pontifex, quove animo ferre, si quisquam ei obstet, ne ditionarios inobservantes Ecclesiæ domare queat. per suum Oratorem Hieronymum Cabanillas imperat Rex interrogari, quid ipse Gallus sentiret, si dextram quis illi minacem in Borboni peccantem Ducem, aut alium quempiam Procerum, ipsius apprehenderet, vel suppetias deficienti ferret. addidit insuper repetito Rex noster; Meminerit Gallus, *Christianissimum* se nomine insignitum, quod ejus majores Ecclesiam complexi sunt fluctuantem, pacaverunt & sedaverunt exorientia Schismata. discriminosam absonamque tanto nomini fore talem ostendit provinciam, à suo Pontifice Cardineos viros Ecclesiæ postes seducere, in diversa tendentes suscipere, ut dissidium in Ecclesia ferant, fovere, turpe, grave, atque obscœnum esse. hæc ante oculos mentis ratione advocata Rex noster Gallo Regi objiciat, hortatur, monet, rogat, seque patiatur vires explere Hispanas, in hostes nostræ Religionis, & Africam universam, quæ jam formidine trepidans, ob abscissos, per Hispanos duces, lacertos. collum videtur Christiano jugo subjicere. Ad hæc omnia Gallus aures plumbeas porrigit, obtusas calce lapidibusque obseratas, velut fanaticus fabulosoque Thyoneo thyrso verberatus, cruciatur animo, repetit argumenta priora; jurejurando asserit, se nil aliud petere, nisi ut iram Pontificis infringat, conducere hoc honori gloriæque coronæ Gallicæ, ne parvæ Pontificiæ vires sese jactent, immensas ipsius repressisse. Hæc referens, Granoblum urbem, sitam in Alpibus, iturus in Italiam processit. ibi pedem sistit. stant tamen castris opposita castra in Padi ripa. quid sit futurum, ignoramus. Vale. Sibiliæ. III. nonas Maii, MDXI.

EPIST. CCCCLV.

Pontificis exercitus sternitur à Trivultio. Bononiam capit Trivultius. Classis Hispana solvitur. quid agitent Gallus & Hispanus Reges. præsidia amittuntur Neapolim.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

UBi primum Fabricius Columna cum lanceis Hispano stipendio merentibus trecentis terga vertit, ad tollendam Gallorum frangendi fœderis omnem occasionem, quam non inviti Galli quæritant, quando conducere utilitati arbitrantur, Pontificii vires exercitus hebetatæ sunt. Pontifex turbatus, Ravennam concessit. Trivultius concivis meus, Chiamono suffectus, in palantes Pontificios, cum exercitu Gallo irruit, profligat. impedimentis omnibus spoliat. sparsi Pontificii fugientes per diversa tendunt. Obstitit namque Trivultius trucidationi pro viribus; quia Italus Italo sanguini parcere studuit, quo pinguefacere campos Galli oblectantur. Ravennam ad Pontificem è fugientibus plærique tetenderunt, Urbinatem secuti Ducem, alii Urbinum, multi Florentiam versus, Marchio. Antonio Columna Duce iter ceperunt. Bononia belli eventum secuta, portas victis Pontificiis clausit, Trivultio victori aperuit. Gallo Rege imperanti Bentivolios Trivultius immittit, in patrios avitosque lares locat. Cardinalis ille Papiensis Pontificium vimen, pingui solo enutritum, evectum ad immensum rerum culmen, cui Bononia credita, simultates præ invidia cum Urbinate Duce, Pontificis nepote exercebat. Solet hoc parere Potentum Regia. Is apud homines suspectus, eam putatur dedisse operam, ne Urbinas Pontificii exercitus ductor admitteretur. adauxit suspicionem, quod illæsum magnisque opibus onustum Galli abire Cardinalem permiserint. Bononia Bentivoliis relicta. Trivultius victoriam secutus, oppidum Mirandulæ convicinum, cum Gallicis copiis petiit cepitque. Idem propediem de Mirandula futurum arbitramur. Ad eam quippe rediturам à quo illam Pontifex abstulerat, quia præcipue Trivultii gener sit; licet potiora esse alterius illius fratris jura multi judicent. Gallum Regem præ gaudio frontem lenisse, auditis hujuscemodi successibus, ajunt; nec temperasse à motibus præ spe futurorum. versat namque animo, uti colligitur, imperium Italiæ. Rex vero noster videns, Gallum alas protendere, atque insultare nimium, solvere arguit à fortiori, quoniam in Christi vicarium contra jus fasque

Gallus

Gallus sævit, quoniam facultatibus Ecclesiam Christi sponsam nititur spoliare, aperto constat argumento, nemini viventium ignoturum. Classem igitur exercitumque trajecturum in Africam dimisit, ne se reperiat implicitum alienis terris, Gallo nudante ulterius ensem. Una iterum per Oratorem suum Cabanillas Gallum monet, ut sibi satisfactum fuisse cogitet, Pontificis Ecclesiæque rem ita labefactasse, Bononiam reddat, è tyrannorum potestate liberet, sitque Pontifici liberum Jus suum, cum Hestensibus exercere. Justæ Pontificis querelæ Rex futurum se participem proponit, quod Pontificem tali tempore dimissis tercentum lanceis ad ipsius Galli Regis postulata deseruerit. Hæc repetito agitantur, quid sit Gallus responsurus, tempus loquetur. ne tamen insperato queat Gallus, si qua ultra moliatur, Neapolitanum adoriri Regnum, è delectis militibus, ad Regnum mittit tria millia, qui sese Gallis objiciant, primosque illorum impetus sustineant, donec fortiores adventent copiæ, si opus fuerit, atque una literas destinat ad Regem Angliæ, generum suum, ut illico virum mittat, cui magna credi queant tractanda, signatque ac petit Joannem quendem Astilem, generi *Manuxerium* (ut eorum utar vocabulo) regii cubiculi custodem, quod alias Catholica Regina vivente, pro ipso Rege Angliæ venerit in Hispaniam, sitque præterea cæteris Brittannis præstantior, & jam Regi nostro notus, ut suo Regi fidus. Aliquid grande parituras has literas arbitror. Harum ego exemplar assecutus sum. Ex Sibilia. VI. Idus Junii, MDXI.

Epist. CCCCLVI.

Rex Tremessenius Maurus subdit se Hispano Regi. de angelis & portento Frivolano.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

Externa tibi ab hominibus duo, è cælo tertium est animus referre. Rex Tremesenius Afer per eum è proceribus Hispanis, quem *Alcaidem Donzellorum* vos appellatis, cui Oranum, & Marzalquebir magni portus arx credita sunt præsidio, potentiam formidans Hispanam, *vela demittit*, ut est in proverbio. Annuum paciscitur tributum duplarum aurearum, quas vocatis *Zaienes*, ducatum quadrante circiter superantium millia terdecim, in eadem civitate Orano quæstoribus regiis præbendarum, ditionarium se futurum posthac Hispaniæ coronæ jurejurando pollicetur, munus se quotannis missurum promittit ad Regem, dignum Regibus, ad curiam quamcunque terrarum inhabitet. Illo anni tempore, altero capite, ut quæcunque reperiantur Christiana mancipia in ejus Regni incolis, libere omni excusatione sublata dedantur, neve commercium patiatur ullum in ejus Regno, præterquam in urbe Orano. Aliud jactum est fœdus, ut scilicet Rex Tremesenius hostem se futurum cuique nostri Regis hosti profiteatur: sitque adstrictus ad Regem ipse ipse venire manu armata, si trajiceret Rex. At si per suos duces rem agere in Africa statuerit, ut familiam militesque suos ad imperatorem regium mittat, tutaturum præterea se ab omni cujusvis Afræ potentiæ injuria nostra præsidia, quæ Oranum sustinent, & si quæ damna in segetes, aut agros vagi Arabes intulerint, se resarciturum illa paciscitur. En rerum vices! quæ vos quondam stravit Africa, nunc vestro jugo collum subjicit. si per Galli Regis impatientem quietis animum licebit, propediem habebitis universam. Venerant ex Anglia (dicitis *Inglaterram* Hispani) ea fuit *Albion* insula, atque alias *Britannia*, duo millia nobilium propria pecunia armatorum, quia bellum esset cum nostræ legis hostibus gerendum. Hi gloriæ cupitæ inexpertes, dolore animi cruciati, rabieque accensi, in Regem Gallum, in patriam redierunt, quia illius causa solutam classem, dimissumque exercitum repererc. Tertium erit portentuosum ostentum. Est in Italia provincia, quæ dicitur vulgo *Friuoli*, Alpibus à Germania vicina, Cæsareæ quondam, nunc Venetæ ditionis urbs, nomine *Udena*. in hujus urbis campanaria cœnobii Franciscanorum turri, per diem apertum universo id spectante populo, aërei duo visi sunt Angeli stare alati, nudis paratisque ad feriendum erectis ensibus, noctu vero ad usque intempestam eadem (quæ Angeli per diem) accensæ faces loca tenuerunt. Quid ista prænuncient, si vivere dabitur, intelligemus. Burgos tendimus in veterem Castellam, quæ Pyrenæorum adjacet radicibus, ut inde velut ex specularia turre, quid generis humani perturbator Gallus adstruat inspectemus. Tu vale. ex Cazalla oppido ex itinere, quia hic sese nuncius obtulit. IV. nonas Julii, MDXI.

EPIST. CCCCLVII.

Laudativa.

P. M. A. M. Dieco Villascusæ, Theologo eximio, Episcopo Malacensi.

DOmum habebas in urbe Granata, tua emptam pecunia. domum ipsam dono dedisti germanæ neptibusque ex ea Archiepiscopi primi Granatensis, cui viventi charitate in homines pietate, in Deum nullus fere par. Quid de te sentiam, nequeo promere. reliquit ille nudas, ne à pauperibus tolleret, quod cæteri solent, aut in thesauros congerere, vel affinibus impartiri, divo illas commendavit. Tu non tegete, non magali, sed commoda contexisti domo. Quam tibi putas ex isto charitatis officio sedem apud superos construxisse? gemmis quidem ornatam, auroque ac lapidibus preciosis compactam, vel divina sunt verba in cassum prolata. Nosti namque solo charitatis amœno haustu, proximos divinæ menti mortales fieri. Ad eum qui est viva charitas, hoc uno tramite patet accessus. Quibus enim aliis depascere Deum dapibus aptius poterimus, quam illis quibus ipsemet constat? Quia igitur ipse ipse sit ipsa Charitas, qui charitate præcelluerit, in Deo sibi hospitium adamantino robore coædificatum præparat. Tibi ergo gratulor, quod hujusmodi Charitatis exemplo Deo proximam tibi sedem comparaveris, mihi gaudeo, qui talem sim sortitus patronum, & in ejus amicitiam admissus. Vale. ex Guadalupeo cœnobio. ex itinere. pridie nonas Julii, MDXI.

EPIST. CCCCLVIII.

Dux Urbinas Papiensem Cardinalem trucidat. quid Papa Urbini patruus. quid Cardinales. quid interfector. quid Gallus. Prognosticon de Concilio & Conciliabulo.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

ALium ab Italia tabellarium habemus. Ad Pontificem Ravennæ agentem, Cardinalis ille Papiensis (quo tenente præsidio Bononiam Gallis aditus in eam patuit) veniebat centum equitibus circumseptus. In media ipsius urbis platea Dux Urbinas dentibus in eum frendens insilit per medios centum equites, viginti tantum à pedibus famulis comitatus, nudato ense Cardinalem adoritur. transverberat uno ictu. Famuli Domini exemplum, arbitriumque secuti, multis Cardinalem vulneribus ad necem confecerunt. Centum ejus equites autoritate Ducis (qui fuerat paulo ante ipsorum imperator) attoniti, rem inultam reliquere. Pontifex nepotis detestatus temeritatem fere ingemuisse narratur, tum quia Cardinalem illum apud se nutritum diligebat, tum etiam quia Pontificiam videbat autoritatem pollui, nisi pœnas nepos Dux Urbinas atrocis facti lueret, quia præcipue nullius hominis memoria trucidatum eo pacto fuisse Cardinalium quemquam reperiatur. Universus Purpuratorum Senatus stupore repletus, magnos edidit conquestus, fœdatam eam dignitatem lamentantur. Dux autem in sui excusationem, *se proditorem egregium trucidasse*, *non Cardinalem* arguit, *quod in sui omniumque Christianorum parentis, & domini Pontificis, atque in totius Ecclesiæ perniciem, Bononiæ portas, Pontificiis retrocedentibus, non fugatis, quia non fuerat manu consertum, clauserit. Gallis vero insequentibus aperuerit, cujus rei causa & trucidati plerique fuerunt, & spoliati omnes, & amissa Bononia. Nil igitur esse, cur illi debeant succensere, qui tantorum causam malorum de medio tulerit.* His per nuncios Pontifici Cardineoque Senatui relatis ipsis insalutatis, Urbinum se contulit. Pontifex autem Ariminum, cum summo animi angore relicta Bononia Bentivolis concessit, ut inde Romam proficiscatur. Rex Gallus Granobli in Alpibus, ob surreptam Pontifici Bononiam gestiens agit. Sed arbitror, in amarum fel, dulce mel istud aliquando versurum vices. Si namque sapient Christiani Principes, pullulanti ipsorum servituti ex talibus Gallorum successibus obviam ibunt. Quia præcipue faveat Rex ipse Gallus particularis Concilii excitatoribus Cardinalibus, qui jam sub ipsius Regis umbra Pisas, ad Septembris Calendas advocarunt Pontificem. Pontifex Concilium non rejicit, sed quale congregari soleat, offert in Lateranensi, utpote Basilica Romæ, non Pisis, ad Christi Domini resurrectionem, non ad proximas Calendas Septembris. Pontifice vocante non desertoribus sui corporis membris, Gallo Regi Cæsar ob iram in Pontificem, quia de Venetorum potestate, quæ Cæsarei solebant esse Juris, non assequatur, adhæret, Particulari assentitur Concilio. Quæ scabies Dominicum gregem circumeat, tu judica. Et vale. ex Guadalupe. VIII. Idus Julii, MDIX.

EPIST.

EPIST. CCCCLIX.

Florentinis Gallus favet in Senenses. ubi sit Gallus & cur ibi.

P.M. A.M. Suo Fagiardo.

CLausa domi servabatur ad te itura superior epistola, nuncium operiens, qui se discessurum hujus diei primo diluculo fuerat mentitus, quando eodem hoc die diversos tabellarios è Gallia & ab Urbe Rex accepit. Pontificem scribunt ingressurum Urbem, quo die Christiana religio Beati Petri ante solemne colit. Florentini contra Senenses arma capiunt. Reddi montem Pulchianum mavis Pollicianum oppidum, Florentini juris quondam quærunt. Gallus hos ignes in Italia fovet. Florentinis auxilia mittit. sub hoc prætextu propius accedit ad Urbem, & consilia de mutando vel trahendo ad votum Pontificem. quæ versat animo, paulatim exsequitur. Ni cæteri Principes illico convenerint, ad coalescentem jam nimis ignem exstinguendum, sero sapient. Gallo cogentur cedere, puto sentire, quid eis immineat. daturosque operam, ne ulterius vagetur ardens flamma. Rex Gallus villam nunc inhabitat Rhodano adjacentem quæ *Valentia* dicitur in radicibus Alpium sitam. Egestatem sustinet cum curia ibi ob viciniæ sterilitatem immensam; ut è propinquo rebus Italis intendat, ibi moratur. Summus Pontifex ad universos Christiani orbis Principes, nuncios misit, quibus ad Resurrectionis diem proximam, sessurum se in Laterano ad Concilium generale celebrandum edicit. Principes hortans monensque, ut aut veniant, aut Oratores mittant, cum quibus de communi omnium Christianorum commodo agi possit. Desertorum Cardinalium actionibus derogavit, aëreas illorum congeries (uti de gigantibus est in fabulis) pro nihilo pendi jubet. Anathema in eos promulgat. Sex aliorum Cardinalium ipsi ostendunt signaturas, quibus se una futuros polliceri videntur. Accusati vero falsò conscriptas arguunt, conqueruntur, blasphemiis confictores insequuntur. se nil tale unquam cogitasse adjurant, ut fragilem quam amplexi sint causam, hujusmodi figmentis roborent, ea ipsos chirographa conscripsisse, proclamant. His præstigiis agitur Christiana Religio. Deus bene vertat. Tu vale. ex Guadalupe. VIII. Idus Julii, M D XI.

EPIST. CCCCLX.

Curia congregatio Burgis ex universa Castella. & locorum nomina in Curiis habentia suffragia.

P. M. A. M. Petro Fagiardo Marchioni.

QUid in conventu vocato Burgos à Rege ex urbibus & municipiis quibus est datum habere suffragia in Curiis sit actum, cupis intelligere. Quæ sint urbium & municipiorum nomina petis. duo sibi capita stringit ista congregatio. causarum ad arma trahentium Regem una erit narratrix, de pecuniis ad bellum suscipiendum & alendum altera. Movendi belli causas suis quasque temporibus in Gallicis actionibus annectemus. urbium autem atque oppidorum suffragiis curialibus fruentium nomina sunt hæc: Burgos, Legio, quam dicitis *Leon*, Granata, Toletum, Sibilia quæ est *Hispalis*, Corduba, Murtia, Gremium quod vos dicitis *Iaën*, Concha, quam *Cuencan* dicitis, Guadalaiara, Soria, Taurum dicitis *Toro*, Zamora, Avila, Valedolitan dicitis *Valladolid*, Madritum. His esto contentus, donec aliud habeamus. Vale. M D XI.

EPIST. CCCCLXI.

Quid de Conciliabulariis. de monte Pulchiano, oppido Florentinorum. de Gallis. Hispanis. Papa. Cæsare. Bononia.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

NOstrum iter Burgos mercatoriam urbem Pyrenæis, qua Oceanus Hispaniam & Galliam Aquitaniam quatit, vicinam prosequebamur, quando in Medina campi me circiter Idus Julii tertiana febris ardentissima corripuit. semilanguidus Tordesillas (ubi Regina Joanna, Regnorum Castellæ Domina sedet, æternoque sessura est suo Saturno pessundata) profectus sum. Ibi sumptum farmaco *manna Calabrum* valetudinem reddidit. per Vallemdoletum, deinde insigne oppidum Burgos venimus. hanc urbem futuram nobis diuturnam sedem, ob turbidos Galli Regis cogitatus, contra vestræ Curiæ morem, quæ semper uti scite vagatur, arbitramur. ubi ubi ad quintum decimum Calendas Septembris accessimus, per cursores intelleximus, summum Pontificem Cardinales citasse Concilii excitatores, eo inconsulto, spe Gallici favoris impulsos, quinquaginta illis dies assignavit, quibus edicit, ut rationem

redditūri, Pontificio adsint, Cardineique Senatus tribunali, perniciem, ni dictis auscultaverint, eis sua Cardinaliumque sanctione, minatur, infernisque manibus per Anathema ipsos dicaturum. quid consilii capient, nescimus. Papiæ à Mediolano millia viginti agunt. Veh! si pervicaces. Veh & forte fautoribus! exercituum namque Dominus est potentium aliquando parva manu prostrator Deus. Florentini ex nostri Regis consilio, cui auscultat Pandulfus Senensium tyrannus, montem Pollicianum oppidum, à Senensibus extorserunt, & pax inter eos icta. id nostro Regi gratum, Gallo ingratum. Ille namque Pacem, iste dissidium in Italia studet enutrire. nostro Regi de Bononia conquerenti, quod Bononiam usurpaverit, respondit Gallus, Bononiam non suo, sed Bentivolorum nomine captam, sibi nil rei esse cum Bononia. Pontifex, ut quid animo Bononiensibus sederet, experiretur, atque una terreret, Reginum Cardinalem legatum à latere cum exercitu Bononiam versus misit. id ubi Rex Gallus intellexit, quingentos quinquaginta jussit catafractos, dicunt *lanceas grossas*, in auxilium Bentivolorum, contra Legatum proficisci, qui una cum Bentivolis adortum noctu Legatum straverunt. Ita dispersos, Legatum & Pontificios magna ex parte tum peremptos, vulneratos & spoliatos, penitus, quia nil suspicabantur, audito præsertim Galli responso de Bononia Galli reliquere. Legatus ab eorum vix evasit furore. Ex his nugis quales Galli sunt cogitatus, colligito. Is retrocessisse ad urbem narratur nundinarium Lugdunum, *Leonem* dicit vulgus. Cæsar Imperator electus, exercitu coacto, tum suo, tum Gallico auxiliario, Paduam cogitat obsidere. Tu vale. Burgis. IX. Calendas Septembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXII.

De Abbate Aronæ homicida. de vi soli natalis. de anno XXIV. de re Belcastrensi. de Gallo & Hispano Regibus.

P. M. A. M. Magno Trivultio Comiti.

A Vobis nuncius ad nos tulit, Abbatem istum Divi Gratiani Aronensis, juvenem petulantem, Generalis Thesaurarii Ferrerii filium, de Gallicis militibus cataphractis, peremisse unum, quam ob causam Abbatiam, Legum Pontificiarum sanctione, privatus, tolliturque ab Ecclesia jure ipso. Hoc meo Regi Catholico significato, ad Summum Pontificem Julium II. non communi scribit commendatione, ut optatam, quia natale solum, Abbatiam nobis impertiatur, si ablaturus eam ab homicida sit. Putamus, modo dentur opportuno tempore Regiæ literæ, non negaturum. è Gallia vero Hieronymus Cabanillas Valentinus eques Orator noster, cujus ego negocia exerceo apud Catholicum utriusque Regem scribit, Regem Gallum gravi addicto jurejurando fuisse pollicitum, è primis reditibus ad ejus nutum attinentibus, eam nobis præbiturum portionem, ut permutatione media, cum quovis Abbatiæ possessore, nostri voti compotes fieri possimus. hæc illustri tuæ Dignitati significo, ut si ab ambobus, aut ab alterutro Principum ad vos chirographa venerint, detis operam, ut jam tandem desideratam in terris unicam rerum fragilium humanarum portiunculam consequamur. Cogit vis soli natalis, ut eo semper oculos animumque direxerimus. hic nobis apud Regem tantum, à quo diligimur, unde satis honeste vitam agamus, minime deest. at paternus trahit aër, per quem hic Spiritus, è superis sedibus, ubi formatus, in tetrum hunc corporeum carcerem iter fecit. Satis velim fuisse vagatum per alienas terras, alienos flatus absorpsisse, aquas potasse alienas. raptor immodice vestri, propinquorum coæqualiumque, atque Alpinarum aurarum desiderio: quæ nostram Insubriam æstivo tempore, placido flatu incursitant, utque, si ad eam, quam quartus & vigesimus annus supra quingentesimum à millesimo à Christi natali, aquarum colluvionem à Deucalione vel Noë futuram inæqualem, vixerimus, recipere nos in tutum ad alta montium cacumina valeamus. Sit prolapsum satis. De tuis autem Belcastrensibus negociis, profuerintne patentes Regiæ ad Senatum Sanctæ Claræ Neapolitanum, ut rebus tuis consulant, conscriptæ nil scribis, puto velle te exspectare (quia prudens es) quid ex pullulantibus novis dissidiis inter Principes Christianos tempora sint allatura. Iste Rex tuus Christianissimus absorbere quæsitis variis occasionibus totam Italiam velle videtur. Meus autem Catholicus, Gallicæ cupiditatis non ignarus, Ecclesiæ causam forte amplexabitur. ipsi viderint. tu, qui sola restas rerum bellicarum accensa lampas in Italia, rebus Italis jam consule, & vale. Burgis. X. Calendas Septembris, MDXI.

EPIST.

EPIST. CCCCLXIII.

Quid Papæ familiares eo laborante. quid Conciliabularii. quid Urbinas.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

ADverte, quanti ſint iſti noſtræ Fortunæ Aſclopi faciendi. Summus Pontifex, uti per diſpoſitos equos qui ad nos ab Urbe decem interdum, novem dierum ſpacio volitant, uti ab internis Palatinis habetur, ad extremum vitæ marginem acceſſit. quartum nullo pacto inquiunt diem victurum. ad hoc rei ventum eſt, ut familiares ejus intimi pro jam functo vita deſeruerint. Audi facinus horrendum dictu: criſtæ mihi dureſcunt recitando. Qua hora brevi ſpiritum exhalaturum Pontificem dominum miniſtri putarunt, ad prædæ curam converſi omnes, dominum deſeruiſſe feruntur, neque opimis inhiaſſe ſpoliis tantum, aut ſe precioſis polluiſſe rebus, ſed ne interiorem quidem textam lineam intra ipſius cubiculum reliquiſſe ſcribitur. Iſta ubi Dux Urbinas Pontificis ex fratre nepos intellexit, qui adhuc domi (licet in Urbe ob interfectum Papienſem purpuratum, propter Bononiæ deditionem ipſi ignominioſam & exercitui ærumnoſam) ſe retinebat incluſum, ruptis privati carceris Legibus, in Vaticanum, ubi palatium exſtat, tranſilivit, patruum reperit Pontificem adhuc ſpirantem, medicos accivit. Horum nemo ſpem de vita Pontificis retinuit, præter Judæum quendam, qui à longa experientia notiſſimam Pontificis habebat naturam: *Poſſe Pontificem reviviſcere*, ſolus ille contendit. In hoc ſtatu ſunt res. Si rebus ſic ſtantibus inter Chriſtianos Principes perierit, nova exorietur contentio. novis inhiabitur conventiculis. Cardinales vocatos in judicium horrendum, qui Papiæ agebant, Romam verſus ferunt illico per diſpoſitis equos moviſſe. quæ ſequentur habebis. Vale. Burgis. Idibus Septembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXIV.

Papa revixit. quomodo ſe habeat cum conciliabulariis & Florentinis & Piſanis. quid Cardin. Sanct Crucis. quid ſuus Rex cum eo.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

ALtero (à miſſa priore ad te epiſtola) die, novum ab Urbe tabellarium habuimus. Summus Pontifex revivixit, in acerrimam inimicorum ejus, ſed præcipue Galli Regis, & Cardinalium è grege collegarum errantium rabiem. valet optime. devii Cardiles, audita Pontificis confirmatione, à properanti curſu ad Urbem, cum ſummo animi languore pedem fixerunt. Pontifex in eos, libellos format. Ipſi in Pontificem pervicacibus animis induruerunt. Rex Gallus Epiſcopos omnes, Abbateſque Primarios, quique initiali polleant aliquo valido Magiſtratu Gallos, ad particulare cogit Concilium Piſas proficiſci. quam urbem Florentinis, ſub quorum ditione urbs illa degit, ob Galli Regis potentiam recuſare non audentibus, ad Concilium, aut, uti plerique ajunt, conventiculum elegerunt. Ad Florentinos Pontifex de Rotæ auditoribus unum *Simonetam* nomine miſit Oratorem, ut à divinis interdiceret, Anathemaque in eos promulget, ſi conventiculum patientur. Florentini à Pontificis edicto ad futurum Concilium rem duci oportere arguunt. Bernardinus Carvaiallus tituli S. Crucis Cardinalis, ſe hujus navis Typhim, hujus currus Automedontem profitetur. Carvaiallum Rex noſter monet, ut à provincia hujuſcemodi diſcedat. annuit; ex Plombino trajecturum Neapolim cum Regiis triremibus per nuncios pollicetur. at multi verentur, ne illum ambitio divertat à promiſſis. eſt namque elatiſſimus à natura, ſibi ſuæque doctrinæ, licet eruditus, nimium credit. nimium facere ſua merita videtur, neſcit ſtare loco. Ex Germania relatum eſt, nullum Pontificum, aut alias initiatorum Præſulum; Cæſareis mandatis de particulari Concilio ſtare velle. Nemo ex Germania pedem ad id movit. E Gallia Britanniaque minore, Gallo dotali, adeunt. at inviti. minis illos Gallus adigit. Vale. Burgis. XII. Calendis Octobris, MDXI.

EPIST. CCCCLXV.

Inauditum hactenus prodigium in agro Cremenſi. de fruſto unius ſaxi delapſi ab aëre.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

PRodigiis miſera undique exagitatur Italia, necdum ceſſaſſe iram cælitum in illam præſagiunt. Eſt Brixiæ Bergamoque Ducatus Mediolani urbibus, ex Adriatici Leonis faucibus nuper ereptis inſigne municipium nomine *Crema* vicinum. fama eſt non vulgaris, ſpectatum pavonem immenſum, pridie nonas Septembris circiter meridiem in aërea Cremenſi plaga fuiſſe viſum, cum univerſorum incolarum ſtupore, miraculum inconnive ſuſpicientibus, pavo viſus in pyramidem converti, adeoque celeri ab occidente in orien-

tem raptari cursu, ut in horæ momento, magnam hemisphærii partem, doctorum inspectantium sententia pervolasse credatur. Ex nubium illico densitate, tenebras ferunt surrexisse, quales viventium nullus unquam se cognovisse fateatur. Obscuriorem se vidisse noctem intempestam nullam, quicunque senum aderat, referebat. Per eam noctis faciem, cum formidolosis fulguribus, inaudita tonitrua regionem circumsepserunt. Fulgurum fuit adeo perlucens rabida flamma, ut apertius ex Bergamo sita in montibus urbe planitiei Cremensi imminenti, Cremensem agrum despexerint montani Bergamenses, quam per claram queat despectari diem. Ex horrendo illo fragore, quid irata natura in eam regionem pepererit, percunctaberis. saxa demisit in Cremensi planitie (ubi nullus unquam æquans ovum lapis visus fuit) immensæ magnitudinis, ponderis egregii. Peremptos in fluminibus pisces, interfectas in aëre volucres, trucidatas in agris pecudes ferunt innumeras. Decem fuisse reperta centilibralia saxa ferunt. inter vineas Cremenses plæraque decidere, quæ suo impetu & pondere terram elevavere concussam, ad quindecim hominum staturas, vineasque submersisse Cremenses ajunt non paucas. E saxis grandioribus Mediolanum unum allatum est, librarum Mediolanensium, quæ octo & viginti constant unciis, centum decem. Id religiose à meis civibus, rei miraculo percussis, servatur. Ex frustis disruptorum ad me affines unum pugno paulo grandius miserunt. Regi, præsente Magno Capitaneo Gonsalo Fernando illud ostendi nudius quartus. Saxi totius magnitudinem, ex nostro relatu & hujus frusti pondus colorem & odorem sunt admirati. Pondus auro non levius, color est semiglaucus, odor sulphureus. Margaritam æmulatur metallariam. mira super hisce prodigiis conscripta fanatice, physice, theologice ad nos missa sunt ab Italia. quid portendant, quomodoque gignantur, tibi utraque servo, si aliquando ad nos veneris. Nunc vale. Burgis. VI. Calendas Octobris, MDXI.

EPIST. CCCCLXVI.

Prognosticon ex præsentibus dissidiis. quæ conversatio inter Gallum & Hispanum Reges. quid Scotus. quid Anglus & alia multa.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

PEtis ex tanta rerum turbulentia, quæ inter Pontificem & Cardinales illos pervicaces versatur, Gallo Rege virus, & pullulans dissidium fovente, quid ego sentiam arbitrerque futurum. Bella horrida, calamitosos non divino, sed judico successus, præteritis graviores imminere necessario. Rex noster, multiplicibus nunciis per Oratorem suum, Gallo Regi & affini & fœderato, ut Bononiam Pontifici reddat, nititur persuadere. ne Pontifici tollat arbitrium in rebelles ditionarios Ecclesiæ, quin liceat ei dictis non parentes frenare. Satisfactum fuisse velit satisque sævitum; aberrantes à Senatu Sacro Cardinales deserat, hortatur. Brevibus accipe, quid ultro citroque actum sit. De Concilio particulari respondet Gallus, se non fauturum ultra Conciliariis in Pontificem, modo Pontifex Bentivolis Bononiam linquat, modo Alfonsum Hestensem restituat. Repetito Rex noster illi proposuit, Victoris, legem victo dantis, esse postulatum hujuscemodi non suo Pontifici parentis, ne tali consilio regatur, Concordiam in Ecclesia, non procellam ferat. Jus Pontifici sinat exercere, exemplo sui edoceatur, monet, quam ægre pateretur, si volentem læsæ Majestatis crimine tactum, è suis incolis, aut feudo obligatis, aliquem debitis afficere pœnis, è transverso quisquam turbaturus insiliret, neque his auscultat, aut rationibus ullis terretur. Cum Oratore nostro Hieronymo Cabanillas Valentino equite, ab Anglico Scotoque Regibus missi Oratores, una Gallum monuerunt, ut provinciam deserat, ne Pontifici molestus ultra esse velit, se nullo pacto Ecclesiam deserturos, aperte professi sunt. Se rem habiturum cum universis, injuriam fore communem animadvertat. non cadit ab instituto Gallus; Se neque Bononiam, neque Alfonsum Hestensem deserturum, se usque ad perniciem Pontificis, ni annuerit utrique postulato non cessurum. Stimulaturum Cardinales errabundos à suo grege, despumans minatur. Una lege cum statu Mediolani cumque cæteris omnibus quæ possidet; hæc se habiturum respondit. De aberrantibus Cardinalibus surrexisse Gallum Regem scribit Cabanillas noster orator, & rem ipsorum appellasse figmentum inane, occasionemque sumptam ab eis, ut Pontificem deterreant, appellavit ipse Rex *farsam*. Hujuscemodi sunt Galli Regis conatus. nostro Regi molestissima sunt hæc. in Aphricam vellet vires experiri suas: Pontificem Ecclesiamque sine insigni nota nequit deserere; cum affine fœderatoque Rege pacem exoptat. Quo Gallus tendat, intelligit. Anceps est, nescit, quo se vertat Rex noster. Puto Pontificis causam suscepturum, tum quia pium, tum quia de communi omnium agitur libertate. Si namque

que Pontificem Gallus straverit, sub pedibus se sperat universam Italiam habiturum, Legesque daturum universis Christianæ Religionis Principibus, quales libuerit. Repetito tamen iterum atque iterum per literas, per Oratorem suum, hortatur rogatque, libret Gallus diligenter, quam à gloria humana, quam à conscientia sit alienum bella gerere in Ecclesiam nostræ legis initialem. Quid si è vita dum his agitur fluctibus, evocaretur, animo verset. Quo speret evolaturam ejus animam, ut mitibus verbis ipsum, Reginam ejus uxorem, ut consiliarios omnes Cabanillas alloquatur, ut agant apud Regem suum de Pace, dat in frequentibus mandatis. Vale. Burgis. IV. nonas Octobris, MDXI.

EPIST. CCCCLXVII.

Pacta fœderis inter Hispanos & Venetos cum Papa, quibus quisque militibus agat. Ægidii concio.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

SOlet ardentibus in Venerem hoc mense cervis, Rex nemorosas perlustrare convalles, ut inter dumeta latens, prætereuntes, præ nimio fœminarum desidereo sui oblitos, transfigat venenatis sagittis cervos. Arandæ Dorianæ, ac Lermæ & Ventosillæ sylvas venatui aptas, pererrabat Rex, ecce duo adsunt, ab Italia unus, è Gallia alter, tabellarii. Ego autem qui Regem fueram secutus, ne me ruralia frigora macerarent, Regi tamen proximus in Aranda Doriana celebri oppido, uti nosti, permanseram. Fœderatos in Gallum cum Pontifice ferunt, & nostro Rege Venetos. Icti autem fœderis leges edictæ sunt, *ut Rex Venetique Pontifici adsint ad recuperandas de cujuscumque injuste possidentis potestate, facultates Ecclesiæ, ne quisquam eorum pedem è fœdere referat, nisi rebus Ecclesiæ ad unguem sit consultum prius aperte in Gallum*, licet nomine signetur nemo, conventum est, *quandoquidem is est, qui tutari profitetur Ecclesiæ tyrannos.* Putamus Anglicum Ungarumque Reges fœdus inituros, quia utrique sit jam Gallica potentia infensa, seque filios Ecclesiæ esse profiteantur. Tertio nonas mensis hujus, Pontifice rem divinam in templo divæ Mariæ de populo in Tybridis ripa sito, celebrante, pulpitaria fœderatos oratione laudavit, & pacta fœderis populo patefecit, Ægidius Augustinæ regulæ professor generalis, in quibus voce sublata, quas quisque copias sit paraturus enumeravit. A Pontifice capturos arma Cataphractorum lanceas sexcentas, peditum millia decem, levis armaturæ ad eventus rerum. Rex noster in auxilium offert Cataphractorum lanceas mille ducentas, levis armaturæ mille, peditum millia decem. Venetum Senatum feruntur promisisse, Cataphractorum & peditum totidem copias levis armaturæ; Albanensium stradiotorum ampliorem pollicentur numerum. At quadraginta ducatorum millia nostro se Regi præbiturum, quoto mense utraque potentia pacta est ad Hispanum exercitum in Italia, ad ipsos, sub specie Ecclesiæ amplexandæ, tutandos, alendum. Præsentanea namque est utrique pernicies, nisi Rex noster adjuverit. Vale. Burgis. in Calendis Novembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXVIII.

Quid Pisis conciliabulum. quid Pontifex. quid Florentia. quibus conquestibus Papa imploret auxilium, & Gallo maledicat.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

PIsis, qui tribus astant Cardinalibus Galli Episcopi, sessiones admittunt. Summus Pontifex Anathemate Florentinos taxavit. Florentini de interdicto à divinis Pontifici parent, clausas templorum servant fores: Agi tamen Pisis particulare Concilium patiuntur. At inviti, Gallicam veriti potentiam; nec lanceas quadringentas, ut vulgo loquar, quas Gallus in conciliabuli tutelam mittebat, admiserunt, rationibus, non armis agendum esse arguentes. Ad Christianos omnes Principes, legatos Pontifex destinat. Ab singulis per membranea brevia chirographa Apostolica, in Regem Gallum auxilia petens, tanquam acriter à filio pater verberatus, ac proinde, ac si pane privaretur, se contorquet, omnium vires in Gallum implorat, incitat, efflagitat, degenerare Gallum à suis majoribus, qui *Christianissimorum* nomen ob tutelam Ecclesiæ præstitam, sunt consecuti, conqueritur, quod illi jure merito suæ regiæ familiæ pepererunt, hic nititur denigrare, abjicere, abolereque veluti rabidus labia mandens, spumas evomit. Videtur ac si esset à viarum grassatoribus oppressus, misericordiam ab omnibus petere. Ista latius ex brevium literarum exemplari, quod ad te mitto, colliges, quas attulit Guillermus Casadorus de Rotæ judicibus unus, vir Barchinonensis, legitque publice, Rege Principibusque multis spectantibus, inter sacra divina, è suggestu eminenti, lingua Latina, qua conscriptæ literæ ferebantur. At ex eodem postea suggestu, materna oratione, Oviententsis Episcopus, orator pulpitarius, eloquentia insignis, literarum sensum, populo ab

ejus ore pendenti, vehementibus verbis aperuit, quam fœde à Cardinei Senatus gremio, Cardinales illi desciverint, quam nefarie Rex Gallus illos seduxerit, foveatque, quam sacrilege Pontificias acies in agro Bononiensi Rex idem straverit, & Bononiam usurpaverit ac teneat, quam Tyrannice Ferrariæ tutelam in Ecclesiæ dedecus ac jacturam fuerit amplexatus, quam ignominiose *Christianissimi* nomine abutatur, quam obscœne ablaturum se, dilaceraturum, voraturumque reliquas Pontificii patrimonii urbes, ut suum proferat imperium, nisi qualem ipse dederit Pacem, Pontifex ferierit, cæteris omnibus Christianis Principibus exclusis minetur, eleganti sermone disseruit his, multis præterea in hanc sententiam recitatis. ad Regem Orator ipse Pontificius Casadorus, graditur. Quæ scripta viderit, legerit, audiverit, exsequatur Pontificio nomine postulavit. Rex autem his intellectis, se ipsum bonaque omnia propria, filiæque & affinium atque amicorum, in auxilium Ecclesiæ serena fronte obtulit. Bono sit animo Pontifex, Cassiodoro dat in mandatis. His actis è sacris nos domos quisque nostras petimus. Cassiodorus se ad Regem Portugaliæ idem persuasurus accingit, quod ante fecerat apud Regem Navarræ ex itinere ad nos. Vale. Burgis. xv. Calendas Decembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXIX.

Galli produnt inimicitias. capiunt Galli viatores Hispanos. Anglus cum Hispanis. quid super hoc Gallus. quid Cardinalis S. Crucis cum Rege suo.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

TRes adventarunt duorum intercapedine dierum tabellarii, ad Oratorem Gallum, qui nondum dimissus est, unus: ad Regem ex Italia & Germania duo, quid afferant habeto. Galli jam produnt inimicitias, cursores viatoresque quoscumque Hispanos, capiunt. literas aperiunt, transire neminem patiuntur. dissidii clarum argumentum. Curiam ferunt Gallicam nobilibus esse vacuam. ad patrias quisque domos ad futurum bellum paraturus concessit. Angliæ majoris Britanniæ Regem nostri Regis generum, speramus ex consilio soceri, causam Ecclesiæ una suscepturum. Suspicio hæc est Gallo molestissima. Christianorum namque Principum Galli neminem magis verentur. Experti namque Anglorum vires, & Belli Regulam, triplicato exercitu concurrere, cum Anglis minime audent Galli. Sperat præterea Rex Anglus, se ex hoc dissidio Guiannæ seu Aquitaniæ Ducatum, in quo est Burdegalia, vergens ad Hispaniam, & ad Septentrionem, ad Belgas Normandiam provinciam, antiqui Juris Anglorum, de Galli Regis potestate posse suscipere: quæ provinciæ Calesio freto adjacent. In cujus maris littore in continenti Gallico is Rex urbem adhuc sustinet, nomine *Calais*, seu *Caletum*, à qua *fretum Calesium* est appellatum. Ad conciliabularios jam nos dextera trahat. quæ res tanti est momenti, ut de dissidio Religionis agat Cardinalis S. Crucis Bernardinus Carvaiallus noster Hispanus, sui ipsius, religionis quam profitetur, & fœderis cum suo Rege pacti oblitus, Pisas, quando putabamus Neapolim, profectus est. Ipse ipse ornatu Pontificio divina exercuit officia, & oratione pulpitaria studiose concocta, ab Anathemate Pontificio, Pisanos prius, & Pisis agentes, absolvit. Gallum dehinc Regem, quod Pontificis errores corrigere statuerit, Ecclesiamque informem reformare decreverit, summis laudibus extulit. Pontificem criminibus acuto genuino taxavit. In fœderatos cum Pontifice vehementi sermone conspuit; quod sanctos Regis Galli cogitatus rescindere statuerint, fœde redarguit. animo sint fidenti omnes, suadet. Imperatorem namque ait, Galli Regis conatus & Ecclesiæ causam amplexurum. hæc noster Carvaiallus struxit agitavitque. Noster autem exercitus duce *Ramono de Cardona* Neapolitani regni Prorege, it viam agmine composito, ut se Pontificio Venetoque exercitui conjungat Bononiæ. Is Ramonus nobili genere ortus est, natura urbanus, mitis, elegans. At nescio, an ad tantum exercitum gubernandum, hæc satis sint, mallem exercitatiorem. Tu vale. Burgis. in Calendas Decembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXX.

Privantur Cardinales honore & reditibus. Cardinalis Cusentinus privatus moritur. quid Mediolanum in Conciliabularios. quid Gallus in eos. de Cilice pradone ac Turca filio.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

SAt commodis avibus Bernardinus Carvaiallus & collegæ conciliarem provinciam complexi sunt. Summus Pontifex illos & honore privavit Cardineo, & Senatu fratrum collegarum, & bonis omnibus spoliavit beneficialibus, & acerrimo gravavit anathemate. Quoscunque illis faventes dat pro hæreticis, putridaque vocat membra, jure merito à Catholi-

Catholicorum Ecclesia abscindenda. Antistitis eos omnibus, & cæteris redditibus privavit quos Carvaiallus & Cusentinus in Hispania Regnoque Neapolitano possidebant. alios Rex noster, ex nutu Pontificis, præfecit familiares. Sat lucrose nundinarunt, sed præsertim Cusentinus, qui exorto in Pisano lupanari tumultu, inter cives & conciliabulariorum famulos, in quo de familiaribus ejus nonnulli trucidati fuerunt, trepido pavore perculsus & animi dolore, quod Pontificali beneficentia privatus esset, animam repentino interitu suo reddidit creditori. Formidine pressi collegæ, atque utroque territi casu, Mediolanum aufugerunt. Ejicere illos populus conatus est, *pestem contagiosam* appellans. At Rex Gallus, qui eorum dux est, ut recipiantur, imperat. Illi renuunt, facultates, filios & quicquid illis fortunarum est, offerunt, ut animas Deo servare liceat, orant supplices. Gallus rabidus accenditur, nihilo cadit ab instituto, uberioribus replet Conciliabularios redditibus, majoraque pollicetur. perstent in proposito hortatur. nostros tamen tabellarios, quos vinctos habebat, dimisit, proposita supplicii pœna, si deprehensi ultra fuerint. Nostrum Oratorem adhuc apud se morari, suumque hic esse Galli patiuntur. De his jam satis. Ad extera tendamus. A magno Rhodiorum magistro Rex habuit literas, è Cilicia Sophianæ sectæ quendam ait ignotum hominem circiter triginta hominum millia coëgisse in Turcarum Principem, & exercitum Turcarum ingentem disturbasse. scribit vigere inter magni Turcarum Principis filios dissidium atrox, & secundo genitum arma in patrem ægrotum, confectum senio sumpsisse. Quare hortatur Regem, ne tantam sinat occasionem fluere, facile factu arguit, Turcarum vires validissimas posse hac tempestate confringi, si discordes potens aliquis adoriatur. Sophium scribit, circa montem Amanum vivere inclusum. putant aliqui ociaturum posthac; alii ut vires, coactis ad futura bella thesauris, colligat intendere arbitrantur. Existimant alii, Leges novas in secessu ad naturam condere, promulgaturumque aliquando ferunt. Persæ, Parthi Mediique Leges ejus jam feruntur induisse. nec desunt qui Turcarum primogenitum, qui Asiæ minori præest, ad conciliandum sibi in fratrem, cujus animum formidat, Sophium Sophianaque instituta fuisse amplexatum. Vale. Burgis. Idib. Decembris, MDXI.

EPIST. CCCCLXXI.

Quæ Pontifex dicat in Gallum. quomodo nos impetat Gallus. quæ, qualia quantaque sint Afrorum regulorum munera.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

QUam apertas haberet Rex noster Aphricæ portas, ni Rex Gallus vires nostras in se averteret, ex his quæ referam, licet colligere. Omnia dederentur, sed nequit Rex utramque simul gerere provinciam, Pontifici utputa esse auxilio, vim à Rege Gallo sibi inferri proclamanti, & *Ecclesiæ tyrannum, laceratorem, discerptorem, voratorem, schismatum autorem* appellanti, atque una exercitum in Africam transmittere. ut ab alterutra se exsolvat oportet. Sed ad institutum deveniamus. à Tremesenio Rege Afro adsunt, atque à Tenesio regulo legati, à Tyranno una potente quodam, nomine *Cadihamet*, qui & ipse partem Africæ occupat, nulli Regum parens, capturi Leges, quascunque Rex noster dederit, accesserunt, secumque Judæos octo ad pacta ferienda, de commerciis pertractandis in urbe Orano ab ipsius Tremeseni Regis potestate nuper erepta, adduxerunt: munera vero, quæ alias pacti fuerunt, afferunt. A Rege Tremesenio equos decem & cum illis equestria Afro more laborata ornamenta, totidemque cetras (dicitis Hispani *adargas*) accipitrum (dicitis *falcones*) numerum eundem, & minuta præterea, tapetes coriaque ad ephippia (dicitis *sillas ginetas*) Mauro more construendas, & palmarum fructibus mulos onustos. Tenesius Regulus sex misit equos, accipitres & ipse, cetrasque, deque aliis, facultates dimensus suas. Idem Cadihamet, rem suam librans, geminos misit equos, & leonem domitum, cum tapetibus & cetris. ex errantibus Arabibus plærique una venerunt. Literarum, quas à Dominis ferebant, sensa hæc audito Latine. *Mullei Baudalla Attabiti Rex Tremesenius, stratus in tuo conspectu, Rex admirande, meipsum & quicquid est fortunarum, publice privatimque tibi subjicio. Ab hac die, qua me tibi dedo, cæteris omnibus, Mauræ Legis Regibus, præcello, virtutis & imperii tui magnitudinem consectans. Inter vitæ dies minime ausim illos numerare, quibus à te vixi alienus. Deus faxit, ut hac mea felicitas indies magis ac magis coalescat. Munera quæ sunt, non qualia tanto Regi nuper in Dominum assumpto, mitti debuissent, sint monumentum & pignus nostri animi, sint aliarum omnium, quæ restant facultatum oblativa, una cum Christianis in universis ditioni meæ subjectis regionibus, repertis, quos religiosum decuit Regem imprimis*

petere. ne tibi sim molestus, multa prætermitto, quæ adulatoria nimis parumque memoranda existimo. Literarum autem illarum data hoc sonat: *Ex Tremesenio quarto die de Rageu anno ab eorum seductore*, DCCCC XVII. nostra computatione, MDXI. XII. Octobris. in eadem fere sententia cæteri disseruerunt Oratores. Vale. Burgis. XII. Calendas Januarii, MDXI.

EPIST. CCCCLXXII.

De temporum varietate. De Helvetiis & Cardinali Sedunensi.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

QUam varii sint in terras cœlorum afflatus advertito. ex his quæ nobis puto & tibi acciderunt, acres ab æterno solent Hispali Majo Junioque mensibus vigere calores. Decembri Januarioque mensibus horrenda Burgis frigorum tempestas. Aprilem, Majum & Junium egimus Hispali, dicitis urbem illam Hispani *Sibiliam.* omitto menses reliquos perturbationibus aptos, illis mensibus, subitis aliquando, sed paucorum dierum æstubus urgebamur, majori ex parte repentinis adstricti frigoribus ad ignem applicati, adverso tempori medebamur. Populus incola intemperiem admirabatur insuetam. æstivæ volucres, ciconiæ utputa & hirundines, quæ loca quæritant aprica ante Calendas Februarii, quo tempore nos Siviliam ex Castella profecti fueramus, è transmarinis regionibus transvolarant, eandem putantes reperturas temperiem, quam superioribus annis eo anni tempore solebant reperire. accessisse pœnituit. è converso post hæc Burgos urbem veteris Castellæ caput, ubi nec olea, nec vinea, in qua maturescat unquam acinus, visitur, inhabitantibus Decembri Januarioque mensibus, vernus tepor eblanditus est. Muscas è latibulis ad fastidium usque prandentium, prodiisse vidimus, qui præcipue ad meridiem fenestras habemus fluvialem planitiem spectantes, ubi museum ego forte sum assecutus hospitium, ex metatorum benignitate, meo gustui sapidissimum. Inter hæc habeto, quæ ex Italia ferantur. Summus Pontifex in Italiam Elvetios vocat, dicitis vos *Suizos.* hos incitat, congregat ac ducit Cardinalis quidam Helvetius Subdunensis, appellat eum populus *de Sion.* De numero, quove tendat, aut ubi sint impræsentiarum, quidve velint, nondum habemus. Vale interea. Burgis. III. Calendas Januarii, MDXI.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

Epist. CCCCLXXIII.

Afrorum lætitia in ripa fluminis Burgensis. verba Regis de rerum vicibus pulchra. de Helvetiis multa. & quis sit Italiæ gemitus.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.



PRoh! quam mira sunt divina Mysteria! quam variæ sunt rerum vices! In Calendas Januarii, abnepotes Afrorum, qui universam quondam dissipaverant Hispaniam, vidimus Burgis in fluminis ripa, lætitiæ signa exercere diversa, quod sub jugum venerint nostri Regis. Solutis habenis Numidico veteri more, cuneatim modo, modo dispersi in alios alii incursitantes, insequendo interdum, interdum terga vertendo, clamores ad sidera tollebant. Rex aderat Principibus elegantibusque juvenibus Curiæ comitatus. Afris & nostri Mauris equis insidentes, Mauro more phaleratis, immiscebant, nec sibi Rex pepercit. ultro citroque solutis & ipse loris, adstante cum nympharum choro Regina calcaribus equum, cui insidebat, agitavit. ubi cessit è cursu, parumper anhelans, in proceres qui aderant versus, semiobortis præ gaudio lachrymis, hæc verba in cælum attollens oculos protulit: *Oh Deus omnipotens, quas grates tibi referre poterimus, qui hodie, quo die abhinc Anno* XX. *de Granatæ Regno Mahometa ludibria deturbavimus à radice, in hujus urbis fluvialibus pratis, ab eorum domibus semotissime ludentes cernimus Afros, eorum sobolem, qui nostros quondam majores stragibus horrendis confecerant.* In Europam redeamus ab Africa. per mercatorem Mediolanensem, qui ad nos veluti celer tabellarius venit ob sua commercia, intelleximus Helvetiorum XV. millia in Italiam descendisse, esseque in radicibus Alpium, ut Mediolani Ducatum contra Gallos adoriantur. à Pontifice vocatos putant. Nil enim prætermittit, quod ad Galli Regis perniciem faciat. Infaustæ nostra tempestate me miseret Italiæ, è tam barbaris carbonariis, opilionibus & subulcis, aut quando honoratius, vaccariis, bubulcis Alpestribus, horrore montano torvis, quid exspectari aliud potest, nisi ærumna & calamitas? Si namque uvarum & ficuum dulcedine, uti aliquando Galli, pellecti Helvetii semel terram gustaverint, haud facile, quin quotannis redeant, obstabitur. Vale. Burgis. III. Idus Januarii, MDXII.

Epist. CCCCLXXIV.

Supplicio Galli afficiunt Oratorem Helvetiorum. quid Helvetii. quid Mediolanum. quid Hispani. quo die templum Hispalense corruerit.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

EOdem die quo nuncium exspectabat iturum ad te, superior Epistola, tabellarius accessit ex Italia. Quæ afferat, habeto. Duodecim illa, ajunt alii terdecim, Helvetiorum municipia, quæ vocant ipsi *Cantones*, Oratorem ad Pontificem mittebant, solo tantum viæ duce itineribus exercitato comitante. Iter ambo facientes per Mediolani Ducatus vias, à Gallis deprehensi, triplex lignum & laqueum perpessi vitam finivere ignominiosam. hanc injuriam ulturos, inquiunt Helvetii, descendisse in Italiam, licet una vocentur à Pontifice. utcumque sit, misera patietur Italia, sed ea regio præsertim, quæ me genuit, quid sint ista nubila paritura, sollicite exspectamus. refert idem, urbem ipsam Mediolanum acri laborare penuria. Scribitur ex urbe Roma, allatam Ravennam ad nostri exercitus munimentum, per Ariminensem maritimam regionem alimentorum rei frumentariæ, ex regno Neapolitano, tormentorumque bellicorum omnis generis copiam ingentem. Ex urbe vestra Sibilia nuncius accessit alter, per quem dicitur augustissimi illius templi partem meliorem corruisse die nonarum hujus mensis ultima. Quadraginta ducatorum millium ajunt damno rem accidisse, sed quia hora crepusculana, Hispano more septima post meridiem casus evenerit, sola templi jactura deploratur. deprehensus namque nemo interiit. Vale. Burgis. III. Idus Januarii, MDXII.

EPIST. CCCCLXXV.

Hispani contra Gallos. moritur Dux Termenensis. quid Conciliabularii. de Gallia. de Flandria.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

TAbellarium ex Italia Rex habuit, quo ab Urbe discedente, nostræ acies ex itinere ex Senogallia Imolam versus, à Bononia sitam millia passuum xx. faciebant iter. Imolæ pedem figunt. Copiæ vero Gallicæ per propinqua Bononiæ loca in stativis nostros exspectant. Ad Helvetios lanceas misit Dux de Nemours alias *Monsieur de Foys* exercitus imperator Gallici, nostræ Reginæ *Germanæ* germanus quadringentas. Ipsum ajunt secuturum. Allatum est aliud nobis triste nuncium. Est in regno Neapolitano urbs, nomine *Termenes*, ejus Dominus Ducali titulo præditus, Regi nostro affectissimus incola, armorum ductor egregius, Pontificii exercitus ductor erat. In hoc sita erat spes rei bene gerendæ, quia rei bellicæ peritior & exercitatior nostro Prorege, ætateque maturior. Is ab urbe Roma dimissus à Pontifice, ut ad nostros cum Pontificiis proficisceretur, febricula laborabat. At alii putant sorbitione aliqua Socratica ob invidiam posthabiti Urbinatis, utcunque mortuus est in oppido *Civita Castellana*, ut juniore utar vocabulo; semirabidus, seipsum contorquens, & à canibus viscera sibi discerpi proclamans, animam egregiam exhalavit. Mediolanenses ad hunc usque diem obstant, ne Schismatici corruptas eorum sententias exsequantur. Clausis vivunt, ut Pontifici pareant, foribus templorum. Sibi quisque Cardinalium privatorum honoribus, in Pontificis contemptum, sacerdotem habent initialem, per quem sacra exercent divina. at arcane, clausis hospitiis. neque audent aperte urbem perambulare. E Flandria fertur, Hispanos plures in oppugnatione unius oppidi Gueldrensis fuisse balistis & tormentis interemptos, reque infecta provinciam deseruisse, interempto præcipue Fernan. Gomez Davila viro apud eos primario, genere & opibus inter Hispanos Proceres (uti nosti) non infimo, rerum bene gestarum plurium gloria insigni. E Gallia vero heri accessit Fernandus Hispalensis, domi meæ enutritus à parvulo, quem ego Cabanillæ Oratori nostro dederam mutuo familiarem, quo rebus meis de Abbatia patria intenderet ex mandato Regis nostri apud Regem Gallum. Is more cursoris ad Regem missus est, arcanorum particeps. æquum est, ut Regem prius alloquatur. habet namque res in mandatis, quæ scribi nequeunt. quando quæ afferat habebimus, tibi significabimus. Vale. Burgis. XII. Calendas Februarii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXVI.

Suasiva in Gallum. de Galli aperta cupiditate. qui Principes fuerint adversati Ecclesiæ. quid lucri pariat appetitus. Qui Reges ruerint ex rebellione in Papam.

P. M. A. M. Suo discipulo Duci Guimaraneo & Bergantiæ.

ES Regi tuo Portugaliæ consobrinus. te propterea decebit, eritque tuum, illi consulere, ut referente Guilelmo Casadoro de Rotæ Senatoribus, postulatis obtemperet Pontificiis, de auxilio Ecclesiæ præstando in Regem Gallum qui, uti Pontifex conqueritur, Ecclesiæ patrimonium opprimere, & religionem Christianam confundere, & perturbare conatur. Rex noster Catholicus, apud quem tu es à teneris ad adolescentiam usque enutritus, tui Regis consobrini socer, Pontifici Ecclesiæque non defuturum pollicitus est. quia præcipue quo tendat Rex Gallus intelligit. claris namque constat argumentis, ad universum inhiare. Subacto namque Pontifice, aut ad votum per vim tracto, quis potis erit ardenti ejus cupiditati resistere. Non in cassum ista tibi propono; non desunt ex nundinariis Galliæ piperariis commerciis, qui tuum Regem suspicentur Gallo, ob eas merces adstrictum, adhæsurum. est namque mercatorum, saliva Mercurialis sapidissima, suavisque cujuscunque lucri ingurgitatio. Tu ergo qui ex nostra officina literas mediocres exhausisti, quid ex studiosa veterum autorum lectione repereris, Ecclesiæ desertoribus accidisse, consobrino Regi, si videris ancipiti edicito. Ruiturum credat Regem Gallum, nisi destiterit, iturumque in præceps, si universi Christiani orbis parenti nitetur adversari. Exemplo edoceatur Rex tuus Alfonsi Portugaliæ & Joannis Castellæ Regum, quos Gregorius X. Pontifex Maximus gravi mulcta confecit. quid Rudolpho Imperatori à Martino IV. mulctato acciderit enarrato. An Petrum Regem Aragonum pœnituerit Bonifacio VIII. calces vertisse, illi ostendito. Philippus & Ladislaus Pannoniæ, quæ *Ungaria* dicitur, Reges, qui Innocentio IV. & Alexandro V. non auscultarunt, Regno dejecti sunt. Fœdericus Imperator Gregorii VIII. sensit iram, in ejus potentiam perniciem. Caveat igitur Rex tuus, ne

Gallica

Gallica illum contagio labefactet. Et vale. Burgis. VI. Calendas Februarii, MDXII.

Epist. CCCCLXXVII.

De abbatia Marmoteria & morte filii Galeatii nepotis Ludovici. de spe Gallorum prognosticon. Helvetii cives Mediolani. Dux de Nemours. de Rege Gallo & Hispano. Nota.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

NOn memini, an alias ad te scripserim, narrasse non dubito, ex Galleatio Sfortia, cujus relicti parvuli nomine Ludovicus Sfortia patruus, Ducatus Mediolani gubernaculum moderabat, filium ex Alfonsi II. Regis Neapolitani filia relictum fuisse, quoniam sub suspicione veneni excessit è vita, licet multi ex uxoris, quam ardenter amabat, incontinentia defecisse putent. valetudinarius namque ab illa minime abstinebat. Is puer hujus Galeatii filius *Ioann. Maria* nomine, à Gallis Mediolanum impetentibus, à maternis raptatus amplexibus, matre auxilium frustra cælitum implorante in Galliam deportatus est. Hunc ut spes sobolis, quæ perturbare aliquando Gallis Ducatus quiret possessionem, cœnobitam Cistertiensem coëgerunt initiari, sub honoris Abbatialis de Marmotier prætextu. Is nuper obiit. Galli se liberos esse omni suspicione amittendi ultra Ducatum arbitrantur, quia præcipue Imperator novam illis præbuerit ex privilegio investituram. Sed forte prodibit aliunde, quam minime rebuntur, vespertilio per diem experrectus aliquis, qui suo morsu petulantes eorum rescindet cogitatus; si perstiterint in ea, qua nunc aguntur pervicacia. miris namque modis ab alto Deus res versat humanas, & florentia sceptra disturbat ex abscondito. relatum quoque ad usque suburbia Mediolani, Helvetios quos ab Alpibus descendisse memoravimus, accessisse vastasseque omnia ex itinere, quacunque profecti sunt. In prædam, in stragem, in interniciem verterunt omnia. Tantus terror ex barbaro illo incursu, Mediolanenses invasit, ut colligere sarcinas ad discessum è patria multi ceperint; alii proprias munire domos validis præsidiis, de publico nil solliciti. Non enim Galli, ut populus arma caperet, passi sunt, ne in ipsos, qui sunt à natura immites & injuriosi, arma converteret. murmur ingens exortum, trepidatio gravis fervebat in urbe. Dux de Nemours imperator Gallorum, & cæteri ductores obviam instructi exeunt. Helvetii sagittis plumbatisque sclopetalibus Gallos excipiunt. stringunt ordines ex eorum regula. ad eos minime audent Galli progredi. vulnerati à longe Gallorum plures, nec Dux ipse imperator & cum eo *Mossur* eorum appellatione, de la Paliza partis exercitus ductor, immunes evaserunt. vulnerati ambo plumbatis fuerunt, à jam fessis, propterea leviter, deploratus tamen Nemours à sorore Regina nostra, quia per incertos auctores fama viguerat, peremptum. donec eam Fernandus meus tuusque accessit è Gallia. Is eam solatus est, quia vivere incolumem attulit. Ita sumpta in centumplum (de Oratore suo laqueo mulctato) vindicta contra insontes, jactura superante, tercentum millium auri dragmarum æstimationem, spoliis miserorum incolarum onusti, Helvetii redierunt, quia nostros nondum venisse Bononiam, uti Pontifex illis futurum prædixisse fertur, intellexerunt. Actum penitus erat de Gallis, si una Bononiam nostri, & Helvetii Mediolanum impetiissent. Hæc mora nostrorum, Gallis peperit salutem, quia collectis viribus, non dispersis in diversa, certare illis datum est. Helvetiis terga dantibus, Bononiam nunc Galli revertuntur, ut integri nostris adventantibus obsistant. Ita horrida videmus exoriri bella, quæ sine multo sanguine perfici nequibunt. Deus bene vertat. Vale. Burgis. pridie Calendas Februarii, MDXII.

Epist. CCCCLXXVIII.

Capitur Bastida Ferrariæ oppidum. obsidetur Bononia. quid Bentivoli. de vi Gallorum. quid Regina Franciæ. filius oritur. statim moritur.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

NOn multo post superiores literas, domo dimissas, habuimus nostrum exercitum Bononiam advenisse. cum parte peditatus Comes ille bellator insignis Petrus Navarrus ex transverso Bastidam in Padi fluminis ripa ad fluminis tutelam, ne qua vis navalis in Ferrarienses agros adscendat, structum municipium exiguum, arce valida munitum petiit, quingentorum militum præsidio tormentisque pluribus tenebatur, adoriuntur nostri locum. Inclusos hortatur Comes ad deditionem. recusant se dedere. per obsessorum tormenta suos Comes, navigiolis provincialibus traductus, ad muros applicat. Ipsemet sequitur. decem è nostris pereuntur, trajiciunt tamen. Sua locat tormenta Comes, muri parumper diruit, per ruinas partim scalis applicatis nostri adscendunt, locum vi capiunt. Præsidianos trucidant ad

unum. locum Pontificiis assignat militibus, & Bononiam ad exercitum Comes revertitur. nostræ Pontificiæque acies Bononiam sepiunt, adverso licet tempore. Venetæ non adsunt, causam ignoramus, cum & ipsi exercitui addituros suas copias pacti sint. Spe defectionis adversæ partis, à Bentivolis putamus talem sumptam fuisse provinciam, alias namque durissimam, agere sub divo, in Apennini radicibus ad Boream versis hac tempestate, molestissimum est. constans prætereа fama viget, Bentivolos, quoscunque senserunt eorum cogitatibus adversari, jugulasse. propterea spes debilior, nec adversæ partis parvulis pepercisse putantur. Deus bene vertat. ex Ducatu Mediolani scribitur, Gallos fregisse templorum fores clausas, aut vi aperuisse, cogereque Mediolanenses, ne Anathemati Pontificio pareant. Concilium vult fieri particulare, vi & armis in sacro agitur. tutaturos aliquando superos causam suam quæ nunc fluctuat, putandum est. Reginam dicunt Gallorum peperisse marem puerum, spem optatam successionis, ne infantis innocentis anima paternæ pervicaciæ pœnas lueret, illico baptizatus excessit è vita. Sunt qui ferant à Regina gravida audivisse dictum sæpius marito Regi, *ne in Pontificem arma exerceret, ne labefactaret Ecclesiam, ne dissidium foveret. Fixum animo se habere, non diu eo fœtu, quem utero gestabat, gavisuros, nisi maritus in gratiam redeat Pontificis, universi Christiani generis parentis, nil fortunati posse Christianum quenquam exspectare, qui à suo Pontifice querulo sit anathemate taxatus, qui filius à patre maledictus vivat. omnia se vereri adversa, ruinam timere longe majorem quam cogitare queat*, obortis lachrymis disseruisse ajunt. Surdas præstat illi aures maritus. Ipsa jam de filio vates fuit. Cætera ventura esse credendum est, nisi ab se Rex ille detruserit excusseritque pectoris iracundiam in Pontificem. Tu vale. Burgis. Calendas Martii, MDXII.

EPIST. CCCCLXXIX.

Amittitur Bastida. Rex Anglus Gallo infensus. quare Veneti non steterint promissis. quid Rex cum eis. Flandria. de morte repentina Comestabilis Castellæ.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

MAgnitudo rerum, quæ nostra perturbant tempora, facit, ut crebros habeamus tabellarios, licet simus undique interclusi terra. Disposuit Rex noster Barchinonæ velocia navigia, dicitis *Caravellas*, quæ vicem equorum pelago gerant. Bastidam oppidulum Ferrariæ Dux reassumpsit, bellico stratagemate. Ipse ipse cum quingentis equitibus Bastidam versus ivit. tercentum ex illis insidiis noctu locatis, cæteros ad Bastidæ muros, qui ad certamen inclusos incitarent, permisit. exeunt Pontificii. vertunt ex composito terga Ferrarienses. in insidias cadunt Pontificii, sepiuntur, trucidantur. repentino cursu adoriuntur locum, & vi capiunt, reddunt que vices easdem, ad unum peremerunt Pontificios. Rex Angliæ suasu nostri Regis soceri, in fœdus aliorum venit Confœderatorum, hac lege, ne pax cum Rege Gallo fiat, priusquam ipse Guiannæ Ducatum à Gallis anno abhinc septuagesimo usurpatum recipiat. Quadraginta mittit in Angliam Rex noster Hispana navigia, quibus Angli trajiciant ad nos. Cæsarem ferunt inducias cum Venetis feriisse, quo tutum queant promissum in fœdere exercitum mittere. eam enim nacti causam distulerunt stare promissis. Rex vero noster in Gallum se apparat, ad eam ultra Pyrenæos transmontanam provinciam, quæ ditionis est Hispanæ, cujus caput est oppidum nomine *Fonterabia*, tormenta præmittit. duodecim eo trahuntur vasa grandia tormentaria. Anglis adventantibus, conveniunt illico ex universa Hispania, quotquot stipendio vivunt regio milites, atque insuper è gregariis numerus ingens. Ex Flandria per mercatores habetur, bellicos nostrorum eventus in Geldriæ Ducem infelices procedere. Multi è nostris perimuntur à Geldrensibus. nil proficiunt. habeto aliud singulare. Attonita est universa Curia ex magni Castellæ commestabilis interitu. non quod periit, sed quoniam dolore stomachi nudius tantum tertius à die lunæ pressus hora circiter meridiana eo lunæ die perierit. Repentinus hic casus Proceres terruit. Vale. Burgis. IX. Calendas Martii, MDXII.

EPIST. CCCCLXXX.

Suspecti invicem Reges Gallus & Hispanus. Bononia tormentis quatitur. Sanseverinus Cardinalis galero privatur. Labores Hispanorum sub dio. de Strigonio Cardinali.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

EAdem hac hora, qua priorem Epistolam exaraveram, è Gallia tabellarius alter advenit. strictius res agitur. Regum jam neuter incursitare patitur nuncios incomitatos alterne. Cardinalem Sanseverinum cum Cardinei Senatus sanctione privavit galero Pontifex, quia sequeretur aliorum aberrantium instituta. Bononiam

Bononiam noster exercitus tormentis concutit. muri pars diruta. per murorum rupturam ex Hispanis quidam ingressi, repagula reperere interius structa, mœnibus ipsis munitiora. Traxere Hispani ad castra duos ex obsessis, quos inter utraque munimenta deprehenderunt, signiferum & tubicinem. Per cuniculos etiam manufactos, Petrus Navarrus pulvereis cadis immissis, murorum tentavit disjectionem. sed muri tenuitas & fossalis humor hebetans, obstiterunt. ad interna proruptus pulvis semimadidus, murum qua suppositus erat, stare passus est. Vivunt igitur nostri sub divo, & loci & temporis natura gravati. Deficit nostris indies magis habendæ Bononiæ spes. quia obsidetur ab Apennino tantum, à planitie vero liberos habet ingressus. qua Galli cum suo Duce de Nemours ad lapidem castrametantur quartum. Intus autem præsidio tenent urbem præter habitatores, Gallorum peditum tria millia, cataphractorum lanceæ quingentæ. Nostro exercitui ajunt coacta catafractorum duo millia, peditum septem decem, armaturæ levis vix mille. Recentioribus præterea copiis indies augentur obsessi. Sic agitur Bononiæ. Ferunt etiam Cardinalem Strigonium Ungarum, ad Pontificem Romam fuisse profectum, cum ornata numerosaque comitum caterva. hunc ajunt è collegio discessisse, qua die in Sanseverinum Cardinalem promulgata fuit privationis à rubro galero sententia. Tu vale. Burgis. IX. Calendas Martii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXI.

Hispani solvunt obsidionem Bononiæ. Dux de Nemurs Bononiam intrat. de infelici Brixia, qua datur in prædam. de Venetis. quid Theodorus Trivultius in Gallum ducem petulantem.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

COEno semiobruta & nivibus horrendis atque Apennini frigoribus confecta gens nostra, aquis algore deficientibus & media, & militibus in diversas valetudines cadentibus quærere tecta constituit. rei cernens difficultatem, quia præcipue per transfugam intellectum est, ingressum fuisse urbem noctu latenter Ducem de Nemurs imperatorem, cum universis, quas foris habuisse diximus copiis. hunc ajunt, necessitate cogente, per Brixiam à Venetis irruptam, belli fortunam tentaturum. Sequenti nocte in nostros id consilii capere fuisse coactum. Dum namque implicitos cum nostris Gallos Veneti cernerent, Brixiam imparatam adoriri cœperant. Nostris igitur obsidionem Bononiæ relinquentibus, qui se in tuto, integro exercitu, & facta prius hostibus pugnandi copia, receperant in oppidum à Bononia millia circiter duodecim, *Sancti Petri* nomine, Dux ipse Nemurs, præsidio relicta cuidam Gallo duci Monsieur de Lautrech, cum reliquo exercitu longis itineribus Brixiam petiit. Arces adhuc ejus urbis à Gallis servabantur. Per colles igitur arcibus munitos qua patet in urbem via, descendunt Galli; Venetorum militum & civium promiscue facta cædes. Urbs datur in prædam. Væ miseræ insonti! nec superstitibus, qua tegantur vestis ulla, non quo procumbant relictus lectus. Solitam exercuerunt in victos crudelem sævitiam. His actis, Bononiam reversus est. Res hæc Venetis alas abscindit in immensum particulare Venetorum commodum, & suas & fœderatorum vires labefactavit. Si namque suum nostro conjunxissent exercitui, actum ad vota fuisset. Sic nunc statur. Mediolani rabidis vivitur in Gallos animis; tum ob Brixiæ vicinæ immanitatem & vim illatam de conciliabulariis, tum ob eorum Ambitionem & Superbiam insolentem. cuidam Gallo ductori, conspuendo appellanti *Proditores* universos *Italos*, cum de crudelitate in Brixianos plerique conquererentur, Theodorus Trivultius magni Trivultii ex fratre nepos, respondit obloquenti: *Vestra temeritas, Galli, vestrum nihili pendere omne genus hominum, trahit ut nemo queat vestrum non modo jugum ferre, sed neque familiaritatem aut amicitiam vestram servare.* Theodorum ajunt sui memorem, superbe mendacii arguentem Gallum, pugione impetiisse, peremerit necne, adhuc latet. Galli viderint, quos puto nostra ætate transilituros Alpes, non placido passu, licet illis favere impræsentiarum fortuna videatur. Quia præsertim nudiusquartus, publico in illos præconio Rex noster arma capi jusserit, licet Gallum nomen taceatur. Sonat enim edictum arma capienda in Pontificis & Ecclesiæ irritatores, & bona usurpantes. Tu vale. Burgis. IV. Idus Martii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXII.

Discedunt Mauri Tremesemii. Veniunt oratores ex Alger. Eunt se paratum Dux & Cardinalis. De monstro Ravennæ.

P. M. A. M. Suo Fagiardo.

MAuri Tremesemii, compositis cum Rege suis rebus, regressi sunt in Aphricam. Ex urbe alia littorali, quæ dicitur *Alger*, à Bugia parum distanti, nuper venerunt

runt Oratores; suopte studio sese nostro Regi dedidit. veritam clades finitimorum arbitramur. Cardinalis noster Hispanus crepidatus Toletanus Archiantistes, & Dux Albensis ituro in Gallos exercitui creatus imperator, rem familiarem compositurі, suas domos profecti sunt, ut parati redeant actis Dominicæ Resurrectionis solemnibus. Ex Italia monstri allatum depictum simulachrum Ravennæ ortum, ex conjugata. Hominis est figura, sed capite, vultuque planissimo, torve leonem æmulans, facie capillisque à leoninis non dissimilibus. erectum habet in fronte cornu, sed carneum. sinistram, Luna & litera Ypsilon, monstratur habere mammillam signatam: dextram vero T. litera, pectus litera B. Crux habet dextrum virile, lene sinistrum squamosum. Dextro genu videtur habere oculum, pedes efferos, ut gryphis confingunt pictores. Hæc de Monstro, cujus imaginem ab Urbe allatam vidimus, sit necne monstrum ipsum ita genitum, nil curo. fictum putant aliqui. A Pontifice ajunt novum cogi exercitum, quia Gallos intelligat suum duplicato augere. Fertur ex Gallia, septem urbes, singulas construere naves ingentes, quibus classes nostras putant posse impetere. Terra vero inquiunt, ad jam paratum exercitum, quem agunt in Italiam, numerosiores peditum præcipue Germanorum & Vasconum missuros copias. Ita horrendus insurgit bellorum fremitus. Stare loco nesciunt Galli. Eadem qua venerit hora supra dictus grex militum, certamen quæritabunt. ad nostros proficiscentur. Recusare pugnam nec nolent, nec poterunt nostri, licet numero pauciores, qui obsidione Bononiæ soluta, in hyberna, per varia Bononiensis ditionis & Flaminiæ loca profecti sunt. Sine strepenti pluviarum lapsu, sineque acerrimis grandinibus dissolvi nequeunt hæc nubilosa tonitrua. Deus bene vertat. Vale. Burgis. XIII. Calendas Aprilis, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXIII.

Ravennæ clades.

P. M. A. M. Suo Marchioni Bellecensi.

Nubila descripsi gravibus prægnantia nimbis.

QUid pepererint, accipito. Galli post militum, quos operiebantur adventum, fere triplicato, Pontificios & Hispanos superabant. Hispani atque Itali duces Catholici Regis stipendia merentes, certamen pro viribus vitabant, quia per prætoriæ cohortis præfectum, per dispositos equos ad id missum, nomine *Valdesium*, à Rege in mandatis habuerant, ne ullo pacto cum Gallis conserent manus, sed rem protrahendo & cunctando, fame illos absumerent, ne rem tutam in discrimine locarent, moniti fuerant. Galli esurie pressi, & triplicata fere militum copia freti, atque recenti strage Brixiensi elati, trahere in apertum Pontificios & Hispanos nitebantur. Nostrorum vestigia vagi per hostium terras, Pontificias dico, sequebantur. Propterea magis ac magis indies commeatus illis deficiebant. Nostrorum autem aperta erant omnia, quia pro Pontifice res gerebatur. Mora Hispanis erat salubris, Gallis autem perniciosa. Necessitas igitur Gallos coëgit, remedium quærere, ne fame perirent. De obsidenda Ravenna urbe, quondam ab urbe Roma primaria cogitarunt. Senserant enim inclusa ibi esse ad nostrum exercitum alendum magna commeatuum horrea. In sacris diebus sacras statuunt exordiri operationes. In Cæna Domini, quæ fuit hoc anno Iduum Aprilis sexta, sese applicant ad muros. ea nocte, sequentive toto Parasceves die, infelicis & insontis Ravennæ, mœnia quatiunt. Præsidio Ravennam, & impositos commeatus tenebant Marcus Antonius Columna Romanus & Don Petrus de Castro Hispanus, equites, ambo rei bellicæ periti, cum singulis equitum centuriis, & cum duorum millium peditum turma Ludovicus Dentecus Neapolitanus nobilis. Per nocturnas excubias nuncios hi demittunt de mœnibus, qui Ramonum à Cardona Proregem, & reliquos duces faciant de periculo certiores, moneantque, se propediem ad manus hostium venturos, ni propere succurrant. Sabbato, Resurrectionis Dominicæ profesto, re intellecta, noster adventat exercitus, ad milliaria duo à Ravenna castrametantur duces, & de loco propius capiendo consilium ineunt. Suffragiis multorum, Italorum præcipue, præoccupandum esse censent collem quendam in Ravennæ prospectu atque ibi insidendum in summam hostium molestiam. Sed ut inevitabilia sunt Dei judicia, subdereque oportet colla statutis cœlestibus, ajunt Comitem illum Petrum Navarrum trophæis bellicis ornatissimum, ducibus equitum, & ipsi Imperatori de loco ea nocte mutando, annuere minime voluisse. fieri aliter haudquaquam potuit, quod esset Comes ipse in univers. peditat. præfectus, in quo non minor victoriæ spes sita, quam in equitibus erat. Inter utrosque jacet vasta planities, quæ *Ravennæ Classis* dicitur, ad cujus latus exstat Sylva Stabina; abluunt planitiem Roncus & Sabius duo exigui ac vadosi fluvii. Sunt

Sunt & fossæ manu factæ, quæ superfluas pluviarum tempore inducant aquas ad fluvios, ne sata subruant. Galli priores, fluvios & fossas transiliunt. locum occupant ab Hispanis atque Italis ducibus, qui equitum ducebant ordines, delectum. Hinc Hispanorum cladis. Hinc illustrium Italorum internicies. Hinc sublata victoria, quam licet numero impares, in manu tamen se habere arbitrabantur. Prima luce diei Resurrectionis Domini, sunt in prospectu acies. fugere quin concurrant, non datur ultr . Regis Catholici mandatum sternitur. Loci commoditas dedit Gallis, ut machinas omnes & tormenta bellica, quibus pugnæ tempore utuntur, ad votum sisterent. Hispanis contra non licuit sua commode in Gallos figere. Ab alto namque Hispanus ad imum, ex imo Gallus leniter in altum ad Hispanas equitum acies suos plumbeos aut ferreos globos jaculabatur. Proh miseros! Stetere diu immobiles, contra tormentorum vim Gallicorum. Heu infelices! majori ex parte omnis equitatus discerptus est. Quia in aciem Hispanam tormentum aliquod ruebat, quotquot equites habebat obvios, dimembrabat, caput illi, huic humeros, alii corporis dimidium in frusta raptabat. Jacebat interea solo stratus cum universo peditatu Comes ipse Navarrus qui præerat, donec tormentis jam excussis Galli de more suo manum consererent. Gallorum namque consuetudinem callebat. Ruunt Galli. horrendus clamor exoritur, aër finditur. hastis concurrunt pedites. cædes fit immanis. Aufugit interea Ramonus Prorex. fugiunt eo discedente, qui supererant, paucis exceptis, equites. Peditatus pugnæ intentus deseritur. Gallicum fere totum peditatum trucidant Hispani. Stratagemate usus est inaudito hactenus in ea pugna Navarrus Comes, dum longis hastis ab altis humeris certarent utrimque, delectos jubet quosdam pedites, rei bellicæ peritiores, solo sub longarum hastarum umbra incurvari, curtis ensibus Hispanis accinctos, qui, uti ex insidiis, certantibus Gallorum militibus cura ferirent. Cadebant inscii qua malum veniret. conducti Germani cadebant & Vascones. Ad quindecim millia peditum ajunt fuisse ab Hispanis interfecta. Gallus eques vacua videns omnia, Hispanis equitibus, fugientes insequitur prædæ studio. Pedes noster Gallorum occupat castra, in tormentorum vasa quidam insiliunt & suæ patriæ symbolum multiplicato promunt elatis clamoribus. Pauci pedites Hispani ad hanc usque horam interierant, sed quum se à tergo viderent desertos, ab equitibus circumsepiuntur, premuntur undique. Strenue sese, quoad fieri potuit, tuentur, nec sese dedunt Gallis hortantibus, ne malint ad unum trucidari, & stant immobiles & mori magis se velle dicunt quam vinci. Circumit globum Hispanorum desertum tanquam leo rabidus Gallorum Imperator *Monsieur de Foix* & Dux de Nemours Reginæ nostræ *Germana* frater. Juvenis annos natus nondum quatuor & viginti, & magnanimi ducis & strenue militis officio fungitur, delectam nobilium manum jurejurando adstringit, ut aut mortem petant, aut cum eo globum nostrorum disturbent ac trucident. *Ruite in hos paucos hostes, ô milites ruite. quid moramini? Proh pudor! sine spe auxilii, sine ullo præsidio semimortuos veremini.* His dictis sese nobiliumque manum juvenum totius Galliæ florem conjicit præcipitem, in mediam, dicam, phalangem Hispanorum. trucidatur ipse, & quicunque illum sequebantur, quibus comitibus cuncta concutiebat, perimantur. delapsus in agmen infelix juvenis, proclamasse dicitur alta voce: *Ne me perimite, ô Hispani, ne trucidate. Vestra Reginæ frater sum. Si me servaveritis, vestro Regi gratum erit, qui me diligit uti filium.* Nil inter pedites supplicatio profuit. Mille fuit vulneribus confossus, & viridem adhuc animam magna parantem exhalavit. nocte namque superiore, inter juveniles jocos, publice fertur, cum talos è manu dimitti pararet in tabula, dixisse: *Vel pro Neapoli senio, vel pro Mediolano camcula*, vulgo, *vel octodecim pro Neapoli, vel hazarum pro Mediolano*, & inde parabolam dicitur adstantibus ipsum fuisse commentatum, hoc est: Luce crastina vel stratis Hispanis Neapolim proficiscemur, vel profligatis Gallis Mediolanum amittemus ex sorte octo millibus Hispanorum peditum, paulo namque plures fuisse fama est. pro tantis agmine composito vexillis quinque millia evasisse feruntur. quia imperatori nobilibusque & majore ducum parte peremptis, qui superfuerant, minime ausi sunt illos insequi. Ramonus à Cardona Prorex nuspiam ad eam usque horam, qua tabellarius hic iter ad nos cepit, reperitur. *Dominam Cardonam* solet nostrum Proregem Julius Summus Pontifex appellare, quod magis elegans & perpolitus quam egregius imperator sit. Hac una in re Catholicus Rex, omnium judicio elegit adverse. Bonus quidem semper fuit & placidis moribus imbutus, comisque inter aulicos elegantes, sed minime durus, aut exercitatus in re bellica. Putant aliqui nec de grege quidem familiarium, Regis filium esse, propterea voluisse tantos illi honores tribuere. Cæsos fuisse ajunt aut captos, ex Italis & Hispanis ducibus, quos vertere terga pudor prohibuit,

hibuit, plerosque paucos tamen ex Italis. Cardinalem de Medicis legatum & Fabricium Columnam gubernatorem exercitus, Marchiones autem Pescaræ, Padulæ, Telæ, Bitonti Comitem populi; in eo conflictu captos ferunt. Don Joann. à Cardona fortissime se gessit, rebus tamen penitus confractis sese dedidit. Raphaël etiam Pacis, Don Fernandus Davalos Aquinas, Don Joann. de Acuna Prior Messinas Siculorum dux militum. Alvaradus & Pomarus Hispani peditum præstites egregii, Don *Hieronymus Llores* Laletanus, plærique etiam alii non obscuri Centuriones, partim fortiter dimicando peremptii partim capti. Ex Gallis trucidati sunt primarius ipse imperator Dux de Nemours & Foix *Mussures*, Alagrus cum filio, Grota, Chiatilenus, Clæta, Gramons, Molart, Bouët, Mongiron, Baldesarleo, plærique etiam alii, quorum nomina me latent, ad numerum usque octo & viginti, militum ductores è nobilibus: gradus inferioris, ad numerum usque ducentorum; è Germanis vero ducibus trucidati sunt quatuor, quia nec plures erant cum Germanis quater mille, Jacobus & Philippus fratres unanimes, Gaspar tertius, quartus Fabricius, Germaniæ futuri maximo luctui, juvenes forma conspicui, honesta familia orti & bello strenui. Franciscus Maria Dux Urbini, Summi Pontificis ex fratre nepos, Præfectus Urbis, Senogaliæ Dominus, Pontificii Prætor exercitus minime fuit peremptus aut captus à Gallis, sed sibi militibusque creditis callide consuluit. quo namque tempore conseruere manus ambo exercitus, in tutum se recepit, ut ex monticulo, quæ fierent, inspiceret. Galli ex campo fugatis Italis & Hispanis Ravennam denuo quatiunt. Auxilii spe sublata præsidiarii paciscuntur, ut eis liceat protentis vexillis & acie composita discedere, neve quid mali Ravennates innocentes patiantur. Ingreditur Gallus. omnia eunt in prædam. nemini parcitur. Eam perpessi sunt crudelem calamitatem miseri Ravennates, quam paucis ante diebus Brixienses. His actis, victores Galli diffident. Progrediendum esse Sanseverinus Cardinalis conciliabularius, Pontificis aversus, & quidam alii proclamant. Satis actum, satisque sanguinis exhaustum, suffragantur alii. Romam eundum, deinde Neapolim Sanseverinus Catholici Regis inimicus, quia factionis Angiovinæ in Regno, vociferat, circumcursitat, è duce in ducem, ut provinciam præturæ capiat, è ducibus superstitibus aliquis, rabide negotiatur, Ferrariæ Ducem adit, Leutrecum mille vulneribus in faciem læsum stimulat. ejus rogatus abjiciunt omnes. Palizam virum rei bellicæ peritum consulit, quid facto sit opus. *captandam esse amplexandamque oblatam occasionem dominatus universæ Italiæ* proponebat. Hinc Paliza cæteris Gallis ducibus exercitatior, qui & freno indigere prætorem ipsum de Nemours ajebat, respondit, Sanseverinum redarguens à crudelitate ac petulantia. *Parcendum esse superstitibus fessis, vulneratis & semimortuis, servandum esse quod partum erat, finem imponendum crudelitati, sat sanguinis sparsum esse utrimque* dicebat. *Insolentiam sæpe victoribus peperisse perniciem. Helvetios esse Pontifici fœderatos, qui Ducatui Mediolani finitimi sunt, & nobis infensi; posse illos à tergo nos impetere, Ducatuque spoliare, si longius profectos esse senserint, atque dehinc nos intercipere.* Vicit Palizæ pietas, sepeliendis mortuis & sauciis curandis invigilant. Hæc allata sunt, hæc habeto. Et vale. Burgis. IX. Calendas Maii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXIV.

Gallia plena luctu. De crudelitate rusticorum. Turbatur Papa. De Hieronymo vico. Quid Veneto. quid Gallis oratoribus.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

QUalis & quam varia, quam luctuosa utrimque fuerit Ravennæ pugna, urbisque ipsius quam miseranda strages superioribus diebus ad te scripsi. Quæ nunc afferantur, accipito. Galli superstites, Mediolanum regressi, mœsti vivunt ob affinium, propinquorum & amicorum internitiem, universa est plena luctu Gallia. Ramonus Prorex è fuga nunquam retrospexisse dicitur, donec Anchonem venit. Ibi adhuc attonitus, & stridore sclopisque tormentorum hostilium tremens se parat ad Regnum militibus desertum iturum, reliquias superstites non exspectat. Ex Urbe scribitur, peditum certamine durante, Caravaialum Dominum oppidi Xodar Vandalum, è præfectis equitum sat strenuum, & bello utilem hactenus, vi tormentorum perterritum, pugnam deseruisse, & volitando Romam appulsum, tanquam leporem canibus insequentibus. timebat etiam rusticorum sævitiam, propterea die noctuque celeri cursu curabat evadere. Solent boni habitatores ejus terræ, spoliorum causa, in victos crudeliter vim exercere. nemini parcunt afflicto, profligato præcipue. Pontifici retulit Carvaialus, ad unum interiisse nostros, seque vix evasisse, ut suæ Beatitudini rem significaret, quo sibi suisque rebus consulere quiret, affore

affore propediem Gallos victores. Turbavit hæc prima delatio magnum Pontificis animum. Sed audita Gallorum internicie, quæ nostrorum jacturam triplo superabat, resumpsit spiritum. auditu pudendum est de Hieronymo Vico Regis Oratore, viro Valentino; nullam scribitur fœminam enervatius unquam timuisse mortem. Ad primos famæ afflatus, in naviculas præcipitanter detrudi jussit, quicquid possidebat, inscius, quo tendere vellet, Neapolim dicebat, motus ejus formidine fractus, quia Regis Catholici auctoritatem referebat, totam urbem concussit: Senatus Venetus illico, Gallorum victoria intellecta, veritus, ne in eos furor Gallicus ruat, perterrefactus est, suppetias superstitibus Hispanis, pecuniarum summam misit, obtulitque vires suas in eorum auxilium. Gallis oratoribus pacem petentibus respondit Pontifex: *Christo illatam fuisse injuriam, non sibi, Christum compellent, non defuturum Ecclesiæ suæ Christum se sperare, seque pacem nolle cum Christi hostibus*, inquit, *nisi prius ad Christum revertantur, Bononia, reliquis etiam Ecclesiæ urbibus & oppidis restitutis.* Hæc scribuntur, hæc habeto. Vale. Burgis. pridie Calend. Maii, MDXII.

EPIST. CCCCLXXXV.

Octodecim oratores. Oratorum oratio ad Regem Gallum. Exprobratio cruda. Quid respondeat Rex Gallus. Rationes, quare abstulerit Helvetiis stipendia. Repetitio Oratorum. Minantur Regi Gallo. Varia consilia de corrigendo. Quare faveat Conciliabulariis. Responsum Regis. Orator Florentinus.

P.M.A.M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

TAbellarium habemus Villarasa ab Hieronymo Cabanilla, Valentino equite, nostri Regis in Gallia Oratore. Ad Gallum Regem Christianissimum venisse ab Helvetiis ait Oratores octodecim cum tabellione ac mandatis hujuscemodi: *Rex Christianissime, solebant tui majores, tuque illorum vestigia imitando, annua Francorum octodecim millium Helvetiis præbere stipendia, quibus ipsi ad sterilitatis patriæ levamen partim utebantur, partim viduis orfanisque, quorum genitores & mariti pugnando vestro nomine obierant, pro qualitate personarum succurrebatur. Tu nobis ea stipendia abstulisti. A te omnis Helvetia per nos percunctatur, quid causa insit, cur parto tibi pacatoque* nostro sanguine *Ducatu Mediolani, duplicataque Tibi fere*, cum Helvetiorum fortitudine, *tua potentia, de pane isto exiguo illis tollendo cogitaveris.* Helvetiorum mandatis expositis, causas innexuit confictas, veras cooperiens, de occupata Bilinzona & plerisque locis aliis, ab Helvetiis in eorum finibus, sitis, in pignus septuaginta millium ducatorum ipsis promissorum, in venditi Ludovici Ducis Mediolani precium apud Novariam, tacuit. *Exhaustum esse Gallicæ coronæ ærarium, ob continuas bellorum impensas, propterea nequire se impræsentiarum eas Helvetiis præbere pecunias.* His auditis, è cubiculo exeundi, consultum, quid respondere conveniet, veniam petunt. Facto cuneo in aulæ amplioris angulo, à deambulantibus aulicis semoti, summisso inter se susurro deliberant. Tabellioni respondendi cura demandatur, regressi ad Regem sunt. Ad oratores tabellio dexteram vertens, his paucis Regem compellat: *Hi Oratores Helvetiorum Reip. nomine respondent: Solere Deum sæpenumero quos premere cogitat, in altum tollere, ut postmodum quo gravior sit casus ad eorum superbiam, quæ in conspectu Dei fætet, infringendam, ab humilibus & abjectis inde dejiciantur. Vale ut valere cupis Helvetios.* His dictis terga vertunt, *se Gallis perniciem parituros*, insinuantes ea parabola. Fuere ex auditoribus, qui verberandos esse censerent ob tam insolens responsum, temeritatem inauditam appellantes. Vetuit Rex: *Oratoribus licere*, inquit, *mandata cuique Principi referre.* Hæc de Helvetiis. Scribit idem Orator noster, se conquestum fuisse apud Regem Gallum, quod Conciliabulariis faveat contra Pontificem. Subridendo inquit, Regem respondisse, *Larvam esse ac jocosam declamationem illorum consilia. Se tantum ista fovere, ut Pontificis animum aversum attrahat.* A nobis hoc accipe. Oratorem habemus novum à Rep. Florentina *Franciscum Guizardinum* nomine, honesto loco natum, eruditum. Ab eo rerum, quæ in Italia gerentur, verum eliciemus. Sum illi familiaris. Vale. Burgis. IV. nonas Maii, MDXII.

EPIST. CCCCLXXXVI.

Veneti nobis amici. De Sedunensi trahente Helvetios. Quis fuerit Sedunensis. Britanni classem Gallicam prehendunt. Quid sit Scotia. De Britannia prærogativis. De Turcarum apparatu. Papa hortatur ad unionem. Orator Anglus petitur. De Gallorum impatientia. Magnus Capitaneus ad Italiam.

P.M.A.M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

AB Urbe scribitur, quinque millia peditum & gravis armaturæ lanceas octingentas esse coactas ex reliquiis exercitus è pugna Ravennate. Senatus Venetus sese ostendit

nostris amicum & suppetias offert nostris in Gallos. Sedunensis Cardinalis Helvetiorum primas, Helvetios mittitur in Gallos provocare. Is Sedunensis fuit à juventute Cæsaris Capellanus, vivax homo & Gallorum hostis. ejus opera Cæsar magnis in rebus usus est. quicquid creditum illi fuit, bene gessit. propterea paulatim ad id culmen evectus est. E finibus Gallorum à præsidiariis nostris habemus, Britannos arma jam in Gallos movisse. quinque navium classiculam in Calidoniam, dico Scotiam, Rex Gallus cum pecuniis ad stipendia Scoti præbenda mittebat. Bellorum namque temporibus conducere Scotos Galli solent, sed votum interceperunt Britanni. Classiculam adorti Britanni, partim tormentorum vi submerserunt, partim ceperunt, evasisse nullam dicitur. Sororii sunt Scotus & Anglus Reges. Anglici Regis sororem habet Scotus uxorem, sunt tamen à majoribus diversi animis, & suos quisque fines validis tuetur præsidiis, nec magno tractu disterminantur ambo. Regna sunt contigua, angustique tantum rivi fluxu disterminantur. Sed est Scotia septentrionalior & horridis montibus fulta: Anglia vero meridionalior, & planitie uberi gaudens, frugibus & pecore atque metallis abundans. Turcarum Principem ajunt mari ac terris exercitum parare. Qua sit directurus, nescitur. Summus Pontifex per breves membranas, more suo, non desinit Christianos Principes hortari & monere, ut conveniant animis, ne discordes reperiantur, si qua vis infidelium ingruerit, sed à Gallo Rege præcipue petit, ut res Ecclesiæ restituat, quo possint omnes una coire ad vim hostium, si vim tentaverint, repellendam. Ab Anglico Rege nostri Regis genero habemus Oratorem postulatum alias à nostro Rege nomine Jo. Astil sui Regis Manuxerium Ceremoniarum magistrum. Conventuros socerum & generum in Gallos putamus. A nobis hæc habeto. Regina Germana missa est Monzonum à viro Rege, conventus illuc vocatura, Valentinum, Aragonum & Laletanum pecunias petitum ad Gallorum furorem reprimendum, si qua bellum tentaverit in fœderatos. longo namque probatum est experimento, Gallos stare loco nescire, & pacis inimicos, neque stragibus aut contumeliis deterrentur unquam, aut pedem sistunt ab infestandis finitimis. Galli se tumultibus & seditionibus fatentur gaudere, sed magnanimitatis esse ajunt ipsi. Qui vero cum eis negociantur, & notos habere putant, ambitioni adscribunt & avaritiæ. Aliud accipito, quod Epistolam claudat. Magnus noster Gonsalus Fernandus, Gallorum strator est monitus à Rege, ut se apparet ad res Italas denuo capessendas. universa appetit illum Italia. crastinum citavit ad responsum. noctem egit in Sancti Francisci cœnobio insomnem. Postero die expletis omnibus sacris & expiatus sacra Eucharistia, ad Regem reversus sese obtulit Regi. Propediem discedet. Tremunt Galli audito ejus nomine. Vale. Burgis. XII. Calend. Junii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXVII.

De Concilio Lateranensi. Oratio in Concilio per Ægidium Card. Orationibus, non armis agendum. *Qui Reges deleti ob inobservantiam. Turcus fugat patrem. Fratres delet omnes. Nomen Turci Seccanii. Minatur Christianis. Desideratur Magnus. Discessit Magnus. Magni Laudes. Infames qui manserint.*

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

DIes agitur ab adventu tabellarii undecimus ex Urbe. Non licuit prius per nuncios quæ referat significare. Quarta nonarum Maii Lateranensi Concilio edicto per Julium summum Pontificem, initium dedit. Ea prima sessione, pulpitariam habuit orationem frater Ægidius Augustinianæ institutionis generalis, vir eloquens & eruditus. Orationis ejus series bipartito acta est. Laudato Synodorum conventu, *debere Pontifices orationibus, non armis agere res suas* argumentatus est. Dehinc quo Regem Gallum ab inceptis deterreret, multorum Principum, Regum & Imperatorum è Regnis dejectorum exempla promulgavit. Federicum à Gregorio VIII. & ab Innocentio IV. Rodulsum Imperatores, ob inobservantiam erga Pontifices fuisse dejectos ab Imperio dixit. Joannem Castellæ atque Alfonsum Portugalliæ Reges à Gregorio X. & Martino IV. Petrum Aragonum, à Bonifacio VIII. Philippum & ab Alexandro V. Ladislaum Pannoniarum Reges fuisse depulsos enumeravit. Per tabellarium eundem scribitur, unum è filiis magni Turcarum Principis, qui apud socerum Tartarum, ut vulgo loquar, Regem, vitam egerat, armata manu Constantinopolim fuisse profectum, & patrem decrepitum è Regno fugasse, fratremque natu majorem ac propinquos omnes ejecisse cum Janicerorum favore. Hi sunt equites levis armaturæ, quia magnanimum esse senserunt. *Selimsachus* appellatur, Christianæ legis inimicus. Nec dum bene fixus in Imperio est, & jam bella Christianis se illaturum minatur. Quid futurum sit pacatis tot Asiæ atque

atque Europæ regnis, tu judicato. Ad nos veniamus. A Pontifice ac Senatu Veneto & reliquis Italiæ Principibus, faucibus apertis desideratur magnus noster *Gonsalus Fernandus*. à Rege Catholico jam dimissus est. heri ad vesperam quinto Calendas Junii, die signato Veneri, cepit iter. Universa illum nobilitas intendit sequi. nil horridum, nil durum sibi quisquam veretur sub tali duce. Generosis juvenibus Hispaniam spoliavit. Mira est hujus viri apud omnes autoritas. Se infamem victurum & ludibrium populi futurum intelligit, qui permanserit. E sanguine quoque regio Villæ Fermosæ Dux Regis ex fratre nepos sub eo militaturus se parat; ei pariturus ut Regi patruo. Vale. Burgis. IV. Calend. Junii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXVIII.

Classis Anglica 90. navium. Lipuzca quondam Bardulia. Nobiles Anglici & Regis affines insunt. Pacta de divisione Galliæ. Quid cum Rege Navarra agatur. Inter flammam & prunas hic Rex. Quis orator pro suo Rege. Dux Albæ Prætor. Quo tendat Dux Albæ. Galli fugiunt Mediolanum. Helvetii discedunt contra Gallos.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

QUinto Idus Junii, die à Mercurio denominato, perlatum est Regis Britanni classem navium nonaginta cum pugnatorum octo millibus Britannis omnibus appulsam esse in Hispaniam Bermeum portum vi ventorum appulsam, cum Passagii portum maluissent, qui ad res gerendas & commeatus suscipiendos commodior est & hostibus vicinior. In Cantabriæ Pyrenæorumque montium regione, quæ *Lipuzca* dicitur, à majoribus *Bardulia* nuncupata, portus hi jacent, centum ajunt primarios præstantia corporum & elegantia pollentes juvenes qui militibus præsint sub generali duce Marchione de Orset, Regis propinquos trajecisse: duos etiam Regi conjunctos sanguine, pecuniis & commeatibus bene fulta classis advenit. Sunt qui dicant, nostris etiam militibus præbenda esse stipendia Britannica, quoniam pacti sunt socer & gener, Burdegaliam, Britannici quondam juris, ad priscam Britanniæ ditionem redituram, si res procederet ad votum. cum Rege Navarræ agitur, est in Cantabris hoc Regnum, ut arces quæ sunt in Pyrenæis mediæ, in potestate nostri Regis deponat, quo tuto queat noster exercitus cum Anglico convenire ac tuto traducere commeatus & impedimenta. Male fidendum est huic Regi, quia Gallus est, Domini de Nebrito filius, & dotale est illi Regnum, non hæreditarium. Nescit qua se vertat. Inter Scyllam laborat & Charybdim. Si Regi nostro adhæret, hostem sibi parat Regem Gallum; sub cujus ditione natus est, & paternos habet reditus pinguiores. Si vero verso Regi Gallo, locat in discrimine Regnum, quod est in Hispania citra Pyrenæos. negociatur apud nostrum Regem primarius eques Navarræ Mareschallus factionis Agramontesiæ primas, quæ factio Regem suum sequitur, Viamontesiæ adversa, cujus caput est Lerini Comes & ipsius Regni comestabilis. Federicus à Toledo Dux Albæ, Regis, uti nosti, amitinus, præfectus exercitus designatus, jam discessit, Julii Calendas decima octava circiter meridiem. Ad Salvaterram Alabense oppidum proficiscitur, ut inde, velut è specula, eligat, qua tandem conveniat. Ex magna urbe Mediolano, per dispositos equos, venit familiaris quidam Cardinalis Medices Florentini, qui captus fuerat legatus Pontificis, in Ravennæ pugna. Sui heri nomine attulit, Gallos universam deseruisse Romandiolam, aufugisseque Mediolanum, nec illic sedatis vivere animis. fere nulla reliquerunt Bononiæ præsidia, quia senserunt ex Alpibus magnos descendere cuneos Helvetiorum, inclamitando ex agro Veronensi: *Cæsar*, *Cæsar*, *Maurus*, *Maurus*. Hoc est Ludovici Sfortiæ Ducis quondam symbolum. *depereat Gallus, quisquis Italiam tenet*. Quæ hinc evenient, habebis. Vale. Burgis. XI. Calend. Julii, M D XII.

EPIST. CCCCLXXXIX.

Galli turbati in Italia cogitant eam deserere. Conciliabularii aufugerunt. de vita & moribus Beata oppidi de Piedrahita.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

SUperioribus ad te diebus scripsi, incerta fama relatum esse, Gallos in Italia post Ravennatem victoriam ita quassatos esse, ut perturbati vivant. per extraordinarias cujusdam Barchinonensis juvenis epistolas, qui Taurini ad radices Alpium in Italia bonis artibus operam dat, scriptas ad genitorem, in ea urbe virum primarium, hæc referuntur. Scis namque terra marique nobis iter à Gallis interclusum; propterea cursoribus non est via. Gallos, inquit epistola, in fugam positos, Mediolanum & confinia deserere. Genuam versos cum præda & captivis iter multi capiebant. Sed intercepti à Mantuæ Marchione, diverterunt ad Hastense oppidum,

ibique esse valde trepidos, & magis de transitu Alpium in Gallias quam de reditu cogitantes. Id ait, & ex pallore ipsorum, & susurris tristibus ac demissa facie colligi. Scribit idem, Cardinales conciliabularios pedibus sibi consuluisse, ut cæteros, nuspiam, ait, neque Taurini fuisse susceptos hospitio, sed trepidando hostem & ipsos aufugisse. Ex Gallia fertur, Regem Gallorum audito Britannicæ classis adventu in Hispaniam, quadringentas catafractorum lanceas revocasse in Burdegaliam. Ex mercatoris literis fertur, in Regno Neapolitano paratas esse nostrorum militum non negligendas copias, peditum puta millia septem, catafractorum lanceas octingentas, ut se conjungant Helvetiis. Britanni castra mutarunt in Gallos fines, nostros exspectant. Conserere manum cupiunt & Bajonam impetere. Sed duram puto fore provinciam, periculosamque, & turritis mœnibus, & validis virorum fortium præsidiis; fertur esse inexpugnabile oppidum, ut frontem hostilem decet. A Marte parumper ad religionem transeamus. Audisti unquam de muliercula quadam in oppido de Piedrahita nutrita, minimo contenta cibo. ad Curiam deducta est. & Rex & Cardinalis Hispaniarum primas, una & reliqui Proceres eam viserunt. multitudo ingens ad eam confluit. *Beatam* appellant. rapitur in exstasin. rigent illi membra, ut arboreos truncos esse, lacertos ejus & crura esse putes digitosque, sine nervis & sine articulis, sine ullo colore viventis, exporrecta, fanatico spiritu, ut de Sibyllis legitur, se ostendit afflatam. Christum alloquitur uti præsentem & sibi comitem, ac sponsum; Deiparam interdum compellat virginem; si qua per angustum ostium sit transeundum, Deiparam invitat in transitu, & confingit, *Virginem tanquam filii sui sponsam, velle ipsam cogere, ut prior transeat.* ait Beaticula tunc, audientibus cunctis: *Ego Christi sponsa esse nequirem, nisi tu Maria virgo illum mihi peperisses. hinc te præcedere decet.* His & hujuscemodi colloquiis (fere dixi, nugis) totam tenet Curiam attonitam. dehinc familiariter Christum alloquitur, & uti sponsa cum Christo versari videtur, nihil videntibus his qui admittuntur. A Cardinale hæreseos majore inquisitore, ac reliquis ad id ministerium cum eo addictis, ad examen adstricta. quæ gerat, probare videntur; quandoquidem impune dimissa est. E sancti Dominici fratribus, cujus ipsa institutionem atque habitum profitetur, multi rem increpant; & alii Beaticulam sectantur, & sanctitatem ejus extollunt ad sidera. dissident acriter. Tollendam esse de medio superstitionem hanc, proclamant hi; fovendam esse illius sanctimoniam, vociferant illi. à dæmone deceptam, ajunt aliqui; ab Angelis & Christo visitatam argumentantur alii. Ex ea discordia populo risum concitant. Regis & Cardinalis auctoritas, qui puellæ mores scrutati sunt, nec damnarunt, facit, ut ei sectatores non desint, credantque divino plenam spiritu. Jam satis evagatur super beaticula puella. Tu vale. Burgis. v. Calendas Julii, MDXII.

EPIST. CCCCXC.

Gallorum fuga & strages. Tenent arces. Genua Lanternam quatit. jugum est. Aufugiunt & cives Mediolanenses ob insanam pestem factionum. damna patriæ ob factionarios. Deploranda depopulatio. de Navarra negotiatione.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

DEfuere nobis hactenus tabellarii, mari & terris à Gallis intercepti. Nunc ingentem paucorum dierum spacio perduxerunt venti, pelago vectam tabellariorum catervam. Ex Urbe pridie nonarum Julii unum dedit, ex Neapoli alterum IV. nonarum ejusdem. ex Genua tertium, Iduum septima ipsius Julii. Superiora repetunt omnes, Gallos scilicet in fugam versos, audito Helvetiorum & Germanorum descensu ex Alpibus, qua Veronæ imminent. Cæsare impellente ac Pontifice vocante, Galli diffidunt. Qui castrametabantur in Papiæ viridanti sylva venatibus servata, quam *Parcum* appellant, applicatis ad Papiæ mœnia Germanis & Helvetiis, incompositi fere, fugam rapiunt Galli, ad fluminis Magaroni pontem, majorem peditum partem & lanceas catafractorum ducentorum Galli amiserunt, ponte rupto, tormentorum pondere, obrutoque bombardæ tertiæ vase, duas namque traduxerant. interceptos trucidarunt. Mediolanum & Ducatum universum deseruerunt. Arces tenent. Genuenses premunt obsidione castellum in eodem portu, super vasta rupe à Gallis erectum, quo stante Gallorum servi sunt, neque Gallis invitis licet Genuensibus portu suo uti. Durum est illis jugum ea moles & intolerabile frenum. fame oportet, non vi armorum stringere præsidium ejus struis. Helvetii Mediolano incedunt liberi, Cardinali Helvetio. Duce Julius Pontifex Helvetios novis titulis exornat, *Principum domitores & Ecclesiæ reparatores* appellat. Ad hanc provinciam eliminandorum ex Italia Gallorum, conveniunt & Veneti. Magnus Trivultius, prima

ma hujus labis & perniciei causa, quod Barbari torqueant Italiam, una & duo Galleacii primarii cives, Vice-Comes & Paravesinus, fugam rapuere cum Gallis. Gelforum Gebelinorumque insana fatuitas miseros exagitat. Alterne sibi mortem & calamitates adstruunt. Hi Gallis vocatis, factionis adversæ principes, ejiciunt. Illi stimulatis Helvetiis & Germanis, ut in patriam redeant, & inimicos expellant, iterum Gallos deturbant, nulla ratione habita patriæ innocentis & populi, dummodo suas animorum turbas expleant. In Hastesana regione, villam novam elegantem & frugibus bene fortunatam, populosissimam & reliquas ejus status villas atque oppida combusserunt partim, aut diruerunt incolæ ipsi, ne Gallis hospitiorum aut commeatuum superfit commoditas in Italia. Res Navarræ differuntur. quid causæ insit, non intelligimus. Mareschallus qui pro suo Rege negociatur, apud me conquestus est, majora pluraque peti quam deceat. Rex autem noster tuta vult itinera, quacunque exercitibus sint deportanda necessaria. Vale interea. Burgis. III. Idus Julii, MDXII.

EPIST. CCCCXCI.

Oratores ad Regem Navarræ. Literæ repertæ de fœdere cum Gallo. Sacerdos Michaël portavit literas. capita fœderum cum Gallo. Quos status polliceatur Gallus in præmium. Usque Burgos promittit Gallus Navarro. Protestatio Regi Navarræ. Quid respondeat Navarrus Rex. Movit Alba Dux exercitum. Aufugit Regina cum filiis.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

AD Regem Navarræ missi sunt Oratores. Antonius Acugna Zamorensis Episcopus à nostro Rege, ab Anglico exercitu alius, ut itinera faciat secura, deditis arcibus mediis petunt. Interea literarum quoddam exemplar fuisse repertum fama est, quibus constare videtur, Regem Navarræ cum Rege Gallorum fuisse pactum contra Hispaniam. In Regis secretarii crumena, ab uno sacerdote Pompilonensi, nomine *Don Miguel*, in suæ pellicis cubiculo interfecti literas ajunt inventas, ad Regemque nostrum benevolentiæ captandæ causa, Michaëlem initiatum eas misisse. fœderis capita hæc feruntur inscripta. Rex Navarræ bellum Castellæ indicet, & Castellæ fines armatus invadat, cum potentia Gallica, quando Regi Gallo videbitur. In facti præmium Rex Gallus, Regi Navarræ, terras, oppida & villas, quæ hactenus fuerant Domini de Foix Germanæ Reginæ Aragonum fratris, Ducis de Nemours, & Ducatum ipsum de Nemours, se præbiturum pollicetur. Hæc, perempto in pugna Ravennate duce ipso Reginæ fratre, ad Coronam redierant Gallicam, jure an injuria factum sit, Regina Ducis sorore, vivente, non est meum quærere. Caput alterum est, ut ablata Domino de Nebrito, Regis Navarræ patri, multa oppida restituantur. Caput aliud, ut Rex Gallus consona personis stipendia Regi ipsi Navarro, & ejus genitori ac filiis præbeat, deinde ut Rex Gallus quicquid virium assequitur, exponat in recuperandis omnibus terris Castellæ, quæ jacent mediæ ad usque villulam, quæ dicitur *Gamonale*, ab urbe Burgensi milliaria duo tantum, quæ quondam Reginæ Navarræ majoribus dicuntur paruisse. Literis prælectis, per Oratores prædictos Regi Navarræ protestatum est, ut illico Regi Gallo bellum indicat, sin minus, habebitur pro hæretico, qui contra hæreticum Regem arma movere recuset, & tanquam in hæreticum ibitur. Respondet, se nihil habere in mandatis à Pontifice, neque Pontificem ei quicquam jubere, quia novit, se nihil posse. sunt namque Navarræ redditus tenues. Navarræ situs, quod in Pyrenæos limites, radices & angustias Pyrenæorum utrimque occupet, formidolosior est Navarra Castellæ, quam ejus Regis potentia. Armato namque Gallo est in ejus arbitrio præbere iter in Castellam. Interea Dux Albæ movisse dicitur ex Salvaterra, ubi Regis imperium exspectabat. Navarram versus Regina, cujus dotale Regnum est, cum filiis trajecisse Pyrenæos in Bearnum dicitur. Tu vale. Burgis. xv. Calendas Augusti, MDXII.

EPIST. CCCCXCII.

Dux Albæ transit. occurrunt Roncalenses. In planitiem Dux prodit. Ducis edictum de servandis bonis. Comes Lerini exsul præcedit. Viamontesii ad Comitem veterem Dominum. Aufugit Rex Navarra. Protestatio civium. Protestatio de deditione. VIII. Calend. Augusti urbem capit Dux. De Turci Selimsachi animo. de astu Selimsachi parricida. contra patris voluntatem it Constantinopolim. Fraus Selimsachi. Pecunias dat filio pater. fugat patrem perfidus. capit imperium. fugat fratres. obtruncat quotquot assequitur.

P. M. A. M. Ad eundem Marchionem Bellecensem.

AUdi, quid nostri egerint. Dux Albæ præfectus, & exercitus sub eo militans, die tertia decima Calendarum Augusti, Pompelonem

pelonem Regni Navarræ caput, per valles Borundæ ac Liziamberæ ad angustias venit, quæ *Portus strictus* dicuntur. Obvii prodeunt armati sexcenti Roncalesii pedites, cæteris Navarris bellicosiores, transitum prohibituri, si possent, sed nostris adventantibus, parvo negocio angustias deseruere. In planitie, quæ vulgo *Pompelonensis Conca* dicitur, descendunt nostri, edicitur in villarum prospectu, ne quis miles, pœna proposita, sata destruat, ne cuiquam inermi damnum aut injuria inferatur. Præcedit ut præses exercitus, Don Loisius Viamontesius, Lerini Comes, Navarræ comestabilis, domo extorris ob simultates cum Rege, quia sit Agramontesius, alterius factionis caput, ab ea quæ Regi dedita erat. Comitem Lerini, Ducis Nagiaræ filius ejus sororius cum catafractis regiis septingentis comitabatur. Viri omnes fœminæque suæ factionis Viamontesiæ fautori, prodeunt obviam, nec manibus vacuis cum summo suscipitur gaudio. Audito nuncio quod nostri stricti portus angustias transiegrint, ex Pompelone discedit Rex, & Sanguesam oppidum munitum in vallis Roncalis faucibus situm proficiscitur, nec bene validus. Regi discedenti protestati sunt cives, se tutaturos urbem cum eo, si permanserit, sed si deserere urbem statuat, ne proditionis arguantur, supplicant, si cum hoste, ad urbem se applicante paciscentur. Veniam præbet infelix Rex. Dux Albæ cum exercitu Pompelonem tendit, castra locat. fœdera petunt cives. nullius generis negotiatio admittitur, ut sese Catholico Regi libere dedant, exposcitur, nisi malint in prædam dari. Veriti cives, ne si vim exspectarint, penitus evertantur, in deditionem veniunt. Dominico die Calendarum Augusti octava sunt urbem ingressi nostri, arcem & templorum turres præsidiis Dux Albæ munit. Hæc de rebus Navarræ ab exercitu. Ab Urbe autem scribitur, Magnum Turcarum Principem Selimsachum, majores ab Otomano ejus familiæ fundatore, cui Selimsachus est decimus hæres, magnanimitate superare. Audi, quonam pacto patrem decrepitum deceperit. Is Selimsachus patre consentiente ab adolescentia nupsit filiæ magni Regis Tartari, ut vulgo loquar, ad fines Thraciæ. Apud socerum vitam agens, sæpenumero misit nuncios ad genitorem, ut bona venia liceat ei Constantinopolim venire, patrem priusquam hominem exuat, salutatum. Pater autem juvenis filii noscens animum, quod ferus esset, adventum renuit, diem protrahebat ex die, veritus id quod accidit, ne senectutem suam & fratres, omnes sibi filios ac nepotes perturbaret. Selimsachus, patre ignaro, capit iter, favente socero. Itinere fere medio, de adventu filii certior factus genitor, nuncios mittit, qui Selimsachum hortentur, ne armatus veniat, sed revertatur. Respondet, *se licet invitum, patris imperio pariturum.* Sed ne tumultu exorto, à suis perimatur, qui se deceptos conquererentur, si terga verterit, supplex orat, ut pecuniarum aliquam summam comitibus præbendam pater impartiatur. Jugulum in manu filii posuit pater, pecuniarum acervum filio misit, militibus divisit & novos superaddidit. Recta Constantinopolim proficiscitur, patrem è regia fugat. Fratres & eorum filii propinqui etiam omnes aufugiunt. in Asiam trajiciunt. Imperium, faventibus bellatorum ducibus, capit. Basanos, quorum consilio cuncta regebantur, obtruncat, ex quorum nece, magnos pecuniarum ad futura bella cum fratribus, majore natu præcipue, ad quem imperium attinebat, cumulos congerit. Magna dicitur animo versare. Deus nostra custodiat. Tu vale. Burgis. VI. Calendas Augusti, MDXII.

EPIST. CCCCXCIII.

De Curiis Monzonensibus. Regis hortatus, ne producant. Qui Mediolanum gubernent. Vellent Ducem cives, non Germanos. Bononiam recuperavit Papa. Parmam vult & Placentiam.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi Petro Fagiardo.

CRebros jam habemus ex Italia nuntios, propterea crebras ad te mitto literas. Nullus fere præterlabitur dies, quin Pachiecus tuus in hac curia negociorum gestor à me petat, ut scribam. Dispositos ait impensa tua pedites habere, quo frequenter queas rerum successus intelligere. Accipito igitur quæ impræsentiarum emergunt. Ex Monzono oppido, in quo Aragonicus, Valentinus & Lalætanus conventus, apud Reginam loco Regis, coacti sunt, scribitur rem in longum protrahi. Consuetis gravaminibus omnia confunduntur. Si quis aliquid sibi contra jus illatum putat, aut à regia corona quæquam deberi existimat, nunquam dissolvuntur conventus, donec conquerenti satisfiat, neque Regibus parere in exigendis pecuniis, solent aliter. Regina quotidie scribit, se vexari eorum petitionibus, nec exsolvere se quire, quod se maxime optare ostendit. Rex imminentis necessitatis bellicæ vim proponit, ut in aliud tempus querelas differant, per literas,

literas, per nuntios, per ministros, conventum, præsidentesque hortatur monetque, & summissis fere verbis rogare videtur. Omnis interea bellorum vigor Castellæ incumbit. Ex Urbe scribitur, Julium Pontificem Helvetiis favere. Mediolanum Sedunensis Cardinalis & Helvetiorum oratores atque una pro Cæsare Andreas Burgensis gubernant. Vellent suum Mediolanenses Ducem, Ludovici quondam vita functi in vinculis Gallorum filium, qui *Maximilianus* appellatur. Pontifex nil magis cupere videtur, quam Gallorum exterminium ex Italia. Bononia & quæ sunt Ecclesiastici juris cætera recuperavit. Parmam & Placentiam egregias Ducatus Mediolani quondam urbes tiaræ intendit vendicare Pontificiæ, *membra fuisse quondam Exarchatus Ravennæ*, inquit. quæ urbs post Romam primaria esse solebat, Imperatorum sedes in Italia. In Calend. Augusti, MDXII.

EPIST. CCCCXCIV.

Collachrymatio de suis concivibus. Pejus est eis cum Helvetiis quam cum Gallis. Sævitia sæviores Helvetii. De barbara Helvetiorum natura. Extorsiones à miseris civibus. Quam rustici Helvetii sint. Omnia deflenda. Non alieni, sed ipsimet cives causa malorum. Quæ pernicies ex hac peste factionum. Pulchrum proverbium.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi Petro Fagiardo.

PRoh miseros concives meos Mediolanenses! proh infelices! *Calamitosos* appellare solemus viros, qui ex Charybdis voratu in Scylleam cadunt rabiem. Quo titulo ærumnosos appellabimus Mediolanenses, qui & rabie Scyllea & Charybdeo hiatu à multis jam annis continuo tractu concutiuntur. ejectis Gallis meliores sperabant successus. In deterius magis ac magis res eorum ruunt. Helvetiorum millia quindecim Mediolani agunt, se Mediolanum à Gallorum sævitia tutaturos inquiunt, & sævitia ipsa sævius ipsi male fortunatos cives excoriant. Quid humanitatis à sylvestribus, montanis, barbaris, carbonariis, ferrariis, bubulcis potest emanare? Quid particulatim in hospitiis gerant contra inermes armati, usus & consuetudo rei bellicæ dicat. A nobilibus, si præcipue tantillo Gallicæ coronæ deditos intelligunt, ad ossa usque pecunias extorquent mulctæ nomine. à Rep. exigunt quoto mense tributa intolerabilia. Nec matrum gemitus, nec infantum ululatus, dura rusticorum corda in hospitiis emolliunt. Neque totius urbis ab ipsis toties alias, à Gallis sæpe, à Germanis aliquando expilatæ, paupertas ad ullam primarios eorum miserationem movet, neque in religione pietas, neque in profano humanitas est. deflenda sunt omnia. Quod malum non Galli, non Helvetii, non Teutonici trahunt, sed ipsimet cives inter se discordes, ob atrum semen & tartareum venenum ab immundis inter eos satum spiritibus Guelforum & Gibellinorum. Qua peste neque vos Hispani liberi estis, dissidetis & vos, licet nomine diverso, Onez & Gamboa, & alterno vos odio prosequimini. O ingens malum! O pernicies contagiosa! Tanta est meorum concivium concepta in adversarios animorum perturbatio, ut ex igne flammato sese invicem detrudant in prunas, & è prunis ardentibus in flagrantes iterum flammas præcipitent. Miser interea populus innocens suo sudore sibi suæque familiæ victum quæritans, inter has primatum procellas, quas satus conteritur. Neque sine horrore, sine mœstitia nequeo ista referre, quia præsertim strages ista fratres, & propinquos meos non leviter maceravit. Vale igitur. Burgis. V. nonas Augusti, MDXII.

EPIST. CCCCXCV.

Anglicus Rex ipse trajecit in Galliam. De animo Regis Angliæ. Oppidani Bajonam deseruerunt. Movetur noster exercitus. Ex Sanguessa Rex infelix nuncios mittit ad Ducem, ut discedat è Regno, Dux ait. Objectio literarum. Rex discessit à Regno. Tudella & Stella non deduntur. Maja & S. Ioannis de pede portus dant se. quos locaverit in præsidiis Dux.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi Petro Fagiardo.

CÆlorum influxus Gallis mala multa minantur. Magnanimus & belli nervis abundans, pecuniis dico à patre relictis, Rex Britannus, sive mavis Anglicus, obstrepit fremitque in antiquum suæ domus hostem, Regem Gallum undique. trajecisse ipsum in Galliam fama est ad oppidum invincibile dictum *Calesium*, à quo fretum ipsum dicitur *Calesium*, in littore Gallico situm, & semper servatum à majoribus in Gallorum oculis. Mira feruntur de juvenis Regis animo, deque exercitu comparato, ut ab eo latere Gallos impetat. A nobis autem Britanni qui ad nos trajecerunt, nostro exercitui stimulos ingerunt, ut conveniant, quo possint una Galliam adoriri & vastare. Missus à Rege nostro Calderonus quidam, Regiæ domus metatus, qui Bajonam hostium frontem & scutum diligenter exploraret, reversus est,

ait partim ejectos, sua sponte partim oppidanos Bajonam deseruisse, præsidia ait inesse valida, trementia tamen, ob adventum Anglorum. Rex infelix Navarræ, audita urbis primariæ deditione, movente præsertim exercitu, misit Duci Albæ obviam famulum à secretis, cum quatuor senibus, ex oppido Sanguessa, quo se receperat de Pace tractatum. Renuit Dux, fœdus ullum se velle inire. *ut è Regno discedat, ni velit obsideri & capi, ubicunque pedem fixerit in Regno*, respondit. Debuisse fœderibus inhærere, quando fœdera offerebantur. Objecit Regi literas in sui à Secretis familiaris perempti crumena, à Don Michaële sacerdote in Pompelone repertas, de pacto cum Rege Gallorum contra Castellam. per vallem igitur Roncalem miser per Pyrenæos montes trajecit in Bearnum avitam regionem in Galliam. Deduntur cætera Rege jubente, ne ruinam exspectent præter Stellam & Tudellam, ejus Regni oppida primaria. Deduntur etiam in Pyrenæorum vertice arx sita nomine *Maja*, & trans Pyrenæos egregium Sancti Joannis de pede portus oppidum, ad cujus præsidium cum fortibus militibus præmisit Dux, secuturus ipse postmodum, Gonzalum Doval strenuum equitem, in primario Pompilonis templo turrito Joannem locavit de Prato Medellini oriundum. Hoc in statu res sunt. Tu vale. Burgis. v. Idus Agusti, M D XII.

EPIST. CCCCXCVI.

Conquestus Proregis de Ablatis. Dux Ferrariæ Romæ. Animus Papæ contra Ducem Ferrariæ. Aufugit Dux. Mediolanum conqueritur de suo Duce non dato à fœderatis. quid Helvetii contra Venetos. Hasta urbs in nostra manu. Salutiæ Marchio nobiscum. Conventus Mantuæ. Barbari Principes Pacifici. Derident nos Barbari. cur eatur Lucronium.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi Petro Fagiardo.

HIspano exercitui alendo partim habebant hactenus quædam millia ducatorum, Pontifex & Senatus Venetus: Gallis per Helvetios & Germanos eliminatis ablata sunt. Male actum fuisse conqueritur Prorex, quandoquidem sub ea spe, nulla propria necessitate impellente, collegerit quotquot Hispanos per Italiam vagabantur, paratusque sit, quacunque fœderati statuant, proficisci. nec sistere tutum sit, donec ex Italia penitus Galli eradicentur. Arces namque adhuc sunt in Gallorum potestate. Alfonsus Hestensis Ferrariæ, si Pontifex permittat, Dux, sub tutelaribus Pontificis literis & Fabricii Columnæ fide Romam profectus fuerat, spe sedandi Pontificem erga se iratum. Petit ab Alfonso Hestense Ferrariam Pontifex. Tutelares citat Pontificias literas Alfonsus Hestensis. Suæ personæ respondit Pontifex datum esse chirographum eundi redeundiqué, non Ferrariæ. Pontificis animo detecto, Fabricius Alfonsum Hestensem ex urbe deducit veritus, ne contra fidem à Fabricio datam, Pontifex Alfonsum capiat. Neapolim se contulisse dicitur. Mediolanenses ruminant & murmure assiduo roduntur, quod dare illis promissum Ducem fœderati differant. suspicio est in Italia, Imperatorem & Regem nostrum dare velle Ducatum alterutri è nepotibus, Carolo scilicet Hispaniarum Principi, aut Fernando, ut vestro more dicam, Infanti. Helvetios ajunt repressisse Venetorum cogitatus de Brixia, Bergamo, Verona, & reliquis Ducatus Mediolani quondam membris. Patavio ac Trevisio contentos esse volunt. Montis ferrati Marchio, qui statum suum habet in Alpium radicibus in Italia, ex fœderatorum decreto urbem tenet Hastensem. Salutiæ Marchio & ipse in Alpibus sedem habens ab Italiæ latere, fœderatis se conjunxit. Sabaudiæ vero Dux Gallicas partes sequitur. Fœderatorum fit conventus in urbe Mantua. quæ decernent intelliges. Nostræ fidei hostes magnus Turcarum Princeps, & Persarum Rex Sophius ac Soldanus Babylonicus pace nunc fruuntur. Impræsentiarum dormiunt, Christianorum ineptias, strages ac dissidia derident. De mutanda Curia Rex cogitat. Lucronium ibimus, quo simus rebus gerendis in Gallos propiores, & Stellam Tudellamque pertinaces perterreamus. Vale. Burgis. Idibus Augusti, M D XII.

EPIST. CCCCXCVII.

In Tudela discordes de deditione. Zamorensis Episcopus capitur. Quare jus violaverit oratorum Rex Navarræ. Bearnum occupatum à Gallis. Rex Navarræ excommunicatur & quare. Baduarius Venetus orator. Veneti scribunt Orientalia suis legatis. Episcopus Burgensis obiit in Urbe. Moritur pauper, licet dives. Papæ liberalitas in Episcopum inhumandum. Comitis Misochi mors. Incursitarunt Galli Rossilionem. Vult Papa Ducatum Ferrariæ. Laus Papæ Iulii.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

PAucis ante diebus Pachiecho tuo literas ad te dedi, Tudelam Stellamque Navarræ oppida

oppida primaria *nolle se dedere*, inquiunt, *nisi Regi Catholico præsenti.* Augusti die duodecimo Lucronium profecturus Rex discessit. Lucronium pervenimus. In oppido Tudella tumultus exortus est VII. Calendis Septembris, Dedendum esse oppidum; nec ruinam exspectandam, ex oppidanis hi proponunt, non dedendum & in fide sui Regis sistendum alii consulunt. ad arma ventum est. Regem oportet, si Tudelam voluerit, Tudelam se conferre. Ibit, ut arbitror: ne oblata è manibus delabatur occasio. Dixi alias Antonium Zugnam Zamorensem Episcopum missum à Rege nostro oratorem ad Navarræ Regem. ab ipso Rege captus est in Salvaterra Bearni, & in Galliam ductus. In sui excusationem, inquit Rex, *non habuisse à se veniendi literas tutelares, sineque ipsius bona venia fines suos ingressum.* Credimus Regem, Jus Oratorium violasse, quo suspicionem Gallis tolleret, ne putarent; Si Oratores admitteret, fraudem inesse. Bearni regio Gallicis est plena militibus, illic Galli convenient nostris oppositi. Ex urbe Roma plumbatæ sunt membranæ à Pontifice allatæ bullæ, Regem Navarræ anathematizantes, quod arma sumere contra Regem Gallum, quem pro excommunicato Pontifex promulgabit, recuset. In universis Navarræ finibus publicabuntur per præcones & pulpitarios oratores. A Veneto Senatu habemus Oratorem Joannem Baduarium genere nobilem, claris moribus ornatum. Ab eo, quæ in Oriente gerentur, apertius ac verius intelligemus. Veneti namque suis Oratoribus apud quemcunque Regem aut alias Principem agant, res Orientales significant, quo illas Principibus enarrent. Ex Urbe scribunt, mortuum esse fratrem Paschalem Dominicæ institutionis professorem, Episcopum Burgensem, qui Romam sese contulerat Lateranensi Concilio affuturus. Is vivens ita redditus suos indigentibus ex Christi regula distribuebat, licet opimos, ut pauper & ære alieno pessundatus obierit. Legatis ejus, Summus Pontifex, illius animadversa bonitate sedis vacantis fructus elargitus est ad debita persolvenda. Taurini ad radices Alpium in Italia mortuus est etiam unicus magni Trivultii filius Comes Misochi. Hujus genitor magnus Trivultius Franciæ Mareschallus contra Calesium, quo ajunt Regem Angliæ descendisse, missus est. Magna est hujus viri rei bellicæ peritia. Hac eadem die, qua hæc scribo, mihi Rex fassus est viva voce, Gallos infestasse Rossilionis Comitatum, & multa pecorum capita fuisse deprædatos ex agro, dum interea conventus Aragones, Valentini & Laletani suis cavillationibus protrahunt. iterum ab Urbe scribitur, sedere animo Summo Pontifici, velle Ferrariæ Ducatum, pro Urbini Duci suo ex fratre nepote Urbis præfecto. hoc invidiose forsan dictum, cum sit Julius Pontifex Ecclesiæ sponsæ sibi creditæ magis amator quam propinquorum. Vale. Lucronii. V. Calendis Septembris, MDXII.

EPIST. CCCCXCVIII.

Revocatur Gonsalus Fernandus Magnus. Loxiam se recipit. Census magni. Nota miram ejus laudem. Mareschallus Navarræ ad Regem. Veniunt nobiles ad Regem ad præstandum homagium. Tres Galli Duces contra nos. Perijoannes pyrata in Oceanum. de basiliscis.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

Superioribus diebus ad te scripsi, magnum Gonsalum Fernandum à Rege dimissum, ut in Italiam proficisceretur. Is dum se parat & ab diversis Hispaniarum partibus egregios rei bellicæ peritos milites exspectat, trivit in cassum tempus, quo properare debuisset. Interea loci relatum est ab Helvetiis & reliquis Italiæ viribus, ejectos fuisse Gallos, neque jam Galli ullius esse in Italia vestigium, præterquam in præsidiis arcium. Frustratur suo desiderio magnus noster. revocatur à Rege. non jam opus esse ipsius opera monetur. Fuit hoc nuncium illi amaro felle amarius, fuit Iliaco dolore gravius. Mori maluisset, ut ajunt, qui magnitudinem animi ejus bene norunt. In oppido Metinæ campi nundinario, implicitus, quicquid auri intexti aut argenti, quicquid sericeum, aut alias pretiosum illuc fuerat à mercatoribus deportatum, coëmit, militibus nobilibus præcipue, dividendum, sub fide data mercatoribus. neque enim pecunias assequebatur ad id pondus. profectione cessante, in manus ejus omnia deperierunt. Multi ut eum sequerentur facultates omnes, patrimoniis etiam detruncatis, absumpserant in apparatus bellicos. His quicquid possidebat auri atque argenti, supellectilium etiam, pro qualitate personarum impartitus est. Loxia celebre oppidum in Regno Granatensi datum est illi dum vivat in habitationis sedem cum uxore ac filiabus, marem habet nullum. se recepit Loxiam, in secessu illo victurus, donec ex redditibus propriis, sua virtute bellica partis, creditoribus satisfiat. Sunt ei census quadraginta forte millium ducatorum: sed in vasto pelago sunt aquæ

Urceolus est animo gloria inexplebili. Nescit tamen priscam illam majestatem, qua Italiæ, volentibus Italis, legem dare videbatur, deponere. Qui eum adeunt salutandi vel negotiandi gratia, nihilominus auctoritatem ejus stare loco inquiunt, quam quando sublimius calcabat obvios hostes, & post ejectos ex Neapolitano regno Gallos de magno Capitaneo. Ad res Navarræ veniamus. Mareschallus qui pro suo Rege hic negociabatur, ad Regem Catholicum summissus venit, una & Comes oppidi Sancti Stephani, Regni illius primates. multi præterea nobiles, juratum deditionem venerunt. Se posthac fidem nostro Regi servaturos polliciti sunt. ex quo Rex suus eos deseruit, quem Pontifex Regis titulo privavit, quod sit Regi Gallo amicus. *Ioannem de Nebrito* nominandum jubet. In Galliæ finibus tres sunt electi gubernatores, Dominus Longavilla, Dux Borboni & la Paliza. utrum concordes futuri sint, dicat natura Gallica, quæ stomachos eorum semper fluctibus agitat. Stella & Tudella jugum adhuc recusant. Perijoannes, Galli Regis præfectus maritimæ, cum magnis quatuor armatis triremibus ad Oceanum tendit. Insunt triremibus basilisci tres in strage Venetorum habiti, machinæ genus, quod uno ictu potis est navim unam, quocunque illa sit, perterebrare, atque discerpere. Vale. Lucronii III. non. Septembris, MDXII.

EPIST. CCCCXCIX.

Nostri sunt in S. Ioann. de Bajonæ munimentis. Monet Rex noster Anglos, ut ad nostros veniant. Recusant Britanni. Bajonam volunt. Discrimina proponit, si Bajonam petant.ut belli magister sibi consulit. Renteriam Britanni vastarunt. In regno Granatæ prædones multi, pyratæ Turcæ ac Mauri. Periculum defectionis converforum. Marchio villæ Formosæ obstat, ne duelles vulnerentur. de Archiepiscopo Cæsar-augustano.

P. M. A. M. Marchioni Belleceensi.

APud me adhuc jacebat in pluteo superior Epistola, quando ad Regem duo venere volantes tabellarii. Ab Albensi Duce præfecto alter; ab interiore Betica Andaluziam vocatis, alter. Qui ab exercitu venit, transiliisse Pyrenæos in Galliam ad oppidum sancti Joannis Pede-portum nostrum universum exercitum cum impedimentis, machinis & tormentis omnibus refert. Ad exercitus Anglici duces & præfectos Rex noster nuntios miserat, significatum duram fore provinciam, si ab ea parte, quam Bajona oppidum portum Galliæ custodit, bellum inchoabitur, quia validioribus sit præsidiis munitum, & mœnibus turritis, ac frequentibus pinnis & repagulis circumseptum, uti periculorum frontem decet. neque pinnam aut repagulum inesse ait ullum, quod non sit variis tormentorum generibus fultum; quod in id oppidum, quicquid virium Galli assequuntur, incluserint. propterea Rex noster, tanquam bellorum callidus magister, Anglicos hortatur & monet, ut sese nostro exercitui conjungant in ea Galliæ parte, qua sunt inermes & incautæ civitates & oppida, Bajonam esse hoc pacto obsidendam, à longe scilicet, & sine periculo, captis à tergo ejus, oppidis & urbibus, non irrumpendo ad ejus muros. Respondent Britanni, *se venisse, ut primo impetu Bajonam adoriantur; neque aliud se habere à suo Rege in mandatis. eat noster exercitus ad se*, inquiunt, *nolle se à prospectu Bajonæ mutare.* Instat Rex, *ut pervicaciam deponant, sibi esse curæ de mandato sui generi Regis ipsorum*, & repetit per legatos recentes, quam *periculosum* sit *armatum hostem velle in faciem ferire, morituros esse vi tormentorum quotquot oppugnationem tentaverint.* Stant immobiles illi. Nescimus, quid statuent. Animo Regis fixum est, velle à tuta parte hostes impetere, non qua vim exspectant. Interea loci, ne ociosi vivant Britanni, irruperunt in eam Cantabriæ partem, que Lipuzca dicitur, ferro atque igni tumultuarie loca quædam vastarunt, *Kenteriam* appellant. Qui ex Betica cursor venit, Granatæ urbis ait, universum Regnum tremere, quod gens vaga, *Gandules* dicunt, totum incursitent Regnum, neque urbem ipsam immunem evadere à rapinis sinunt, noctu cives ab hortis, à mœnibus, ab ipsius urbis viis trahuntur in prædam. ex urbe ipsa credunt labem oriri, quia necdum Mahometicas nuper conversi superstitiones exuerunt. Est & timor alius. Turcarum & Maurorum pyratæ littora illa perturbant, ex insperato variis in locis armati descendunt, & villas totas oppidaque, nisi sint valde munita, in prædam trahunt. Multa jam loca sunt depopulati. Si quis pyratarum Ducum in interna prosilire nunc auderet, Rege in Gallos occupato, deficerent nuper conversi. omnia ruerent. veteres namque Christiani numero pauci sunt, & ejus urbis inquilini. Inter Christianos veteres nuper exorta est seditio ob simultates Marchionis Cenetensis & Ducis Archensis, qui ambo juvenes sese conviciis momorderunt, & nudatis ensibus, nisi affuissent medii, se confecissent. Tertius juvenis Ludovicus Mendotius Tendillæ Comes vallis formosi Marchio, qui præsidio

præsidio Alhambram tenet, & Regni custodiendi præfecturam, illico accurrit, & exortum sedavit tumultum. utrique rixanti est propinquus, & prudens ipse atque animo ingens. Ad Navarræ veniamus rem. Archiantistes Cæsar-Augustæ Regis ex pellice filius, vir magnanimus & bello egregius & pace, cum tribus millibus peditum & sexcentis equitibus Aragonicis est Tirasonæ, *Tarazonam* vulgus dicit, à Tudela parum distante, Tudelam invadet, si parere distulerit. Vale. Lucronii in nonis Septembris, M D XII.

EPIST. D.

Rex Portugalliæ favet Gallis. Liscanus in Perijoannem. Selinsachi ferocia. Tudella & Stella dedunt se. Angli pervicaces. Quid in Conventu Mantuæ statutum. Contra Florentinos, ut mutetur status. Prata oppidum in prædam. Ejiciuntur Soderini à Florentia. Familia Medicea intromittitur. Præsidiarii Pratenses capti.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

NOn avidius aut frequentius ad floridas vepres, & rosida dumeta, thymosque bene olentes convolitant apes, quam ad nos, à notis omnibus orbis partibus, hoc tempore properant cursores. Portugalliæ Regem Emmanuëlem nostri Regis generum, inquiunt, non modo non deturbasse à suis littoribus Perijoannem Gallorum præfectum maritimum, jam in Oceanum cum triremibus delapsum per fretum Herculeum, sed quassatas naves ei refecisse, fulsisse etiam commeatibus. Liscanus nostræ Classis cujusdam præfectus, Perijoannem insequebatur, ut deprehensum in mari nostro aut sterneret aut ipse vinceretur, ab eo inclusum intra portus Portugallicos. pertransivit Liscanus, neque uspiam ultra sese repererunt. Evasit ergo Perijoannes pyraticam in Oceano contra classes Hispanas exercitaturus. Jo. Baduarius Orator Venetus habet ab illustri sua Rep. literas. Mira scribuntur de Selinsachi Turcarum Principis ferocia sævitiaque in fratres & propinquos omnes. Ajunt trajecturum in Asiam in perniciem Corcuti fratris majoris & filiorum ejus, quibus primam genituram arripuit. A nobis quæ gerantur, accipe. Tudela Navarræ simul & Stella pertinaces hactenus, subdunt colla jugo, die hujus mensis octavo fidem ob sequentia præstiterunt. His diebus Anglis renitentibus responsum est, *ut aut sese nostris conjungant militibus, vel discedant, utrum malint, eligant. Nolle se*, Rex Catholicus qui egregius est bellorum magister, inquit, *tam ancipiti fortunæ suum, generique sui exercitum credere, ut hostem velut, qua cautus est & paratissimus à fronte, cum possit ab incauto & imparato latere adoriri.* Ex conventu Mantuano fertur, statuisse fœderatos, sed præcipue Pontificem, qui rabidus in Gallos, toto conatu nititur excerpere ab Italia Gallorum nomen, ut status Florentiæ mutetur, quia nequeunt præsentem statum ab amicitia Gallorum divertere. Ad rem peragendam Urbini Dux, Summi Pontificis nepos, cum copiis Ecclesiasticis montana occupat. Planitiem Romanus à Cardona Prorex cum Hispanorum manu valida quatit. Pratam oppidum insigni à Florentia distantem milliaria decem quod reluctaverit, vi captum in prædam dedit Romanus, Florentiam tendunt utrimque populus novarum rerum semper studiosus arma capit, tumultuatur. Ejicitur Confalovernis, & factionis ejus Soderinæ ac Pacensis, quicunque imperabant. Medices familia extorris immittitur, cujus est hodie caput Cardinalis Laurentii Medices filius, qui sub civili toga universos Italiæ primates sua providentia moderabatur. Lucas Sabellius cum equitibus quinquaginta, peditibus autem conductis centum Pratam præsidio tenebat, capti omnes, aut perempti fuerunt. Vale. Lucronii. III. Calend. Octobris, M D XII.

EPIST. DI.

Fœderati Ducem dabunt Mediolano. de rebus Ferrariæ. Reginum & Mutina tolluntur Duci. Exercitus Gallicus contra nos. Delfinus Prætor exercitus. Ad Stellæ arcis præfectum literæ. Defecit Iacobus Velez ante tempus. Fuga Mareschalli. Unus Comes Anglus ad Curiam discesserunt. Angli pervicaces. obiit Turcus decrepitus. Quid promittat Selimsachus. Gallus exercitus venit. Deficiunt multa in Regno. Fonseca mittitur à Rege. Offert se Fonseca. Sequuntur Fonsecam Curiales.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

MUltus rerum acervos uno tibi concludam fasce. Mediolani fœderati decreverunt suum præbere Ducem Maximilianum Ludovici Sfortiæ filium primarium. per Helvetios reponetur, quod sint viciniores. Alfonsus Estensis Ferrariæ Ducis nomine privatus à Pontifice, in Bruciis est in Regno Neapolitano. Res Ferrariæ in priore statu sunt, abscissis tamen duobus primoribus membris Regio ac Mutina, quorum alterum sibi retinere Pontifex intendit, Regium dico. alterum, inquio Mutinam, Imperatori est im-

partiturus, quod sit imperialis. Joannes Nebriti titulo & ipse privatus Regio in Pyrenæorum radicibus, qua Galliam spectant, cum universo Galli Regis exercitu est, Duce Francisco de Angolemam Delphino, hærede Galliarum, cui adstant finium tres gubernatores, rei bellicæ peritiores, Paliza, Borbonus & Longavilla, regnum Navarræ peratus impetere. Patentes misit literas ad arcis præfectos sed præcipue ad Jacobum Vellez Stellæ præfectum arcis, quia majoris momenti sit Stella, Jacobusque ipse fuerit regio suo pane à teneris enutritus. Errata se traditurum oblivioni pollicetur, modo ipso adventante deficiant à nostro Rege. diem sui adventus cum exercitu Calendas assignat Novembris. præoccupavit mandatum Jacobus Vellez, defecit. Distulit accessum herus quondam ejus, Rex privatus. Rex noster deditam ierat susceptum Tudelam. Audita Stellæ defectione, Lucronium rediit illico. Navarræ Mareschallus qui data fide Curiam loco carceris habebat, aufugit, universum Navarræ regnum concitaturus. Ad Regem Catholicum venit è præfectis Anglorum nobilis quidam Comes, elegans profecto juvenis, Bajonæ Gallicæ difficultates illi Rex aperuit. Reversus nequivit Marchioni de Orset exercitus prætori persuadere transitum Britannorum ad nos, qua tutius erat Galliam adoriri. nuncios habemus, qui abiisse Britannos, inquiunt, die hujus mensis septima, sine boni Regis nostri aut sui venia. Badduarius Orator inquit, magnum Turcarum Principem decrepitum à filio ejectum obiisse in oppido Thraciæ à Constantinopoli distanti tria, * nomine *Adrianopoli*. Selimsachus usurpator Imperii, ad fratres & propinquos, de ipsorum more, pullatas misit vestes, & ingentium stipendiorum promissa, modo ad se veniant supplices, tanquam Magno Principi parituri. Rex autem noster videns Gallos esse paratos in Salvaterra Bearni, ut Navarram impetant, & intelligens Sanguessam, & Lumberium in faucibus vallis Runcallis oppida, qua Gallus exercitus erat transiturus, una cum Stella defecisse, turbatur animo, distrahitur in diversa, nescit quid consilii capiat. Antonium Fonsecam equitem rei bellicæ, uti nosti à teneris exercitatissimum, qui si memores, Regi Carolo ad Regnum Neapolitanum proficiscenti, ante oculos, laceratis fœderum capitibus, inimicitias est ausus indicere, ad se Rex vocat. rem aperit, universas Gallorum vires esse coactas, & paratas ad ingressum, discrimen esse ingens; sed tamen Fonsecæ, inquit, fidere prudentiæ atque industriæ, cui primum tribuit, à magno Capitaneo, inter Hispanos bellorum duces locum. Fonseca subridens fronte serena, se provinciam sumpturum offert, Regi animum præstat, se provisurum pollicetur imminenti periculo, Deo favente. nil adversi timere se, inquit, sub tali Rege, cui semper propitium fuisse Deum omnipotentem cognovit. His dictis, domum proficiscitur, propere se accingit. hujus mensis die vicesimo discessit. quotquot in curia erant nobiles, illum sequuntur, sub eo tanquam sub egregio bellorum præceptore militaturi. quæ fient, intelliges. Vale. Lucronii. XXIII. Octobris, M D XII.

Epist. DII.

Palliza prætor exercitus in Regno. Trucidatur Valdesius. Fonsecæ stratagemata. Arx Tassalla deditur. Excusationes Mareschalli. Iterum aufugit Mareschallus. De casu Mongellosi loci. Delfinus provocat Ducem. Quid Dux responderit. Munera invicem mittunt. Dux Albæ noctu discedit.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

Formidolosa sunt quæ afferuntur. Delphinus, Borbonus & Longavilla Delphini collegæ in exercitu retrocesserunt. Pallizæ seniori & rei bellicæ peritiori prætura datur, ducente Rege, spoliato & nomine privato, per vallem Roncali. Pyrenæos trajecit in Navarræ Regnum Palliza. In vallis faucibus sese objecit Valdesius prætoriæ cohortis præfectus, alias in Italia à Rege missus, Duces monitum, ne cum Gallis confligerent, licet incassum. Quadringentos habebat secum milites, qui tumultu facto secesserant ab Albæ Duce, quod stipendia deficerent. Erat itineri proxima turris humili circumsepta muro. Loci defendendi provinciam sumpsit Valdesius. Palliza præter exercitus hostium, Valdesio notus, illum hortatur & monet, ne Germanorum & Vasconum conductorum furorem exspectet, ne sit pervicax in re tam perdita. Stat animo fixus Valdesius, tormentorum duces acciri jubet Paliza. temporis teritur aliquantulum. Ecce tormenta muris applicantur. non cadit à proposito Valdesius. Parvo negocio castellum & turrim diruunt. Valdesius & qui cum eo inerant strenui milites, à Germanis per tormentorum ruinas ingressis, fortiter pugnando, trucidantur. pauci evaserunt. Progreditur Gallus exercitus, serius tamen (ob Valdesii fortitudinem) quam præfectis arcium per patentes literas promiserat, Rex nomine regio privatus. Quare Antonio Fonsecæ data fuit occasio

sio exercendi prudentiam, qua pollet. ipso adventante cum nobilibus Curiæ ac præsidiis Navarræ Lomberium oppidum sese cum arce dedidit. Tafalla arx oppido dedito recusavit. operam dat Fonseca, tanquam rei bellicæ gnarus, ne quisquam Tafallæ fines intret, qui arcis præfecto queat de adventu Gallorum significare. Itinera imperat intercipi omnia. ad muros arcis sese applicat, se dirutururum arcem, & præfectum illico trucidaturum, cum universis ejus præsidiariis minatur. animum ex necessitate capit, per crebros nuncios præfecto persuadet, à Gallis se deceptum esse, ac reliquos omnes incolas, neque venturos, neque si velint licere, quod nostri valida manu sint illis in vallium angustiis oppositi. quare præfectus de auxilio Gallorum desperatus, tum blanditiis & pollicitationibus pellectus, tum minis deterritus, arcem dedidit. Mareschallum Navarræ ad se Fonseca vocaverat, venit. In sui excusationem quod è Curia tacitus aufugerit rupta fide, favorem hosti suo adversæ partis Via-Montesiæ Principi datum à Rege nequivisse se pati arguit. ad Curiam revertitur. datur magno Castellæ Comestabili custodiendus. Audito Gallorum transitu iterum aufugit, suæ partis populos irritaturus. Interea Dux Albæ Prætor exercitus laborat apud Mongellosum villulam, ultimum Bearni terminum, cum Sancto Joann. pede portus. Galli nostros profligaverant Duce Delphino, provocaveratque Delphinus Albæ Ducem ad certamen. cui Dux responderat; *se habere in mandatis à suo Rege Catholico tantum ut fines illos tueatur, non ut confligat*. Missurum se ait ad Regem petitum, ut parere Delphino liceat. Interea mutuis se per vim utres muneribus salutant, Hispano Dux Albæ vino Delphinum, Delphinus Ducem Gallico. Dum ista gerebantur, & alterne per nuncios se alloquerentur Dux Albæ, qui post Britannorum discessum imparem se Gallo exercitui noverat, milites tacite monet, ut ad discessum sese apparent. præsidiis & commeatibus oppidum Sancti Joannis munit. per noctis silentia tacitus Pyrenæos conscendit, ut Pompelonem redeat, per montium culmina, in quibus exstat vetus cœnobium Roncisvallis. hæc habemus, hæc habeto. Vale. Lucroni XXVII. Octobris, M D XII.

EPIST. DIII.

Imperium Regis Angliæ ad suos, ut Catholico Regi pareant. frustra imperavit, quia discesserant. Mors Valdesii profuit. Aragonia dicitur ab Aragonio flumine. Divisio Hispaniarum. Quare non Lusitanus, Rex Portugaliæ.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

DUm Rex per nuncios cum Britannis ageret, ut qua tutior esset ingressus, Galliam adoriantur Hispanis conjuncti, Britannum eorum Regem sibi generum, per disposita navigia certiorem facit, de suorum ducum Britannorum reluctatu à suis consiliis, feciales illico mittit Rex generi ut ubicunque reperiantur, retrocedant, imperat, Catholico Regi socero suo colla subdant, quacunque jusserit, proficiscantur. Ne audeant in patriam redire, neque patriam appellare Britanniam, si Catholici Regis mandata detrectaverint. Hæc incassum. abscesserant enim. Ad Regem vero socerum scribebat, ne illis navigiorum impartiretur supplementum, ut renitentes omnes jugulo mulctarentur. frustra omnia. Oceanus illos receperat. quid sit Rex Britannus in suos animadversurus, quando redierint, si Oceani minas evaserint, nescimus. Martinum Muxicam Rex ad generum misit oratorem, quæ referet, habebis. De Britannis valde Rex conqueritur, quod solus relictus sit & fere imparatus Britannis fidens contra Gallicam potentiam. Egregie sumus laboraturi cum Gallis, qui jam Navarram sunt ingressi, Pyrenæis superatis. Dux Albæ in tuto est, uti ferunt. Valdesii pervicax animus fecit, ne Dux & quicunque illum comitabantur, in itinere detinerentur. Dum namque Valdesius Gallos detinuit, fuit Duci copia transeundi montes, fuisset alias forte interceptus, si recta, non implicitì cum Valdesio Galli ad Runcisvallis angustias tetendissent Pompelonem Dux concesserat. Interea unum habeto, gratum, ut arbitror, futurum, Lumberium & Sanguessam ajunt oppida in fluminis Aragonii ripa esse sita. quare arbitror, ab hoc flumine dictam fuisse Aragoniam provinciam, non à Tarracone, ut multi volunt, sicut Hiberiam antiqui ab Hibero flumine denominarunt. Admiratus etiam es, cur Emmanuëlem Portugaliæ, non Lusitaniæ, ut plærique non ineruditi, Regem appellaverim. Quod fueris admiratus, miror de te. Nonne cum lacte meo literali nutriebaris adolescens, Hispaniam in tres partes, à nostris majoribus Cosmographis fuisse

fuisse divisam sæpenumero intellexisti? Terraconensem scilicet, Lusitaniam & Bæthicam. Nonne sæpius tibi condiscipulisque tuis aliis Proceribus aperui, Tarraconensem Doria flumine ac nostro mari concludi; Lusitaniam autem Doria & Anna fluminibus disterminari, & ad Oceanum tendere; Fluminibus his ambobus in Oceano derivantibus. Bæthicam vero duplicem esse diximus, Interiorem qua Anna & Bæthi stringitur. Exteriorem, qua Bæthis eam ac mare amplexantur. Si ergo quicquid jacet medium inter Annam & Doriam dicitur Lusitania, quomodo Lusitaniæ Regem appellabimus eum, qui quotæ partis Lusitaniæ Dominus est. Cum in Lusitania sint locatæ multæ urbes & oppida multa Castellanæ ditioni subjecta, interque Regnum universum fere Toletanum Regnum & in Castella Veteri Methina campi, Segovia, Salmantica, Abula, & multa præterea. Vale. Lucronii. pridie Calendas Novembris, M D XII.

EPIST. DIV.

Callidum Fonsecæ stratagema. Fonsecæ providentia. Galli timuerunt. Quid publicet Fonseca. Dux Albæ negat, se fuisse monitum, sed defectu ciborum properasse. Stellæ arx deditur. Copula seducit Calabrum. Copula captivus. Dux custoditur in Atienza.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

DEtinuit nuncium heri procurator tuus. propterea, geminas nunc epistolas habeto, nullas habiturus aliquando per Viamontesiæ factionis exploratores, cum jam Pompelonem Fonseca præsidiis Lomberii ac Sanguessæ relictis, devenisset, Gallos per Tahoisum, Urozum, Artiedam, Ajancem, Runcalis oppida & villas venisse intellexit. callido stratagemate Fonseca usus est. Præsto sint omnes milites in armis imperat, in manu se habere præclaram occasionem profligandorum hostium privatim publiceque inter amicos promulgat, per crebros præcones jubet, ne quisquam per noctis tenebras aut alia quacunque causa excusationes innectat. dum hæc agitantur, per frequentes cursores ut propere gradiatur, ne uspiam moretur, aut castra locet, Ducem monet (ut ipse ait) de Gallorum rebus certiorem facit, & una ipse arma capit, tympanorum reboatu & tubarum clangoribus urbem replens egreditur, ac si Gallos numero militum superaret, spem rei bene gerendæ simulat. Finem ea nocte se daturum bellis, fronte serena prædicat. per Agramontesiæ factionis exploratores Gallorum amicos, Galli de Fonsecæ actibus & sermonibus edocti, noctem egere in armis trepidi, nunciis frequentibus eos exagitantibus, quod Fonseca se apparet, quod ad arma sit conclamatum, quod urbem sit egressus, magna militum copia stipatus, quod recta tendat ad eos, quod se victoriam in manu habere profiteatur, varii exploratores enunciant. Ita delusi Galli à Fonseca dicuntur, & Pompelonem Dux incolumis cum suis militibus ea nocte devenit. negat Dux, se ullos habuisse à Fonseca nuncios, aut ejus monitu properasse, sed coactum commeatuum inopia non fixisse in agro pedem, & laborem eum sumpsisse, ne una cum militibus equi perirent, licet fessi. vastatus enim erat ager medius, neque pensi quicquam erat incolis. Dum hæc gererentur, Damicellorum præfectus rebellem Stellæ arcem tormentis quatit. Jacobus Vellez arcis præpositus eam, sub spe adventus Gallorum tuetur. Differunt Galli dies aliquot à promissis. transire Pompelonem veriti sunt Galli, propter nostrum exercitum, ne à tergo lædantur, propterea defectu aquæ Stellæ arx deditur. per aquatores namque Jacobus Vellez ad usque signatum ab hero suo Rege privato diem, se tantum munierat. His in Navarra sic stantibus, in Curia, Philippus Copula Neapolitanus eques, honesta natus familia, miserum Don Fernandum Aragonium Calabriæ, priusquam fortuna suæ domus caderet, Ducem seducit, ut ad Gallos transfugiat, Regem patruum derelinquat persuadet. proditio detegitur. Philippus & alii plærique participes consilii deprehensi capiuntur, & Dux ipse sub fida custodia ducitur Atienzam. quæ succedent, intelliges. Vale. Lucronii. in Calendas Novembris, M D XII.

EPIST. DV.

Obsessio Pompelonensis. Copia obsidentium. Hostes fulti tormentis, nostri non. In magno discrimine res est. Auxilia petuntur. Ducis Calabriæ laudes. Galli non ignoscunt miseris. Quid adstrueret Copula? Igne Alquitrano regiam confundere. Qua pœna luerint commissa. Pater Copula jugulatur. Aggressio agri Iaccha. Valdebrotum villa. Præclarum sacerdotis facinus. Novum stratagema. Sternunt se Galli confusi. Trucidati majori ex parte.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

FEra bella parantur Gallorum exercitus jam jam occupat Pampelonis planitiem, quæ *Concha* dicitur nostri se obsideri, cum sint Gallis

Gallis impares patientur. Ex Gallia namque octingentos eduxerant cataphractos, levis armaturæ plures, peditum autem Germanorum & Vasconum, ac Bearnesium millia duodecim. Ingressis Navarram superadditi sunt, primo Agramontesii sexies mille: dehinc ex diversis Regni partibus, sui Regis amore commoti quater mille. Nostri autem erant extenuati, ob relicta multis in locis præsidia, & multorum ex Sancto Joanne Pedeportus, duce inconsulto, furtivos discessus, incommoda belli fugientium. Tormentorum præterea Galli multitudinem trahunt. Nostri autem, ut nil tale Rege timente, tormentis & machinis carent. Duos tantum habent falconetos, & ferream bombardam, quæ neque bene verti potest, neque apta est ictui tormentario. Præterea nequaquam abundant pulvere, aut globis discutiendis. Turbatum video Regis animum, non suppetebant vires ad hostes inde propulsandos impræsentiarum, obsessis timemus: finitimi Castellæ Principes, ut armati properent, rogantur. Rebus sic se habentibus, Fernandus Aragonius, *Calabriæ Dux* appellatus, ex Atienza propediem ad Xativæ castellum, Optimatum Regibus Aragonicis infensorum, receptaculum ducetur, accuratius custodiendus. Miseret infelicis juvenis, præclaris moribus, ut tam bene natum decet, ornatissimi. Vide, quantum possint prava consilia. multo deteriorem apud Gallos vitam egisset; quandoquidem Galli, extra se nihili penitus faciant ullum genus hominum, neque subjectis aut supplicibus ignoscere, didicerint. Non longe indigebat miser exempla quærere. Quales erga patrem ejus Federicum, & generosam genitricem fuerint, debuisset edoceri. Malignus Philippi Copulæ astus, quo ipse Gallis se conciliaret, juvenem incautum fefellit, sed tanti facinoris pœnas luit; cum facti participibus, per Curiæ prætores fassi sunt convenisse, ut sopitos à te clam Ferdinandi Ducis domus rectorem, & Commendatarium Conchillum cubiculi custodem à Rege Duci datos jugularent. Dehinc intempesta nocte, quæ diem Octobris sextum & vigesimum erat secutura, ipsi ad Regiam profecti, ignem aqua inexstinguibilem, quem vos Hispani dicitis *Alchitranum*, in regiam cremandam conjicerent; dumque igni exstinguendo populus & Curiales intenderent, per dispositos equos, ad Gallorum exercitum, Philippo regente, Dux aufugeret; Hiberum fluvium trajiciens, qua vadosus erat. Fuere Philippus & consortes ad equorum caudas, primo raptati, dehinc membratim discerpti ad aliorum exemplum, ne ipse gloriosius vitam finiret, quam ejus genitor: qui & ipse fuerat à Rege Ferdinando, primo hujus Fernandi ducis avo, ob insidiam jugulatus. De his satis. ad hostes veniamus. adverte præclarum facinus. Per montes Pyrenæos, ad ejus urbis, quæ dicitur Jaccha juris Aragoni, agros vastandos, & urbem ipsam infestandam, cum equitibus paucis, ob montium arduorum in ea parte asperitatem: peditibus autem tribus millibus trajecit Bearni gubernator, pro Rege deposito. villam primam adoriuntur, quæ dicitur *Valdebrot*. Aufugiunt incolæ. pedem figunt hostes in ea villa. Per sacerdotes vicinia concitatur. Noctu Gallis ex itinere fessis, & jam sopore gravatis, ejus villæ sacerdos, vocatis è proximis duabus villis, consociis duobus, manum coëgit juvenum, forte quinquaginta, Villam incendunt, fumo deturbantur Galli. Flamma duce palantes ipsi sagittis hostes conficiunt. Obcæcati fumo, Galli qua tanta labes veniat ignari, se sternunt & confundunt, perempti majori ex parte. quinque illic tormentorum vasa, & universa reliquere suppellectilia cum impedimentis omnibus. est fama, ex omni numero evasisse quingentos tantum, per noctis silentia, & montium anfractus latitantes obrependo. Vale. Lucronii. VII. Novembris, MDXII.

EPIST. DVI.

Rejecti Galli à nostris. Perempti 50. Galli, 70. capti. Lepuzcam male tractarunt Galli. Qua servaverunt S. Sebastianum. Disturbantur Galli à S. Sebastiano. fugiunt Galli. Borboni Dux in periculo.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

CUrsores Pachiecus tuus nimium fatigat, meque adigit ad scribendum, neque injuria quidem. emergunt namque singulis diebus, epistola digna negocia. Ab exercitu Gallorum Pompelonem obsidentium, plæræque peditum & equitum turmæ solutæ fuerunt. Est à Pompelone oppidum *Pons Reginæ* nuncupatum, milliaria duodecim paulo amplius, à Lucronio, ubi moramur triginta circiter. Id oppidum Galli sunt adorti, nostra præsidia disturbaturi, si quivissent. Rejecti sunt à nostris cum ignominia & jactura; terga vertentes Gallos nostri sunt insecuti. Fugientium Gallorum quinquaginta nostri peremerunt, septuaginta vinctos habuerunt ad manus. Altera parte qua Pyrenæos Oceanus quatit, Borboni dux erat, cum alio exercitu

Britannis oppositus, ubi primum Britannos discessisse cognovit, vacua videns esse bellatoribus illa confinia, quæ Britanni deseruerant, Lipuzcam Pyreneorum regiunculam aggreditur. Villas Renteriam, Airum, Ajarzum & Arnanium ferro atque igne vastavit. Dehinc Sancti Sebastiani oppidum turritis mœnibus munitum, in Oceani litore situm adit. Oppidani metu hostium perculsi, ruinam & exterminium veriti, dedere oppidum cogitabant, uti fama est. Inerant forte fortuna exspectantes navigia, quibus in Flandriam transfretarent ad Carolum Principem, Don Joannes Aragonum Cæsar-Augustani Archiantistitis filius, & ejus nutritor pædagogus Joannes Lanuza commendatarius Spatensis, Artieta, etiam ut vulgo loquar *Biscainus*, maritimus bellator egregius, navis unius dominus, qui ad oppidanos è navi descendit: Horum & unius juvenis Germani, qui solitus erat ductare, in exercitu Britanorum, Germanorum peditum turmas, favore, oppidani animum sumpserunt. Tribus his ducibus arma capiunt, applicantes ad muros Gallos disturbant. Rejiciunt è muris circiter octoginta, cum globulis tormentorum peremerunt. Interea de ingressu hostium in provinciam vicinia fit certior. Armati procurrunt ex omni montium latere habitatores terræ. Moniti rumoribus exercitatorum incolarum Galli, ne in angustiis montium ignotis intercipiantur, fugam rapiunt. est opinio, fuisse Gallorum temeritati auxilio Superos. nam si diutius paulo moram in montibus protraxissent, actum fuisse de Borboni Duce, ac militibus omnibus ejus comitibus. ad unum fuissent omnes capti, aut perempti. Mira de illorum montium anfractibus, & rupibus inviis, qua Galli fuerant ausi trajicere, referuntur. Vale. Lucronii. VIII. Novembris, MDXII.

EPIST. DVII.

Nuncius ab obsessis. vetantur provocatione hostium. Bona spes præbetur. Dux Najaræ prætor fit. Quare Najara erit solicitus. Copia Ducis Najaræ. Apparatus ex Castella. Salazarius fefellit hostes. Obsessi nihili faciunt hostes. Præmium Salazarii. Visit aliquando castra hostium Dux.

P.M.A.M. Marchioni Bellecensi.

HOdie qui est dies Novembris quartus decimus, dimissus ab obsessis è mœnibus nuncius ad Regem venit. Gallorum excubias noto idiomate fefellit, *forti esse animo inclusos* inquit. pistrinis manualibus farinam conficiunt, sublatis exterioribus. Duo tantum fluvialia servant adhuc illæsa. quia sagittis, & sclopetis è mœnibus proximis illa tuentur. Lacessunt hostes nostri, levibus præliis aliquando, sed vetari à duce, ne id crebro fiat. Machinas & impedimenta cis fluvium, urbem versus Galli trahunt. Tentaturos oppugnationem arbitramur, licet bona spe Regis aures obsessi repleant: solicitum video Regem; tamen Britanorum adventu confisus, parum diligenter Castellæ vires advocaverat. sero sapit. tunc se summersum novit, quando vix providere quivit, ne cuncta ruant. Dux Najaræ, bellorum egregius magister, cogendi novum exercitum, quo abigat hostes, electus est. Interea dum cæteri adventent, suæ familiæ arma colligit è vicino. rem vigilanter tractabit, tum quia gloriæ cupidus est: tum etiam quia generi sui, Lerini Comitis, res agatur: ejus genitorem Rex Joannes deleverat. Ex Najara sui Ducatus capite, & ejus membris manum coëgit peditum trium millium, septingentorum equitum, levis & gravis armaturæ quadringentorum. Advexit una tormentorum vasa quinque, generis ejus quod *Rebaduchines* appellant, bigis imposita: adducta etiam ex Fonte Rabia, Bajonæ Gallicæ finitimo municipio: sunt vasa octo: colubrinæ duæ; canones totidem: sacres & falconeti quatuor: ejusdem generis ex Methinna campi decem advecta sunt. veniunt & gradatim à proceribus equites. ita paulatim reficimur & speramus, si exspectaverint, cum ignominia fugituros hostes. Dux Albæ de obsidione deque Regis cura sollicitus, unum post alium nuncios destinat, pauci evadunt. Salazarius regiæ domus metator, lingua fretus Gallica, fefellit hostes. Najaræ Ducem obsessorum nomine hortatur, ne properet, rem suam studeat animo tranquillo bene componere. ne quicquam præcipitet. nil obsessis timeat. Idem attulit ad Regem, obsessos nihili facere Gallorum cogitata. Læta fronte susceptus est à Rege Salazarius, cum literis obsessorum. Octoginta ducatorum annuorum strenam Rex illi assignavit. remittitque, meliori præmii spe præbita, pro periculis subeundis. in Ponte Reginæ oppido est Dux Najaræ. Visit castra hostium sæpe, à longe tamen sese ostentans. neque audet eos adoriri, donec Procerum suppetiæ adventent. Gallos intelligimus laborare inedia & frigore. Germanos ajunt studere seditionibus.. quæ ultra fient, habebis. Lucronii. XIV. Novembris, MDXII.

EPIST.

EPIST. DVIII.

Regis Ioannis & Palliza colloquia. Regis Ioannis propositio & postulatum. Respondet Palliza cruda verba in afflictum. Quomodo venerit in auxilium. Quid statuat Palliza. Laus Hispanorum, hostili voce. Fatetur suam capturam Palliza. Mira laus Hispanorum. Alia laus à patientia. Alia laus à sapientia. Conclusio. Probatio fortitudinis. Concludit. Tormenta trahuntur ad muros.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

AUditu gratum est: quia spem affert rei bene gerendæ, quid Palliza Gallici prætor exercitus Regi Joanni de oppugnatione instanti edixerit. Pallizam Rex privatus Regno hortatur, ne frustra Rex Christianissimus vires & potentiam suam in ipsius auxilium misisse videatur, ut muros tormentis diruat; quandoquidem per obsessos illi copia applicandi, ad muros tormenta præbetur; ut Vascones, ut Germani, Christianissimi Regis conducti stipendiis, per murorum ruinas immittantur, ad expugnandum suadet: cives illico defecturos, & interna præsidia trucidaturos affirmat, *ita conventum esse*, inquiens. Ad hæc Palliza bellis assuetus respondisse dicitur, in hunc modum: *Decepisti Rex, Christianissimum Regem herum meum, decepisti universum Navarra tibi hactenus parens Regnum, ubi primum Gallicas acies Pyrenaos trajecisse sensisset, partes suscepturum tuas, & à Castellanis defecturum persuasisti. tuis fretus verbis, suas copias me Pratore, in tui auxilium misit, lege prabita, ut ab Hispanis exercitibus te tueamur, ut aperte, si sors tulerit, tuo nomine confligamus, non ut fortuna tam ancipiti Galli Regis exercitus credatur. Nolle se casui subjicere suum, suique Regis honorem*, ait, *qui cum nihil eorum videat, qua Rex infelix promiserit de incolarum defectione, catera putat ejuscemodi successus habitura. Pracedat ipse Rex cum suis factionariis, & obsequentibus exsulibus, quorum res agitur; se cum Germanis & reliquis militibus à tergo secuturum pollicetur. Novi ego*, inquit Palliza, *quanti faciendi sunt viri Castellani, qui bella gessi longo tempore in eos in Regno Neapolitano. Quam forti animo expugnent Rubus oppidum à Barleta distans milliaria octo, ubi ego & valida mecum merentia prasidia capti fuimus, urbisque ipsius Neapolis Castella, qua nullis humanis viribus posse capi credebantur, multaque alia in Regno loquuntur. Si ergo expugnatores egregii sunt, multo valentiores propugnatores erunt, quia illud muris obstantibus, hoc muris tuentibus. Omne genus hominum superant Hispani patientia laborum, inediaque ac sitis, algoris praterea & caloris, & vigiliarum supra quam credi potest. Sunt una omnes laudis adeo cupidi, ut mortem avidius petant, si honoris aliqua portio sese offerat, quam vivere velint inglorii. Si pro nomine tantillo, si pro fama, quantulacunque sit, gregarii etiam Castellani milites vitam projiciunt, ut rem sine gloria, non necessariam, quo animo putas intra hos muros nobilitatem, qua inest, cujus est magis proprium gloriam optare, sapientia mænia defensuram? Prater* Albæ Ducem *eorum pratorem, &* Fonsecam *illum, qui nos paulo ante suo stratagemate delusit, multi Optimatum filii, multi propinqui, ut nomen aliquod inter vicinos assequantur, sese obsidione claudi passi sunt, furorem puto fore, talibus viris, hac mænia tuentibus, non fortitudinem, si expugnationem tentaveris.* Pallizæ verbis motus Rex infelix, se primam periculi frontem aggressurum offert; se ipsius terga secuturum Palliza pollicetur. Is dictis tormenta jubet applicari, ac sisti ad muros, ut altero die quatere ac diruere muros incipiat. quæ sequentur habebis. Vale. Lucronii. XXIII. Novembris, MDXII.

EPIST. DIX.

Arcis Stella deditio. Regis Granata ac Procerum strages. Commendatitia Alvari Gometii. Laus Alvari Gometii. Pleraque urbis latera patent.

P. M. A. M. Præfecto Damicellorum Stellæ arcem habenti.

STella oppidum à te habitum in deditionem gaudio curiam replevit. Verebamur, ne Stella ista pervicacia sua magnum nobis aliquod incommodum portenderet, hostibus adeo vicinis. Nil minus de te sperabatur, quod à teneris in bellica sis educatus disciplina & exercitatione, sub avis, à genitore, patruoque tuo Comite Caprense; quo bellorum socio in adolescentia, Mauros magna manu equitum ac peditum, fines tuos avitos incursitantes, profligastis, & Regem ipsum Granatensem, cum universis eum sequentibus Granatæ primoribus ad manus habuistis. hæc suo loco latius. In præsentiarum est quid à te petam. An tibi sit notus Alvarus Gometius Villa regalis, enutritus meo lacte literali, magni Ducis Infantati gener; non intelligo. Jure merito notus esse debet, quia sit ingenio sublimi pollens, & acquisita doctrina inter doctos, non indoctus, valeatque, tam versu, quam libero pede gratia dicendi, tumque semper fueris, quia literarum non ignarus, hujuscemodi virorum, è procerum stirpe præsertim, amator. Is est inclusus inter

obsessos Pompelone. Qualis esse debeat parentum ejus animus, conjectator, de tali præcipue oculo dextro, futuroque illorum senectuti baculo. Istum, qui tibi meas dabit literas, ad me nuncium, uterque parens Gometii misit, ut hinc ego dem operam urbem ingrediendi ad obsessum filium, cum eorum literis rogant, arbitror & cum pecuniis, licet hoc taceant, gratum & parentibus & mihi præceptori, ac tanto juveni, & rem historia dignam facies, si tuo ductu & industria, quandoquidem eunt ac redeunt ab obsessis, ad te aliquando nuncii, voti compotes efficiemur. Audio namque obsidionem minus pressam esse aut strictam, quam arbitrabamur. Latera esse urbis aliqua hostibus vacua inquiunt, cum non audeant castra dividere ob Nagiaræ Ducem vicinum, ne forte dispersos adoriatur, & quia futuræ oppugnationi magis intenti sint, quam singularium nunciorum cura solicitet. quando rebus, uti speramus, bene gestis, ad nos diverteris, amplam à te rerum rationem exigemus: quo tractim ad posteros nomen tuum nostris annalibus remittamus. Si per nuncios interea licuerit, ad me, quæ accident, scribito. tuis literis summopere delectabor. Vale. Lucronii. die XIII. Novembris, MDXII.

EPIST. DX.

Tribus diebus Pompelon quatitur à tormentis. Muniunt se defensores. Fecialium admonitio. Derisio nostrorum in Gallos. Quid sit responsum fecialibus. Trucidantur, qui scalas adscenderant. Quid in castra retulerint dejecti. Deseritur oppugnatio. Navarri discedunt. Nesciunt Germani, qua sit fugiendum.

P. M. A. M. Præfecto Damicellorum Stellæ arcem habenti.

MAgna cape ac multa, & paucis confecta diebus. Salazarius idem regius metator, felicibus avibus ad obsessos ivit, rediitque ad Regem incolumis IV. Calendas Decembris. Pallizam Gallorum exercitus Prætorem scripsi admovisse machinas & omnia tormenta, ut Pompelonis mœnia dirueret. tribus diebus Mercurio, Jove ac Venere, continuis tormentorum ictibus mœnia percussit, ac circiter centum viginti cubitorum spacium disjecit. Interea dum ab oppugnatoribus muri quaterentur, fossis & aggeribus, propugnatores interna muniebant; cuppis ligneis tellure repletis, & saccis lana refertis validiora construebant repagula. Quacunque patebat aditus, materia ipsa murorum diruta, strues interiores hostibus occultabat. Ad muros applicati Gallorum feciales, hortabantur & monebant nostros, ut sese dederent, ne vim paratam exspectarent, vitam & equos ac suppellectilia fore indemnia, si fores aperuerint intra diem tertium. si distulerint, vitæ solum Ducis, Prætoris & paucorum parcituros, cæteros autem omnes se trucidaturos minantur. Derident nostri Gallorum oblata. Jactantiam abjiciant & suo fungantur officio, respondetur. tubicinibus & fecialibus imperatur, ne ulterius veniant, nisi malint sagittæ vel scopetæ transverberatu pœnas luere temeritatis. Die Sabbato, mavis Saturno sese ad oppugnationem Regis Joannis observatores accingunt: scalas admovent, adscendunt. disjiciuntur tanquam pecudes ab internis dejecti à muris. consociis in castra referunt, quam forti animo, quantaque ferocia, & quam accensis vultibus propugnatores stare loco viderint. De fossis, de repagulis horrenda prædicant. Insuperabilia esse omnia enarrant. universus deterretur exercitus. occubituros, quotquot adierint, repulsi affirmant. Tanta illos formido invasit, ut neque pudor, neque sui Regis imperium quenquam impelleret. Ita oppugnatio deseritur. Mille ducentos, ajunt, ex hostibus primo illo congressu fuisse tum peremptos, tum vulneratos. E nostris solum tres inquiunt. De discessu scribunt obsessi, cogitare Gallos, & Provincia deserenda. Per transfugas habetur, Navarros omnes jam castra dereliquisse, Germanos autem & Vascones, ac Piccardos manere, quia ignorant, qua sit iter ad fugam. quæ indies gerentur, indies habebis. Vale. Lucronii. XXIX. Novembris, MDXII.

EPIST. DXI.

Incolarum cupiditas. Decepti redierunt. Quid sperabant exules. Periculum nostrorum à civibus. De civium cæcitate. Quid disjecerit & expulerit hostes. Fugiunt hostes. Varia consilia de insequendo.

P. M. A. M. Præfecto Damicellorum Stellæ arcem habenti.

RIdiculum est, narratu tamen dignum, quæ Pompelonis Conchæ, id est, planiciei habitatores ruricolæ Navarri egerint, audita oppugnatione futura. certabant invicem, quisnam esset præda inclusorum ditior rediturus, advectis in castra bigis quadrigisque, ac jumentorum, quicquid assequebantur clitellatorum onusta se revecturos, quæcunque insultando garriebant, demisso capite vultibusque tristibus, spe sua decepti redierunt.

redierunt. Agramontesiæ factionis præcipue Pompelonenses exules, quibus diebus tormentis agebatur in muros sparsim, & per conventicula suos quisque Castellanos inclusos hospites verbis inanibus, inter se dividebant, seque cum uxoribus & natis in diem proximum dormituros putabant. His ambagibus seipsos miseri deluserunt. Germanos & Vascones, quibus prædæ partem pollicebantur, reliquosve Gallos milites inani spe depasti sunt. Fuit Castellanis obsessis tamen, inter hæc fortunæ ludibria, non levius à civibus, quam ab hostibus periculum. Susurri & murmura, non ignavius per urbem, quam in Gallorum castris vagabantur. Non inferiore cura, non minore solicitudine servanda erant à civibus terga, quam ab hostibus frons. Præsens malum obsessorum hospitium, quorum causa tot ærumnas patiebantur, cives exagitabat. Quanta sit expugnantium, Germanorum præcipue, sævitia, quanta crudelitas in victos, immemores, leviorem calamitatem, quæ ante oculos erat, ingemiscebant. Plærique tamen & Viamontesii præcipue, qui Regis Joannis fortunæ fuerant adversati, graviorem ruinam, tum à victoribus, tum à prisco Rege inimico prospectantes, nostris auxilio erant, & una mœnibus tuendis adstabant. Quid tandem, dices? Hoc tandem accipe. Sitis, fames, frigus, anni tempus, vigiliæ, rerum omnium necessariarum penuria, & Hispanorum militum nota constantia Gallos pepulit ab obsidione pridie Calendas Decembris. Per noctis silentia papiliones & tentoria incompositi eruerunt. per vallem Roncalis, qua venerant, haudquaquam ausi sunt, ob Lumberii & Sanguessæ, Oliti & Tafallæ munita, in itinere oppida, quæ nostra tenebant præsidia. Qua inter Pyrenæorum culmina sita est Arx, nomina *Maja*, ceperunt iter. Dux Najeræ secutus eorum discessum, Pompelonem venit. Diffident inter se duces. diversis inhærent consiliis, terga hostium stimulari debere, solvendosque levis armaturæ equites, atque agiles pedites ad hostium vestigia hi dicebant; *pontem argenteum fugientibus esse construendum*, ex Julii Cæsaris sententia, ferebant alii. Horum suffragiis adhæserunt reliqui. torpuerunt. fremebant dentibus, præ rabie multi è centurionibus, & cohortum præfectis. parendum fuit imperatoribus. Ita evadunt hostes, qui forte ad unum, aut jugo caput, aut gladio jugulum supposuissent. Vale. Lucronii. III. Decembris, MDXII.

EPIST. DXII.

Montani veniunt ad fugientes. Germanorum strages in montibus. Tormenta capta sunt. Desidia Prætoris evaserunt multi. Centurio Dona Maria. Galli non potuerunt succurrere afflictis. Borbonus ipse rediit alia parte. Navarra jam Castellana.

P. M. A. M. Præfecto Damicellorum Stellæ arcem habenti.

NUncius ad te iturus, me coëgit, ut strictius quam res exigeret, Gallorum discessum describerem. Particularia quædam accipito. Varias esse, inter Pyrenæos, regiunculas nosti. Alava & Lipuzca sunt Navarræ propiores. Harum incolæ, audito Gallorum profugio, duce Joanne à Silva illarum gubernatore, occurrunt ad numerum trium millium bellatorum. Circiter quinquaginta juvenes agiles & gnari viarum, quom cernerent agmen lento gradu cum duce procedere, occulte à sociorum cuneo divertunt. Inerti sequitur passu Joannes prætor eorum. Præstites illi pauci angustias occupant. Pars exercitus hostium jam transierat. Germanos qui à tergo cum impedimentis agmen sequebantur, intercipiunt. nil reluctantur, frigore, fame, vigiliis & lassitudine languentes Germani. Per montium anfractus impedimentis derelictis sparguntur ignari qua tenderent. pars major tum gladio, tum rerum penuria exstincta est. E tormentis unum grandius & magnæ molis dejecere præceps in profundam vallem. Decem alia in Lipuzcanorum potestatem devenere. Joannes à Silva magis Parideus quam Achilleus, aut Hectoreus, majorum suorum gloriæ bellicæ male æmulator, pigrius quam regula Martis exigat, sese gessit. Sero ad rem venit. Opinione omnium neque unguicula hostium ex universo exercitu evasisset, si præmissis ferre suppetias properasset, quin aut capti ad unum, aut perempti fuissent. Michaël dictus *Dona Maria*, Navarrus eques auratus primas, Viamontesius cum paucis familiaribus armatis, præsto in auxilium paucorum angustias occupantium advenit. supervenerunt & aliunde paulatim plærique alii. Quare non licuit Gallis, licet ante ipsorum oculos ista fierent, ad impedimentorum aut subsequentium militum laborantium favorem vertere faciem. In Galliam ergo mœsti, ac spoliati cum dedecore, qui evaserunt, regressi sunt. Retrocessit etiam male tractatus Borboni Dux, qui Oceanum versus Renteriam & loca quædam alia incauta & nil tale timentia, ferro atque igne vastaverat. Ita

Navarræ Regnum, quod hactenus in Gallorum potestate positum, Hispaniæ nasum torquebat, & frendere præ ira faciebat, ad coronam deductum est Hispanam. quæ ulterius accident, habebis. Vale. Lucronii. IX. Decembris, M D XII.

EPIST. DXIII.

Rediit Fonseca ad Curiam. Dux Alba permanet. Prorex Navarra Damicellorum præfectus & Marchio appellatur. De Comestabilis & Beneventi rixa. Quid uterque alleget. Quomodo conclusum; Dux Najara ad Curiam. Quæ tormenta Gallica.

P. M. A. M. Præfecto Damicellorum Stellæ arcem habenti.

FRequenter nunc scribo, quia frequentes mittit procurator tuus nuncios. Antonius Fonseca die decimo Decembris ad Curiam rediit. honorifice susceptus est. Dux autem ipse Albæ necessaria relicturus præsidia permanet. In Regno nuper capto novis oportet artibus uti, donec novorum animi subditorum, nova studia, veteribus exutis, induant. Damicellorum præfectus destinatus est prorex Comarensis. Marchionis illum titulo Rex ornat, quo sit locus & magistratus honoratior. Est Comares in regno Granatensi oppidum. Accipe nunc quid extra nostram aleam acciderit. Magnus Castellæ Comestabilis, & Beneventi Comes, neptis ex fratre ipsius Comestabilis maritus, jurgiis & contumeliis sese invicem lacesserunt, super dotalibus Comitissæ oppidis & patrimonio. Cessisse Juri Comitem, & Comitissam ejus uxorem, in vita functi Comestabilis fratris sui Comitissæ genitoris, Comestabilis arguit; Se nequivisse id facere Comes inquit, neque uxorem velle pacto stare. Patris reverentia vel timore, si quid annuerit, non sponte sua, inquit Comitissa. alterne sibi Comestabilis & Comes indixerunt inimicitias. Comitem ad duellum Comestabilis provocat. Non detrectat Comes. Locus extra Lucronii pomœria solitarius assignatur. Ad Regis aures delata est res. proscinditur simultas. In amicitiam, Rege id volente, redeunt. Novis pecuniis redemit Comestabilis suæ neptis hæreditatem. Nudius quartus Dux Najaræ ad Curiam regressus est. Eodem illo die nunciatum est, revecta fuisse Pompelonem vasa tormentaria raptara à Gallis. Quatuor ajunt inesse validos Canones & Colubrinas, & novem id genus, quod faceres aut falconetes appellant. De discessu ex hoc oppido jam sermo est. Burgos, unde huc profecturi discessimus, regrediemur, non tamen ibi diu moraturi, uti Rex ait. Ex urbe fertur, Pontificem, & Cæsarem nova fœdera inituros. Quid causæ recentis insit, non habemus. Vale. Lucronii. XVIII. Decembris, M D XII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

Epist. DXIV.

Fœdera Imperatoris & aliorum. Dux Mediolanus suo populo. Papa dat munera Duci. Quare amet Ducem. Favet Duci Papa. Inundationes magnæ.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

SIc vivitur. Raras modo, modo crebras ad te literas do. defuit nuncius. Quæ post superiores meas acciderint, accipito. Die vigesimo quarto Decembris natalis Christi profesto, Burgos venimus. Dux Albæ ad nos venit relictis in regno Navarræ aptis præsidiis. Ex Italia per dispositos equos Betrianus quidam juvenis à Petro de Urrea Oratore apud Cæsarem venit. Conclusisse refert Cæsarem cum Pontifice, publicisque per utriusque urbes aut oppida edictis esse promulgatum, fore successus communes. Status & personas alterne obtulerunt sibi, hostes hostibus & amicos amicis futuros polliciti sunt. Cæteris Christianis Principibus edicitur, ut idem liceat intra menses duos fœdus inire. Venetis quinque & viginti dierum terminus assignatur, lege Venetis præbita, ut Pontifici auxilio sint ad Ferrariam Pontificiæ tiaræ reducendam. Imperatori autem Brixia, & quæcunque alia Venetis ablata manu teneantur. Per fœderatos Mediolani Dux electus *Maximilianus* nomine pro Pontifice, Cæsare, Catholico nostro Rege ac Helvetiis, à Matthæo Langa Cæsareo à Secretis Episcopo Gursensi & Ramono à Cardona Prorege Neapolitano, trium exercituum Pontificii, Cæsarei, Hispani, imperatore & oratoribus Helvetiis, Mediolanum ducetur propediem. Is Dux est Palmæ, oratores spectans. Summus Pontifex per sacræ Rotæ auditorem nomine *Campegium*, præstantibus donat muneribus Maximilianum, equorum scilicet, ac fericearum atque intextarum auro telarum ad vestes & supellectilia domus conficienda. *Sfortiam progeniem esse de se bene meritam*, inquit, *quod patruo suo Sixto IV. Pontifici Maximo, ad Pontificatum adipiscendum, Sfortia domus oratores suis suffragiis auxilia præstiterint. unde & ipse Cardinalatus apicem, patruo præbente, nunc Pontificatum sit assecutus.* Juveni Duci favebit pro viribus. Burgis, quando ista ferebantur, eramus. Inde huc die quinto Januarii, alterius jam anni, serius quam itineris intercapedo exigeret, pervenimus. quia nos, universam dico curiam validæ fluviorum inundationes & torrentes triduo in oppido Palenzuela fere obsessos detinuerunt, obrutis proluvio pontibus. non diu moraturum hic Regem arbitrabamur: non tamen quo sit concessurus & adhuc aperuit. Vale. ex Valledolito. die septimo Januarii, MDXIII.

Epist. DXV.

Signa futura probitatis in Carolo duodecenni nostro Principe. Quid de Principe futurum sentiatur. Principis miræ dotes. Temperans redarguit intemperantes. De gravitate. Perfecta omnia à natura. Quid speretur ab educatione.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

QUæ annus duodecimus à quingentesimo supra millesimum à Christi natali, meo judicio, memoratu digna pepererit, vidisti. Tertii nunc decimi accipito initia. Quid de Carolo Principe puero adhuc, omnium Regnorum hærede, quæ divus Fernandus Arago Rex Catholicus, ejus avus possidet aut gubernat, sentiatur in Curia, cupis primum intelligere. Multa de illius primordiis referuntur. A natura emittit animi excelsi argumenta, pullulare ajunt in eo, justi & recti præclara signa. Est in ætate puerili adulationi & mendacio non modo non fautor, sed aperte inimicus. ab hujuscemodi abhorret hominibus. sobrietatem, inquiunt, illi summopere placere. Si quem è domesticis intemperanter crapulatum senserit, torvo illum inspectat vultu & abjicit. in crastinum redeuntem

tem acerrimis insectatur jurgiis, quam fœdum sit cuiquam nobili vinci ebrietate, senili quadam objurgatione ostendit. De gravitate Caroli, ultra quam ætas ferat, multa scribuntur. In risu, motu, gestu, & responsis modestissimus. Nil denique in eo magis impræsentiarum desideratur, quam natura illi fuerit elargita, unde speramus in clarum Principem, & tot Regnorum bene meritum Regem evasurum. Hæc ab utero & genitura. Ab eruditione autem credimus mores optimos ebibiturum. Neque altrici naturæ institutores officient. Nutritium ferunt Guillelmum de Croy Dominum de Xebres longa esse rerum experientia pollentem: qui sit modestus, temperans & gravis admodum. à quo nullum, inquiunt, notabile vitium prodiisse unquam. Præceptorem vero, ne quid desit, assecutus est à teneris unguiculis Ludovicum Vaccam nobili sanguine ortum Hispanum & literis & claris moribus egregium, benignum & virtutum omnium clarum exemplar. mox grandior effectus, præceptorem adjunxerunt Belgæ Adrianum Trajectinum, qui nec literis divinis inter transmontanos, neque sanctitate morum in Christiana religione habeat superiorem, Lovaniæ Principem Academiæ, ac ipsius urbis Decanum. Horum exempla creduntur ad ingenium pueri irrigandum, ut coalescat amplificeturque profutura. Quantum institutio ad naturam vel in male natis moderandam, vel in bene afflatis expoliendam possit prodesse, sæpe tecum alias. Ex ferro videmus vili metallo vectes fieri ac seras, instrumentaque alia prospicientium oculos sua pulchritudine ad se trahentia, si ad arguti manus artificis cudendum devenerit ferrum. E converso accidit auri massam jacere incultam opificum negligentia. Fruamur ergo Fernando sene illius avo, dum per ejus ætatem licuerit, & divina illum nobis providentia præstiterit, & in puero Carolo, magni futuri Regis initia præ se ferente gaudeamus. Vale. Data in Valledolito Idibus Januarii, MDXIII.

EPIST. DXVI.

Quæ sit exemplo Reginæ Iohannæ summa felicitas, quæ nihil curat de Regnis. Descriptio Turdisillarum. Pater ad filiam. Quæ sit Regina regia. Consilium quo vivatur. De vita Reginæ, Saturno pessundatæ. De opibus cura nulla. de nugis sic. Quæ sit vita tranquilla. Quæ sint procellæ potentum. Helvetiis à Duce Mediolani dantur stipendia. qui gubernent Ducem Mediolani.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

Historia dignissimam, quia vitæ nunc magistra erit, audi rem. Tordesillas nosti esse oppidum in Doril fluminis ripa situm, ab hoc municipio distans lequas quinque, neque te latet, Reginam Joannam Castellæ Dominam, Fernandi Regis filiam illic esse inclusam sponte sua, æternumque permansuram, dum vixerit. Ad filiam genitor tetendit. secutus ego sum. grandius namque exemplum vidi nullum, aut legi, quo magis deberemus, quæ sit rerum humanarum insania perdiscere. miseret amici Ludovici Ferrerii Valentini nobilis equitis, qui talis volucris custos est designatus. Quo risu agitemur, quam vanis affectibus raptemur, mulier ista nobis aperit. Hispaniarum paucis angulis exceptis, & insularum nostri maris, ac Regni Neapolitani, orbis etiam novi, non minoris faciendi quam cogniti hactenus, Domina est partim, partim hæres indubia. Quid isthac circuitione velim interrogabis. Audi & disce vivere. Angustis contenta cameris, nihili penitus hæc omnia facit. Neque à Patre, ab insalubribus illius atrii, quod magnum est & commodum, cubiculis ad paratas regio more aulas divelli potuit, neque lecto procumbere vult molli fultoque lodicibus, neque vestibus indui, vigente frigore, pelliceis, aut aliis ad anni tempus aptis. privatis utitur supellectilibus. In sumendo autem cibo extraordinarie vagatur, triduum aliquando transigit jejunum, neque supplicum familiarium precibus flecti unquam potuit, ut escam sumeret ullam, aut potum. Saturno pessundata est. Hæc nihil ad rem priorem de contemnendis mortalibus auris imperiorum. Est huic maximæ Reginæ de Regnis aut opibus cura penitus nulla, de nugis magna. Hinc multo beatius vivit, tranquillioremque vitam transigit non incolumis quam qui sibi vivant incolumes, qui regnorum ambitione popularium importunis votis afflati,

perpetuo

perpetuo macerantur, mille procellis & fortunæ ictibus quassati undique. Hæc à nobis. Ex Italia scribitur, Maximilianum Ducem suasu fœderatorum præbere Helvetiis, quo in fidem Italiæ detineantur contra Gallos, annua ducatorum quadraginta millia. Populus Mediolanensis misit obviam suo Duci venienti, ducatorum auri millia centum viginti, quibus se ad ingressum ornaret. Hispani milites Trecium oppidum, quia pertinax esset in fide Gallorum, dederunt in prædam. Arx Novariæ urbis, nomine fœderatorum manu tenetur. cæteræ arces, Mediolani dico, Genuæ & Cremonæ, adhuc præsidiis tenentur Gallicis. Cardinalis Sedunensis Germaniæ, Gursensis Episcopus Insubriæ legati pro Pontifice ac Cæsare, pro Catholico autem Rege Ramonus Prorex, & Petrus Urrea Orator novum Ducem gubernant impræsentiarum. de cujus Ducis moribus ad te alias scribam. nunc vale. ex Valledolito. XVII. Januarii, MDXIII.

EPIST. DXVII.

Mors Iulii Papæ. quæ acquisiverit Ecclesiæ, Parmam & Placentiam. quid dat Ecclesiæ, & quare. de fabrica S. Petri. quantum vixerit. quo die coronatus. quo die mortuus. schismatici ubi sint. Tramulla cum Helvetiis. quid hi responderint. Rex Hispaniæ ægrotat. Laus Iulii in sponsam amantissimam Ecclesiam. De vita & honest. cler.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

METhinnam Campi venatus gratia se Rex contulit. sequor illum ego, quocunque tendat. Senatus regius in Valledoleto permanet. uno contextu hinc accipe non pauca. Magnus ille Julius Pontifex Maximus, alta meditantem animam, & magna gerentem, XX. Februarii nocte intempesta emisit. Quantum Ecclesiæ patrimonium addixerit, suis locis habuisti. Ravennam, Forum Livii, Forum Julii, quod dicitur Imola, Cremam, Ariminum & multa præterea de possidentium manibus ereptas urbes sponsæ suæ Ecclesiæ addixit. affinibus neque villulam unquam, ut solebant cæteri Pontifices, impartitus est. Redditibus propinquos Ecclesiasticis ornabat. Quid de Bononia dicam, bonarum artium altrice, quam de Bentivolorum vetere Tyrannide liberavit? Parmam præterea, Placentiamque, Ducatus Mediolani egregias quondam urbes ad se traxit: *Exarchatus Ravennæ fuisse ambas*, inquiens. Quæcunque tandem vel armatus vel inermis adeptus est, sponsæ reliquit suæ amantissimæ. quadringentos millies auri nummos reliquisse ajunt futuroque Pontifici testamento legavisse, ne si pauperem hostes Ecclesiam repererint, sævire denuo temerarie incipiant. Beati Petri in Vaticano molem sacram arte mira & murorum robore structam reliquit inceptam. Vixit annos novem & sexaginta, septuagesimum tetigit. Anno MDIII. in Calendas Novembris. quo die Conclavim fuerunt ingressi Cardinales, suffragiis omnium, qui erant V. & XX. creatus est. coronatus autem ejusdem mensis die XXVI. Fuerit in arcanis à Venere ac vino abhorrens, aut aliter, arcanorum ejus participes dijudicent. nos ab operibus ejus nostros sumus exorsi actus, quæ illum ab aliorum Pontificum alea segregarunt. De Julio satis. ad alia veniamus. hoc in pera tabellaria tulit cursor, quæ autem ore refert accipe. Schismaticos ait Cardinales esse in Masillia ut transfretent ad Urbem. Rex Gallorum per cursores crebros, perque suos Oratores hortatur, & rogat, ne Collegium Pontificem creaturum conveniat, donec Gallici Cardinales absentes adeant, quo Electioni futuræ queant interesse. Quid statuent, habebis. Dominum de Tramulla Gallicum Primatem scribunt esse inter Helvetios, ut eos magnis pollicitationibus in fidem Gallorum totis viribus trahat. Fuit à fœminis ejectus è templo tanquam excommunicatus. vix popularem evasisse furorem dicitur. Responsum tandem illi est: Helvetios fore Gallorum amicos, modo nil contra Mediolani Ducem moliantur, aut in Pontificem. Nudius tertius qui fuit Martii dies undecimus, Rex noster Catholicus parumper ægrotavit. Heri quicquid comederat, evomuit. vivido tamen est animo. Vale. Methinnæ Campi. XIII. Martii, MDXIII.

EPIST. DXVIII.

Laus Reginæ Gallicæ. Oratores Reginæ Gallicæ. Habet charos Hispanos. Literæ pro literis datæ. quæ stemmata Lipuzcanis data. Germani perierunt. Bene munita nostra præsidia. Paratur exercitus Gallicus. Trivultius magna molitur. Dux Guimaraneus peremit uxorem. De Don Petro Girone. Quid arguat pro Ducatu Sidonio.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

AD Regem ex Gallia venerunt à Regina Galliarum, quæ amica pacis est, casta & prudens, duo Francisceæ institutionis fratres.

tres. Venit & pone illos ex ipsius Reginæ familiaribus Hispanus nomine *Iaches*, & arces tutandas, & suæ domus fida obsequia credit Hispanis viris Regina illa. Literas ad Regem omnes attulerunt, de pace putamus. Remissi utrique fuerunt illico. Quid reportent, nec nos intelligimus, neque ipsi sciunt. literæ pro literis datæ sunt. *Catum referunt in pera*, ut est in proverbio. Lipuzcanos viros ob rapta Gallis fugientibus impedimenta, apud Velatem & Lizandum oppidula in angustiis montium, & quia sese in propulsando Borboni Duce forti animo gesserint, quando vastans omnia, fines eorum incaute invaserat, Rex Catholicus honorificis donavit stemmatibus, vasis puta tormentariis x. quæ gestare posthac in vexillis queant, centum una millibus Marapetinis, ut more vestro loquar, annuis. læti gratia discedunt Lipuzcani. Horum exemplo multi eriguntur. Qui vero se negligenter gesserunt, erubescunt. Episcopus Illerdensis Conchillus, Reginæ Gallicæ nuncios secutus est. longis itineribus in Galliam tendit; ad pacis aliqua fœdera tractandum putamus. Ex Gallia intelligimus Germanos, qui evaserunt è Pompelone, fere omnes ex conceptis præ frigore & egestate morbis periisse. Fertur præterea Sancti Joannis Pede portus oppidum, intra fines Gallicos, quia ultra Pyrenæos situm: fossis & aggeribus adeo esse munitum, ut jam nostra præsidia nil vereantur. Ajunt quoque, cogi magnum exercitum in Gallia, & magnum Trivultium, Franciæ magnum Mareschallum esse in urbe Taurino bonarum artium altrice in Italia. Magna moliri debet. Artes quærere, quibus patriæ restituatur totis viribus conabitur. quiescet nunquam aliter, dum vixerit. Novum audi aliud, dictu horrendum. Dux Guimaraneus, condiscipulus tuus apud me, Portugalensis, præ zelotypia uxorem propriam, & suspectum ephebum jugulasse dicitur. Proh durum facinus! Quid dicam de altero tibi eodem modo condiscipulo? Petrus Giron, Urveniæ Comitis hæres, audita Henrici sororii sui Methinæ Sidoniæ Ducis morte, provinciam sumpsit Ducatus ipsius apprehendendi. Spurios esse duos Henrici sororii sui fratres arguit, neque hæreditati aptos. Ad uxorem vero suam jure merito, statum illum pervenire. nescio an sit favorem in Rege reperturus. quæ succedent, habebis. Vale. data Methinnæ Campi. xx. Martii, MDXIII.

EPIST. DXIX.

Leo X. Papa annorum XXXVIII. *de affectibus Cardinalium. Ignota febri laborat Rex Hisp. Est in Meliorata Rex. recidivavit. Phrenisi laboravit. Copia Anglorum contra Gallos. Medices est Papa. De moribus Papa. Quando in conclavim. Rex Hisp. liber à febri.*

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

MArtii septimo & vicesimo die, per incertam famam est allatum à Burdegallia, & finibus Hispaniarum ultra Pyrenæos, creatum esse Pontificem Cardinalem Laurentii Medices filium Florentinum. Vix credere id possumus, quia sit annum natus nondum octavum & trigesimum, soleantque sacræ sedis Romanæ Cardines potius decrepitos quam ætate virentes deligere, quo domitis jam carnis & mundi affectibus, rerum experientia pollentes, quid agendum sit, liberius & callidius intelligant. De spe autem illorum ac desiderio crebræ mutationes illius oneris, & cur id cupiant, prætereo. ipsi viderint. Coram æterno Judice hujus puncti ratio ab eis exigetur. De Rege nostro hoc scito. In deterius labitur, febri laboravit ignota. Modo namque in tertianam, in continuam modo prosilivit. Nosti quoniam à parvulo es educatus in curia, veteri suo more secessisse quotannis à secularibus negociis ad cœnobium aliquod semotum, ubi hebdomadem agerent sanctam, Regem & Reginam. Uxore defuncta, prætermisit nunquam Rex consuetudinem illam; semifebricitans se contulit Rex ea secunda feria *Melioratam*, in Hieronymorum fratrum cœnobium, ab Ulmeto municipio milliaria duo. convaluerat aliquantisper. nocturnis, præter medicorum consilium, voluit sacris interesse. Nocturni aëris intemperies illum recidivavit. eo die qui Resurrectionem Dominicam secutus est, pharmacum sumpsit. Nocte sequente febris illum est ardentior adorta. Prima sequenti luce putarunt emblemmate medici laboranti succurrere. crevit illico febris, & fere factus exanimis est. Verba protulit frenesi admixta. turbati eo casu Medici diffidere cœperunt. Hæc de Rege. ad Britannos transeamus. Juvenis ille Rex Britannus, animo pollens, ac belli nervis abundans, Gallos intendit dura strena salutare. *Terra*, inquiunt, *trium & viginti millium bellatorum numerum coëgisse*; *maritima vero classe millia decem.* Incredibile memoratu est de machinarum & tormentorum copia. Vale.

Vale. ex cœnobio Meliorata. pridie Calendas Aprilis. Addo aliquid. exspecta parumper. Distulerat abscessum nuncius. superiore nocte procubueram. ecce Guizardini Oratoris Florentini familiarem! crebris ictibus portam hospitii mihi concutit. è somno excitor. Heri sui Oratoris nomine mihi significat, se habuisse literas ex Florentia de creatione Medices Cardinalis concivis sui Græce ac Latine. habemus Pontificem eruditum, sed Musicum, & qui cantorum collegiis & frequenti corona delectetur. pacis est suopte studio amator, minime Martialis, mitis admodum, suorum & affinium & familiarium æquo amantior. Qualis futurus sit Pontifex, tempus loquetur. IV. nonas Martii Conclavim sunt ingressi Cardinales præsentes, nullam de absentibus rationem habuere, intra diem septimum ab ingressu rem peregerunt. Interea dum nuncius moratur, Rex bene valuit. liber est febri. & tu vale. ex Valledoleto. XX. Aprilis, MDXIII.

EPIST. DXX.

Papa dicitur Leo X. Leonum tempora turbulenta. de Lanterna castello. laborant egestate magna. Laus Cusentini confirmati. Trivultii prudentia patria nociva. de Sophio & Selimsacho. persequitur Tyrannus propinquos. Veneti conveniunt cum Gallo. Magna proponunt Veneti.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

AB Urbe unum, à Florentinis alterum habemus tabellarios. ad portum qui *Liurnus* dicitur ait viva voce cursor appulsos esse Cardinales à Julio damnatos, Caravaiallum scilicet Hispanum & Sanseverinum Angiovinæ factionis in regno Neapolitano seditiosum, & quietis male studiosum. Quæ autem in pera tabellarius ferat, habeto. Scribitur ab Urbe, novum Pontificem *Leonis X.* sibi nomen sumpsisse. Fallat utinam. præsagio nescio quid ex hujus nominis Pontificibus. Pauci sua tempora egere tranquilla, sine aliqua Italiæ ærumna raro vitam finiere. sæpe Italiam illorum ætate Saraceni perturbarunt. Deus omen avertat. Ex Genua fertur, castellum illud in Genuæ portum super vasta imminenti portui rupe à Gallis in Genuensium & jugum opprobriosum & jacturam ingentem constructum, laborare penuria rerum omnium, *Lanternam* castellum id nominant. Ibat onusta commeatibus navis una Gallica in obsessorum auxilium, quo illos reficeret, invalidosque abduceret, & eorum loco sufficeret incolumes. A classe Genuense, in qua incidit, capta est ea navis. quare sperant brevi Genuenses à se discussuros eam servitutem. Intolerabilis est hostilitas. Amicum tuum Joannem Rufum Foroliviensem Cusentinum Archiepiscopum pro sede Apostolica sub Julio, Leo X. Pontifex confirmavit honorifice. Vix reperio, quem huic viro æquem inter sui ordinis prælatos. Galli exercitum novum cogunt, magnus Trivultius, bellorum ille magister egregius, & nostri Regis judicio nemini par in regendis exercitibus, toto conatu Gallos excitat. monet ut in Italiam redeant & impellit. Amor patriæ facit, ut sua sapientia & industria patriam modo perturbet, modo laceret. Non saturam esse fortunam ærumnis Italiæ suspicamur. Sophius Persa ex Amaro monte, qui aquarum divortio Ciliciam dividit à Syria, in Turcas inhiat, Selimsachi parricidæ fautores. Corcutum majorem Selimsachi tyranni fratrem ejectum & Accinatum Corcuti, si bene relatum est, primogenitum apud se Sophius habet. Illorum favore putat se debellaturum Selimsachum usurpatorem Imperii, qui præcipue ob humanitatem Corcutus à patris militibus & populis ametur: Selimsachus autem ob sui ferociam & crudelitatem odio habetur. Veneti cum Gallo rege in recentem Italiæ perniciem convenerunt. Quando illis futura pernicies post vicinorum ruinam proponitur, excusationes innectunt, *Cæsarem esse in causa, qui eos cogat ista moliri, qui pro Verona recuset ducatorum millia tercentum, & septingenta petat, & Venetiarum servitutem.* Has atque alias mihi causas Joannes Baduarius Orator Venetus adducit: cur Veneti sese dent præcipites, qui toties Gallorum insidiam sint experti. & addidit: *mea Resp. quaque via nititur impræsentiarum à Cæsaris & illius consultoris Episcopi Gursensis avaritia se exsolvere.* de futuris fidemne sint, nec ne Galli servaturi, Deus novit, & ni servaverint, forte aliter quam hactenus futuros rerum eventus. *Nil nobis potest infelicius evenire, quam Cæsaris postulata suscipere.* Hæc Veneti. Tu vale. ex Valledoleto. in nonis Maii, MDXIII.

EPIST. DXXI.

Tres cursores habemus. Papa mitis. Papa potens. Dictum Biantis. Adjuravit in Gallum Anglus. Compositio Trivultii cum Castore. De venditis Principibus. Quintana ad Cesarem. quid suspicetur. Turci obsident castellum S. Petri. Inquietus Turcarum Princeps.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

RΕcentes habemus ex Italia, paucorum dierum intercapedine, tres cursores. Sanseverinum & Caravaiallum à Julio Pontifice, rubro galero privatos ajunt esse Florentiæ bene sperantes de reconciliatione. ad Cardines recuperandos sperant Sancta ✠ & Severinus. Est enim Leo Papa, paterni astus & prudentiæ, ut ajunt, expers, suapte natura mitis & benignus, facilis & pronus in collegarum Cardinalium beneficentia. Nidum reperit hic noster Leo Pontifex plumis multo magis fultum, quam alius Pontificum repererit unquam. Diximus, quid Julius Papa moriens reliquerit. Addita est insuper huic Florentina potentia ex Fœderatorum conventu adversæ factionis viris ejectis. Tempus, rerum index verissimus, aperiet, quid in eo Biantis doctum, *Magistratus virum ostendit*, operaturum sit. Ducem Florentinarum copiarum Antonium à Cardona Padullæ Marchionem destinavit. Joannes Hastil Britanni Regis Orator, mihi retulit magnanimum Regem suum Britannis proceribus & nobilibus convocatis in Galli Regis perniciem adjurasse, necdum transfretasse, ut fama fuerat, sed circiter Maii dimidum, aut quo serius finem transmissurum exercitum per Calesium fretum in Galliam, marique ac terris eam impetiturum. Trivultius ille concivis meus, patriæ non secus amator, quam de Castore legatur, qui præ nimio amore filiorum capita comedit, in plano Insubriæ Gallicas tenet copias. Helvetios & ipse, quorum est membrum, ob Misochi Comitatum in Alpibus inter Helvetios situm, seducere nititur. De illorum constantia dubitatur, licet contra Gallos se feroces ostendant impræsentiarum. Sunt qui prædicent, & filium aliquando vendituros Maximilianum Ducem, qui Ludovicum ejus patrem apud Novariam Gallis vendidisse creduntur. Ad nos venio. Murmur est exortum in Curia ob Petri Quintanæ repentinam tacitumque discessum per dispositos equos. Is est Almacani Secretarii consobrinus, & arcanorum particeps. qui judicio pollent & rerum experientia, putant à Rege missum ad Pacis fœdus aliquod feriendum, fœderatis inconsultis, cum Rege Gallo. Hic ludus Joanni Hastili oratori minime placet, licet Almacanus interrogatus hoc aperte neget. Rhodii castellum habent in continenti Græci, trans Hellespontum Sancti Petri nomine. Id obsideri dicitur à Turcis. Formidant Rhodii magis ac magis indies Turcarum Principis ferocem animum, qui sit inquietus & bellicæ gloriæ cupidissimus, quem etiam conscientia scelerum exagitet, ob perludentes in ejus facie genitoris & propinquorum interfectorum animas. ex Valledoleto. XIX. Maii, MDXIII.

EPIST. DXXII.

Turcus in Asiam relicto filio gubernatore, Selimsachus stringitur. ad Rhodios commeatus. de Rhodio magistro. Classis Gallica dejecta. Magna Genuensium perturbationes. Laur. Fliscus necatur. Gens Adorna ejicitur. de potentia & lapsu Genuæ.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

SEnatus Venetus ad Joannem Baduarium literas misit, in quibus hæc de Turcarum Principe referuntur. Selimsachum ajunt Turcarum Principem obsidionem solvisse à Sancto Petro Rhodiorum arce munita, transfretasseque ipsum in Asiam, filio in Constantinopoli gubernatore relicto, quia senserit Accinatum majoris sui fratris primogenitum ex Amano Tauri montis horrenti jugo, cum ingentibus Sophii Regis Persarum copiis in Magnesiam, eam juniores *Amasiam* appellant, descendisse: Curcutumque patrem à tergo majora parantem ex Anguri Asiæ provincia. Turbari animo & ambigere incipit Selimsachus parricida, qua primum se vertat, ad fratremne prior, aut nepotem, inscius. Interea dum trans Hellespontum *ista* geruntur, in Constantinopoli, ea est Bizantium, est exorta inter Janicerorum primarios Duces seditio valida. Quare coactus est Selimsachus per Legatos rem Asiaticam tractare. Bizancium regressus, majoribus se reperit negociis implicitum quam Rhodon petere. Amatur Circutus ob humanitatem, & vim à fratre illatam; habetur odio Selimsachus ob parricidium & tyrannidem. Ex Sicilia annuente nostro rege, rei frumentariæ ingens

gens copia portatur ad Rhodios, qui per frequentes cursores magnum magistrum, qui est in Gallia, vexant, ut pastor ipse properet ad gregem suum, ab imminenti fero lupo, tutandum. Scribitur etiam ex Genua, classem Gallicam, quæ Lanternæ castello ferre suppetias tentaverat, non sine jactura fuisse à Genuensi classe rejectam. laborant summa inedia inclusi. Excutient propediem jugum id infestissimum Genuenses, nisi dira labes factionum obstiterit. Exortus est in urbe ipsa Genua superioribus diebus acer tumultus, Joannem Adornum ipsorum ducem Laurentinus tituli Comitis insignitus, è gente Flisca dicitur adiisse consulens, ut Galli, quos armata manu adventare significavit, admittantur. Insilivit in Laurentinum dux Adornus, jurgiis Laurentinum Fliscum lacerat, *patriæ proditorem* appellat. Aufugit Fliscus, è palatio prodeuntem Adorni Ducis frater interficit. Flisca factio in sui Laurentini vindictam arma capit. ejicitur Flisca ex urbe. Adorni extra urbem Fliscos insequuntur. Aperto Marte crudelis, plus quam civilis exoritur pugna. Vincuntur Adorni, & ab urbe radicitus fugantur. In Bergantinum se fugiens Dux Adornus conjecit, vix ea levi navicula evasit, in Corsicam insulam ad classem Genuensem tranavit. Ita urbs illa mutuis armis, extero nullo urgente hoste, se conficit, & quæ quondam nostri maris duci esse solebat, nunc intestinis odiis & rabida peste inimicitiarum exagitata, è servitute labitur in servitutem. Ex Valledoleto. in nonis Junii, MDXIII.

EPIST. DXXIII.

De miranda Gallorum strage ad Novariam. Qui Gallorum duces. Mediolanum fluctuat. Obsessis in Castello succurritur. Helvetii accurrunt. Novariam ingrediuntur. Novaria concutitur. Consilium Trivultii. Tramugliæ jactantia. Helvetiorum invitatio. Recusant pugnam Galli. Exeunt ad Gallos Helvetii. Trucidant Germanos. Strages Gallorum.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

PArva manu sæpe legisti Romanos hinc, Athenienses inde, maximas hostium copias profligasse. Nil unquam memini me legisse in re bellica majus, quam impræsentiarum inter Gallos accidit & Elvetios. Descendisse Gallos in Italiam retuli, ducibus Trivultio & Gallo primate Tramuglia Novariam petunt, Cataphractos duxerunt mille & trecentos, levis armaturæ majorem copiam, peditum autem millia quatuordecim. Mediolanum, audito Gallorum adventu, Trivultii factione populum stimulante, tumultuatur. per spurium Trivultii filium obsessis intra castellum commeatibus succurritur. Laborabant enim ad extremam esuriem. Dux Maximilianus quem ajunt esse non ea prudentia vel animi vigore, quo oporteret, Mediolano exivit, Novariam tetendit Gallis obviam sub spe auxilii Elvetiorum. Vires suas in ejus tutelam Elvetii offerunt. conventus frequentant Elvetii, quibus magis expedit vitam, quam Ducatum amittere aut sinere, ut ad Gallorum manus deveniat. Quater mille pedites Dux secum habebat. properanter millia quatuor Elevetiorum accurrunt, noctu furtim Novariam obsessam ingrediuntur, Duci spem rei bene gerendæ præbent. Ad muros Galli machinas applicant, quatiuntque hostiliter. Trivultius Tramugliæ Gallo collegæ suo suadet, ne tempus hoc inane obsidendi Novariam teratur, incassum esse ista. Mediolanum rei caput esse petendum, populo vocante proclamat inde faciles fore successus reliquos ajebat. Tramuglia, sive quod sic statutum esset in fatis, sive ne videretur alterius consilio res geri, ad Trivultii consilium faciem dedit nunquam; se ibi habiturum ad manus filium, ubi genitorem Ludovicum habuerat. & his dictis per literas Galliam replet universam, propediem se missurum Maximilianum filium, ut eodem carcere moriatur, in quo Ludovicus genitor. sibi omnia tribuebat, de collega Trivultio nulla mentione facta. Dum his Tramulla nugis Galliam, seque depascit, Elvetii numero pauci, peditesque tantum, neque enim fas fuit, equites obsidioni credere, portis patentibus Gallos provocant, ignominiis lacessunt ac jurgiis hostes. *effœminatorum esse, minime strenuorum tormentis agere, ubi certandi præbeatur. viri concurrant viris*, portas pollicentur apertas. detrectant Elvetiorum oblata Galli. noctem illam, quæ nonas Junii secuta est, insomnem Galli transegerunt, veriti, quod elucescente aurora, illis contigit. refectis cibo exiguoque somno militibus Helvetiorum duces, primo diluculo taciti educunt turmas. agmine composito, qua machinas Germani, & impedimenta custodiebant, primum ruunt. sternunt ac trucidant ad unum. equites in fugam vertuntur omnes. Fit strages inaudita, faciem in Helvetios nemo vertit ultra. Ramonus à Cardona Prorex vocatur ex Placentia, ut in auxilium Helvetiorum veniat. Super Pado se construere pontem,

quo trajiciat; respondet. Hæc allata sunt; hæc habeto. & vale. ex Valledoleto. XVIII. Junii, MDXIII.

EPIST. DXXIV.

De Duce Suffulchi. Iugulatur Suffulchus. Frater Suffulchensis Prætor. Artes Galli contra Anglum. De prædonibus. De asylorum libertate. Latrones suspensi. Asyla franchias *vocant. Sequuntur victoriam Helvetii. Vercellæ ac Taurinum mulctantur. Hasta capitur.*

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

SI memor es, scripsi ad te alias in Philippi regis naufragio, Enrichum Angliæ Regem vita functum, ab hospite Philippo, consobrinum suum, quem Philippus habebat in potestate, priusquam ex Anglia discederet, quo tempestas illum appulerat, exegisse. quis is esset, quibus artibus ad Philippi regis manus devenerit, quamve sortem assecutus fuerit, accipito. *Emon de La Pulla* dicebatur. Dux erat Suffulchensis è primariis Angliæ principibus, ex quarta, ut ajunt, *Duarti* Regis filia ortus. Habitum in deditionem *Enrichus* Rex in arcem conclusit Londrensem, sub fida custodia. prodigus erat, ære pessundatus alieno. Judicium veritus aufugit, in Burgundiam prius. Revocatus fide præbita, creditoribusque, Regis amore dilatione solutionis debitorum annuentibus, rediit, sed pristinam profundendi naturam resumens, sese iterum gravavit ad extremum, aufugitque denuo ad Sicambrorum Ducem, qui nostra tempestate *Geldrensis* dicitur. Illum devicto Duce Geldrense Philppus calamitosum, & omnium rerum egentem ad manus habuit. Ex composito, neque enim aliter ex Anglia Philippus discessisset, Suffulchensem Ducem Regis consobrinum Philippus tradidit, icto tamen cum jurejurando fœdere, ne illum Rex aut perimeret, aut male tractaret. Ita successit vivente Enricho promittente. Sed Enrichus juvenis successor jugulari Emonem in Londrensi castello jussit, quia cum fratre una fugitivo Gallicæ classis præfecto, Richardo Pulla, de concitanda in Regem Anglia per literas agebat. In Angli namque Regis injuriam hunc Rex Gallus fovebat; sperans, aliquando fore, ut hujus Richardi opera æterno suo hosti Regi Anglo perniciem queat adstruere. Idem Jo. Astil orator Anglus mihi retulit, latronum quandam copiam, in plaustra pecunias ex municipiis ad Regem vehentia, ad bellorum auxilium insiluisse, Asylorum fretos receptubus, quos ait esse in Anglia plures, ad quos genus omne facinorosorum, præterquam criminis Hæreseos infectorum, confugiens tutum est, etiamsi deciderint in crimen læsæ Majestatis. Ex his habuit Rex ad manus octoginta, priusquam sese reciperent in Asyla; laqueo illis facti præmium persolvit. Asyla hujuscemodi *Franchias* appellant regnicolæ. Ex Italia fertur Helvetios, Maximiliano Duce regente illos, fugatorum Gallorum vestigia secutos, Vercellis urbi egregiæ quindecim ducatorum millium tributum imposuisse, dedidisseque in prædam Sancti Germani oppidum nobile, quia parum obstiterit, superveniente demum Prospero Columna cum cataphractis equitibus ex Hasta civitate, Gallis, qui se fugientes in eam receperant, ejectis, urbem diripuerunt. Taurinum autem bonarum artium altricem, valida pecuniarum summa multarunt. Vale. ex Valledoleto. V. Julii, MDXIII.

EPIST. DXXV.

Pescariæ Marchioni Genua deditur. Albanus Venetorum Dux Veronam obsidet. Papa Cardinales, à Iulio ejectos restituit in pristinum gradum. Qui Cardinales ob id irati. Confessio Cardinalium. petunt errati veniam. Dux Bregantiæ in Africam cum magna manu. Anglus in Morinis obsidet Teruanam. Anglorum plaustra perdita. Stringitur Teruana.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

EX Italia, ex Angliaque, & Portugalia, paucorum dierum intercapedine, Tabellarios habemus. Ex Italia scribitur in bellorum crepitante schola Tartarea, Pescariæ Marchionem Neapolitanum Principem, stipendio Regis nostri militantem, Hispani peditatus Prætorem Genuam tetendisse, cum universa Hispanorum, & quorundam cataphractorum copia, militum furorem non expectavit, Genua se dedidit. Rediens Albianus Venetorum Imperator de strage Gallorum, Veronam ausus est obsidere. Genuensi re perfecta, sese Pescariæ Marchio, cum Prospero Columna Prorege conjunxit. Acceptis in unum omnibus militibus, ad Abianum tendunt, ex itinere Pescariam, in Benaci lacus faucibus, qua Mincius labi incipit, oppidum, Brixiam quoque ac Bergamum recipiunt. Recta proficiscuntur ad Albianum. solvit obsidionem Albianus; Patavium se recepit.

cepit. Circumvicina omnia nostris, ne in prædam veniant, deduntur. Ab Urbe dicitur Leonem Pontificem Maximum, Ecclesiæ reconciliasse Cardinales depositos, Sanctæ Crucis & Sanseverinum, Christianis Principibus inconsultis, restituisseque illos ad gradus pristinos, demisso tamen vultu, & supplices paulatim fuisse ingressos, capitibus detectis, abollis induti curtis & moratis non purpureis, suos errores in Julium & Sedem Apostolicam profitentes, pervicaciamque suam appellantes opinionem, lemureosque suasus fuisse, qui se impulerint, non ratione, publice veniam petentes, admissi sunt, non candidati ad rubros galeros, non tamen ad ablatos redituum titulos. Anglus & Helvetius Cardinales adesse noluerunt, Pontificis sententiam damnarunt. aperire portam ad hujuscemodi facinora patranda, spemque veniæ posteris monstrandam, inquiunt esse id benignitatis; & irati Roma discesserunt. Ex Portugalia laudabilius nuncium habemus. In Africam trajecit Dux Gimaraneus, cum hastatis octo millibus, scopetariis tribus, & balistariis, cataphractis sexcentis, calonibus tribus, velitibus bis mille. Quid ex Anglia feratur, habeto. Galliam calcat ille Rex Anglus magnanimus. Teruanam Morinorum caput obsidet, patiuntur Galli eam ignominiam. Suum non audent exercitum Anglico objicere. uti solet accidere in re bellica, damnum passus est Anglus, leve tamen. plaustra quadrigata misit è castris signatum, decem & novem ad Teruanæ fossas implendas, quo dirutis per tormenta muris, facilior fiat oppugnatio. in Gallorum præsidia inciderunt. certarunt acriter. è Gallis ducibus tres vi armorum fuerunt perempti. victi tamen Angli fuerunt, qui loco mœnium plaustra in gyrum locaverunt. longe aberant à castris. defuit propterea illis auxilium. obsidio stringitur. mœnia perpetuis tormentorum ictibus concutiuntur. Vale. ex Valleoletô. VI. Calendas Augusti, MDXIII.

EPIST. DXXVI.

Ruthenus contra Polonum. Dux Mediolani laborat febri. collachrymatur autor super Mediolanum. Civium rabies, non exteri vastant. Exemplo Gothorum timor. Himbres disturbarunt fossas. Cæsar in Anglorum castris. Mutantur castra. quid Rex Gallus. Prostrantur Galli à Cæsare. Duces & vexilla capiuntur.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

SCythias, Sarmathias esse duas, ad Septentrionem citra Euxinum Pontum & Mœotidem Paludem versam unam, in Europa, in Asia, trans Hellespontum alteram, sæpe intellexisti. Citeriorem incolunt Rutheni, qui & Ruxii & Tartari dicuntur. Hi contra Polonum Regem armati venerunt, Regni partem vastarunt. Petit à Pontifice suppetias, ut Christianos Principes, in sui auxilium hortetur, orat. Sunt namque Tartari, licet nomine Christiani, à Christianis moribus devii, barbarisque reguntur legibus. Ab Italia calamitosa fertur Helvetiorum esse Mediolani quinque millia. Miseram urbem quotidianis infestant exactionibus. Maximilianus Dux in Hasta oppido febribus laborat, qualis ejus infelicis urbis sit fortuna, proh dolor! ex prædictis colligito. Neque arbitreris pestem illam, ab Helvetiis, aut Gallis, neque Germanis vel Hispanis emanare. Qui omnes ad ejus patriæ perniciem petulanter insultant. Rabida vindictæ sitis civium, in cives, infelicem urbem, & vicina omnia exagitat. Si concordi viverent animo, tuti essent ab omnibus exteris incursibus. Alterne sibi viscera dilacerant. quibus dissidentibus insontes populi dantur in prædam passim. Mediolanum mittit Rex oratorem Diecum de Aquila Calatravæ commendatarium, virum prudentem, literis pollentem. Fluctuavit & ipse in tantis fortunæ motibus. Veremur, ne tot successibus elati Helvetii, aliquando latius, exemplo Gothorum, alas protendere cogitent. Rex Anglus cuniculis effossis Teruanam, in summo tenebat discrimine, nisi perpetui dierum octodecim imbres mole facta tellure fossas diruissent. Dum hæc ita geruntur, Cæsar Imperator ad Angli venit exercitum. erant locata majori ex parte castra ad Septentrionem, qua Galli erant venturi, nuda fere, aut parvo tuta præsidio. Cæsaris consilio ad alterum Teruanæ latus castra sunt mutata. Rex Gallus, licet æger, ex Parisio curru vectus,

vectus, in apertum cum exercitu prodiit. suarum copiarum robur cum delectis ducibus misit, ut commeatibus obsessos juvarent. Eunt obviam Cæsar & Anglus; parva manu Germanorum & Anglorum ingentes Gallorum copias prostrant & in fugam vertunt. Plaustra jumentaque oneraria cum commeatibus, & majorem Ducum & vexillorum partem capiunt, Galli Regis vires hebetant. Hæc fama tulit. quando particularius, quæ sint acta, intellexerimus, particularius significabimus. Vale. ex Valledoleto. XIV. Septembris, MDXIII.

EPIST. DXXVII.

Captorum qualitates & numerus. Deditur Teruana. Quæ Anglorum copiæ. Cæsaris sunt literæ ad Regem. Helvetii petunt Devinionem. tremit tota Gallia. Scotus in Angliam. Scoti monitio ad sororium. quid responderit sororio. Laus Reginæ Angliæ. Reginæ oratio ad proceres. in Scotum Angli. Trucidatur Scotus & sui omnes. Non reperitur Rex peremptus.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

HAbemus quæ acciderint in certamine, cui Cæsar cum Anglo Rege interfuit. Captorum ducum nomina mihi Rex enumeravit. Dominum, inquit, Longæ Villæ ac Rotholini Marchionem cum centum Nobilium, cui præerat manu, Dominum etiam Laclete, Bajartumque, omnes egregios bellorum magistros; Pallizam quoque Gallici prætorem exercitus in Pompelonis expeditione, fuisse vulneratum ait captumque, sed sub fide militari fuisse dimissum. Teruanenses obsessi, ubi captos Galli exercitus, tot primarios duces intellexerunt, ad eorum namque conspectum ducti sunt, & qui rerum omnium penuria laborabant, sese illico dediderunt. Ita cum ingenti damno Gallorum & ignominia Rex Anglus fines Gallicos infestat. Angli Regis generi sui Rex noster ait, ex quindecim Germanorum millibus, & Britannorum, Anglorum dico, quatuor & triginta exercitum constare, præter eos, qui machinarum & impedimentorum curam habent, quorum est ingens numerus. Cæsaris & Angli literæ ad Regem sunt dimissæ Augusti mensis die vigesima tertia, quem Teruanæ deditio præcesserat. Elvetii Burgundiam parant impetere, qua munitum oppidum Devinio, id nunc *Degiunum* (vulgo *Dijon*) dicitur. Florentinus orator, qui est apud Regem nostrum à Lugdunensibus mercatoribus concivibus literas habet; Contremere jam in universa Gallia ad Elvetiorum motus: cuncta esse formidine plena prædicant. Fertur etiam Scotum Regem cum quadraginta bellatorum millibus in Anglia contra sororium Regem Anglum, fuisse profectum. moverat prius & hortatus fuerat Scotus Anglium sororium, *ne Gallo Regi amico suo bellum inferret. ut regrediatur*, per crebros nuncios persuadere nixus fuerat. Alioquin se Angliam aggressurum minatus fuerat. nequire se tam veteri amico, urgente necessitate, deficere. Ad hæc Anglus animose responderat: *Se quando provinciam in Gallos complectebatur, de insidia sua non dubitasse. Se non destiturum ab incepto, eat, eat. præsidia se reperturum* respondet, *qualia forte non putabit, & forsan ipsum pœnitebit.* Regina Catherina genitricem Helisabetham æmulata, patrisque animo imbuta, ad Regni regimen absente viro relicta, ducibus Britannis, qui ad Regni præsidium relicti fuerant, convocatis, quæ emergunt, egregia oratione patefacit. *Ut sese ad fines proprios tuendos apparent*, hortatur. Meminerint *Deum esse propitium juxta tuentibus*, neque obliviscantur *Anglicum robur praecellere cunctis gentibus.* Patriam amplexantur ab hostibus, & quod deterius est à finibus, qui eam tueri deberent, contra jus fasque nos turbare nitentibus. Reginæ monitis accensi Proceres, eunt in Scotum, jam fines Angliæ calcantem. Scotum sternunt, prostrant, perimunt, quotquot in Angliam transmissi fuerant. De Rege ipso nil certi habetur. creditur inter mortuos jacere trucidatus. quando intelligemus, intelliges. Vale. ex Valledoleto. die XXIII. Septembris, MDXIII.

EPIST. DXXVIII.

Hispani contra Venetos. Munimenta Patavina. Vastatio agri Patavini. Cuncta desunt Hispanis. Venetorum prudentia. Helvetii super Devinionem. quid petant Helvetii. Fraudat Helvetios Palliza. Teruana sternitur. Tornacum deditur. Qua merce Tornacenses redemerint se. Delphinus Prætor exercitus. Cæsar adest. in Turchas Rex Ungarus. In Urbe signa lætitiæ.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

PRoh tempora! Proh Christianorum proterva rabies! Mille fervent undique Fortunæ ludibria, mille calamitates quæ gesta sint in Italia & radicibus Alpium Novariæ, Vercellis, Taurino, Haste, Sancto Germano, & re-

& reliquis infelicibus locis, alias habuisti. Conantur Hispani detrudere Venetos in Mare, terris ablatis continentibus. Quadringentas destinavit Summus Pontifex cataphractas lanceas, in exercitu Hispano, sub nostro Prorege. Patavium infestare conantur, ubi valida sunt Venetorum præsidia, ibi suas vires omnes Veneti coëgerunt. Applicare se ad muros minime audent. fossas inhabitabant aquosas nostri. præ machinarum timore nulla est turris, nulla pinna, quæ non sit fulta tormentis. Arbores omnes tulerunt è medio Veneti, quo pateant campi, & libere discurrere queant projecti in hostes tormentarii globi. Laborant penuria rerum omnium nostri, qua urgente & fossarum incommodis adstricti, relinquere provinciam susceptam, cito cogentur. Uvis & fructibus tantummodo vescuntur. cætera desunt. Veneti solitam fortunæ inconstantiam se profitentur exspectare. putant se paulatim cunctando lassare fœderatos. *Patientia omnia vinci* didicerunt. Ab Helvetiis autem fertur, eos in Burgundiam descendisse, obsidereque Devinionem. Jurejurando pacti sunt invicem, in Gallorum perniciem, nisi tria sibi à Gallis fœderum capita concedantur, ut Ducatus Mediolani arces dedant, quas adhuc retinent; ut veteribus Dominis Burgundiæ loca restituant, ut impensas sua causâ expositas persolvant. Annuit his omnibus Palliza Gallici exercitus Prætor, quo tempus insereret, ad fatigandum Helvetiorum impetum. consulendi Regem suum poposcit inducias. præbentur. Helvetios fefellit. Digiunum interea dum eunt redeuntque nuncii, munivit adeo Palliza, ut haudquaquam ultra possit expugnari. Nil voluit eorum, quæ Palliza promisit explere Rex. Ad Angliam divertamus. Captam stravit Teruanam, diruitque penitus. Tornacum, Nerviorum caput adivit. Sese dedunt Tornacenses; ne agrorum vastitatem & expugnationem patiantur, quadraginta millia ducatorum Regi Anglo præbuerunt. Inde ad prospectum Ambianæ urbis castra movit. Ibi Rex Gallus insederat cum triginta millibus bellatorum. Fama viget, *Franciscum de Angulema* Delphinum hæredem Regni Franciæ levi prælio tentasse Anglos, fuisseque vulneratum. Est hic pro Rege invalido dux exercitus Gallici. Adstat Regi Anglo Cæsar, Gallorum ob susceptas non leves injurias, hostis meritissimus. Ab Ungaria, quæ *Pannonia* est *inferior*, inquiunt, eum Regem quatuor mille Turcas equites trucidasse, qui fines Ungaros fuerant ingressi. In urbem ob eam victoriam lætitiæ signa publice sunt instaurata. Quibus fatis Christiana religio concutiatur, hinc colligito. Vale. ex Valledoleto. XVII. Octobris, MDXIII.

EPIST. DXXIX.

Strages classis Scoti Regis. Hiberniæ Princeps subditur. Ruteni insultant iterum. Qui Cardinales erecti. Veneti solum tuentur Patavium. Mutata omnia in Rege. Quæ obstant, ne convalescat. quotennis sit Rex.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

NOn cessat undique Fortuna quassare rem Christianam. Placidis Anglo Regi palmis eblanditur, Gallos horrenda premit rugosa fronte. Quid de futuro cogitet, futura tempora dicent. In Galli Regis auxilium multi capacem struxerat Scotus Rex navim. ad supplementum classis quinque aliis additis. majorem vim tormentorum, Angli discerpserunt, demisereque in profundum, reliquas ceperunt. prehenderunt unam Daccarum regis, qui *Dinamarca* dicitur, aliam & ipsam ingentem: ea ut Scotæ classi jungeretur, in Anglicam vehebatur. hæc frivola tenuiaque sunt. vah! quid dices? profligatos fuisse Scotorum, cum suo Rege millia quadraginta scripsimus. trucidatus & ipse fuit pugnans inter confertas acies viriliter. Ait Joannes Astilus orator Anglus, ne quid ad præsentem sui Regis felicitatem desit, venisse ad ejus manus Principem insulæ Hyberniæ, qui majorem insulæ partem alienam ab Anglo ipso sustinebat. Rutheni redeunt & insultant in Ungarum & Polonum Reges. Summus Pontifex ex affinibus & familiaribus quatuor erexit Cardinales, in acrem ejus ordinis invidiam & querelam, qui dum illi suffragarentur, ne Cardinalem ullum crearet, donec ad minorem numerum gradus ille Cardineus reduceretur, pepigere. A Venetis fertur, Bernardinum Valmontonum è ducibus eorum unum, captum à Germanis fuisse, in provincia Frivoli, quam dicunt *Forum Iulii*. Ad eam Hispani tendunt, in favorem Cæsaris. Livianus curam habet tutandi Patavium. Julianus Pontificis frater, Romanus à populo Romano creatus est Pontifex, licet hoc alieno sit loco. Ubi primum creatus fuit, Romano populo applaudenti & gratulanti, ripæ Tiberinæ tributa dimisit, seque fere lachrymando, præ lætitia, res populi Romani solicita cura prospecturum, est pollicitus. Rex noster est in Abbatia Valbona, sex à nobis leuqeas distante, cervorum venationi-

bus intendens, semitristis ex adversa valetudine venit. Non idem est vultus, non eadem facilitas in audiendo, non eadem lenitas. tria sunt illi, ne priores resumat vires, opposita: senilis ætas; secundum namque agit & sexagesimum annum. Uxor, quam à latere nunquam abigit: & Venatus cælique vivendi cupiditas, quæ illum in sylvis detinet, ultra, quam juvenili ætati, citra salutem, fas esset. Vale. ex Valledoleto. xxv. Octobris, MDXIII.

EPIST. DXXX.

Quæ Ducis Mediolani societas. Defletur Mediolani afflictatio. Pacta quæ petunt Helvetii. inter patruum & nepotem Turcos quæ colloquia. Ioannes Cursius orator laudatur. Toletanus ager fortunatus.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

VAtes egregius ille Ausonius, de Mediolani dignitatibus, Epigramma confecit. Carminis initium est: *Et Mediolani mira omnia.* Converte nunc, & verum fatebere: *Mediolani dira omnia.* Juvenis ille Maximilianus, in omni vitiorum genere putridos familiares dicitur incidisse necessarios, horumque commercio delectari, & eorum regitur consiliis. Primatum retinent Joannes Gonzaga, & Manfredus Corrigia. Miserum! in fœtidam omnium flagitiorum Piscinam obrutum tenent. Proscribendis civibus, & bonis miserorum raptandis invigilatur. Hinc inexplebili Helvetiorum fame: Duce ab hujusmodi profanis gubernato inde; infelix urbs urbium gemma magis ac magis it præceps. Helvetiorum ibi restiterunt quinque millia. Galli & Helvetii convenerunt, his pactis fœderibus, ut Gallus Rex Ducatus Mediolani arces cum inclusis munitionibus & machinis Duci dedat, utque infra diem quindecimum Helvetiis Galli præbeant ducatorum ducenta millia. Circiter idus Novembris totidem. Neve Gallus arma capiat in quenquam auxiliarium Helvetiorum. Ne Gallus ullo tempore tentet membrum aliquod Helvetiorum locare stipendio, cæteris inconsultis. Ipsi vero se discessuros, ex Davinionis obsidione, ac educturos incolumes ex arcibus præsidiarios earum, donec Ducatus terminos transierint. Hic idem cursor attulit, Selimsachi principatus usurpatoris Accinatum nepotem ex fratre Corcuto majore natu perempto, Asiæ cum triginta millibus pugnatorum sectæ Sophianæ, ex Armenia, per Taurum montem, in Asiam minorem descendisse contra patruum usurpatorem. Selimsachus nepoti per oratores pacem suadet, magna pollicetur, modo arma deponat. Respondet Accinatus nepos, se qua pater morte perierit, vitam finiturum, aut patris necem ulturum; & una progreditur. Scripsi alias, nos hic habuisse apud Regem, Oratorem Florentinum Franciscum Guizardinum. Is propediem discedet. missus namque alius fuit Joannes Cursius Græce ac Latine eruditissimus: ab his ac reliquis Oratoribus, quid extra nostros lares Hispanos agatur, elicio. Scribunt namque ad eos sui Principes, aut Resp. quicquid emergit, in universo. De discessu ad oppidum Matritum trans montes istos Segovianos, ut vulgo loquar ad Meridiem, sermo est. Scis namque magis apricam esse regionem illam regni Toletani, ubi est ager oleis & vinetis fortunatus. Olea namque ob horrorem hyemalem, citra hos montes nulla coalescit; vel rarissima; nisi forte sub monticuli alicujus latere demisso; à Borealibus tuto flatibus. Dum hæc ita scriberem, venisse intellexi ad horam hanc Garciam Brizuelam nostri Proregis equitem familiarem, per equos dispositos, à Prorege missum. quando quid deferat, habuerimus, quid affert, habebis. Vale. ex Valledoleto. III. Novembris, MDXIII.

EPIST. DXXXI.

De testiculis tauri. Cur Rex quæreret habere filios. inter socerum & generum iracundia. quid uterque arguat. Facile discordant Reges. ad Carrionzillum Rex. Durus halitus Regi.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

AUdisse te, inquis, cum de Regis valetudine sermo fieret de tauri testibus nescio quid. petis ut quid de hoc sentiatur, aperiam. Ab initio rei ad aures meas devenerat. Destiti hactenus, ne autor ego dicerer. donec paulatim serpens rumor, per podia circumactus, populorum aures & conventicula repleverit. uti feratur, accipito. Catholicus Rex habendæ prolis, masculinæ præcipue, (cui hæreditaria sua Regna paterna queat relinquere, tanquam hæredi propinquiori, quam nepos Carolus sit) est cupidissimus. Jurene an injuria genero prius Philippo, & mox ex eo nepoti Carolo succenseat, & an succenseat, ipsi judicent. repletas querelis utrimque propositis

positis aures habeo hactenus fatigatas. Non fuisse dicto parentem generum arguebat socer. cupiditate regni Castellæ captum socerum, se male habere gener conquerebatur. Persuasores, qui ex dissidiis amborum rem propriam augere studebant, fovere inter ipsos odium nitebantur, neque calido nimis opifice opus erat, cum de imperio res ageretur, quod non patitur collegam, licet de universo contentio sit. Quid ex ea discordia successerit, late suis locis. Nunc ad tua postulata reflecto habenas. In Metinna campi Castellæ veteris emporio, Rex & universa curia Martio præterito morabantur. Est ab eo municipio villula distans milliaria quatuor, nomine *Carrionzillum*: ubi Regis pater Rex Joannes natus fuisse dicitur. Amœnis est fulta nemoribus, villula, & venatibus apta. Secessit in eam Rex uxore comite. Sumpsisse ibi dicitur cibaria quædam ad Venerem facientia. Putavit, eo medio fore, ut uxor gravidaretur. Eo inscio, conditi Taurini testes in escam fuerunt expositi ad rem optatam, & manu coci Reginæ, qui Gallus erat. quid hoc fuerit, quid simplex, aut quid mixtum, me latet. In re hoc est; Regem adeo dapes illæ perturbarunt, ut inescatus velut hamo, salutem nunquam senserit ultra. Hinc illi vomitus. hinc illæ febres. neque arbitrantur Medici convaliturum. Durus est illi halitus, & gravis admodum. Anhelum vix trahit spiritum. tecto & muris odit claudi: vellet sub aperto semper esse cælo. Inde sylvas frequentat subtristis, negociis jam aversus. Vale. ex Valledoleto. Idibus Novembris, MDXIII.

EPIST. DXXXII.

De rebus Indicis, sed præcipue de fluminis Maragnoni latitudine. Linguarum, quadrupedum & volucrum varietas. Nomina regionum. De Maragnono flumine. Reguli Chiacones. in æquinoctio fluvius. Arcticus polus. Aurum & pretiosissimi uniones. Varietas terrarum. temperies immensa. Nives alicubi. Cur aliquando calor. Duæ coloniæ. Hojeda, Nicuessa. Io. Cossa, tres duces periere.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

PEtis quid habeatur ab orbe novo. Majora indies, hactenus latentia deteguntur. De vasta quadam tellure, quæ sese offert nautis, in lævam ab Herculeo freto se vertentibus ad meridiem, latam fecimus alias mentionem. In ea tellure Provincias esse varias *Pariam* puta, *Curianam*, *Cuchibacoam*, *Cauhietum*, *Saturniam*, *Caubanam*, *Urabain*, *Zaraboroam*, *Beraguam*, & multas præterea diximus. Magnæ illius terræ litora peragrantes, Christophorus Colonus primus tantæ inventor magnitudinis, dehinc illum æmulantes Hispani, varia reperere flumina, tum ingentia, tum parva, & mediocria, præter cætera in unum incidere latitudinis adeo immensæ, ut incredibile sit posse id in natura fieri. Octoginta milliarium amplius ajunt, & flumen esse asseverant, non maris sinum, quod dulcium sit aquarum, quod fluat in Oceanum, & insulis refertum sit; neque fluxum patiatur, aut refluxum in internis. Quadraginta plærique lequas cum caravellis adverso eo flumine adnavigarunt. Et diversos accolarum Regulos salutavere, mutuisque muneribus sese invicem amicitia devinxere, licet ab initio rejicere hospites conarentur. Regulos *Chiacones* appellant. Flumini est nomen patrium *Maragnonum*. sub æquinoctiali locant linea plærique nautæ fluminis ejus fauces: trans lineam alii constituunt. Se ibi polum Arcticum amittere fatentur omnes. Linguarum est in illis tractibus, & nationum magna varietas. Animalium, volucrum pisciumque ac monstrorum diversitas est ingens. mores varii. ubique auro scatent. unionibus abundant ubique regiones illæ: quarum sub eodem ejus terræ discursu æquinoctio plæræque subsunt, aliæ citra, trans aliæ. Elysias mille atque iterum mille provincias fovent illi tractus; steriles etiam alias arenosasque, ac horridas natura soli: Caribium sive Canibalium humanarum carnium heluonum, & venenatis sagittis advenientes hospites excipientium, altrices alias: mitium & hospitalium incolarum alias. frondescunt ibi arbores majori in parte toto anno, & prata virescunt. Vere tantum & autumno fruuntur incolæ: hyemis horridæ, aut æstatis molestæ, expertes. Qui colles & decurrentium fluminum ripas inhabitant, beatæ vivunt. In elatis montibus alicubi perpetuæ nives conspiciuntur. In profundis autem vallibus, ob rorantes, ad ima è montibus solares radios calor ingens, quia vel sub linea, vel propinqui lineæ sint æquinoctiali. Coloniæ sunt in ea terra duæ destinatæ: in Urabe magno sinu, per Alfonsum Hojedam una; per Diecum Nicuessa in Beragua, altera. ad Beraguam septingentorum hominum classe Nicuessa pervexit. Ad Urabam quadringentorum Hoieda, cui datus est comes Joannes Cossa egregius, & exercitus eorum litorum nauclerus. Sed infelici omnes fato, & sinistris avibus periere tres ipsi primarii, & commi-

litonum pars major variis adacti casibus. Particulares aliquando de his inventis ædemus libros, quæ meo judicio majora sunt & mirabiliora, quam quæ ab antiquis descripta Cosmographis. Jam vale. ex Valledoleto. XVIII. Decembris, MDXIII.

EPIST. DXXXIII.

Pacta Galli cum Anglo. Rediit Anglus. Galli humilitas est vulpina. Misit 7. Episcopos ad Leonem. Miserunt & reliqui. Datur Gursensi galerum. Protestatio Venetorum. Gallum stimulant Veneti desperati. cum Cæsare Veneti. Nota de Venetis. Providentia Venetorum. Dux Mediolani expilatur. Turchus inhiat Italiæ. Superat suos majores ferocia.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

EX variis orbis regionibus varia referuntur. Rex Anglus cum Gallis pepigit, ne Tornachum repetant, neve Teruanam ædificent; & urgente jam hyeme rediit in Angliam, Scotiæ res compositurus, ejus Rege, qui sororius Anglo erat, interempto, utque Scotæ Reginæ sorori suæ viduæ suppetias ferat in Principes Scotos, si opus fuerit. Filium reliquit Scotus in cunabulis. Rex Gallus frequentes mittit ad nos nuncios, humilitatem præ se fert. vulpinam esse putamus: nec defuturum, quin caput erigat occasione qualibet surgente. Ad Urbem dicitur septem Episcopos misisse, qui se Gallicanamque Leoni Papæ offerant Ecclesiam. Missi & à Cæsare sunt, & Maximiliano Mediolani Duce Oratores, Dux Bari ejus frater cum equitibus duobus Mediolanensibus. A Cæsare autem Matthæus Langa Gursensis Episcopus. Huic rubrum præbuit Pontifex galerum. Venetus vero, qui Gallo est fœderatus, instat, ut Gallus transmittat exercitum. quod ni fecerit, intra paucos dies initurum fœdus cum Cæsare ac reliquis Italiæ Principibus; non posse tantum pondus ultra sustinere protestatur. Ad hæc Gallus fremit. videt Venetis à se disjunctis, claudi sibi viam trajiciendi Alpes in Italiam. stimulat quoque Gallum Trivultius è patria exul. Cæsar ex Gursensis, ut ajunt, consilio, nimis premit Venetos. Conditiones ab eis petit nimis duras, in ultimam desperationem illos traxit. Vereor ne *funiculus* iste, uti est in proverbio, *ex distentu nimio frangatur*. Malunt Veneti cum tributis, quæ petuntur, bellum protrahere, quam gratuito, se tantæ servituti objicere. Fortunam, quæ mutari solet, & quid cæli adstruant, in rebus suis experiri statuunt. Dum cunctantur, aut fœderatorum aliquem moriturum, aut è cuneo discessurum, longa bellorum molestia fessum, sperant. Gallus quandocunque dabitur posse, trajiciet Alpes, ne tanta Venetorum occasio labatur è manibus. Maximilianus Dux ab Helvetiis expilatur ad cutem. Ingentem pecuniarum summam, ob stipendia non soluta, jure merito petunt, quia suo cruore Gallis ejectis ducem fecerint: sed ad explendam eorum sitim, & ad ea persolvenda, quæ merentur, Crassi Crœsique opes non sufficerent. Turcarum Tyrannus, qui ferocitate animoque omnes superat majores, accingere se in Italiam cuperet, & jam perfectum esset, ni Sophius Persa, illius nepoti, ex fratre majore natu, suppetias ferens immineret à tergo. Vale. ex Valledoleto. IX. Calendas Decembris, MDXIII.

EPIST. DXXXIV.

Livianus Dux Venetorum. Rejicitur Livianus à nostris. Quæ oppida dedantur nostris. Livianus includitur Patavii. Tormenta jaculantur Venetias. Loca data in prædam. Aurata palatia exuruntur. Exclamatio in sævos exustores. de Zafusinis dirutis. Sternitur Livianus. de Marco Antonio Columna.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

INter Hispanorum & Venetorum exercitus in aperto certamen contigit. huic Brizuela Proregis familiaris, quem paucis ante diebus, per equos dispositos, missum diximus, interfuit. Rei ordinem hujuscemodi fuisse mihi retulit. Gallis ex Italia fugatis ab Helvetiis, Bartholomeus Livianus Venetorum Dux, ad Patavina sua rediens stativa, Brixiam, dehinc Veronam obsidere ausus est, ab utraque rejectus à nostris fuit. Secutus namque illico est eum Prorex noster cum exercitu cataphractorum mille, armaturæ levis septingentis velitibus, peditibus vero septem millibus. Bergomum quoque nostris deditur, ex itinere. Restitit arx, quæ *Capella* dicitur. Expugnatur tandem, nobilibus quibusdam machinarum trajectu peremptis. Pescaria quoque in Benaci lacus, qua Mincius fluere incipit faucibus posita, capitur. deditur & Lignagum municipium. Fixere pedem tandem, incluso intra Patavium Bartholomæo Liviano, in oppido juris Veronensis dicto *Alvere*, in Athesis fluminis ripa.

Liviano

Liviano incluso libera datur nostris vagandi potestas. Jam Octobris nono Calendarum pervenerat. tranquilli & sereni, præter ejus terræ naturam temporis commoditate usi nostri, ad litus, qua Venetias prospectare licebat, castra locant. tormentorum globos in urbem jaculantur. Formidine quatitur universa plebs, insueto tonitru salutata. Villas Montagnanam, Hestem, Moncelesum in prædam datas sternunt. Bubulentam in amœni fluminis Bachilii, quem *Bataglionem* vulgus appellat, ripa, palatiis regalibus, & amœnis viridariis fultam, funditus evertunt. aurata mirisque modis laborata, pictaque atria comburunt. Vah Hispani! vah Germani! quid vobis ad delitias structi parietes injuriæ attulerunt? quam minime generosum est in silentes, inermes, auratas aulas sævire. Elysio illic tractui debuissetis ignoscere, qui neque in vos tormenta jaciebat, neque inde latentes insidias, aut jacturam exspectabatis. Plebem Sachi opulentum oppidum, & Mestrum ipsius urbis Venetiarum forum nundinarium, depopulati sunt. Ingentes miroque artificio structas ad naves projiciendas è sinu Adriatico ad fluvium vulgo *Brentam*, & Ebrentam in sinum, machinas, dicunt *Zasusinas*, se jactat Brizegnus, ipse ex Proregis imperio, cum infesta militum manu disjecisse, quibus diruptis, Venetiis ab eo latere commeatus tolluntur. Ad redeuntes ab ea strage nostros Bartholomeus Livianus è Patavio transilit, quam præsidio tenet, nostros intercipit. Pugnatum est acriter apud Ciutatellam. Sternitur Livianus. Patavium multis è militibus amissis, regressus est. Sunt qui credant non longe abfuisse Marcum Antonium Columnam, Ducem & ipsum Venetorum, cum suis cohortibus vocatum à Liviano ex Trevisio, potuisseque, si Livianus parumper rem distulisset, pugnæ interesse. Id si accidisset, forte qui victoria potiti sunt, corruissent. Sic res Italas fortuna conquassat. Tu vale, & lætus vive, quandoquidem in tuto es. Ex Valledoleto. in Calendas Decembris, MDXIII.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS.

EPIST. DXXXV.

Papa suscepit à Duce Oratores. Quid dicat Papa. Paci studet Papa. qui vellet affinitatem cum Rege Hispaniarum.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.



Hesterna nobis dies plures dedit cursores. Suscepit Summus Pontifex à Maximiliano Duce legationem, uti à Duce Mediolani. Ad hæc Galli Regis orator frendens, fremens, spumans, labra mordens, in Pontificem verba jecit querula: *Christianissimum suum Regem*, inquit, *verum & legitimum esse Mediolani Ducem, non alium quenquam.* Nullius esse roboris *Pontificis eam susceptionem* protestatur. *Nequire se aliter impræsentiarum facere*, Pontifex respondet. *Maximilianum annuente* Cæsare Imperatore *hujus rei judice*, dicit *se reperire Ducatus possessorem. Nil esse, cur debeat quis succensere.* Leone ferocior discedit Gallus orator. Cæteri suo funguntur officio. Rex Anglus Scotiæ gubernationem tentavit. admissus minime fuit à Scotis proceribus, imo & Reginam, quod sit Angli Regis soror, exauctorarunt: & filium ei abstulerunt infantem Regem. Multo majores quam nunquam alias parat Anglus copias in Galliam trajiciendas. A Pontifice VIII. die hujus mensis Januarii Curiam ingressus est ad Regem nuncius Galeatius Butrigarius, vir Bononiensis, egregius quippe & literis, & animi bonitate pollens, nobili ortus familia. componendæ inter Principes Christianos paci Pontifex invigilat, tum ex officio, tum ob imminentem Turci ferocis potentiam formidolosam. Dixi alias, ni fallor; electum fuisse mittendum ad Novum Orbem Petrum Ariem, virum à teneris in Regia nutritum domo; in re bellica exercitum, cum militibus mille ducentum, quo vi armorum, è latere putati continentis Septentrionali per montes interjacentes, ad Australe trajiciat,

fama notum pelagus. Secundo flumine Bethi cum classe trajecit in Oceanum, uxore comite; quæ paternas abjiciens delicias octo filiorum prole relicta, ad incogniti orbis tractus forti animo sequi maritum, ut suum Hypsicratea Mithridatem statuit. Fertur è Gallia Reginam Gallicanam vita functam. Vixit sub insigni castitatis & prudentiæ nomine. Sublata est è medio altera *Iulia:* inter utrumque Regem *Fernandum* Catholicum, & *Ludovicum* Christianissimum. Pacis fuit causa inter eos sæpenumero. Pontifex vellet in nostri Regis affinitatem connecti, per Julianum ejus fratrem: propterea cum Butrigario nuncio misit Florentinum quendam civem nomine *Ioannem Vespucium*, qui de matrimonio cum aliqua Regis propinqua tractet, quid fiet intelliges. Vale. ex Valledoleto. x. Calendas Januarii, MDXIV.

EPIST. DXXXVI.

Quater mille Turcæ strati. De portentis Mediolani. Mesa orator in Galliam.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio mei Tendillæ Comitis filio.

Accipe nuncium, quo delectaberis. Ungariæ fines Turcarum incursitavit iterum multitudo equestris. Fuerunt ab Ungaro Rege profligati Turcæ. ad quater mille trucidati sunt. Lætata est ob id nuncium Roma, uti anno superiore. Venetis durum evenit incommodum. Est primaria urbis ejus via ditium receptrix mercium, *Rialtum* vulgo dicta. Combusta est universa cum summa urbis jactura. nescitur, unde ignis emerserit. Consternata est eo casu civitas, qui die decimo Januarii accidit. Sed prognostico magis terretur. Suspicantur ob id portentum, res eorum processuras in deterius. Mediolani ajunt, eodem tempore tres visas publice lunas fuisse. Helvetii castella tenent adhuc Mediolani & Cremonæ, & una Ducem in castello servant. Nil est, ut verum fateamur, quod non mereantur à Duce ob eorum constantiam in Gallos, quos ex universa pepulerunt Italia; grave tamen est onus. Ex Gallia fertur Gallicanam Ecclesiam universalem cum suo Rege fovere Cardinalium à Julio Pontifice mulctatorum opiniones desiisse, sanxisseque, leves fuisse motus eorum. Ex Vandalia, *Andaluzia* dico, allatum est, classem, qua Petrus Aries tendebat ad Indos cum mille ducentis militibus, fuisse tempestatibus quassatam, rediisseque ad litora Gaditana semiconcussam. Hodie qui est dies Januarii quintus, Catholicus Rex elegit in Principem Senatus (dicitis *Præsidentem* Hispani) Antonium de Roges Archiepiscopum Granatensem. fautorem posthac habebimus Regium Senatum, quandoquidem assecuti sumus, tu affinem, ego prælatum, cum sim Metropolitanæ suæ Sedis Prior. vir est integer, justi amator, rigidus facinorosorum & sceleratorum persecutor, bene sperandum est. Catholicus Rex noster in Galliam misit Oratorem quendam institutionis Dominicæ concionatorem, nomine *Bernardum Mesam*, honesto natum loco, Toletanum civem, insulæ Cubæ designatum Episcopum, quid in mandatis ferat, non intelligimus. Tempus omnium rerum eximius præco, aliquando nobis aperiet. In Scotia, Regis Angli consilium non admittunt. Ejus Regni Proceres puerum Regem patre nuper orbatum, & Regni habenas susceperunt. Rex autem Anglus se magnifice præparat in Gallos; sed vereor, ne Pacis desiderium in nostro Rege, cogitatus ejus proscindat, nequit jam Rex noster ferre bellorum molestias, ob gravescens jam senium, & ægritudinem, quæ illum vehementer indies magis ac magis languefacit. Vale. ex Valledoleto. VI. Februarii, MDXIV.

EPIST. DXXXVII.

Emmanuël captus. Rationes Regis Hispaniarum de pace optata. Petit Gallus pacem. Fiunt induciæ anni unius.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

Memores, qui sit ille Joannes Emmanuël, dissidii fomes quondam inter socerum & generum Reges. Margarita nostri Principis Caroli & amita & rectrix illum conjecit in carceres. Quid causæ insit, nescitur. creditur pertinaci animo solutam habere linguam in Fernandum Regem, quem Margarita uti patrem observat. Rex Anglus febribus laboravit ardentibus, adeo ut Medici timuerint, in pustulas, quas vulgus *Viruelas* appellat, morbus desiit: & jam valet. ferox & minax in Gallum surgit è lecto. Sed frustra, ut arbitror. publicæ namque edictæ sunt induciæ unius anni, per Petrum Quintanam Almazani Secretarii patruelem tractatæ: quem alias diximus ad Cæsarem, & Gallum Regem secreto fuisse missum: quid tunc afferret in mandatis, nunc detegitur. Vix Cæsarem ad eas traxit inducias: traxit tamen una & Pontificem. Multis probat rationibus Rex noster,

noster, *se debuisse Pacis fœderibus auscultare.* Primo ne forte iterum ab amicis deseratur, quando magis amicorum auxilio indigeat; uti contigit, quando ab Anglis desertus, relictus fuit solus & imparatus in universæ potentiæ Gallicæ faucibus, cum summo discrimine. Neque bellicæ rei labores, & incommoda se posse ulterius tolerare, contra Christianos præcipue Principes, ad quorum discordiam invitum se fuisse semper, tractum edisserit. Addit quoque Regem Gallum fere supplicem, Pacis munia, postulare: *fœdumque ac inhumanum fore*, Regi tanto præsertim, *pacem petenti, pacem negare.* Ait etiam, *cupere se paucos hos vitæ dies, qui supersunt, contra hostes nostræ fidei exercere.* Nil horum admittit Rex Anglus: labra mordere, ac spumas mandere fertur: nequisse tamen aliorum sententiæ contraire. Joannem Hastilem Angli Regis oratorem adibo: quid de hac re sentiat, scrutabor, & tibi significabo. Vale. ex Valledoleto. v. nonas Martii, MDXIV.

EPIST. DXXXVIII.

Quæ dixerit Anglus contra socerum. Quæ causæ Regem moverunt. Suspicio coëgit Regem.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

JOannem Hastilem nudius tertius conveni. Regem suum, inquit, in Chatholicum Regem socerum verba promere gravia; se proditurum conqueritur: tantam fuisse domandæ superbiæ Gallicæ occasionem, intercisam dolet, gemit, ferre non potest. in socerum his verbis invectum esse dicit: *Quid me, socer, ocio beato viventem, ut arma caperem in Gallum Regem excitasti? Sat mihi erat ad mei gloriam Imperii tributarium habere Gallum: pace fruebar aurea, cur fontem mihi nitidum, socer, perturbasti? Pontificemque Maximum Christianorum Regum parentem, ut me ad arma moveret, stimulasti. Illius hortatu & consilio tuo, socer, in Gallum Regem bellicos apparatus mari ac terris, quales nullus forte Regum ab annis mille, coëgi; per Calesium fretum copias ingentes, commeatus immensos, pecuniarum acervos innumeros transvexi: horrendas, & (ut ita dixerim) cælo formidabiles machinarum strues transmisi; Gallica litora admiratione ac timore repleta concussi. In Galliam dehinc ego ego ipse devectus* Teruanam *caput Marinorum munitissimam urbem in summa Galli Regis ignominia obsedi, concussi, cepi, &, ne me dividere meas vires cogeret, solo æquavi. Cæsarem utrique nostrum sanguine conjunctum evocavi, mea pecunia juvi: qui putans affore tempus, quo de Gallis sibi domuique suæ perpetuo injuriosissimis vindictam sumere posset: sua Serena Impertalis oblitus Majestatis, advenit: una florentes copias Gallorum obsessis opem ferre aggredientes, parva manu fudimus, trucidavimusque partim, ducesque Gallorum, artis bellicæ peritos, fere omnes cum vexillis eorum cepimus.* Tornacum *dehinc* Nerviorum *urbem illustrem & opulentam Gallis abstuli. quæ ne meam experirentur potentiam, multorum aureorum tributo seipsam mulctarit: deditione libera oblata. In Ambiani demum prospectu, ubi Rex Gallus hostis castrametabatur, in universa Gallia terrorem castra locavi. Regem Caledonium Regum omnium, ob generis vetustatem illustrissimum, mihi sororium, cum universa Scotorum nobilitate, clarisque illius Regni Proceribus, per meos duces intra meos fines trucidavi. Sororem amantissimam effeci viduam. Nepotem in cunabulis tanto parente orbavi. Regem ipsum Gallorum, Principibus omnibus infensissimum hostem, ad extremum jam exterminium præcipitem trahebam. Tali tempore, socer, ad inducias raptor, eo, dico, tempore, quo stratus hostis sub tuis jacebat pedibus. quæ te necessitas coëgit, socer? quis vigor in hostem? Actum est: nemini ultra fidendum.* Has sui Regis fuisse querelas, hos sermones, inquit Orator Hastil, se vero nihil horum traxisse Regem nostrum ad has inducias, ait arbitrari; sed sperasse ait, Regem Gallum tanti beneficii memorem, quod eum à præsentanea pernicie liberaverit: nunquam ei defuturum. timuisse quoque ait, ne gener Anglus adeo grandis effectus insolesceret. quia secundis rebus etiam filios in parentes aliquando insurrexisse didicerit. Nepotis quoque Caroli Principis visus est etiam habuisse rationem, ne Philippi genitoris ejus exemplo, sit pro tempore grandior effectus, de se iterum à Castellæ regnis ejiciendo cogitaturus. Hæc Joannes Hastil, illa Regis iterni à secretis necessarii: si quid ego credam, à me cupis extorquere: utraque dicam meo judicio consonare. Vale. ex Valledoleto. VIII. Idus Martii, MDXIII.

EPIST. DXXXIX.

Mors Almazani. De piratis Mauris. Veneti nolunt pacem. Anglus petit nuptias sororis cum Carolo V.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

APrilis quarta decima die excessit è vita Almazanus, Regis animæ solus integer particeps. gravia quæque in illum Rex exonerabat, haud secus ac in alterum seipsum. fidissimus & Arcanorum gnarus custos, ac longa rerum experientia prudens, & incorruptus

ruptus erat. à capiendis muneribus abstinuit, veluti ab anguibus venenatis. Suffectus est patruelis ipsius Petrus Quintana, Secretorum & ipse particeps sub Almazani ferula. Fuit hujus familiaris à manibus interitus molestissimus Regi, addiditque illius ægritudini molestiam non mediocrem. Interroganti Fernando à Vega divi Jacobi de Spata Commendatario Majori Castellæ, quid à Rege pro filiis, aut uxore cuperet; respondit Almazanus morti proximus: *Supremo Regi me commendato; terrena omnia in manu Regum posita, vana nulliusque momenti, sunt ærumnosa potius quam felicia.* Addita est & alia Regi anxietas. ex Africa trajiciunt in Hispana litora Mauri sæpenumero, litoralesque villas vastant, & abducunt captivos in prædam, & uti piratæ aufugiunt. Callos jam videtur stomacho effecisse Rex: laborem patitur ex ægritudine, quæ illum, aquore lambente medullas, & asthmate fatigante spiritum, ex halitu gravi vehementer angit; ea minime ferre solebat. Ad portum tamen Deniæ Civitatis ajunt appulsas esse triremes undecim, vigintique alia navigia. Quid hæc classis operabitur, sentiemus. Bastida familiaris Proregis nostri vir primarius ad Regem venit: Venetos, inquit, nolle cum fœderatis ullo pacto pacem, ni Veronam, Brixiam, Bergamum cum reliquis pendicibus ablatis restituant. Instant ipsi, ut Rex Gallus Alpes transeat: Gallus autem spe illos depascit. Forti animo sint, per crebros nuncios hortatur; se cum valida manu propediem auxilio venturum pollicetur. Nostri interea simul & Pontificii quicquid jacet medium inter Patavium & Venetias, sternunt. quo egestate compulsi & Patavium dedatur, & ipsi Gallorum fœdera deserere cogantur. Ciutadella oppidum valde munitum à Patavio distans millia duodecim, cum suis præsidiariis ducibus, & primario Bernardino Valmontono nostri ceperunt. Ad Belgas transeamus. Auditur, Angli Regis sororem nostro Principi Carolo hac lege desponsatam, ut eam Carolus ducat uxorem, quum primum annum foras ejecerit quartum decimum. instat Rex Anglus, ut pacto stetur: quandoquidem die vigesimo quarto Februarii præteriti maturam fœderibus egerit ætatem. Avus autem Caroli uterque, Cæsar scilicet ac Rex Catholicus, differendas esse nuptias censent: quia sit Carolus robore corporis non egregie donatus à natura; quantum debilibus fœminæ copula nocere soleat, multis exemplis edocentur. Periere namque non pauci ex his qui habenas in hujusmodi. culturæ agris solvere voluerunt: inter quos Joannes Princeps horum Regnorum, si vixisset, Rex futurus. Ægre fert Anglus moram: se cum Gallo initurum amicitiam minatur. Vale. ex Valledoleto. VI. nonas Junii, MDXIV.

EPIST. DXL.

De rebus Darienis. Balboa usurpat imperium. de mari Australi. Millia bellatorum. Papa Pandulfos odit. Sponsa Caroli V. nubit Gallo. Turcus implicitus cum Sophio.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

AB orbe novo nuncios habemus. Vaschus Nunnez Balboa manu promptorum favore invitis Magistratibus à Rege designatis, Imperium sibi usurpavit in Darienenses Hispanos, ejecto gubernatore Nicuessa, & Baccalario Anziso in carceres conjecto. Is erat juris dicundi Prætor. Balboa facinus adeo ingens aggressus est, ac perfecit, ut læsæ Majestatis non modo veniam fuerit assecutus, sed titulis honoratis insignitus. Fama dedicerant, qui eas incolebant terras, esse trans Montes altos in ipsorum prospectu jacentes, Mare aliud Australe, margaritis & auro ditius: medios tamen Reges sui Juris acres esse defensores; mille propterea opus esse armatis hominibus ad illorum Regum potentiam infringendam. Mittebatur ad eos vias ferro aperiendas Petrus Arias, de quo supra, cum ea bellatorum manu. Interea dum sese apparant in Hispania, dum coguntur milites, dum armantur, dum navigia construuntur, Vaschus Nunnez ille Balboa tantæ rei fortunam tentare constituit: centum nonaginta viros ex Darienensibus coëgit, in Calendas Septembris anni superioris MDXIII. iter capit, ferro partim, partim blanditiis, & nostratibus donis Regulis pacatis, Montes superat, Mare salutat, Petro Ariæ ac sociis suis, laborem illum atque una tantæ rei famam & gloriam surripuit. Mira scribuntur. quando certi aliquid habebimus, scies. Ex Anglia scribitur, Regem illum esse *Cæsari* ac nostro Regi iratum, nuptiarum moram *Repudium* appellat. Regi Gallo despondisse sororem fertur; nec placere hæc suis Regnicolis. In Pannonia (*Ungaria* dico: est & alia Pannonia, quæ *Austria* dicitur) tumultus exortus est, ob Cardinalem Strigonium, qui ex Cruciata illis concessa in Turcas à Pontifice, magnos dicitur coëgisse cumulos pecuniarum, neque Ungaros ducat in Turcas: tali sese occasione oblata, Turco implicito cum Sophio Persa, ad quem trajecisse Taurum dicitur in Armeniam, portis Caspiis æquatis, ita ut plaustris

ftris curribusque commeatus, & machinas trahentibus pateat iter. Ducentum ajunt transmisisse bellatorum millia..certi adhuc nihil habemus: scies, quando sciemus. Ex Italia fertur, Senenses à diversarum partium factione pulsatos, extorres, tentasse reditum in patriam, sed sua spe frustratos, mœstos in exilium rediisse. Non desunt qui credant, quod favente Pontifice eam sint provinciam aggressi. Sentiunt namque alieno vivere Pontificem animo in Pandulfos, urbis ejus Tyrannos. Vale. ex Valleoleto. x. Calendas Augusti, MDXIV.

EPIST. DXLI.

Coëgit Selimsachus patrem, tres fratres & propinquos perire. Gallus nubit & mortem sibi accelerabit.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

QUanta sit, quæque futura nobis aliquando formidolosa Selimsachi magni Turcarum Principis ferocitas, hinc licet colligere. Patrem Regno pulsum coëgit animi dolore perire, tres fratres ad necem traxit, ex nepotibus & sanguine conjunctis, quos potuit habere trucidavit. Restat ex majore natu frater filius, huic Sophius Persa patrocinatur, & favet in Selimsachum, tanto sanguine madidum. Selimsachus conscientia scelerum, & innata truculentia stimulatus, cupiditate quoque Tyrannidis agitatus, ac donec nepos illi vixerit, minime securus, Sophium adoriri constituit. Jam Hellesponto trajecit in Asiam. Ex universa Græcia Thraciaque unum coëgit exercitum, ex Asiaticis alterum. Taurum transibit. In campo Cotio in Armenia majore, castra locasse, Euphrate supra fontes superato, dicitur, in urbis Tauridis prospectu, ea est Armeniæ majoris caput. Putant aliqui Sophium, modo voluisset, prohibere transitum potuisse, sed fretum exemplo Cambysis, qui penuria rerum in illis montibus universum amisit exercitum, consulto cessisse. Fraudem Selimsachus fraude intexuit. secum enim mille octingentorum milliarium spacio per eas ambages & loca invia, per anfractus montium, per inaccessas rupes, per valles syderibus ipsis absconditas, & ferientia cælum culmina, prætervexit: quicquid alendo exercitui bellatorum ducentum amplius millium sat fore arbitratus est: ex Constantinopoli veluti rabidus torrens præmisit obvia quæque. Ad necessaria comportanda, Græciam universam, Thraciamque ac minorem Asiam plaustris, curribus, & jumentis onerariis, pene spoliavit. Quæ ultra succedent, habebis. Rex noster, venatus eam iterum Valbonam Abbatiam petiit succinctus, Curia hic relicta. Ex Gallia fertur, Gallum Regem ad oppidum *Abbavillam* nomine, novam nuptam Anglicam, in sui perniciem exspectaturum, concessisse. Quid Galli de suo Rege sene, valetudinario, elephantia gravato, ex novo octodecennis puellæ formosæ giganteo concubitu sentire queant, colligito. Et vale. Ex Valleoleto. IV. nonas Octobris, MDXIV.

EPIST. DXLII.

Quæ sit ætas Regis Hispaniarum. Adagium de nuptiis Galli. Trivultius patriæ noxius.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

TEstes advoco superos omnes: Rex noster nisi duobus sese spoliaverit appetitibus, dabit animam autori rerum, & terræ corpus propere. Sexagesimum jam agit ac tertium annum, & uxorem à latere nunquam dimittit. Non satis est illi una, pectoris dico anhelatio: exercere nititur ultra vires & uxoriam. Altera quæ illi vitam est intercisura causa est venatus cupiditas. Jam hyems est in manibus. regio hæc frigoribus urgetur: *nequit*, ut ille ait, *à Iove frigido & à sylvis abstinere.* appetitus hic illum arctius raptat, quam quando per ætatem licebat juvenilem. Legionem urbem montanam ait se petiturum: quia ursos audiat illic vagari quosdam, neque (quod perniciosius illi futurum est) Reginam patitur alicubi sistere, tanquam sui pectoris costam, sine qua dissolvendæ sint reliquæ, secum illam trahit. Una causa propediem duos traducet Charon sua cymba potentes Reges, nisi ambo à languente caverint Venere. Gallus suæ sponsæ, futuro suæ vitæ gladio, uti sponsum decet, ornatus exivit obviam, sonipede phalerato Hispano insidens elegantissime, semicevens, labra lambens, & salivam deglutiens, advenientem suscepit: quod pulchra sit sine fuco, nativo tantum colore compta, Hymenæos dicitur celebrasse. Ad languentis Veneris incitamentum medicatas escas sumpsisse creditur: quia *quinque se lanceas primo congressu fregisse* jactitavit, quinque sibi ipsi ligonicas fossulas effecit. Si vernos ipse anni sequentis flores odoraverit, autumnos tu tibi quingentos poteris polliceri. Nil magis vitam præscindit inter se atque citius quam voraginis illius barathreæ perfossio, in qua vir quicquid virium

& substantiæ vitalis assequitur, amittit. agitatione lateris calor vitalis exstinguitur, radicalis humor exsiccatur. De bello tamen & Italia iterum concutienda cogitat bonus Rex, à Venetis urgetur, ut properet; neque desunt præsentanei stimulatores alii; Trivultius patriæ titio, & exules alii, crebris illum hortatibus adigunt: Germanos habet stipendiarios octies mille. Satis tibi jam sit uno contextu duos habere Reges ad interitum longis itineribus, & properanti cursu tendentes. Vale. ex Valleoleto. idibus Novembris, M D XIV.

EPIST. DXLIII.

Aufugit Prorex. Iactantia Turci de Sophio. Instructio cuneorum. Quadraginta millia trucidata in uno cornu. Centum quadraginta millia hominum amisit Turcus. Metus Rhodiorum.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

AUdi bellorum vices. vide rerum humanarum inconstantiam. Venetorum duces in Rovigo municipio hyemantem Proregem nostrum Ramonum à Cardona sunt adorti. aufugit Ramonus, militum facta est dispersio, supellectilia impedimentaque amissa. Brixiam se contulit Ramonus. Bergomum sese dedit Venetis. confide secundis rebus. Rex vero contra Medicorum omnium, & Senatorum sententiam, ad urbem Legionem se contulit, hanc vos Hispani *Leon* appellatis. plura passus est incommoda quam si ab Euri Boreæque tempestatibus, aut Africi naufragus evasisset. Imbrium fuit & ventorum vis tanta, & aquarum inundationes adeo ingentes, ut quisque rivulus superbo lapsu magna quæque flumina æquaret. Jumenta raptarunt oneraria multa, homines quoque non paucos: Regis & Reginæ plæræque sarcinæ sunt deperditæ. Inde labitur Rex ex conceptis humoribus in deterius. Negocia sequi & quærere solebat, à negociis nunc abhorret. Hæc de Rege Catholico: ad non Catholicum revertamur. Nos dormitamus. Selimsachus Turcarum Princeps evigilat. Is ad magnum Magistrum Rhodium, & Ragusios tributarios suos literas misit, *amicos* appellans, quibus se jactat diruisse Sophium, omniaque illius Regna suo Imperio subdidisse. literarum exemplar ad nos misit. Pugnæ tempore, inquit, se suas acies tripartito constituisse: uno cornu Europæam se dicit locasse manum, altero Asiaticam, mediam ipse cum phalange Macedonica suisque fidis necessariis tenuit. Sophium ait, duas tantum acies instruxisse, quarum alteri *Mahometem* Uscancii filium egregium bellorum magistrum; alteri seipsum præfecit. Mahometæ sorti obtigit Asiaticus exercitus: Europæos Sophius stravit, Asiatica Turci manus Sophii Prætorem debellavit. Sophius Europæum, trucidavitque ad unum, quotquot se obtulerunt. Quadraginta, inquit, millia Selimsachus fuisse eo cornu desiderata è suis. Jam præcipitem trahebat Sophius hostilem exercitum, nisi Turcus ipse laborantibus suis cum valida manu affuisset: Sophianos fessos & jam languidos, recentes copiæ profligarunt. Sophius victus est: licet cruentam reliquerit hosti victoriam. fatetur Selimsachus per suas literas trucidata è suis fuisse in eo certamine centum quinquaginta hominum millia. *Tyrannum & Dei contemptorem* Turcus appellat *Sophium*, atque *alieni usurpatorem*, ac si nil unquam sceleris ipse perpetrasset, & puras ab omni macula manus haberet. Magnus Rhodius Magister futuram deplorans calamitatem, Pontificem hortatur, rogat, orat, ut Christianorum concordiæ totis viribus innitatur. nam à Sophio Selimsachus expeditus, suam in nos potentiam exercebit. Tu vale & dole Christianorum dissidiis. ex Valleoleto, XIV. Calendas Decembris, M D XIV.

EPIST. DXLIV.

Iacet lecto Gallus. Cui se junxit Anglus excusans.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

DE Christianis rebus parum habetur, quod relatu dignum sit, præterquam Regem Gallorum morbo, ætateque ac lateris agitatione gravatum lecto jacere; nec desistere propterea quin exercitum paret in Italiam transmittendum. Neque illo est Rex noster validior, in pejus pergit ejus asthma, humorque turgesciens. Anglus Rex ad Pontificem scripsisse dicitur, se Gallo Regi hosti capitali, per sororis matrimonium conjunxisse, quia se desertum fuisse ab omnibus fœderatis, in faucibusque hostis solum relictum, quo tempore generalem hostem ipse jam stratum habebat, repudiatamque à Carolo Hispaniarum Principe sororem eandem suam, quæ Gallo est copulata: utroque avo Caroli (paterno scilicet Cæsare ac materno Fernando Aragonio) assentientibus. Nullibi præterea sororem suam posse honoratiorem assequi titulum quam quod *Regina Franciæ* nuncupetur. Ungaros ajunt à seditionibus destitisse. Ab hostibus

hostibus fidei, quorum dissensio, nostram differt perniciem, non à suspicione liberat, neque tutos facit. Scribitur Selimsachum Turcarum Principem adeo debilem & confractum ex pugna remansisse, quod se inde movere nequiverit, donec cum recentibus copiis Sophius illum sepeliendis mortuis, & sauciis curandis intentum, adortus profligaverit. In Asiam ajunt mœstum rediisse, neque Constantinopolim audere ob pudorem proficisci, quia utriusque provinciæ, Asiæ dico & universæ Græciæ, florem reliquerit trucidatum. ferunt alii, sua sponte rediisse, nec profligatum, sed quia veritus sit, ne frigore, aut esurie reliquias, hyeme adventante, amitteret exercitus. volunt alii, secessisse ab eo plures copias, ut obviam irent commeatibus, quæ à Constantinopoli trahebantur, quia fame peribant. Qui S. Petri Castellum in Asiatico litore præsidio tenent Rhodii milites, tristes & capite demisso vivere vicinos Turci populos, neque in Constantinopolitanis oris lætitiæ signum videri ullum, sive quod sæva tigride Tyrannum crudeliorem sint malo fato sortiti; sive quod amicos & propinquos amiserint, aut Principe fugato nepotem ejus, favente Sophio, cum recentibus militibus propediem in eos venturum arbitrentur; quod patruo paruerint, licet inviti. Ab orbe novo scribitur, Petrum Ariam cum integra classe ad fluminis Darienis ripam appulsum incolumem; lætis animis sese invicem habitatores & hospites salutarunt. Vale. ex Valleoleto. v. Calendas Decembris, MDXIV.

EPIST. DXLV.

Hæretici Boëmi contra suum Regem tertio certarunt. Darien prope æquinoctium.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

E Variis orbis partibus varia referuntur. Aperto Marte Poloni Sarmatæ censiti hæretici ab Ecclesia, in suum Regem deducere illos ad Pontificis edicta nitentem, arma sumpserunt, & bis ad Borysthenem fluvium collatis signis in eum certarunt. Conceptam ab atavis superstitionem exuere cum vita volunt: utrimque jactura ingens oblata est, licet alterne se contriverint, suis tamen limitibus antiquis vivunt. Angliæ Regina peperit abortivum, ex concepta molestia ob discordiam viri & genitoris Regum, præ nimio dolore, immaturum fertur ejecisse fœtum. Exprobrabat innocenti Reginæ vir patris ejus desertionem, & conquestus suos in eam expectorabat. Ab Urbe scribitur, Julianum fratrem Pontificis uxorem duxisse Sabaudiæ Ducis sororem. Distulerunt nostri per Joannem Vespucium ad contrahendum nobiscum à Pontifice missum rem concludere. sero sapimus aliquando. Ab orbe novo fertur, habitatores Darienis ægrotos esse majori ex parte, eo quod sedem in cœnosi Darienis ripa primi elegerint, atque circumsepti monticulis, sintque proximi æquinoctio. distant namque gradus tantum septem, unde Meridianis perpendicularibus fere, montanisque rotantibus ad ima radiis feriuntur. O si collium tamen culmina vel montium latera elegissent, qua à ventis detur perflare aërem in alicujus nitidi fontis, aut fluminis vicinia. Elysiæ sunt terræ illæ, si præsertim Oceanum spectent. Egestas primos coëgit ibi figere pedem: quia illuc applicati pagum reperere ditem, & commeatibus patriis refertum. Cemaco loci Regulo vi armorum ejecto, pagum ipsi occupavere; neque de loco mutando unquam iniere consilium. Helvetii se totis viribus tutaturos Maximilianum Ducem, Gallis fœdera petentibus, responderunt. Inter nostros milites & Venetos in agro Patavino quædam feruntur post fugatum à Robigo Proregem accidisse, sub lingua immurmuratur. parum igitur, aut fere nihil esse debet, aut nostris damno cedere, quandoquidem non aperte loquuntur. Rex noster putans, locorum mutationem ad sui morbi levamen profuturam, ex Valleoleto Metinnam concessit, Curia in Valledoleto relicta. sequor illum ego, quocunque proficiscatur. processit in hydropisin. neque motu, neque quiete serpens malum minuitur. Vale. ex Metinna Campi pridie Calendas Januarii, MDXIV.

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER VIGESIMUS OCTAVUS.

Epist. DXLVI.

Moritur Rex Gallus, & quando. quis ejus successor. adagium de Gallo. de Turci ducibus, quomodo dissideant.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.


Udi, audi, & disce, an Fortunæ illecebræ, quas falso Vulgus *Bona* esse dicit, prosint ad mortis habenas, aut vertendas vel moderandas. In Calendis Januarii emisit Ludovicus Christianissimus Gallorum Rex animam illam, Italici sanguinis effusione ac Imperii cupiditate insatiabilem. Suffectus est Franciscus Angulemam juvenis annos natus viginti duos. Qua sit animum directurus, facile judicatu est. paratum reliquit ei Rex vita functus, Germanorum excercitum quindecim millium, *Lancechneches* vocant id peditum genus, pugnæ statariæ aptissimum, immobile. quid cogitet, propediem intelligemus: magna credimus, quia magnanimum esse ajunt. Ad Catholicum Regem nostrum, & *Germanam* Reginam affinem suam scripsit literas benignitate refertas: fore se filium utriusque dicto parentem pollicetur. ita futurum arbitramur. *Gallico* tamen *more*, id est, *quantum sibi rebusque suis conducere senserit*. Rex Catholicus noster nil verbis fidit. In Navarram nuper habitum Regnum, terdecim delectos misit peditum ductores, cum singulis ducentorum peditum turmis, qui Pyrenæorum angustias, si qua vis ingruat, tueantur. sagax est, & longa rerum experientia sapiens. Nollet surgentis hujus Christianissimi Regis adeo armati impetum imparatus exspectare. De Selimsachi mœsto reditu ab Imperio Sophiano varia retulimus, licet à prioribus, hæc parum distent; vario tamen contextu rem accidisse intelleximus, his diebus. Commeatus ex Thracia, & universa Græcia longissimis tractibus vehebantur. Asia namque eo anno frugibus caruit: neque Armenia illi poterat vel heminam frumenti præbere. Vastaverat Sophius eo adventante vicina omnia. de adventu commeatuum per Tauri montis angustias fama vagatur, ne fame pereant. Imperatore inconsulto, multæ militum turmæ tendunt; advenientes. re intellecta, Selimsachus per celeres nuncios, commeatuum præsidiarios monet de defectione suorum, ut se ab eis tueantur: neque sinant de commeatibus quicquam minui, donec ad se veniant. revocare quenquam nunquam potuit. ad plaustra proficiscuntur, crudelissimo concursu certarunt invicem, & se alterne acriter trucidarunt præsidiarii & ab Imperatore secedentes. Selimsachus autem à suis desertus, & Sophium cum recentibus copiis adventaturum suspicans, Tauridem relinquit, quadringentas totas Armeniorum familias primarias secum duxit, & per iter brevius, quam qua venerat, per Tauri juga, difficilius tamen & asperius viam capit, totum exercitum & castrensia supellectilia cum impedimentis amittit. reliquias insecutus Sophius in angustiis Tauri trucidavit. pauci evaserunt. Ita qui totum orbem uno se pugno conclusurum uno die arbitrabatur, cum ingenti damno & ignominia nunc in Propontidem dejectus in Trapesundæ Regno latet: rubore atque animi mœstitia fultus. quæ succedent, habebis. Vale. ex Metinna Campi IV. Idus Januarii, M D XV.

Epist. DXLVII.

Ulmeti degit Rex. Papa vult Parmam, &c. de Helvetiorum culmine. adagium de Rota Fortunæ. ludibrium fortunæ; quod soror Angli Regis nupserit famulo. Artes Regum inter se. De Orbe Novo & Insula dite unionibus.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

De antiquo more sanctam acturus hebdomadam Jeronymorum cœnobium, nomine *Melioratam*, se Rex contulit, à Metinna distans milliaria quinque, ab Ulmeto municipio duo tantum. Inde licet invalidus Ulmetum ipsum petiit, dehinc Arandam Dorianam, unde Reginam misit in Aragoniam, ad eos conventus in Monzonum convocandos. Ventosillam exiguam paucarum domorum

domorum rusticanam villam tenet, sylvas frequentans cervorum causa. Ab Urbe sentitur, ancipiti animo esse Pontificem, Gallone, si quid accidit, ob Gallicæ fœminæ ductæ à Juliano in uxorem, contractam affinitatem, sit adhæsurus, an nostro, qui contrahere per propinquum aliquandiu distulit. Parmam petit Pontifex, & Placentiam urbes, Ducatus Mediolani primaria membra: quæ Julius ejus prædecessor, fuisse quondam *Exarchatus Ravennæ brachia* dicebat. Helvetii in suis conventibus, quos crebro celebrant, super hoc Pontificis petito deliberant. Quæ illi statuent, facere oportebit. in Fortunæ rotæ culmine nunc sedent, clavum figant ne Rota labatur. Inter Gallum & Anglum Reges, fama est, ridendum quoddam accidisse stratagema. Familiarem suum, quem ex imo loco Rex Anglus evexit & Ducem effecit, nomine *Charolus Brandon*, in Galliam repetitum sororem viduam misit, cum literis ad Regem Gallum, velle se nuptui dare sororem, isti eidem familiari scribens: creditur ista minime scripsisse, quo fierent. Sed Rex Gallus verba, non animum Regis Angli librans, ne si vidua hæc ad potentiorem aliquando Principem deveniret, formidolosum aliquid pariat, sui Regis literas ostendi jubet his suspectis, ut hinc & fratris, inde Domini mandata exsequantur ambo, imperat. Rex genialem parari thorum jubet, despondet, & una ut coëant, datur opera, ne dissolvi ulterius queat matrimonii vinculum, si forte pœnituerit ea scripsisse. Ita inter Reges vivitur, artes artibus deludunt. Ab Orbe Novo scribitur, Petrum Ariam ad Australe pelagus misisse Gasparem Moralem familiarem suum, quod ad insulam tenderet ex litore à Vasco Nunnez Balboa primo illius pelagi repertore visam, sed non aditam ob tempestuosum anni tempus, quam unionibus abundare proximi continentis Reguli professi fuerant. Ivit, renitentem Insulæ Regulum armis debellavit. Centum armatorum peditum habebat Gaspar manum, contra inermem, licet ferocem, non fuit opus magno labore. Mitis effectus Regulus nostros hospitaliter suscepit. Atria dicunt esse, domos ejus Rege digna. Fortunatissima est, arboribus & frugibus, ac sylvestribus animalibus ac volucribus insula. Unum tulit unionem, nucem æquans mediocrem. is ad hastam positus inter Darienenses precio mille ducentorum Castellanorum fuit venditus. Vale. ex Aranda Doriana. III. non. Aprilis. M D XV.

EPIST. DXLVIII.

De Concilio quid agitetur. sententia: ut taceant Dominicani & Franciscani de Conceptione B. Virginis.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

Locum crebro mutamus. Burgos urbem incolimus. prosequitur Leo X. inceptum à Julio Concilium Lateranense. De hujuscemodi sessionibus nil scripsi hactenus, quia nil arduum tractasse Conciliarios audiveram. De mutando Calendario, ajunt agi, & anno reducendo ad rationem certiorem. ex quo namque per Cæsarem Julium solaris hic annus in quinque ac sexaginta supra trecentos dies, & sex horis additis, distinctus fuit, aberrare per dies undecim reperitur, discutitur; nil tamen statuunt. Astronomicæ artis periti, quicunque sunt in Christiana religione, à Pontifice monentur, ut quisque per sua scripta de hac re sententiam dicat. Proxima sessione sancitum est, & meo judicio sanctissime, ne veterata inter Franciscos & Dominicos fratres de conceptu Virginis dissensio ultra vagetur. æternum est utrique impositum silentium: pie id credere, non esse impium, judicatum est. Statuerunt etiam proscindendam esse Pragmaticam Galli Regis de præbendis ad Regis votum Ecclesiasticis beneficiis; sed Regis Galli orator ab eo statim appellavit, neque posse impræsentiarum Regem suum, probos viros destinare oratores ob ingruentia bella, interea se usurum antiqua consuetudine protestatur. Reservas omnes Pontifex revocasse, fœdusque cum Cæsare ac nostro Rege, & Elvetiis iniisse, contra Gallum Regem, magna parantem, ut Alpes in Italiam trajiciat armatus. Parmam & una Placentiam urbes, Pontifex à fœderatis accepit, Cæsarque Bergomum Venetis ablatum, à nostris habuit. Multi dubitant de animo Pontificis: *Colligere se*, ajunt, *à conjecturis, aliter eum sentire quam profiteatur*, sed hac præcipua, quam referre est animus. Octavianus Fragosus est Genuæ Dux, Gallicis rebus hic semper inhæsit, neque trahi unquam potuit ad Maximiliani Ducis amicitiam; Genuam in fide Gallorum sustinet. Elvetiis Genuam in Fragosum petierunt, in Fragosi auxilium copias duxit Florentinas Laurentius Medices Pontificis nepos, & familiæ caput. collige hinc, quid sit credendum. & vale. Burgis. pridie nonas Junii, M D XV.

EPIST. DXLIX.

De variis Italiæ conflictibus animorum. Veneti ut Gallus transeat, instant.

P. M. A. M. Ludovico Furtato Mendocio.

NEque horrendis frigoribus, aut æstu rabido cursores deterrentur: cutem habent testudinea concha duriorem: formicis horrea parantibus crebriores eunt redeuntque volitando. Non satis in Italiam sævivit hactenus fortuna: lachrymosiores pullulant ærumnæ. Gallicum est publice proclamatum nomen in urbe Genua, quæ ad sui perniciem civilibus odiis semper invigilat. Pontifex secreto creditur fovere Fragosum Ducem Genuensem. Veneti stant in armis; Gallum Regem opperiuntur ad excidium Italiæ. stimulant per frequentes nuncios Gallum, ut properet; ipse autem nil cupere magis videtur. In Helvetiorum conventibus sancitum est, Maximiliano Duci ferendas esse suppetias; at tamen est aliquantulum Duci timendum. diffident jam inter se Helvetii. sata est inter eos discordia, simultatibus student. sunt qui nolint arma esse sumenda in Regem Gallum. Sunt & qui parere primoribus eorum recusent, licet suffragiis communibus sit statutum, ut eatur in Gallos. inviti trahuntur multi, corrupti à Gallis, ut ajunt. Angustias Alpium occupant Helvetii, qua venturos putant Gallos. Pinarolum in Alpibus, & in Alpium vicinia, Novariam & Alexandriam tenent. Prorex noster se iturum inquit in Helvetiorum auxilium cum exercitu suo equestri pedestrique, si Galli transierint. Liviano Venetorum Duci jacturam, dicitur Prorex, nescio quam intulisse in accepti in Rovigo damni vindictam. levis debet colaphus esse, quandoquidem non concutitur aër tonitruis. Laurentius Medices apud Proregem Ramonum Pontificias ducit copias. *Signa*, inquiunt, *à Laurentio prodiisse*, quod prono sit animo ad Gallos, ne pugnæ tempore, si pugnandum fuerit, aut secedat, vel aliquid deterius machinetur, timent. Cæsar est in Vienna Pannoniæ Austriæ cum undecenne puella, viventibus fœminis, ut ajunt, formosiore, Ungari alterius Pannoniæ Regis filia, dicitur celebraturus Hymenæos. Id autem nuncium quod ad nos tu scripsisti, Regis & aulicorum omnium animos perturbavit, quod nostrum sit mare pyraticis adeo refertum Lybicarum & Turcicarum classium, ut nemo audeat ex ullo portu Europæ exserere caput. Quod Sardiniæ primariam Urbem oppugnaverint, quod Gibraltarum ad Herculeum fretum tormentis ausi sint concutere; quod una Baleares insulas fuerint depopulati; quod quæque obvia nullo obstante rapiant, & infestent omnia maritima, censeto quid sentiamus. Regis ægritudo effecit, ne contra eatur, desidem illum tenet ac mœstum: nequit jam tollere caput. breves arbitror futuros dies ejus. Tu vale. Burgis. Idibus Julii, MDXV.

EPIST. DL.

Consolatoria de morte Comitis Tendillæ. de Regis repentino casu in lecto. quomodo fuerit adjutus, cum jam exspiraret.

P. M. A. M. Ad Ludovicum Mendocium Marchionem & Comitem.

PAtrem tuum, quo ego duce in Hispaniam veni, obiisse, intellexi. Vivere is nunc incipit, non mortuus est, sed est in tuto, à fortunæ vicissitudinibus liber. Quid de octogenario aliud poterat exspectari, nisi ut naturæ mutuum redderet? Inter illustres Heroas præclare gestis, & inter cælites vita & moribus insignes charitate fervidus cohabitat. Ora reliquit hominum de se plena laudibus. bello & pace summam est gloriam assequutus. Novum tibi Marchioni titulum adeptus est, patriosque census multiplicatos, & in isto Granatensi Regno gubernando regulam præbuit, qua futurus es & tu Regibus charus, habitusque in pretio. Satis cum eo bene actum est: quandoquidem in gravi ætate datum illi fuit talem habuisse ante oculos, cum abiret, & facultatum & laudis hæredem. Mœrorem igitur nos abjiciamus, & illi magis, quod tantis laudibus tolli mereatur, invideamus, quam quod obierit, misereamur. Demus operam, ne quid in vita, quæ afflatu solo brevior est, nobis occurrat animi perturbativum, quoad fieri poterit. Ad te posthac nostræ literæ, uti ad illum hactenus, dirigentur, uti petis. Quid de Rege Deus statuat, cupis intelligere: labitur in deterius. Huc repentino motu exagitatus concessit. quia in urbe Burgensi noctium proxime præteritarum una fere suffocatus dormiens est. ex catarrho & syncope cordis fibras concludentibus. Sensit gurgitantem ac stertentem horride unus ex his, quos *Spinosæ Monteros* vocatis, quibus Regis nocturna creditur custodia. custos is per aulam deambulabat, ex ipsorum more cæteris collegis dormientibus,

bus, vicibus namque vigilant, interque sese excubias dispartiunt, ad strepitum fere jam evomentis Regis animam accurrit. Cubiculum ingressus, Regem reperit inclinato extra lecti spondam capite semiexanimem. proclamat miser. cubicularii adventant, Regem elevant: membra ejus confricant, corpus totum concutiunt. torquebat sine voce oculos sui inscius. frigida vultum irrorant aqua. rediit tandem. Hinc insperatus hic discessus, æstivo tempore. imo rari ulterius illic recusavit, ne idem accideret. Locorum mutationem sibi fore salubrem putat. de Rege nostro satis. Quid classis pyratarum Cilicum & Numidarum in nostro mari cum summa nostra ignominia operentur, tu plenius intelligis, qui propior es, & illorum litorum Prorex. Desunt tibi ad illorum vim infringendam vires, inquis. quia regiis opus est auxiliis, arbitror te vera dicere. Neque Rex est incusandus. nequit enim cum validis morbis, & una cum hostibus certare. Vale. ex Aranda Doriana. xv. Calendas Augusti, MDXV.

EPIST. DLI.

Augusto mense gelu. de libellis missis ad Papam. de Orbe Novo. signa, quod Papa nos fraudet. Multa diversa.

P. M. A. M. Marchioni Mondejaris.

Audi quam varia syderum sint consilia. quis hoc crederet? regionis hujus vineta xv. Calendas Augusti concreta gelu sunt omnia, uvæ deperditæ. Vis ut quæ ab exteris habeantur, uti patri tuo quondam, tibi significem. Non abnuo, quandoquidem illius loco te sum habiturus, suxerisque tu & meas literales mammillas. hoc primum ad urbem Romam familiarem meum, Orduniæ, capillati mei, qui tibi aliquando porrexit jentaculum addiscenti, apud me, fratrem juris peritum, qui me à Romanusculis cavillationibus tueatur, misi. Litigiosæ quædam mihi contentiones exortæ sunt. Habebis egregium procuratorem, si quid tibi negocii acciderit in Urbe. dicitur Licentiatus *Aguinniga*. Ad aliena pergamus. In Laurentino Pontificis nepote, qui patrui copiis præest, apertiora indies apparent diversi animi à nostris signa. Inde colligunt Pontificis animum alium esse quam polliceatur. Per Licentiatum illum meum ad Pontificem direxi de Orbe Novo pauca, habebit aliquando plura. De Particularibus hisce inventis libellos cudo. prodibunt, si vixerimus. Helvetii Lamparosam vallem in Alpibus occupant, ea putant Gallos tentaturos transitum. Ajunt perempta fuisse Vasconum & reliquorum militum Gallorum millia decem, qui subsequenti exercitui, ut viam aperirent, tutaque redderent itinera, præmissi fuerant. Forti animo tenent Helvetii angustias illas Alpium. propterea quæsituros putant Gallos aliunde trajectum. Deterrent ab his inceptis Galli Regem suum; difficultates & pericula, majorumque suorum exempla illi proponunt. argumentis eum divertere ab hac provincia nituntur. Trivultius autem & reliqui extorres à patria, patriæ ipsi calamitosi cives, juvenem Regem stimulis adigunt, laudis & supinæ illi gloriæ munia enarrant, retrocedere ostendunt esse ignominiosum, difficultates non esse eas quas meticulosi putant. Fœderatos nunquam conventuros, suspectos esse alterne omnes, Helvetios non esse uti solebant, unanimes, *Galli Regis exercitum potentem esse ad infringendas totius orbis vires*, juveni Regi persuadent. Ita trahunt juvenis animum in diversa.processurum putamus, quia magnanimus est & gloriæ cupidus. Ita præ intestinis odiis Guelforum & Gibellinorum sata semina Tartarea, ex barbaris in barbaros, Italiam ipsimet Itali dilacerandam conjiciunt. Rex noster non is qui solebat, est conversus ex Phœbæo alacri & placido in rabidum, ob infirmitatem, quæ illum indies magis ac magis gravat. Revocatum ex Aragonicis conventibus suum Vice-Cancellarium, cum summa jussit ignominia capi, ac duci ad oppidum Simancas, à Valledoleto lequas distans duas, quid causæ, alias. nunc vale. ex Aranda. XVII. Calendas Septembris, MDXV.

EPIST. DLII.

De statuto Regis Hisp. in Calatajuto, contra Procerum privilegia. de captis Turcarum navibus. Transitus Regis Galliarum per angustias Alpium. Captura Prosperi Columnæ.

P. M. A. M. Marchioni Mondejaris.

Repentino motu, Aranda Segoviam venimus, repentiniore discessimus, & longis itineribus Calatajutum concessimus. Hic ab Aragonicis vult Rex aliter agi super Justitiæ observantia, quam hactenus. Ut Aragonum stipendiis dux eligatur cum militibus quingentis, qui homicidas ac sceleratos quosque insectetur, quacunque profugiant proceres, in quorum oppidis tanquam in opacis & montanis abditis nemoribus aut asylis,

lis, tumultuarii & sicarii quique recipiuntur, Regis adversantur sententiæ, populi favent, Proceres antiqua ostendunt privilegia de hujuscemodi tutela, quia Reges ipsi quondam elegerint, non sortiti fuerint. A Rege petunt ipsi Proceres, ut ordine suo per conventus tractetur, ne privilegia infringat. Rex qui eorum callet mores cavillosos, populis providere studet, qui ex hujuscemodi Procerum receptaculis premuntur. Hic sumus. Finis loquetur. Ex Italia & ejus calce, Neapoli dico, fertur, nostras triremes profligasse ac cepisse terdecim Turcarum navigia, *fustas* dicit populus. An tempestatibus actas ad ea litora, an certamine nautico, nondum habemus certi quicquam; secundum est & faustum nuncium, utcunque sit. A femore autem ipsius infelicis Italiæ, ex Insubria dico scribitur, Regem Gallorum sui esse ductorem exercitus. Per Argentariam vallem nulli unquam turmæ peditum hactenus perviam, ne modo exercitui, per horrendas Alpium costas, per famem, per sitim, & magna discrimina, per immensos labores trajecit exercitum, via impedimentis aperta, montibus æquatis, nequivit aliunde ob Helvetios reliquas Alpium angustias occupantes. Per exploratores Prosper Columna equitatus Maximiliani Ducis præfectus, qua Galli venirent, intellexit. Longis itineribus cum quadringentis cataphractis ad eam partem procurrit, primos transeuntes se profligaturum, & reliquum exercitum inter illas horrendas valles retenturum, donec inedia periret, arbitratus. Prævertit fortuna consilium. Villafranca in vallium Argentariæ faucibus sita est. sistit ibi Prosper, fessos recreat milites equosque. proditur ab oppidanis interea qui Gallorum primam aciem, quæ jam transierat, monuerunt de Prosperi & suorum militum lassitudine. Per vada extranea & devia traducunt Gallos; Prosperum & milites omnes adoriuntur, capiuntque ad unum. Tuto Rex Gallus, & universus exercitus ad plana descendit; in regiuncula dicta *Monserratus* habet castra, in oppido dicto *Cuni*, ab Helvetiis alias oppugnato, sed minime capto. quæ succedent, habebis. ex Calatajuto. XIV. Septembris, MDXV.

EPIST. DLIII.

Confusio Helvetiorum in diversa tendentium post captum Prosperum.

P. M. A. M. Marchioni Mondejaris.

PAucis ante diebus scripsi, Gallicum exercitum Alpes cum suo Rege superasse, Prosperumque Columnam captum à Gallis cum equitatu. His auditis, Helvetii, qui omnium rerum penuria in Alpibus laborabant, spe sua frustrati, Alpes deserunt, Montiam proficiscuntur. ibi diffident inter se, deserendam esse provinciam hi ferebant, quia pecuniis aut commeatibus illis minime à fœderatis succurreretur. Qui saniore consilio vivebant, tolerandas esse quascunque difficultates, & potius moriendum prædicabant, se Italiæ propediem dominos fore, si duraverint, aliqui è prudentioribus arguebant. Præbitos à Pontifice tantos honores, neque pro vita esse amittendos: Lituratum iri quicquid præclare gestum est hactenus, cum gemitu plærique ferebant. Hæc aliquibus incassum. Albertus Bernensium Helvetiorum Dux à vicinis secessit, & patriam versus iter cepit, cum Helvetiorum phalange decem millium. Ex itinere fit obvius Dux Barri Maximiliani Ducis frater, cum recentibus Helvetiorum copiis ad millia viginti, cum mandatis ab universo Helvetiorum conventu, ne quis retrocedat, bonorum, exilii ac vitæ pœna proposita, sive stipendia persolvantur à fœderatis, sive non, esse ferenda extrema omnia censent, vel vincendum, vel omni Helvetiorum multitudini moriendum ad unum, venturos qui domi supersunt, si adversi aliquid acciderit. Sistunt pedem, qui diverterant, animo tamen averso. Gallorum propositis & promissis aures præstant. ingentes pecuniarum acervos Galli pollicentur Helvetiis, modo redeant. Non defuere qui annuerint, Galeratum usque municipium cum ducatorum millibus quingentis & valido præsidio profectus est Leutrecus, è primoribus ducibus, ut Helvetiis pecunias impartiretur. Galli ajunt, se ab Helvetiis fuisse proditos, quod cum eis jecerint fœdera, & tumultuarie Galleratum venerint, per vim ablaturos pecunias, neque fidem servasse. Ramonus Prorex noster, hæc sentiens, pedem sistit. non audet se credere discordantibus Helvetiis, ne medius intercipiatur à Gallis & Helvetiis, quia præsertim neque Laurentio Medices fidebat. Suspectas, inquiunt, à Pontifice reperisse membraneas breves literas. Cardinalis

Sedunensis

Sedunensis laborat, sudat, cruciatur, ut conveniant Helvetii, nunc hac, nunc illac incursitat. ad Proregem profectus, illum urget, ut sese jungat Helvetiis, futuros illico concordes ex ejus adventu. tanquam alatus Mercurius quiescit nunquam. Rex interea Gallus ex Boffallora villa in Ticini fluminis ripa sita, milliaria forte sexdecim ab urbe Mediolano progreditur, sperat se cum solis Helvetiis, & his paucis rem habiturum. Sentit fœderatorum diffidentiam de Helvetiis, & animorum inter se suspicionem. quæ succedent, intelliges. Nequeunt istæ classes fluctuantes, nisi ad vastas rupes elidi. Tu vale. ex Calatajuto. XIII. Calendas Octobris, MDXV.

EPIST. DLIV.

De varia fœderatorum conflictatione, quid speret autor. ubi Dux, pro quo pugnandum est, sit inclusus. & Rex Gallus præsens. Helvetii discordes. Genua contra nos.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

SUnt horum temporum adeo crebræ nunciorum cursitationes, ut nullus fere dies prætereat, quin novi aliquid habeamus. Gallum Regem in summo esse discrimine referunt hi. Adesse tempus ajunt, quo Gallicum nomen exstinguetur, evadere nullo modo posse Regem ipsum, aut è suis militibus unum, quin aut trucidetur, aut capiatur. Ex cataphractis tribus fere millibus, & peditibus sex & triginta millibus, levis etiam armaturæ non paucis neminem excipiunt. Irrident alii qui sunt rerum experientia sapientes. Putant isthæc Helvetiorum dissidia, Proregisque nostri suspectione de Pontificiis & Helvetiis, Ludovici Mediolani Ducis exemplo, aliquid magnum in Fortunæ gremio paritura. Addunt etiam Bartholomæum Livianum tenere præsidio Laudem urbem, à Mediolano millia distantem viginti tantum, cum exercitu recenti Venetorum. est & medius inter Proregem & Helvetios, quia Placentiam Prorex occupabat à Mediolano millia quadraginta. Intersecat igitur Libianus Proregis iter. Etiam fama est promulgata, sive id Gallicum fuerit stratagema, de quingentis millibus ducatis aureis per Lautrecum cum quingentorum cataphractorum præsidio Galeratum Helvetiis præbendorum, sive id acciderit, deterrentur eo nuncio Hispani, nescio & an Pontificii. Hæc varia varii. Ego autem, qui bellorum eventus esse haudquaquam certos legi sæpe, audivique nostra tempestate, quive parva manu scio profligatas fuisse aliquando magnas adversorum copias, casui rem reporto. Maximilianus Dux, sive quod iners sit ac deses, sive quod patris edoctus exemplo, perfidiam timet Helvetiorum, sese intra Castellum continet, Gallis de deditione magna pollicentibus, respondisse inquiunt, *se velle mori Ducem, neque vereri quicquam sub talibus parentibus, quales Helvetii sint.* Putant aliqui triumviratum illum, de quo alias mentionem fecimus, ex eleganti juvene in Sardanapalum Ducem convertisse. Caret consilio ad horum temporum exigentiam. Ergo ubi Elvetii, aut ex fœderatis nemo viderit quenquam, pro quo sit pugnandum; contra, suum Galli Regem præsentem habent animosum, elegantem, potentem, tractabilemque cujus res agitur, quid sperandum est? Neque parum offuturam existimo Prosperi Columnæ ac suorum militum capturam. Genua die octavo Septembris Ramirum Nunnez Guzmanum oratorem nostrum emisit, publiceque sunt erecta Gallica vexilla. Jacobus Aquila noster orator apud Ducem vir prudens est, & literarum gnarus, sed parum profutura credimus ejus consilia. ut exeat, die noctuque Ducem hortatur, ut Helvetiis sese ostendat, ut intelligant, cujusnam sint vitam abjecturi, nequire deteriora pati, quam quæ à Gallis exspectat. incassum omnia, manet inclusus. Tu vale, & aures præpara patentes ad audiendum successus. ex Calatajuto. VI. Calendas Octobris, MDXV.

EPIST. DLV.

Dux Geldriæ Germanorum Prætor cum Gallo remittitur. cum Trivultio ad Mediolani portas Petrus Navarrus incursitavit.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

A Fluctuante Italia fertur Regem Gallorum Ducem Gueldriæ retromisisse per equos dispositos, quia senserit ab ea parte ob Cæsarem pullulare quosdam motus. Prætor erat universi Germanorum peditatus. fratrem ejus suffecit Rex. Ex Boffalora & Mazenta, quæ distat à Mediolano milliaria forte quindecim, cuncta vastans Gallicus exercitus processit. Ne quid incommodi patiantur incolæ, semper jubet magnanimus Rex edici, sed frustra. Belli est regula, ut quacunque magnus ducatur exercitus, eant in prædam cuncta. Primam frontem gradientis exercitus Trivultio, suæ meæque patriæ gladio ancipiti tradidit, tanquam viarum gnaro, & qui

vigilantiore cura rem sit acturus, ne senio confectus vivat ultra extorris. Ad Mediolani portas, inquiunt eum, & cum peditibus quibus præest, Petrum Navarrum sese applicuisse. Ex adventu suo speravit excitare tumultum in urbe; rejectos fuisse inquiunt cum ignominia. Helvetiis deest equitatus, pugnaturos tamen credunt. Id si fuerit, magna erit Christianorum strages: duram amplectentur provinciam. Quid solus peditatus discors contra Germanorum robur, qui ordinem servant eundem in præliis, & contra Gallicum equitatum validiorem, quam nunquam hactenus. Proh quanta sanguinis imminet effusio. Sedunensis concionator inter Helvetios effectus est; ut conveniant, hortatur, ne partam velint gloriam amittere, ne præclaros à Pontifice datos eorum bellicæ virtuti titulos deturpari patiantur. Tantam occasionem oblatam ne sinant è manibus labi rogat. Diem adesse illis, inquit, quæ prostrata potentia Gallica, Helvetios universis totius orbis populis & gentibus sit prælatura. Proh quantam nobis quietem, quantum nomen & quam æternam famam, atque gloriosam est nobis ista dies paritura, tum orando, gemendo partim, & lachrymas effundendo, minando etiam plærisque, ac exilium, & sui generis exterminium in patria proponendo se macerat. Gallorum est vir infensissimus hostis. Nullum ponit in victoria dubium; si unanimes ad rem gerendam, progrediantur, sed si recusaverint, se tamen Belli Fortunam, cum dicto parentibus experturum. Emori satius esse concutiendo se dicit, quam cum tanta ignominia redire victos in patriam, ubi conclusi inter horridorum montium aggeres vitam sint perpetuo miseram & calamitosam acturi. Hæc & alia multa Sedunensis: sed parum profutura creduntur. Tu vale. III. Calendas Octobris, M D XV.

EPIST. DLVI.

De crudeli pugna Heroicum Poëma quoddam, repentino afflatu Platonico depactum ex tempore. Quis fructus effusionis sanguinis. Quid utilitatis contra infideles. Hæc est crudelis illa pugna prope Mediolanum. Quæ causa trahat præcipites Helvetios. Helvetiorum inaudita audacia.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

PRoh facinus crudele, atrox dictuque nefandum
Fulgure deterius sævo, tonitruque tremendo,
Certarunt acies, campos tinxisse cruore.
Quid te Galle juvat Rex inclyte? quid tibi guttur
Est nunc plus solitone tuum suavioribus escis
Propterea implebis? precio majore parabis.
Proh dolor, optatas vestes lectone recumbes
Constrato melius? meliorave pocula sumes?
Haud equidem, Ambitio est, tituli sub nomine quodam,
Quæ genus humanum rapeat, vertitque quatitque,
Pestis dira nimis, tetro sata semine Averni.
Hæc fuit, hæc vastum tibi cor concussit, ut amplum
Imperium imperio jungas, subdasque popellos,
Qui leges servare tuas, tua jussa recusent.
Fecisti miseros multos, miser ipse futurus
Iudicis ante pedes Iusti. mihi crede, pigebit,
Cladibus his tantis causam, stimulosque dedisse.
Ex nece tam sæva, vacuasti templa, Deoque,
Caratasque faces, & thurea dona tulisti
Innumera, & luctu, & lachrymis, gemituque replevit
Compita, tecta, vias, urbes atque oppida multa,
Hæc tua tam fervens sceptri immoderata cupido.
Certe hostis, nostræ legis furibundus & acer
Turcarum Princeps, fœdatus sanguine fratrum;
Et patris, & reliquæ stirpis, turbæque nepotum.
Prostrari exhaustu potuisset forte minore
Sanguinis, & fatui Mahometæ jura perisse.
Sit monstrasse satis qui sis, memor esto, quod ille es,
Cui datus est superans Titulus de nomine Christi.
Arma cape in Turcas hostes, placeatque potentes
Exercere tuas vires sub nomine tanto.
Sat generose heros juvenili ardore citate,
Sat tecum. Facti seriem referamus amicis.

Heroo exorsus pede sum tantæ stragis initium, novo quodam sufflatus insperato furore, venerunt in buccam repente, nolo laborem irritum fieri. præcedant ergo, & ordo pugnæ liberiore subsequatur oratione. Ad milliaria quinque ad urbem illam Mediolanum Majestatem fere cœlestem æmulantem, nobilitate refertam, decoram, ditem, fortunatissimam applicavit exercitum Christianissimus Rex, pulchris, uti fama est, naturæ dotibus ornatus, annum natus vix tertium & vigesimum. Mediolanum ex Montia Helvetii se contulerant, paucis tunc ad certamen hortativis his verbis ad pugnam paratos, Sedunensis Cardinalis alloquitur: *Felicitas vestra, ô socii, nisi animos resumseritis, & vincere studueritis, in ignominiam & calamitatem insignem convertetur. Memores estote, commilitones egregii, quam facile, quamque leviter, octo vix Helvetiorum millia ad Novariam tantumdem virium Gallorum straverint ac fuderint, & ex universa, cum nostri filii Maximiliani Ducis paucis equitibus Italia fuderint. Præclarior utiliorque nunc sese nobis offert occasio. Regem ipsum, ipsum Gallorum, ni dissidere perseveraverimus, cum ipsius Galliæ totis viribus, ad manus sumus habituri, & finem bellorum inter Christianos populos, cum summa laude nostra imposituri. Si hodie, ô socii, victores evaserimus, quis ultra contra nomen Helvetiorum audebit exserere vel digitum?* Hos hortatur, illos monet, aliis eblanditur.

ditur. Sed fama est surdis dici omnia. laudis æmulatio vicinorum trahit præcipites Helvetios. Sunt per conventus distributi. Inferioribus est majorum conventuum molesta insolentia. Basilei, Bernensesque, atque alii de Principatu gloriantes, minorum judiciis, nimium sibi tribuere videntur, cum effusio sanguinis & pericula bellorum communia sint. Hebetiores id ægre ferunt. Hinc exorta Discordiæ pestis. Sedunensis autem, his dictis, quæ supra memoravi, exit ruitque cum suo comitatu in hostes, sequitur illum acies prima. Vascones, Normandi, Picardi, primi veniunt in occursum, trucidantur majori ex parte. Helvetii tanquam ursi adversa venabuli hasta in vulnerantem venatorem, fossas transiliunt, qua tormenta in eos parata erant Gallica, pertinaci spiritu cadendo, mactando, ad tenebras usque pugnatum est. Totam egerunt noctem semiobruti insomnem Helvetii. Gallorum exercitus jam discindebatur, & ni Rex ipse, Pyrrho animosior, acies circumcurrisset, actum erat, nunc à fronte, à tergo nunc, circumitans, hos pudore, illos metu, ad cuneos reducebat. Viarum ignorantia & noctis horrenda formido, maximo fuit Regi adjumento; stetere namque multi, qui aufugissent, si qua forsan iter ad fugam illis patuisset. Et clari Ducis & strenui militis officio ea nocte functus est Rex. Horas octo & viginti sine cibo ac quiete dicitur consumpsisse; ab ocrea & crepida usque ad clypeum armatus, sistendis etiam ad Helvetiorum latera tormentis invigilavit, ut, ubi primum elucesceret, Helvetiorum ilia machinarum globis emissis transverberarentur. ita cessit. rabide certatum est utrimque. sed à sociis male adjuti pauci, qui superfuere, strictis ordinibus, & protentis signis discesserunt, ducibus omnibus in frusta per aëra raptatis à pilis ferreis aut plumbeis. Bartholomæus etiam Livianus Venetorum dux cum una cataphractorum acie recenti à tergo improvisus adveniens, Helvetiorum phalangem in Gallos insultantem conterruit. Is ex laude tempore pugnæ affuit. Hæc succincte accipito. quando latius rem intellexerimus, latius scribemus. Vale. ex Calatajuto. pridie Calend. Octobr. M D XV.

EPIST. DLVII.

Continuatio narrationis de pugna Gallorum contra Helvetios. Solus Rex fuit causa victoriæ.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

PRopere nuncius à te mearum literarum responsum attulit de strage apud Mediolanum, quando id acciderit, quidve inde successerit, cupis intelligere. Septembris Idus pugnæ hora ante occasum solis tertia fecit initium. Postero die elucescente repetitum est certamen, & acriter pugnatum sed nequivere tantam equitum & peditum copiam, eo ordine pugnantium, quo ipsi diutius sustinere, soli pedites Helvetii, à fœderatis omnibus deserti, neque intra se concordes. pro certo habetur primo congressu Gallorum agmen retrocessisse disjectum, impedimentaque Papiam versus, quæ stabat in fide Gallorum iter cepisse; putaturque Regis ipsius virtutem, & animi fortitudinem tanto discrimini præstitisse medelam. Neque offuit Liviani Venetorum ducis adventus, utiajunt plærique, ex adverso. Cesserunt tandem Helvetii, minime tamen, uti scribitur, victi, sed lassi & præ inedia & vigilia languidi, ducibus omnibus & sociis majori ex parte desideratis. Mediolanenses benigne superstites illos exceperunt, & cibis sanos recrearunt, saucios curarunt, figere tamen pedem noluerunt, mille incolumibus in Ducis & Castelli custodiam relictis. Comum versus ipsi, quæ civitas est in finibus eorum, inde in patriam profecti sunt; spe Duci relicta, se cum sociorum numero majore in ejus auxilium redituros. bono sit animo, suadent. Reliquias eorum non est ausus Rex prosequi, aut ducem mittere in abeuntes. desperatis liberum reliquit abscessum. Rex ipse victor Papiam concessit. Noluisse Mediolanum fertur, donec majori exercitus parti det commeatum, ne sub specie tumultus alicujus detur in prædam. varii sunt in curia hominum affectus, inter exteros præcipue, Neapolitanos, Florentinos, Genuenses, Gallorum parti student plærique, qui Regi gloriæ non inviderat, hanc fuisse sui successus causam ab afflicta urbe Mediolano prædicant, alias alii excitant, honoratiori adhæreamus. Contendunt & nonnulli Helvetios omnes, nemine à sociis discedente, conflixisse, omnesque cum in Montia essent, propositis Gallorum conditionibus, annuisse, discessisseque omnes à fide præstita. Varie ista referuntur, varie accipito. A Bartholomæo Saliceto Pontificio à Secretis, viro erudito literas habemus, quibus ait, Romam suam ingemiscere futuram calamitatem, quod non habeat tanto ponderi sustinendo duces. Oportebit Romam Leges accipere, quas victor ob victoriam, & ardentem ætatem dare voluerit. Contractationes & longas ad statuendum deliberationes de copiis auxiliaribus Pontificiis & Hispanis ad Helvetios mittendis deplorat. Quid in tanto rerum conflictu diverse sentiatur intelligis.

Locus autem tanta clade famosus, Sanctorum *Donati & Luliani planities* appellatus. jacet is ager medius inter Marianum oppidum, & calamitosum Mediolanum. Vale. ex Calatajuto. IV. non. Octobris, MDXV.

EPIST. DLVIII.

Venatus causa it Buitragum Rex. quomodo pro Iustitia exercenda confregerit Proceribus privilegia. Dux auscultat Gallos. Qui Duci noceant consiliis. Fractus animo Dux obsessus. Periit Libianus. Quid eum peremerit.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

REx nescit, qua tendat, aut quid velit, ex ingravescente morbo. Peractis, quæ ab Aragonibus petebat, ex Calatajuto Buitragum venatibus aptum oppidum pervenit. Quæ autem ab Aragonicis exegit, contra vetera illorum statuta gesta sunt, ut scilicet tributa colligantur, ad stipendia quingentis militibus persolvenda, qui sicarios & scelestos homines, quacunque proficiscantur, quæritent. Habent namque Procerum oppida pro asylis, ad quæ criminibus commissis confugiant. populis id actum est annuentibus, Proceribus invitis. Non bene fortunatus Buitragi sylvas pervagatus est, licet ibi cervos non paucos repererit. Inde fastiditus repente recessit, in Siguenca cursorem habuimus novum. Quæ reliqua de notabili pugna scribantur audito. Regem ipsum juvenem Christianissimum fertur Macedonis Alexandri more adeo cominus pugnasse, ut longarum hastarum, quas *Piccas* vocant, fuerit ictibus percussus ab hostibus, chalybei thoracis temperatum robur, ne transverberaretur, effecit. Saguli superinduti pertusos & thoracis cicatrices gloriabundus ostentat. Nobiles, qui aderant Regem suum in tanto discrimine cernentes, relictis equis inter confertas pugnantium hostium turmas eunt præcipites. strenue pugnando fere omnes occubuerunt. Clari populorum domini sunt inter eos trucidati, Umbercorus, Busius, Ambasius & Maugioronus, plærique alii, quorum nomina ignorant, qui ea scripsere. Repleta est luctu Gallia, licet victor Rex eorum evaserit. Mediolanum triumphans ingressus est Rex. Castellum in quo Dux est obsessus cum Helvetiorum præsidio, die noctuque tormentis quatitur. Octoginta id genus, quod appellant *Canones*, ad muros dicitur locasse Petrus Navarrus Comes, intra paucos dies se mœnia diruturum pollicetur. Maximilianus Dux audit de deditione nuncios. Noster orator Diecus Aquila ut forti sit animo, ne sese dedat, hortatur & monet. Helvetios illico redituros, & fœderatorum exercitus venturos edicit; ita namque cum superstitibus conventum fuisse inquit. Gonzagam & Corrigiam ac Manfredum veteres deliciarum magistros & callidos opifices miser vitulus habet ad aures. Surdo prædicat noster Aquila, dejectum sentit animum ejus, nec sibi ipsi fidere, neque ad imperii pondus aptum. Magnis Gallorum promissis credimus caput summissurum. Breve tempus hujus latentis anguis vibrantem linguam aperiet. Attulit idem cursor, Bartholomæum Libianum post pugnam iter facientem ad Brixiæ ac Veronæ obsidionem periisse rabidum in lecto, cum in certamine maluisset, quo tempore sperabat Veneto Senatui, qui eum evexerat, ablatas urbes, confractis hostium eorum viribus, restituturum, auferri è medio pati non potuit. Herniosus erat, gestabatque bracculas sustinentes herniam. Pugnæ autem tempore, quo solutior & agilior atque expeditior esset, bracculas ademit, in sui perniciem. hinc præ nimio labore defluxit illi tabes, neque ultra remedium adinvenit. Hæc habemus, hæc habetote. Et vale. ex Siguenca. XXVIII. Octobris, MDXV.

EPIST. DLIX.

Regis deterior ratio. Quare eligatur Placentia.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

MAtritum oppidum v. Calendas Novembris nos suscepit. Ex Scylla in Charybdim Rex labitur, in deterius dico. Qua sit eundum, ad proximam hyemem ferendam, consulit medicos. Deligent Placentiam urbem, uti arbitror, quæ sita est in valle latente, à flatibus Borealibus tuta. nec ibi diu morabimur, aut alicubi, donec Rex vel torquentes morbos excutiat, vel naturæ concedat. irrequietus vitam agit. Ab Italia scribitur, Helvetios frequentibus inhærere conventibus, ut ferant Maximiliano Duci suppetias. Dux autem à tanto illos labore liberavit, dedit Castellum, seque ipsum magnis Gallorum pollicitis, in Galliam concessit. ibi veluti redemptus à gravi servitute ociatur. Melle suavius ei sapit is vitæ modus. Triginta illi Ducatorum aureorum millia designarunt. perbelle contentus est. uti exoneratus gravi sarcina delectatur & gaudet. juvenis minime natus ad imperium, imperii molestias ferre nequivit. Forte tantum satius Italiæ populis.

pulis. Nam si Helvetiis Fortuna favisset, oportebat Italiam à rusticis Alpestribus Leges suscipere, quas dictare illis libuisset. quam sapidum id esse debeat, tu judicato. O durum est id Gallorum imperium! fatemur. sed durius arbitror montanum. tenuissent Helvetii Ducem sub perpetua pædagogica ferula subjectum, sub amati filii nomine, pro arbitrioque suo numerare passus, & verba promere, perpetuo illum coëgissent. Nos hæc sentimus, hæc dicimus, tu pro libito judica, & vale. ex oppido Matrito, quod *Mantuam* esse *Carpentanam* Cosmographorum calculis computatis existimo. VI. nonis Novembris, MDXV.

EPIST. DLX.

De morte ac vita Gonsali Fernandi magni Capitanei. Laus ejus magna. Qua morte. Medici nocuerunt. legit Papa libellum de Orbe novo. multa de aere Dariensis jam salubri.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

VÆ tibi, væ Hispania! vita functus est Gonsalus ille Fernandus Aquilaris à Corduba, *magnus Imperator*, Antonomasice ac jure merito appellatus, qui nomen tuum primus hac tempestate super astra locavit. Latuisti hactenus Hispania, & tuorum virtus militum sopita jacebat. Eo alumno tuo, duce, à Hispania, famam æternam consecuta es. Is est à facie terræ ad superos revocatus, qui more torrentis obvia quæque sternebat. Quæ gesserit, quando bellorum turbinibus implicabatur Neapoli, ex meis ad te, variosque tuæ conditionis Principes epistolis licet colligere. Quartana illum rapuit in Calendas Decembris. Medicorum properata diligentia finem ejus maturasse creditur. Regi nuncium vehementer fuit molestum, aut fuisse visum est, scrutator cordium Deus est solus. Fuit namque viri ejus magnanimitas aliquando Regi suspecta. vivere, propterea illum in secessu ociosum patiebatur. de hoc satis, licet nunquam satis. Ab Urbe gloriabundum nescio quid de me scripsit procurator meus Licentiatus Martinus de Aguinniga Ordunæ Cantabriæ oriundus, quem in Urbem impensa met mea sustineo, ad litium tempestuosas procellas. Pontifex quo die Sancti Michaëlis solemne agitur, sorori convivæ Cardinalibusque plerisque ipse ipse *libellos* quosdam ex mea officina emissos, *de Orbe Novo* recitavit cum summa laude de me, quod eam sumpserim provinciam, ne tam præclara inventa in rapacis oblivionis fauces collabantur. Ab Orbe Novo magna feruntur, majoraque indies exspectantur. A pulso Petro Aria missus est ad insulam ditem ad Australe pelagus per Vascum Nunnez nuper repertum, Gasper Morales Petri Ariæ familiaris cum peditibus septuaginta, ivit, cum Regulo quater pugnavit, amicitiam, vicinis eam petentibus, inierunt. Dies egerunt ibi lautos quosdam. abundat namque leporibus & cuniculis, cæterisque sylvestribus quadrupedibus & volucribus insula jure merito *Dives* appellata. Mutuis se muneribus colligarunt, nostratibus calculis vitreis & tintinnabulis, aliqua etiam forte securi Regulum donarunt. Compensat Regulus muneribus munera, centum decem unionum libras octunciales nostris impartitus est fecitque se lubens Regi nostro tributarium annuarum centum librarum unionum. Res de unionibus famam superat. Diversi etiam centuriones per diversas ejus vastæ telluris regiones tetenderunt indagatum. Quæ afferent, habebis. Dariensis aërem affectum esse ajunt salubriorem, quod nemora sylvasque adumbrantes oppidum disciderint; suffocatam nimium & opacam vallem arborum densitas detinebat, neque flatibus ventorum aërem purgantibus, locus erat ullus. Vale. ex Madrito. V. non. Decembris, M. D XV.

EPIST. DLXI.

Putat Rex locorum mutationem profuturam. inde ex Placentia per villas. venit Adrianus Lovanie Decanus orator à Principe Carolo. abhorret à tecto Rex. Dotes Adriani oratoris. Qui sit Dux Bavariæ. Petunt stemmata Darienenses. quæ stemmata data sint.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

PEr illustre oppidum Talaveram, dehinc Oropessam Casataiatam & Valparaisum, post Torillum & Malpartitam pervenimus Plasentiam, cum horrido ventorum & tonitruum procelloso nimbo, qui nos ex insperato repente inter Torrillum & proximum flumen *de las barcas* appellatum, adortus est. Alia via venando Rex paulatim advenit. non citius venit quam cito discedere cogitavit. Loca esse valetudinis suæ causam imaginatus; secessit ad Ducis Albæ villam, quæ dicitur *Abadia*; sub pretextu cervorum insectandorum, sub dio esse cupit semper, abhorret à tecto. Ibi suscepit libens à nostro Principe nepote suo Carolo venientem oratorem. is *Adrianus* Trajectinus dicitur, vir gravis prima

ma senecta venerandus, Principis ipsius præceptor. Salutavi hominem, tractavi nondum. Bonum esse, ac literarum disciplina egregium audiveramus. Quantum licet colligere, utriusque dotis & probitatis & doctrinæ argumenta præ se fert. Cujus & quanti sit ponderis, tempus deteget. De Principe jam quindecenni quid sperandum sit scrutabimur. Lovaniæ est hic orator Academiæ Princeps, quem *Decanum* dicunt. Ab exteris fertur, Helvetios animo pervicaci, ut Galli pellantur vivere. Cæsarem hortantur, ut provinciam Ducatus sumat. Triginta millia Helvetiorum suamet impensa conventura offerunt, modo velit ipsorum postulatis annuere: haud secus ac si Cæsareo stipendio essent merituri, se obtemperaturos Cæsari pollicentur. Galli Regis oratores audiunt, auscultant minime. Guilielmus Bavariæ Dux, Imperatorio nomine cum ignominia Venetorum copias è Veronensi agro repulit. Cæsaris est is Dux ex sorore nepos, egregius animo juvenis. Rege adhuc in ea villa moram trahente miserunt ab Orbe Novo Darienenses nuncium Enrichum Colmenarem, de quo alias, stemmata petitum, quibus nôscat posteritas, primos ejus terræ incolas honoratos titulos promeruisse. In scuto viridi Castellum auratum, cum depictis in eo à dextris leone, à sinistris autem tigride scutum sustinentibus, illos ornavit Rex. Circumeunt autem scutum quatuor sagittarum, totidemque arcuum manipuli. Rex autem uti ajunt, qui ad nos veniunt nuncii Palatini, delectatus est venatus fortuna secunda. Cervos namque plures, inquiunt, regia manu, sagitta tamen fuisse transfixos. Vale melius quam Rex valeat. Placentiæ pridie Idus Decembris, MDXV.

EPIST. DLXII.

De lectura libelli de Orbe Novo per ipsummet Papam coram Cardinalibus & sorore invitatis.

P. M. A. M. Leoni X. Papæ.

Quum incidissent in scripta quædam mea, Galleatius Butrigarius, hic pro tua Sanctitate, & Joannes Cursius pro sua Florentina Rep. oratores, de Orbe Novo, placitura tuæ Sanctitati, si quando ad ejus manus deveniet, mihi significarunt. Eo suasu calamum resumpsi desidem effectum, persuasoribus ut ea colligerem, deficientibus. Nostri agelli primitiæ ad te Petri vicarium in terris deferebantur. Cui rerum omnium decimæ ac primitiæ debentur, intercepit eas Gallus, una cum viatoribus & latoribus ipsis. Successiva illis habuit tua Sanctitas per meum familiarem Licentiatum Aguinigam, quem isthic mea impensa teneo contra tuæ Sanctitatis Curiæ litigiosos perturbatores. Ea relatum est, Sanctitatem tuam ipsam ipsam Cardinalibus plærisque, & amata sorore adstantibus, amota mensa, serena fronte, ad lassitudinem usque legisse universa. Licet angusta dextera, Tua Sanctitas mecum egerit, Catholici Regis postulata de me rejiciens, in Reservarum supplicatione, nuncio tamen eo delectatus, archetypis rerum earum è latebris scrinialibus extractis, transcribere illa feci, & quo intercipientium injurias vitarent, quove late ista vagentur, quæ nova sunt & miranda, impressorum typis cudenda commendari permisi, id ita pertinaciter mihi persuadente Antonio Nebrissense Hispano, viro erudito, qui Bononiæ literaria suxit ubera, si quid in his, quæ ex nostra prodeunt officina, reperietur gustui Doctorum sapidum, tuæ Beatitudini gratiæ debentur, cujus causa labor sumptus est, licet prima rerum frons, id est, è tribus Decadibus Prima, diversos nacta sit auctores, temporum curriculis id exigentibus. Vadit una Babylonica legatio mea ad Sanctitatem Tuam, præfatione præeunte, per quam intelliget, an creditum mihi Talentum in Religione nostra suffoderim, an duplicaverim. Valeat Beatitudo Tua, ante cujus pedes sacros, animo, si nequeo corpore, stratus me illi obnoxium perpetuo futurum polliceor. De Catholici Regis adversa valetudine nihil scribo; quia sentio Reverendum Archiepiscopum Cusentinum legatum tuæ sedis Apostolicæ, late cuncta significare. ex Guadaluppe VII. Calend. Januarii, MDXV.

EPIST. DLXIII.

Cardinali Gursensi non grato. Mercurinus pro utrisque.

P. M. A. M. Matthæo Langæ Gursensi Episcopo, Cardinali electo.

Solet grandium negociorum moles, de magnorum Principum memoria, parvi ponderis & momenti res detrudere, solentque oblivioni tradere clientum obsequia, *propterea* est animus, non ut exprobrem, *immo* ut magis me devinciam, paucis repetere, quæ mihi animum præstant ad subsequentem petitionem. Quantum tuo sororio Joanni Schad Cæsareo in Hispania oratori adstiterim, quantumque in rebus tui Episcopatus Carthaginensis tibi à Rege Catholico præbiti, à Pontifice negati, laboraverim, sororium ipsum testem advoco. cito etiam Mercurinum de Gatinaria Burgundi Senatus Principem, una pro Cæsare &

re & Carolo Principe Oratorem. Dehinc si in filium advenientem Maximilianum juvenem Germanum tuum à secretis suscepi, si hospitio ac mensa longo illum tempore collegi, si direxi, si juvi necne, ipsum arbitror retulisse. Quod nullum ego fructum ex hac satione collegerim, quod Catholici Regis literæ in meam commendationem nihil apud te hactenus profuerint, vastis occupationibus magis quam ingratitudini adscribo. Nunc autem cogor à perturbatoribus cavillosis excitare ingenium, & à te petere, ut urgenti stimulo provideas. Per regium indultum fueram assecutus unum, ut vulgo, beneficium, in urbe Lorca tu Episcopatus Carthaginensis diœcesi. Petiit à te Rex Catholicus per literas, uti acceptationi hujuscemodi annueres. Chirographum præbuisti, dedisti & alteri; Meum, inquiunt, non admitti debere in Romana rota, quia sit Secretarii tantum, non Notarii & testium auctoritate expeditum. Peto, ut illico nova provisio veniat, eo quo petitur modo, si minus, cibus mihi Harpyiarum unguibus abripietur. Id si acciderit, ne me tibi fuisse obsequentem frustra possim conqueri. oportebit ut vicario tuo Carthaginensi jubeas assignatum iri mihi tantundem redditum, quantum mihi tua causa auferetur, etsi mensuram excesserit, non tibi propterea succensebimus. Vale. ex Guadaluppe. III. Calend. Januar. MDXV.

Epist. DLXIV.

Papa Bononiæ suscepit Gallum Regem. Anglus & noster conveniunt contra Gallum. de apparatu Selinsachi Turcæ. quid dicat super habenda Roma & omnibus Christianis. breves nostri Regis dies.

P. M. A. M. Marchioni Bellicensi.

QUæ habeantur ex Italia, legito. Bononiam ex Urbe profecturus Pontifex, sistit Florentiæ. Adibit illum Christianissimus Rex Gallus victor, ex urbe Mediolano jam pacata. Bononiæ conventuros ajunt. hæc de illis. Fernandus Rex socer & Enrichus Rex Anglus gener, fœdera renovarunt. Heri autem, qui fuit hujus mensis dies XIV. edicta est ea Pax per præcones & compita, Senatu Regio præsente. Hæc nisi conjunctio duraverit, nunquam desinet victor Gallus insultare, elatus tanta victoria, forte sese hoc freno temperabit. Et qui prudentia pollent ob longam rerum experientiam, & qui tremunt Turcarum potentiam, inquiunt parari classes ingentes in Thracia Bizancii & plærisque in Græciæ portubus aliis. Irridere Turcas ajunt, Christianorum dissidia, mutuis & nostris cœdibus gaudere ac salivam deglutire præ desiderio impetendi Christianum nomen. Se Troianorum dicit Selimsachus eorum Princeps esse hæredem, qui Romam condidere, Constantinique successorem, qui caput Imperii transtulit in Thraciam, sibique deberi, quæcunque Constantinopolitano quondam Imperio paruerunt Regna & Principatus. Sperat fore quando nos adoriri aggredietur, ut parvo negocio vires nostras sit prostraturus, jam quassatas. Paratum habebam hoc Epistolæ caput, distulit tabellarius discessum ad te. Novum habemus cursorem à Pontificia Curia. Convenerunt Bononiæ Pontifex & Christianissimus Rex, quid in arcanis pacti sint, paucis patet. lætitiæ signa utrimque visa sunt. Rex autem noster mortem quæritans, peragrare nunquam desinit. Ex Abbatia villula deteriorem aliam petiit. fugere hominum commercia videtur. ea est dicta *Corchuiela*, magalium quinque. Inde petiit validum municipium castri Cæsaris, vulgo *Xericium* appellatum. *Se iturum Hispalim* publice professus est, *mox Granatam*, hæc ait. sed addere debuisset, *Ni stamen Lachesis abscindere properaverit*. hæc Regis verba Granatensem Archiepiscopum, & è Senatoribus Regis quosdam, ut Hispalim præirent, impulerunt. Ego Guadaluppem, ubi Deiparæ Virginis nomine celeberrime colitur, insigne Hieronymorum fratrum cœnobium concessi. Hic Regem qui se hac transiturum professus est, opperior. Breves timeo futuros ejus dies. Tu vale interea, dum quid fata velint, detegatur. Ex Guadaluppe. pridie Calend. Januarii, MDXV.

Epist. DLXV.

De Adriano Principis oratore cum Rege. de pactis nomine Caroli pueri. Laus Adriani. Pacta cum Rege de Carolo. Magistratus uniti. Promissa Regis. Lanuza orator. Laus Principis pueri.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

SCripsi ad te superioribus diebus, esse apud nos Adrianum Trajectinum, pro Carolo nostro Principe Oratorem. Is Regem adivit, Regi per extremos jam vitæ margines deambulanti, quædam annuit fœderum capita, dato adventu Caroli Principis hæredis, ut ei satisfaceret. Ea permissione de Regnis dividendis, aut saltem de magistratibus D. Jacobi, Alcantaræ ac Calatravæ, de regia corona tollendis consilium abrasit. Prospiciens namque Rex avus nepotem Carolum avitis suis mandatis

mandatis non obtemperanter auſcultare, licet non adoleſcentis, ſed moderatorum potius culpa id accidere videatur: irato vivebat in nepotem animo. Pacavit ſua prudentia Regis ſtomachum Adrinus: quæcunque Rex petierit affirmans Caroli nomine. Pacta vero hæc fuere, quod Carolus illico veniet, non armis ſeptus uti pater ejus Rex Philippus, ſed ſuis tantum familiaribus, & miniſtris comitatus: eatque Fernandus ejus frater, qui claſſe non deſcendat, niſi prior Carolus ſuam adſcenderit, in Hiſpaniam venturus. Caſtellæ gubernaculum Regi permittat Carolus, donec vixerit, etiamſi acciderit, Joannam Reginam Caroli matrem, Regis filiam Caſtellæ Dominam è vita migrare. Ne fœdus aliquod Rex feriat cum ulla potentia, Carolo aut Cæſare inſciis, ac fœdus non annuentibus. Ut ex Caſtellæ proventibus quadraginta Carolo in Andarpiam, quæ *Anverſa* dicitur, ducatorum millia, Ferdinando autem infanti, quando Flandriam tenebit, millia viginti, ſe procuraturum Rex pollicetur: ne magiſtratus à Corona regia tollantur: hac tamen lege præbita, ut ſi acciderit ſe moriturum, tantundem reddituum Carolus infanti Fernando aſſignet, quantus eſt minoris magiſtratus valor, neque ab infante Fernando Carolus quicquam eorum tollat, quæ ad eum pertinent, Cæſare deficiente. Promiſit quoque Rex ad Caroli poſtulata ſe Caroli familiaribus, quorum antiqua fides fuerit probatiſſima de commendis magiſtratuum & beneficiorum partem aliquam impartiturum. Utque infanti Fernando in Flandria ſtanti, gubernatio illorum ſtatuum præbeatur, ſi civitatibus ejus terræ placuerit abſente Carolo, addito prudentum conſilio, quorum vult Principes fore Dominam Margaritam amborum amitam, & una Dominum Bergenſem. Additum eſt, ut Hiſpani omnes, qui ad Principem Rege invito & inſcio, confugerunt, de Curia pellantur Principis, ad tollendum omne odii ſeminarium. Si tamen læſæ Majeſtatis quiſquam reperiatur, non ſolum è curia, ſed etiam è terris omnibus cogatur abire. Poſtquam autem Princeps in Hiſpaniam pervenerit, ut Rex convocatis Principibus omnibus, & urbium ac municipiorum ſuffragia habentium procuratoribus, det operam, ut Carolus nunc hæres poſt matris obitum ab ipſis jurejurando adſtrictis, pro legitimo Rege Caſtellæ habeatur, & ab Aragonicis ac reliquis hæreditariis, aut partis à Rege Regnis, poſt Regis abſceſſum è vita. Rex quoque jus terrarum, quæ ad principatum pertinent, libere Carolo adminiſtrandum ſolvat, & redditus exigere permittat. Si tamen Reginam Joannam obire contigerit, plures Carolo de redditibus colligere pecunias ad bonorum arbitrium patiatur, quo vivere illuſtrius Carolus queat & magnificentius, qualem tantum decet Principem. Jurabit in Flandria Carolus hæc obſervaturum coram Domina Margarita cæteriſque Flandriæ Principibus, & ſex urbium primariarum procuratoribus adſtantibus, juramentaque confirmantibus coram commendatario Joanne Lanuza oratore regio, in auguſtiori terræ templo, quo tempore ſacra interſit Euchariſtia. Itidem Rex convocatis Hiſpaniarum Proceribus, & procuratoribus ſe facturum, habito per literas ita peractum in Flandria fuiſſe, promiſit. Additum eſt in calce capitum fœderalium, immunem ab hoc vinculo futurum, qui pacta ſervaverit ad unguem. ſi vero illorum alter abierit, aut ſtare promiſſis recuſaverit, nunquam ab hoc debito ſe ſolutum intelligat. Movit & conditiones alias Rex, quibus obſtitit pro viribus Adrianus, ſuis efficacibus argumentis, Regis poſtulata refellens. His autem annuit hac lege, ut Principi placeat ire pedibus in hanc conſtitutionem, placitura vero, quæcunque Rex voluerit, profeſſus eſt, Regi ſuadens, nunquam ullum fuiſſe amato genitori filium adeo dicto parentem, qui Carolum ſuperet erga Regem avum obſervantia. Alia ex parte Adrianus uti prudens tantæ navis fluctuantis gubernator, Principem admonuit, ne cuiquam rei à Rege propoſitæ ſeſe objiciat, immo per celeres nuncios Regi ſcribat, ſe quæcunque imperata libenti animo ſuſcepturum. De vitæ Regis brevitate ob graves morbos ætate jam marcida, qui robuſtos etiam juvenes proſternere facile quirent, dolendum eſt. His ita peractis, Adrianus Orator acerbum Regis animum ita ſedavit, ut conceptum erga nepotem odium in ſummum amorem converterit. Rex autem ad vitæ finem properat, neque, ut arbitramur, pacti reſponſum vivus exſpectabit. Tu vale. ex Guadaluppe. XXII. Januarii, MDXV.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER VIGESIMUS NONUS.

EPIST. DLXVI.

Catholici Regis obitus & vita. Laus Caroli.

P. M. A. M. Ad Ludovicum Marlianum affinem, Episcopum Tudetensem, Caroli Principis Physicum & Consiliarium.

OCcasio non finit ultra vagari, quid opus est circuitionibus? Proh cunctis mortalibus exemplum inauditum, non quod excesserit è corporeo carcere Regis anima, excessit namque, mirandum est, hac enim & ipse erat natus lege, qua cæteri homines, ut moreretur, sed quo illum traxerit divina voluntas moriturum, est horridum auditu. Madrigalegium villulam tibi alias descripsi. In meritoria ejus domuncula inculta interceptus restitit. Inspice, quam parum sit Fortunæ applausibus & secularibus favoribus fidendum. Tot Regnorum Dominus, totque palmarum cumulis ornatus, Christianæ religionis amplificator, & prostrator hostium Rex in rusticana obiit casa, & pauper contra hominum opinionem obiit. Vix ad funeris pompam, & paucis familiaribus præbendas vestes pullatas, pecuniæ apud eum, neque alibi congestæ, repertæ sunt, quod nemo unquam de vivente judicavit. Nunc qui fuerit, quam larga manu dederit, quam falso thesaurizantis cum crimine taxaverint homines, aperte intelligitur. Proh Hispaniam! proh Christi dogma! quem oculum, proh Carole Princeps, quem regnandi magistrum amisistis. Pollens ingenio tu quidem, & cæteris præclaris naturæ dotibus ornatus es, ut audio, Carole, sed adolescentulus ex ephebis, nondum evasus, quæ ætas moderatoribus indiget. Non deerunt boni consultores, inquiet aliquis: non deerunt, opinor, sed hujus artis opificem, argutum adeo, & tanta rerum experientia prudentem, raro legimus à natura fuisse orbi terrarum condonatum. Eo duce multo faciliorem ad erectos Hispanorum animos temperandos viam reperisses, si eo vivente tantæ molis habenas suscepisses. Qualis fuerit, pacata una tantum cum uxore Castellæ Regna, Granatense dehinc Regnum de Maurorum manibus ereptum, Gallica mox potentia toties, cum ingenti jactura prostrata, docebunt. Quod egregius regendi artifex fuerit, beata Pax Hispanis Regnis una cum Helisabetha uxore, præbita, & post consortis obitum sustentata, cujus neque nomen Hispania senserat unquam, testis adveniat. Bella gessit in Christianos aliquando, fateor, quod forte aliquis invidus damnare cogitabit, gessit fateor, sed invitus, sed tractus aliorum insolentia, & Regni cupiditate. In Christianum quenquam ensem nudavit nunquam, explicari vexilla nunquam libens imperavit. Nihil æque à pueritia ad extremum usque vitæ terminum cogitavit, quam de bello solum in hostes Religionis nostræ inferendo. quid ultra dicemus, si tanti Regis universa merita, prosequi, Marliane, studerem, in infinitum protenderetur oratio. Ergo vale, ac tuum aliquando dominatorem orbis, annuente Jove, Æsculapium, hoc gemmato monili de tibi dedito Rege Fernando Catholico perornabis. Cursor ad vos se præparat iturus. Ego ut mortuo debitum præstem, quod viventi obsequium præstiti, corpus ejus exanime, Granatam sepulchro sedem destinatam, comitabor, quia præcipue illius initiatorum Collegii Prior ego sum, cui magistratui, Antistite absente (ut abest) Cleri regimen, & parandæ funeralis pompæ onus incumbit. Tu vale. Guadaluppæ jam succinctus ad iter. XXIII. Januarii, MDXVI.

EPIST. DLXVII.

Qua pompa funus Corduba & Granata receperint. Don Pe. Giron movet bellum. Fonseca in eum.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

SCripsi sublatum è medio Regem Catholicum. Exanime corpus ejus Granatam ex ipsius legato detulimus. Corduba, qua fecimus iter, transeuntes busti comites honorifice suscepit. Magnificentissima pompa Regem

gem prosecuta est, pullata universa civitas exivit obviam funeri, spacio non brevi. admixti rectoribus urbis Principes finitimi Plegi Marchio, & Capræ Comes, cæterique nobiles omnes longa trahentes syrmata, flebilibus modis, è campo aperto ad templum usque primarium, feretrum gestantes tractim, comitati sunt. Itidem & Granata, Marchione Mondeiaris Tendillæ Comite, Regni Granatensis Prorege, cæterisque nobilibus feretro subeuntibus effecit. Eodem quo miranda Helisabetha ejus uxor, jacet sepulchro, condidimus. Peractis, uti moris est solemnibus, obortis lachrymis diximus: *O gloria dignissime Rex, extremum vale.* Madritum id est in Carpentana regione municipium, quod plærique *Mantuam* volunt esse *Carpetaneam*, ego me contuli, ubi Senatus Regnorum moderator coactus est, fratre Ximenez una relicto gubernatore. Serenissimum Principem apertis lacertis & cordibus anhelantibus exspectamus. ne differatis. de dissolvenda Pace tranquilla Principes Hispani cogitant. hac enim via majores eorum patrimonia construxerunt, auxeruntque juniores. In Vandalia vulgo *Andaluzia* labes est exorta. Don Petrus Giron Urveniæ Comitis primogenitus, magni animi nec hebetis potentiæ juvenis repetere Ducatum Methinæ Sidoniæ armis intendit, non negligendum cogit exercitum. Spurios esse arguit Ducem possidentem & fratrem ejus, quod ex propinqua illos Joannes Dux vita functus, uxoris suæ genitor susceperit, neque in dispensatione Pontificia clausulas quadrantes illi matrimonio conscriptas esse, quod subreptitia fuerit supplicatio & subvelata. Dum hæc ita moraretur epistola, per cursores habemus Petrum ipsum Gironem obsessum graviter tenere Gibraltarum in Gaditani freti faucibus situm municipium, & quatere tormentis. ita paulatim spinæ carduique vestras has segetes, nisi properaveritis, suffocabunt. Per præcones tamen edictum est, ut Majestatis reus habeatur, quicunque Gironi faverit. Ad eum debellandum it Antonius Fonseca, vir ab adolescentia ad ætatem usque maturam in re bellica continuo cursu exercitatus. quæ succedent, habebis. Vale. ex Matrito. v. Calendas Martii, MDXVI.

Epist. DLXVIII.

Quod Regem velint appellare Principem absentem, varias dicit sententias.

P. M. A. M. Ad Marlianum de Carolo Principe venturo.

Caroli Principis vehementer cupitum adventum pollicemini. Beatis Hispanorum animos; quanto properatius stabitis promissis, tanto dulcius erit. Sed audio vos absentem & populis inconsultis *Hispaniarum Regem* appellare velle, Regina matre vivente, nescio an intempestive. Contra mores & veterem horum Regnorum consuetudinem rem tentabitis. Hæres est, fatentur omnes, sed *Regium nomen* negant dari solitum, possessore adhuc vivente, sive mas is sit, sive fœmina, vel absenti præcipue, aut præsenti comitis regnorum non vocatis. O (dices) invalidæ matris loco gubernaturus est, & id quidem annuunt populi, sed sub legitimo suo *Principis* titulo posse inquiunt. Ad evitandam invidiam Fernandus Rex Catholicus, uxore vita functa, Castellæ Regis adepto nomine, se spoliavit, quom jure nequiret. In adolescentem vos, qui eum regitis, invidiam, si hoc feceritis, excitabitis. *bene natum esse*, inquiunt, *& à vobis educatum egregie;* culpa vobis adscribetur, si adversi quid evenerit. Quicquid à Castella petieritis, assequemini, didicit namque nil aliud quam parere suis Regibus, si rite rexerint, ut est Regis officium, sed invitos video novitatem admissuros. Audita Principis natura diligitur, observatur, desideratur ore aperto. Legum perversio amorem solet in odium convertere. veniat avita secuturus vestigia, & felices gustabit successus: si diverterit, Hispanorum animos elatos, licet nunc, ob partam & longo tempore à Catholicis ejus maternis avis nutritam pacem, dormiant, expergefaciet in aliquem errorem, quod Deus avertat. Solent enim, etiam inertes equi calcaribus stimulati, calces in Dominum aliquando excutere. cui gentium hoc soleat magis accidere quam Hispanis non intelligo. Expedit igitur ut ordine suo istius magni pullulantis herois res dirigatis, si cupitis, ut Fortunæ frons læta, succedente tempore coalescat in lætiorem. Justius quippe *Regis nomine* fruetur electus, quam Regni legibus vetantibus. Aragonios audio ac Laletanos & Valentinos, qui sunt Castellanis liberiores, neque suas leges municipales infringi unquam passi fuerunt, abhorrere ab hac fama, publiceque profiteri negativam, si postulabitur. In his tibi recensendis,

fendis, qui Carolum à lacte educasti, mihi satisfacio. Placebit, si gratias à vobis pro animi impellentis qualitate recepero, si adverse ponderabitis consilium, pigebit. Vale. ex Matrito. pridie Calendas Maii, MDXVI.

Epist. DLXIX.

De Principis dotibus. de Adriano, Cardinali. de repulsa Venetorum à Brixia cum Gallis. De Galli Regis apparatu.

P. M. A. M. Ludovico Mendocio Marchionis Mondeiaris, Granatæ Proregis.

PRimitias accipe à Principe nostro Carolo, relicto tot Regnorum hærede. ipsius dextra signatas habemus literas sub data quintæ decimæ Calendas Martii, ad Fernandum fratrem ac Reginam aviam novercalem, ad proceres & antistites & Cardinalem fratrem Franciscum Ximenez Toletanum Archiantistitem, relictum una cum regio Senatu tantum gubernatorem. ut partæ à suis avis maternis Paci servandæ invigilent, hortatur, donec ipse adeat, quod propediem futurum pollicetur. Qui apud Principem versantur tam Hispani quam Belgæ (Belgica est enim Flandria) mira inquiunt de illius moribus & præclara indole. Sexdecennis est, gravitate tamen ajunt pollere senili. nec desunt, qui tantam in adolescente autoritatem *imperitiam & naturæ defectum* appellent, sed absint interpretes maligni. Audit attente, respondet brevibus & per interpretes. linguam nondum callet Hispanam. idiomati addiscendo studet. est docilis. optime speratur ab his qui ejus interna cognoscunt. Dicunt magnanimum esse ac liberalem, justique ac veri amatorem, cum adulatoribus & intemperantibus secus. Adrianus Trajectinus ejus apud nos Orator, qui diu Principem erudivit, eadem profitetur. de nobis satis. ad Gallos pennam dirigamus. Gallorum Rex magnum fertur exercitum comparare. An ut Navarram impetat, an ut Mediolano succurrat, nescitur. Puto ego ut tutius queat nostri Principis negociatores fallere. Sunt namque apud eum Dominus de Xebres nutritor, & magnus Cancellarius de Pace agentes. Tentarunt Gallus & Venetus exercitus Brixiæ oppugnationem, fuerunt ab Hispanis præsidiis cum ignominia & damno repulsi. Mediolanum & universa Insubria mihi patria, ex calamitate indies magis ac magis cadunt in calamitatem, de provincia tot bellis conflictata undique quid speratur? Universa fere data est in prædam. nil reliqui est, quo si quid superest, dilaceretur latius. Maximilianus Cæsar, electus Imperator, validas & ipse Germanorum copias cogit; atque una Hispanorum & Helvetiorum, putat extrudere Gallos ex Italia. Eunt & auxilia nostra Neapolitana, Duce Fabricio Columna. Rex Anglus Cæsarem stimulat, auxilia pecuniasque contra Gallos pollicetur. Vale. Matriti. VI. nonis Martii, MDXVI.

Epist. DLXX.

Gallus capit Principis nuncios & scindit itinera. Rex Navarræ excitatur. S. Iohannis oppidum deditur. Mira de Hispanis. Qui capti cum Mareschallo. S. Iohannis obsidio solvitur.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

UNo contextu varias accipe Fortunæ colludentis nugas. Rex Gallus itinera intercepit, quoscunque nuntios ad Principem euntes aut redeuntes ab eo, intra Gallicæ ditionis terminos gubernatores finium deprehendunt, ex sui Regis mandato capiunt. Extorquere ab eis etiam per tormentorum minas nituntur, quid afferant reportentque. Solvisse aliquos è primis dicitur Burdegaliæ gubernator; sed lege præbita, ne Gallicum terere pedibus solum audeant ultra, capitis pœna proposita. de hoc satis. Rex Joannes, uxorio Navarræ spoliatus Regno, audito Catholici Regis obitu, defectionem à corona Castellæ speravit, familiarum factionariorumque ac gregariorum militum cogit exercitum. S. Joannis pede portus oppidum adoritur, oppidani sese dedunt. Arx stat contra. Præsidio inerant Prætor quidam, dictus *Avila* signatus oculo evulso in certamine, strenue se tutatur. invitati ad deditionem cum promissis, ad unum respondent, Castellanos esse se, vitam propterea potius præbituros; suo fungantur officio. hæc pridie Idus Martii. Hisdem fere diebus facinus evenit egregium, quo sublata est misero Regi spes omnis. Dum ipse hujus arcis expugnationi intendit, Navarræ Mareschallus factionis Agramontesiæ caput, qui Regi ejecto adhæret, cum universæ factionis extorribus, collectis peditibus circiter mille, paucis equitibus, ob invios montium saltus per valles Pyrenæorum, Roncalem & Isannam, Navarram ingreditur. Re per exploratores adversæ factionis Viamontesiæ, quæ nostris partibus favet, intellecta, strenuus & rebus bellicis, variisque duellis exercitus à juventute

Villalua, dux peditum nostrorum, una & Navarrus eques auratus *Donna Maria* dictus, egregius & ipse bellorum magister; alii præterea quorum nomina piget nescire, quandoquidem omnes validissime sese gesserunt, per asperas Pyrenæorum semitas & per ruptos anfractus montium, latus capiunt fere invium, nivibus mergebantur tenus genu, neque victui necessaria suppetebant, difficultates tamen omnes & duros labores superarunt. Jam sine calceis & inter vepres ac latentia sub nivibus acuta saxa, laceratis caligis & sagulis truncatis, ad hostes longis itineribus se applicant. Hostes priusquam ex montium angustiis se exsolverent, adoriuntur, profligant, capiunt ad unum primarios, Mareschallum ipsum, & Don Petrum ejus affinem, Comitis etiam S. Stephani filium & Jacobum Bellez qui quondam fuerat Regis Joannis alter oculus, ac Stellæ oppidi primarii in eo Regno præfectus, dominos quoque Garri, Gamboæ ac Vicani oppidorum, qui & ipsi exules factionis Agramontesiæ nobis adversæ, in patriam redire nitebantur. Ad arcem Atienzæ ducti sunt, sub fida ibi custodia servantur. Perempti sunt in pugna vulgo pauci, capti octingenti amplius. His auditis male fortunatus Rex obsidionem arcis Sancti Joannis pede portus solvit. Discedentem ex arce Avila Prætor insequitur, substitem ejus aciem perturbavit stravitque. victores redeunt nostri & oppidum recipiunt. De Navarræ generali Prætore deligendo nunc consulitur. quando promulgata fuerit electio, tibi significabitur. Ab Urbe habemus, Pontificem esse Florentiæ, iturum ad Urbem ajunt ad Palmarum solemne. Tu vale. Matriti. III. non. Aprilis, MDXVI.

EPIST. DLXXI.

Quid Cæsar Mediolani. quid Galli de suburbiis combustis. de reditu Cæsaris. quid Helvetii dicerent. de Papæ natura & moribus. de morte Regis Ungariæ. de promissis Principis. Dux Najara fit Prætor. Musicus est Papa. de Barbarossa.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis Bellecensi & Mondeiaris.

APrilis universo parit orbi florum ac fructuum ac virentium herbarum varios prospectus, ita & in Fortunæ inconstanti gremio, varios hic Aprilis pariet effectus multis gentibus. Ex Alpibus Cæsar ad portas fere Mediolani, cum exercitu universo, profectus est. Audito ejus descensu ad plana Insubriæ, Galli egregia quædam suburbia, & magnifica plura palatia, ne venienti nidum præberent, ubi pedem figerent, combusserunt. Voluissent Cumanum & Papiense suburbia pari ordine diruere, manu armata cives vetuerunt. Suburbiis miserando visu combustis, civibusque cum uxoribus & filiis ærumnosè dimissis, Galli trementes ad viridarium Castelli sese receperunt, magis de fuga cogitantes quam de pugna cum Cæsare. Cessisset ad votum Cæsaris, si exercitum Cæsar ad mœnia solum admovisset. Diffidebant Galli sibi & civibus, quos male tractaverant. Sed sortem secutus suam Cæsar, quam in manu habebat, amisit, non tamen sua, ut ajunt, culpa, sed Helvetiorum militum tumultuantium & stipendia postulantium tali tempore. Seditione territus veritusque sese credere Helvetiorum fidei, quam aliquando videntur non servasse, maluit retrocedere, quum belli nervi jam deficerent, quibus non ad diem præbitis, & Germani & Helvetii terga vertunt locatoribus. Multi tamen voces ad cælum efferebant: *Procede Cæsar, procede, non tibi deerimus, donec res perficiatur, stipendia in commodius exspectabimus tempus.* abiit exercitu dimisso. in prædam data sunt oppida multa. ruunt omnia in præceps. Plangentium genas & pectora lacerantium, gemitus atque ululatus languentium concivium & propinquorum meorum ab his ultimis oris exaudio. Hinc raptarum virginum sparsos capillos, hinc confixa in viscera innocentium telorum vulnera, ploratusque videor sentire. Pœnituit exercitæ crudelitatis Gallos post Cæsaris discessum, sed quæ medela infortunatis, super quos sors ignita cecidit horrida. Refecturos ex portuariis ipsis urbanis damna pollicentur. crede si libet. de his ergo satis superque. Nostras jam calamitates levemus, per alienos agros sulcum trahendo. Summus Pontifex, Palmarum profesto Urbem ingressus est ex Florentia. Bonum ajunt esse hunc virum, minime autem sceptro dignum. propinquis & familiaribus nimium indulget. ab illis regitur. Harmonia ipse Musica summopere delectatur, vocalium Musicorum, & citharœdorum coronæ, commerciaque illi sunt gratissima. A gravibus abhorret negociis; quisnam sit è duobus felicior, nescio judicare, ipsene, an Rex Pannoniæ, *Ungariæ* dico, qui duodecimo die Januarii dicitur obiisse. Feliciores ego illos existimo, qui absentibus jam fruuntur auris claro de se aliquo relicto nomine, quam inerti animo viventes. Carolus Princeps noster reiterato Sancti Joannis diem suo adventui adsignat; fiet, si volent venti Oceanusque. Ex Africa scribitur, Pyratam illum Ænobarbum, vulgo *Barba-*

Barbaroxam tentasse Tabracam, *Bugiam* dico; ab Hispanis præsidiis repulsus est. A nobis nil aliud nisi quod Najaræ Dux Navarræ vicinior cæteris proceribus, generalis illorum confinium est Prætor electus. Vale. Matriti. Idibus Maii, MDXVI.

EPIST. DLXXII.

Princeps fit Rex. de funere facto Regi avo. de pompa Hephæstionis. de Cæsare. de Gallo. de Anglo. de Venetis.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis Bellecensi & Mondeiaris.

CÆsaris est Reges creare. Carolum Principem, ejus ex Philippo Regem nepotem, *Regem* jubet appellari. Qui Castellam incolimus, Regem posthac nuncupabimus. Aragones cum suis pendicibus non admittent, nisi per suarum Curiarum suffragia præsens eligatur. Sapidius forte Castellanis etiam foret exspectasse parumper. maturos mallem edere racemos, quam intempestivos & acerbos, de meo gustu loquor, & forte multorum. Qui consilium præbuerunt, ipsi viderint. In Flandria, quæ Belgicæ pars est glacialis Oceani, & oppido Bruxellis, Carolus Rex Catholici Regis avi funeralem pompam instrui præcepit, qualem vix ulli unquam Principi structam legerim. Etiamsi Alexandri Macedonis curam in honorando sui familiaris Hephæstionis busto, Regis nostri familiaris ministri adhibuissent, haudquaquam potuisset ornatius copiosiusque parari. Si phaleratos equos, si tabulatorum & pulpitorum structuras, si Antistitum & sacerdotum fratrumque religiosorum, dehinc nobilium & magistratuum agmina, si ordinem, si faces, si vexilla pullato cuncta cooperta colore, si cætera particulatim ad me scripta studuero recensere, modum epistolæ in infinitum excederem. contentus ergo sis hoc epilogo: *Magno Regi avo materno, magnus Rex nepos heres, hujusmodi pompam funeralem condonavit*, & satis. Novas habemus literas. excusationes Rex innectit, quare nequiverit stare promissis, de suo ad nos adventu, mense Julio; Augusto pollicetur, ni divina voluntas obstiterit. ore aperto desideratur ab omnibus, ut fauste feliciterque Oceanum prehendat, supplicant omnes. Conventus interea cum Gallis agitur, quo libere queat ad nos venire, opus est ut vel Pax fiat, vel saltem fœdus aliquod jaciatur. terra namque ac mari sumus à Gallis circumsepti. multa petunt Galli, nec toleranda quidem; cum Regem videant Carolum hac necessitate urgeri, dabuntur pauca, si fieri poterit, tempori est serviendum. Habemus & ex Italia literas, quibus fertur Cæsarem redeuntem, exercitu soluto, munitiones & impedimenta reliquisse, Brixiamque ad Venetos defecisse. Veneti Veronam tentarunt obsidione, auxiliantibus Gallis. Cardinalis Sedunensis præerat Veronensibus Hispanis & Helvetiis præsidiis, obsidentes ejecerunt cum jactura. Rex Anglus, quod Gallus Rex, contra fœdera, Teruanæ mœnia restituerit, bellum Gallo indixit, & se apparat. Vale. Matriti. pridie Calendas Junii, MDXVI.

EPIST. DLXXIII.

De malis exorientibus, ni Rex venerit. de fratre gubernatore. De Genuensibus Carthaginem concutientibus.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

NI properaveritis, ruent omnia. nescit Hispania parere non Regibus, aut non legitime regnaturis. Nauseam inducit magnanimis viris hujus fratris, licet potentis & Reip. amatoris gubernatio. Est quippe grandis animo & ipse, ad ædificandum, literatosque viros fovendum natus magis quam ad imperandum, bellicis colloquiis & apparatibus gaudet. In portu novæ Carthaginis facinus evenit gravissimum, & urbi Carthaginis ærumnosum, & coronæ regiæ pudendum. Stabant in anchoris onerariæ naves, Genuenses *Carrbachas* dicunt, tres, lanas stipantes. ex Hispania namque ad diversas orbis partes, lanarum ingens asportatur quotannis copia. Bellico inerant apparatu sociæ tres aliæ, quæ piratam quærebant Hispanum Joannem Rio. Is cum una navi dicta *Galeono* damna intulerat Genuensibus mercatoribus, uti prædonem hunc insequebantur, supplicio afficiendum, si reperiretur. Ecce ad portum regia classis advenit, comitem vehit Galeonum navem piraticam. Classi quatuor Galearum, majus triremium; præerat Laletanus quidam nomine *Berengellus* dominus, iners animo, balbutiens lingua. ducebat & fustas una novem. Per nuncios cognitum petunt Galeonum & ipsius possessorem Genuenses, ut prædarum pœnas luant. Renuit Berengellus. repetunt debere sibi ex fœdere cum Hispanis Regibus; fieri de Galeono dominoque ipsius potestatem, male, respondisse dicitur Berenguellus. Bellicæ naves Galeonum quærentes, Galeonum tormentis discutiunt & subruunt. Imprudenter Berenguellus in Carrachas mercatorias insontes jaculatur machinas. Genuenses ea injuria conciti tres demit-

tunt è navibus scaphas, binos locant in eis Canones tormentarios, unam è melioribus triremibus dilacerant & submergunt, conquassant aliam. Berenguellus prætor classem ilico deseruit, terram captavit in tutum. dat operam, ut ex urbe Genuenses naves molestia conficiantur. jaculantur ex litore ad naves. Jaciunt ad urbem ex navibus ferreos ingentes globos, eminentiores diruunt domos, tecta concutiunt. Per aulas & penetralia cum ingenti jactura & totius urbis terrore volitabant globi, tum ferrei, tum lapidei. Nil hostilius potest à Turcarum sævitia, misera civitas exspectare. Quid præfectorum imprudentia soleat parere, hinc colligito. In pacatos & amicos sese voluit hic bonus vir ostentare, qui nihil unquam egregium sex annorum intercapedine gessit in Mauros, Hispana littora & ante ipsius oculos singulis horis infestantes. ergo venite, ut emergentia scandala regio nomine proscindatis. Vale. Madriti. Idibus Julii, MDXVI.

EPIST. DLXXIV.

Marlianus fit Episcopus. de Barbaroxa. de Dieco de Vera.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

Audio rem novam. maluissem tuis quam alienis fieri certior literis. Tudetensem ajunt te creatum Antistitem, ex obitu boni viri magistri Azpetiæ inquisitoris hæreseos. Martialem & mille fulctam ærumnis, egisti hactenus vitam exul, extorris, inops, ob Gallorum inexhaustam imperii cupiditatem. quiesces tandem, & quod annorum superest, vives beatus. Mundo satur ex legitima uxore liberos elegantes, patri similes effigie, spero & virtutibus, procreasti. Nunc ut mundo fruaris alio, priore seculari amissa uxore, senio properante, novam duxisti sponsam. prosit, Marliane. Sed mutuo sumptæ amicæ loco, is tibi datus est Episcopatus tenuis, dabitur propediem pinguior in legitimam conjugem, quandoquidem Regi tanto tam carus es, & jure merito cito transilies. Est tamen non macer agnus, si Episcopatus Italos communes dimetieris; valoris est ducatorum duorum millium amplius, sed si Episcopatus alios Hispanos inspexeris, pauper, ditiorem assequeris. prosit igitur natisque tuis, qui me *avum* appellant, quia tu *patrem*, favor iste regius. Ad aliena dextram feramus. Intellexisti, arbitror, Ænobarbum quendam, vulgo *Barbaroxam* è pirata conversum in terrestrem perturbatorem in Africa; seduxit per Maurorum Morabitos, hi sunt eorum sacerdotes, maritimæ partem Africæ. Per Morabitos populis persuasit, eodem quo alias Mahometes in Romanos astu, ut à Christianis deficerent, *nefas esse*, inquiens, *felices Mahometis sanctos asseclas, Christianis ejus legis hostibus esse obtemperantes & subjectos. Se capiant in Regem, qui sit ejusdem Legis observator, à Christianorum jugo se liberaturum, & servaturum indemnes* pollicetur. Morabitis tantam præstant Mauri fidem, ut pro semidiis illos colant. crediderunt Ænobarbo Morabiti. crediderunt & Morabitis populi. Ænobarbo se multi dediderunt. Alger municipium præcipue, non longe distans à Bugia, quæ Tabraca est, in Regem capit Ænobarbum. Regem se jam Ænobarbus nuncupat in Africa. Turcas habet secum circiter trecentos, arcubus & telorum omnis generis instrumentis. hi bella gerunt acerrime, maritimis terrestribusque pugnis frequentibus assueti. Re intellecta, Cardinalis hic noster gubernator octo millium armatorum cogit exercitum. jam sunt ad discessum parati. de successibus non judico. Huic militum copiæ non meo gustui aptum elegit ducem, Diecum quendam de Vera tormentorum præfectum, Deus bene vertat. is magis loquax est & jactabundus quam strenuus. Vale, & venite. Madriti. pridie Calendas Augusti, MDXVI.

EPIST. DLXXV.

De pervicacia ut instruantur milites. de inobservantia erga mandata quorundam. quid fecerit Valdoletum, quid alii.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

Nonne divinavi alias, Marliane, cum dixi fore, ut istæ novæ, hujus nostræ tempestatis fabricæ pervicaces, essent aliquando tumultus, ac turbas excitaturæ? Nil nisi armorum motus optatur. sunt qui labra lambunt præ dulcore, quando bellicum facinus aliquod coram eis accidisse narratur, præcipue gestiunt, quando gravia intercesserint aliqua vulnera. Sed de instituendis armatis tyronibus in urbibus aut municipiis, itur contra dicta eorum. Burgensis, Salamantina, & Legionensis, primariæ civitates, simul & insigne oppidum Vallisoleti, hujuscemodi homines & eorum figmenta exsecrantur, parere recusant, supplicant, quia nollent rebellione taxari. non audiuntur, stant immobiles in sententia equo ligneo strigosiores. Rationes quibus debeat hujuscemodi mandatum revocari, adductas in medio non admittunt. Ex armorum captu in pacatis urbibus,

bibus, arguunt incommoda, scandalaque innumera proventura, sub eorum libertatis prætextu, liberos namque volunt, & ab oneribus immunes tributisque fore eos, qui censebuntur, surdas præstat aures. Repetunt latrones, sicarios, nocturnos grassatores, & bonorum oppressores, inde creandos iri (& quod non floccifaciendum est) fabri mechanicarum artium sua exercebunt inertius ministeria, tersorum fulgure thoracum pellecti, & hastarum agitatione, aut scopetarum, & scorpionum, ballistas dicit vulgus jactu ad scopum assueti, tempus terent incassum. quia facilis est à quotidiano labore ad inanes ludos trajectus. de rixis & simultatibus, ex hujuscemodi exercitio in urbibus exorientibus multa proponuntur. obtusus & plumbeus paratur ad hæc omnia stomachus. jubent instrui cuneos. pauci legem annuunt, & hi inviti. Valleoletum cum ignominia missos à prædictis decuriones, juvenes electuros, ejecit. Si vim eorum tentaverit, armis tutabuntur se. Plebs instituit jam tribunos novos, qui noctu cum delecta juvenum manu perlustrant oppidum, & per dispositas custodias revisant mœnia, ne occulte quisquam ingrediatur. Ex oppidanis & regiis magistratibus, quoscunque viderunt hujus commenti fautores, ejecerunt. Itidem & aliæ facient urbes jam commotæ, si perstiterit. Fraterno se fœdere conjunxerunt populi multi ad obsistendum. Ergo venite, ut vestræ cum prudentiæ ligonibus possitis pullulantes has spinas à vestris prædiis eruere. Si differetis, coalescent, & segetes has vestras lætas suffocabunt. Vale. Madriti. IV. Idus Augusti, MDXVI.

EPIST. DLXXVI.

De Xeure rectore Principis. Genuenses truduntur in carceres ob concussam Carthaginem. de fustis Turcarum captis. Laus Adriani Oratoris. Laus Motta. Laus Alfonsi Manrichi. de Berenguello & fustis.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

DIffertur adventus vester, subtristes incedunt boni omnes Hispani. Oceani forte vagantis dura consilia vos detinent. qui vero cupiunt, ex amoris natura, in deteriorem partem accipiunt moram. Non desunt qui judicent ex quæsitis occasionibus eorum, qui Regem gubernant, id accidere tum ut pecuniæ ad eos mittantur, quas sine labore ac periculis coacervant, ab hoc gubernatore ad vos missæ, sub parandæ classis prætextu. Nescio quid immurmuratur de istius vestri magni cubicularii, & una nutritii avaritia. id si ita est, væ Regi! væ regnis ab eo regendis! nisi sese ab hujuscemodi profundo puteo exemerit; omne malum ex avarorum consiliis, uti nosti, prodit. Invida forte fama hæc ventilat, quod Deus faxit. Quod te Tudetensem Rex creavit, audivimus, & una Dertosensem hunc nostrum Adrianum, furibundæ naturæ quorundam sua modestia temperatorem, regium oratorem vestrum. hic vir est omni celsa sede dignus. Promotus est & magister Mota concionator egregius, ad Pacensem. neque hoc alienum à recto & æquo. est enim prudens, & linguarum copia insignis, & rerum experientia pollens. Veterem autem Pacensem Episcopum Alfonsum Manrichum genere nobilem ac virtutibus & claris moribus ornatum, in Cordubensem mutastis. Omnia laude digna. Atque utinam stet Catholicus noster Rex perpetuo fixus in hac sententia, ut bene meritos erigat. Nullum celeste Numen ei deerit cum his & similibus consiliis. Ad alia. edictum est gubernatoris & senatus nomine, ut quicunque Genuensium terram terunt Hispanam, trudantur in vincula, facultatesque deponantur, donec jure an injuria nostram Carthaginem Hispanam tormentis ausi sint concutere, domosque diruere. De piratis autem, quatuor sunt captæ Turcarum triremes piraticæ à nostris, cui certamini Berenguellus interfuit. acris fuit unius diei fere integri pugna, dubia diu, licet contra quatuor illas, novem essent nostræ triremes quatuor & (ut vulgo) fustæ quinque, ad unum fuerunt tandem capti aut perempti Turcæ. Vale & Regem ducite. Madriti. XVI. Calend. Septembr. MDXVI.

EPIST. DLXXVII.

De pugna & morte Soldani à Turcis cæsi. de pactis cum Gallo. per Dn. de Xeures & magnum Cancellarium. de Leone & Iulio Pontificibus spoliatur Dux Urbinas. de Iulio Papa.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarium habemus ex Italia, quæ ferantur, habetote. Ab Oriente scribitur, magnum Turcarum Principem Selimsachum, Amano Tauri montis jugo superato, cum exercitu valido fuisse adortum, Ægypti, Syriæque ac Palestinæ dominum, magnum Soldanum Babylonicum. imparatum reperisse illum inquiunt; dimicatum tamen esse acriter fertur, sed victum Turcarum multitudine Soldanum fuisse, mortuumque in prælio ajunt. Hæc impræsentiarum per incertam famam

famam allata sunt; quando apertius intelligemus, quid acciderit, apertius significabimus vobis. Id si ita est, Turcis iter aperitur ad Italiæ molestiam. Quando namque tutum se ab aliis lateribus tergoque senserit, furorem in Christianos convertet nativum, sed præcipue, si paternæ potentiæ, Soldanicam addiderit, quæ ingens est; quid facturum speramus hominem, ad crudelia natum bella & sanguine gaudentem imperii cupiditate raptatum? Ex Flandria literas habemus, vereor, ne diutius Regis adventus differatur quam oporteat, vel saltem oportere putetur. Tenues vident, qui apud Regem sunt Hispani, classicos apparatus, & hyems advenit. propediem erunt Syrtes illæ, quas *Bancos* vocant, inaccessæ, Borealeque pelagus illud discriminosum. Pecunias mittit quotidie Cardinalis gubernator innumeras ad sustinendam classem. Regis nutritius Dominus Xebrensis camerarius, & magnus Regis cancellarius, negociatores apud Gallos ad Regem regressi sunt. Pacem ajunt afferre, sed quibus conditionibus, nondum intelligimus, veremur ne gravibus. Ab Urbe scribitur, Leonem Pontificem propinquorum & internorum familiarium esse amantiorem æquo. Longe distat à Julio prædecessore suo, ut fama est. Christi Ecclesiam *Iulius* sponsam appellabat suam, sponsam ornare monilibus, & sponsam quocunque modo posset ditare studebat ille, nulla propinquorum, aut necessariorum habita ratione: hic Leo, uti fertur, nullam de sponsa curam habet, liceatne an non liceat, propinquos nititur extollere. Urbini Ducem, Franciscum Mariam urbis præfectum, Julii nepotem, sub prætextu, quod Cardinalem Papiensem peremerit, spoliavit. spoliasse liceat, sed cur Ecclesiæ fundum nepoti est impartitus? nepotem namque Urbini Ducem nominat. jam valete. nequeo ulterius. Madriti. XIII. Calendas Septembris, M D XVI.

EPIST. DLXXVIII.

Quæ mors Soldani. Quid illius exercitus reliquiæ. Quid Turcus dicat de Christianis. Rationes quare putet, se facile debellaturum Christianos. non servantur mandata Christi. Nota, Christiane.

P. M. A. M. Marchionibus Mondeiaris & Bellecensi.

A Summo Pontifice adsunt literæ, direptionem potentiæ Soldanicæ, fatentur, & Soldanum ipsum dolore animi, cum suos videret profligatos, decidisse ab equo exanimem, interiisseque ilico, erat quippe jam senio confectus. Is idem regnabat Camsous Gaurus, quem ego Catholicorum Fernandi & Helisabethæ Regum nomine orator adivi, anno primo post quingentesimum à millesimo, de quo late in legatione mea Babylonica; vergebat in gravem tunc ætatem. Exercitus reliquiæ Damasci dicuntur convenisse in Syria, novum Soldanum electuræ. Sunt Mamalucci Soldanorum equestres milites Christiani à natura omnes, per fora & nundinas empti, veluti pecudes, quorum opera, si evadant in viros armis pertractandis aptos, utuntur Soldani, tam in regendis regnis, quam in re bellica, sed abnegato Christi nomine, Mahometeas sectantur insanias, recutiti. Si regna Turcarum Princeps Soldanica possederit pacata, væ nobis! Sunt illius quotidiani sermones elatissimi: *Christianos facile debellatum iri* blacterat, *quod Christi mandata non servent*. Ait, *intelligere se*, *Christum præcepisse*, *ut ipsius amici sequaces*, *mites incedant atque humiles*, *bonorum fortunæ sint abjectores*, *egenis succurrant*, *laborantibus animi aut corporis ægritudine misereantur*, *nil proprium retineant*, *honeste*, *sobrie casteque vivant*; *ne sint avari*, *ne superbi*, *ne ambitiosi*. Constantinopoli, & intra Principis regiam Christiani versantur multi, negociorum causa, tum etiam à diversis Potentatibus Oratores, Veneti præcipue, ac Genuenses totius orbis hospites, sunt cubiculariis & necessariis internis ipsius Principis domestici, quæ in ejus penetralibus agitentur, facile discunt. sunt quippe sagaces Arcanorum indagatores alienorum. Et domum & postes, & cardines, *Christi dogmata non observare* cognovit, *oppositam agere vitam illos* didicit à *Christi moribus*, *cogendis thesauris inhiare*, *nullum luxuriæ genus*, *gulæ nullum prætermittere*, *angusta manu egenis subvenire*; *velle non diligi*, *non amari*, *non observari solum*, *sed coli*, *ut Dii*, *atque adorari*; *propterea Christum non futurum illis auxilio*, aperte ac repetito inquit. quid conjectandum sit, vaticinemini. Madriti. VI. Calendas Novembris, M D XVI.

EPIST. DLXXIX.

Quo genere Barbaroxa. qui aufugit à Selinsacho. literæ Magni Turci ad Rhodum magistrum. Literæ Turcæ & Soldani. Quid Turcus contra Christianos.

P. M. A. M. Marliano Episcopo Tudetensi.

Barbaroxa pirata quondam, nunc ferox terræ perturbator, quassat res Africanas, late

late jam vagatur. unde hic habeat originem, velles intelligere. Cilix est, sub hujus Selinsachi, Turcarum Principis violenti genitore, militavit in Selinsachum ipsum, quando patrem senio gravatum expulit è regia Bizanzio, quæ est, uti nosti, Constantinopolis. Diffisus insidiæ Selinsachi sanguinarii, licet honorifice velle illum tractare videretur, aufugit, commeatu non petito. Sed audi, quo stratagemate compiratas delusit suos. Ubi primum de figendo pede in terram cogitavit, quascunque naves assequebatur, combussit, ad tollendam illis omnem fugæ spem, aut piraticæ artis ulterius exercendæ cogitatum. cum tercentum paulo amplius consociis hæc aggressus est. ni propediem obvietur, crescet contagio. Reperit in populis Mauris favorem, eo quod Legem ipsorum profiteatur ore, re autem prædonis animum gestat. Alias me ista scripsisse scio, sed an ad te, non reminiscor, satis tamen. De strage Mamaluccorum & Soldani morte scire debetis, nuper à Pontifice, Turcarum Principis ipsius, habemus literarum exemplar in hunc sensum è Græco in Latinum traductarum. *Soldanus* Selinsachus, *Constantinopolis & cæterorum imperiorum maximus Imperator, Persiæ, Asiæ, Arabiæ, Europaque Rex, magno magistro Rhodio* Fabricio Caretto *salutem. Prostrato* Sophio *infideli hoste, cane, qui legem nostram fœdabat, novo exercitu comparato, ad illum penitus delendum, gradiebamur. Soldanus autem Babylonicus, nostra fidei caput, à nobis rupto fœdere, ad Sophium partes suas direxit. Soldanum per Oratores hortati sumus & monuimus, ne faveret hæretico. renuit, petitis nostris non auscultavit. Itinere unius diei armatus contra nos venit obviam. In valle, ubi Propheta noster* David *sepultus est, contra nos ad pugnam se accinxit. Ex Dei & nostra Legis instituto, quam ad unguem nitimur observare, nostri Sapientes repererunt, hæretici fautorem* Soldanum *graviter debere puniri. Movimus in illum nostras acies vigesimo quarto Augusti, ab hora diei tertia, multis utrimque cadentibus, ad vesperam usque dimicatum est ancipiti victoria. Ipsum & è primariis ejus principibus* duodecim *trucidavimus, ejus Regna & imperia occupavimus omnia. Hac vobis, tanquam amico, ut nobiscum gratulemini significavimus. ex regia nostra curia in campo Alepi.* XXVI. *Augusti.* Est ejus narratio longior; prætermissi ambages, collegi succum tantum, quo intelligas, an dormire nobis expediat. Sperat ex nostræ Religionis adversa observatione & ex Christianorum Principum dissidiis, facilem se viam habiturum ad Christianorum perniciem. Ait enim: *Christianis non favebit Christus eorum Deus, quod ab ejus moribus & præceptis longe vagentur.* Vale, & venite jam tandem. Madriti. III. non. Decemb. MDXVI.

EPIST. DLXXX.

De Cæsare. de Papa. de Rege. quomodo Turcus in Soldanum. de pactis Sophii & Soldani dilatis. Laus Hispanorum. Laus Regis.

P. M. A. M. Marchionibus Bellecensi & Mondeiaris.

AB Urbe scribitur, Pontificem Summum iturum Florentiam, natale solum. Ex Flandria vero quod Imperator electus audit nuncios Veronam repetentes, suspicantur multi auscultaturum, quia nervis careat bellicis. Instat ut sibi Veronam sumat tutandam nepos, Rex noster. dixisse ajunt; *Iturum se ad nepotem in Flandriam*, jurequejurando asseruisse, *non discessurum inde, nisi prius nepotem viderit jam vela fecisse ad nos.* Ægerrime fert ejus moras, ut qui, quanti facienda sit Hispania, bene calleat. Multi de altoribus & consultoribus conqueruntur. multi eos taxant insidia, eo quod dubitent de præsentis autoritatis suæ lapsu, si ad nos venerint. Neque enim erit æquum, ut Borealium Belgarum consiliis res Hispanæ gubernentur. Longe absunt eorum ingenia atque educatio à moribus Hispanis. Illorum Deus est voluptas: Hispanorum sobria quædam mentis elatio, ad honores directa, temperatiores facit. Rex tamen à natura crapulonibus & bibacibus hominibus dicitur esse infensus, quia ipse temperatus. In alis tamen sunt in insula Gelanda, quæ est in Batavis & oppido Medialburcho. De Sophianis, Soldanicis & Principis Turcarum rebus habuistis exemplaria directa originaliter ad eximium Philosophum Ludovicum Marlianum, Tudetensem Episcopum, nostri Regis medicum, internum & arcanorum omnium participem, vos habetote pauca de iisdem superaddita. Sophius Persa & Soldanus Babylonicus Selinsachi potentiam & insatiabilem cupiditatem formidantes, per nuncios alterne negociabantur, ut si in alterum ipsorum Selinsachus movere arma tentaret, auxiliaretur alteri opprimendo. Priusquam pacifcerentur, dum in ambiguo essent, Sophius adversæ legis ab utroque (*nil* enim putat *esse Deum aliud quam solam naturam, regique omnia debere juxta natura igniculos*) de Soldano dubitabat, ne urgente necessitate cum suæ legis sectatore conveniret in eum. ita dum illi hæsitarunt, Selinsachus expedite solvit in Soldanum, non plene paratum ad eam vim repellendam. Restat illi sola cum Sophio expeditio, dehinc in nos, desides & minime concordes, utram sit partem electurus, novit qui cuncta videt. in manu ejus est. stare loco nescit, nec Tyrannico magnanimoque viro convenit. Valete Madriti. V. Idus Decembris, MDXVI.

PETRI MARTYRIS A. M.
EPISTOLARUM
LIBER TRIGESIMUS.

Epist. DLXXXI.

Sublata stipendia petit Autor restitui. & Heroica sunt mixta Carmina de morte fratris.

P. M. A. M. Ad Marlianum Episcopum.


Drianus Trajectinus Dertosensis Episcopus, una cum Cardinali, & Regio Senatu, Regnorum moderator, quod nondum adsint literæ Regiæ stipendiorum meorum confirmativæ, mirantur vehementer. Scripsit namque non vulgares ad utrumque istius vestræ navis temonem: dico nutritorem, & magnum Cancellarium; ad te minime; quia operam illius non putavi apud te fore mihi necessariam. Nunc ad te scribit. tibi fient omnia plana: quandoquidem tam justa peto, ac tam debita, quæ non Judæis, Maurisque etiam potuere negare neuter avus nostri Regis; si quando tulissent obsequia, quæ ego ipse tuli, & fecisse fatentur.

Et quorum sunt nota tibi non pauca, gelascunt
Et plectrum, & chorda in manibus si forte Camœnis
Bacchus & alma Ceres deerunt. Tibi dentur honores,
Et tituli, & bullæ, & candor, rubeusque galerus.
Nos panem petimus veterem, ne nostra senectus
Dicatur trivisse suos tam turpiter annos,
Ut jam declinans Cererem sibi deesse queratur.
Me cursor jubet esse brevem, volat. ergo valebis.

Tale habes epistolii decus, quale tui Martyris affinis concivis est ingenium & quale spacium scribendi. Cætera expediet Fernandus familiaris meus, quem Philippeo tempore, tenero quodam amore in Hispania *Fernandicum* appellabas; illum ad te mitto, quo calcaribus tua quatiat ilia, si torpentem in mearum rerum expeditione repererit. Misistis ex cubiculariis Regiis *Mos.* de Laxao. acutus homo est & sagax, magis aptus ad risus concitandos & jocos movendos, quam ad suadendum, ubi sit opus gravitate ac seriis. Parum solamini cum his nunciis Hispanos animos: suum Regem cupit Hispania, alieno nescit nomini parere. ergo venite. Dum hæc scriberem, flebile mihi ex patria nuncium allatum est. Joannes Baptista ex utroque parente mihi germanus, & animæ meæ dimidium; ob singulares ejus virtutes magis quam propinquitate sanguinis; concessit è vita. Brixianas fugiens ærumnas, ubi domum & prædia sibi paraverat, & honestas facultates, Mantuam se contulerat, cum uxore & quatuor filiabus sine ullo mare. Ecce additum mihi onus familiæ alienæ: opus erit, ut misellas ego posthac foveam; quibus bellorum furiæ, quicquid suppellectilium assequebantur, calamitose raptarunt. Vale. Madriti. VI. non. Januarii, MDXVII.

Epist. DLXXXII.

Est apud Regem Cæsar. quid ei suadeat. quid nutritores. amissa est Verona. Laus Regis Caroli.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis.

Ex Flandria scribitur, Cæsarem avum esse apud Regem nepotem, in diversis tamen municipiis, quia utriusque capax Curiæ neutrum sit. Alterne se visunt, it at avum nepos, ad nepotem semel tantum Cæsar, de nepotis solicitus mora. Quanti momenti sit Hispania, nepoti proponit; ne tantam occasionem omittat, hortatur & monet. Cupit & pollicetur Rex, se obtemperaturum. Hebetes tamen maritimos apparatus vident nostri; occasiones innectunt Regis à Secretis. Mallent, cum eo Leonis vertice lucrifacere à longe: quam ad Regem innumeræ mittantur, ab hoc nostro fratre gubernatore, singulis horis, pecuniæ, quam locare in discrimine autoritatem, qua fruuntur apud eum, quem uti pupillum tutores impellunt trahuntque, quocunque libet. Est quippe adolescens & suavis naturæ; illorum præcepta imbibit & sorpsit à cunabulis, adeo ut neque vertere se audeat, nutritore magnoque suo Cancellario inconsultis. Hos ambos ajunt regressos esse in Galliam; conclusum de Pace. quo tuto queat Rex venire. mari namque ac terra circumseptus est à Gallis; quom ad utrumque mare nostrum dico & Oceanum, extra Pyrenæos

næos media occupet litora. Fama est, traditam esse Gallis Veronam Italiæ portam & aggerem invictum. Galli ex pacto Venetis illam dediderunt; quod Gallis fuerint auxiliati contra reliquas potentias confœderatas, ad recuperandum Mediolani Ducatum. Sero de alat i Leonis faucibus redimetur. proh! quantu m aliquando pœnitebit. Occluserunt ipsimet sibi portas, ne descendere queant ulterius in Insubriam. Insubriæ caput est Mediolanum natale meum. undique à multis annis quassata fuit bellorum calamitatibus ea Provincia. Valete, & ut vestra pax duret, optate. Madriti. in nonas Martii, MDXVII.

EPIST. DLXXXIII.

Novus Soldanus. quomodo prius Mammelucchi fugaverant Turcas. de proditione contra Soldanum.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarios habemus plures. Ab Orientis oris profligati Soldani exercitus. Mammaluccorum reliquias ajunt novum creasse Soldanum; Turcarumque copiam ingentem, cum Arabum vagantium auxiliis prostituisse. hæc dederunt, hæc damus, Inquiunt novum aliud de Turcarum Principis, & Soldani pugna. Soldanum scribunt primas Turcarum frontes, & primas acies primo impetu stravisse. cœperant, uti fertur, Turcarum copiæ terga vertere. defecit à Soldano è primariis ejus Principibus, armorum magister & bona partis exercitus Prætor. Alepi erat hic Prorex. est Alepum civitas in Damascena Syria à Damasco prima. Hujus Alepani Principis fratrem germanum Soldanus jugulaverat, Majestatis crimine deprehensum. in fratris vindictam dicitur is dominum perdidisse: victoriam is hostibus tribuit, quæ in dubio erat. Ab Urbe scribitur Pontificem erexisse in Urbini Ducem Laurentium ex Petro Medices majore natu sibi nepotem. Petrum hunc ex naviculæ inversione Liris sorpsit, quando Galli ab Hispanis profligati, Cajetam versus aufugiebant; Lirim dicit nostra ætas *Gailianum* fluvium. Fecit & una præfectum Urbis, in exilium misso vetere Urbini Duce. Is Mantuam elegit exilii sedem, fremit dentibus, turbulas aliquando excitabit molestas. est rabidus, pusillus corpore, animo elatus. Præfecti Urbis interest Imperatores coram Pontifice coronare tertio diademate, quo *Augusti* queant Cæsares appellari. Duos ergo Urbini Duces habemus, ejectum & electum. Solet iste sanguis Pontificius liquefieri, uti saccarum aut sal mordens, aqua superinjecta, quando ex Pontificum illicita beneficentia tollitur aliquid de Christi Ecclesiæ fimbria ad illorum ornatum. Exspectet Laurentius Medices non dissonos successus ab assuetis. Vos valete. Madriti. Idibus Martii, MDXVII.

EPIST. DLXXXIV.

De Villafrades, & injuria Senatui Valdoletano illata ab Urrenia Comitis familia.

P. M. A. M. Ad Marlianum Episcopum.

PErgit Fortuna suas artes exercere, nisi veneritis, confundentur omnia. Est in Castella veteri, villa, *Villafrades* appellata, lis est diu agitata inter Urveniæ Comitem & particularem quendam strenuum equitem auratum nomine *Gutierre Quixadam.* Valleoletanus magistratus censuit ad Quixadam attinere Jus loci. Missos executores, Urvenienses in magistratus ignominiam male tractarunt. stare nolunt Senatus editioni. Sunt præterea urbes multæ perturbatæ, ob nostræ tempestatis stratagemata de armis exercendis inventa. Alterne se incitant & invitant ad unionem, se nolle hujusmodi mandato parere protestantur. Vallisoleti municipium, quale nosti, urbibus egregiis nihilo humilius, nocturnas vicatim agit vigilias, ne noctu ex insperato vis aliqua mittatur à gubernatore, ac si Turcas ad muros haberent obsidentes, tutelæ invigilant. A vobis relatum est, Veronam vos è manibus solvisse. Aggeres sibi Cæsar, & Rex nepos, & portas adamantinas, iter ad Italas regiones conclusuras construxerunt, si quando acciderit opus fore. Si angustiæ illæ Sclusanæ inter vastas rupes sitæ, munitis arcibus, inaccessæ fuerunt hactenus, quid fore putandum. Præteritis edocti periculis Veneti, triplo illas roborabunt, ne ultra illis invitis, aditus cuiquam Transalpino Principi pateat ea parte in Italiam. Ut verum tamen nos fateamur, forte sanius Italiæ. Sunt Itali, quamvis sui tantum sanguinis amatores, & nullius exteri susceptores, ad ullum decus, Veneti: sunt tamen Itali, mitiusque bella gerunt quam barbara gens illa Germana, ferox, indomita. Deus hæc agitat, Deo curam sinamus. Dimisistis è Verona vos præsidiarios milites, illos Urbinas Dux ejectus, in unum redegisse dicitur, quo Urbini Ducatum repetat. Si id ita est, væ iterum Italiæ! novus ignis paulo sopitus excitabitur. Hispanos ajunt esse quater mille, armis exercitatissimos, & pronos ad omne facinus, Germanos septingentos, Vascones autem

tem è demissis ter centum, una, inquiunt, esse Hispanis admixtos. Manus est militaris non negligenda, sub desperato præcipue, spoliatoque Imperatore. Pro concione stans medius in agmine, illos affatus est, opem suam & facultates proprias & alienas pollicitus illis est, si ei vellent auxiliari, ad status patrios recuperandos. Fidum illi omnes obsequium obtulerunt. Cito quid hoc tonitruum sit pariturum, intelligemus. Vale. Madriti. xv. Calendas April. MDXVII.

EPIST. DLXXXV.

Veniam impetrarunt Genuenses de Carthaginis concussu. Infaustum naufragium. Moralia.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis.

DE Urbinate ejecto resuscitante, deque aliis exteris casibus habuistis exemplaria. Genuenses veniam admissi contra Carthaginem nostram à Rege in Flandria impetrarunt, & impetrasse meriti sunt: quia ubi primum res acta est, Oratores miserunt, qui Regi referrent, fuisse id suis civibus molestissimum, licet nostræ classis præfectus Berenguellus elinguis, causam dederit urgentem. Quod id ægerrime tulerint, constat ex eventu. Illico fuit edictum, ut capitis rei haberentur, quicunque navibus illis imperabant, statuerantque, ut rei participes omnes quam primum fuissent appulsi ad portum, punirentur. Sed abscidit & exsecuta est latam eorum fortuna sententiam. In anchoris erant naves illæ armatæ, quæ rem patrarant in portu Villafranchæ Nicensis. insperatus supervenit turbo, concussas & conquassatas, in gyrumque ruptis anchorarum vinculis raptatas, una cum viris tercentum amplius, tum nauticis, tum militaribus summersit, nullus evasit. *maluissent Genuenses*, uti ajunt, *sua quam Fortunæ manu sontes statuta pœna afficere.* Cardinalis tamen gubernator à Regis benignitate discedit: *non ita leviter illis ignoscendum*, inquit. Quæ succedent, habebitis. Audite nunc, audite, quæ sunt hujus fluctuantis orbis insaniæ. Urbinas ejectus ex urbe Mantua, ubi extorris ociosus agebat, somno rupto expergefactus est taliter ut cum Hispanorum, Germanorumque ac Vasconum ex urbe Verona à Venetis etiam dimissorum exercitu, repentinus in Ducatum Urbini primo insilivit, parvo negocio Papales expulit, civibus veterem dominum optantibus, in Ecclesiæ dehinc terras, Urbino habito, sævivit. Dies tantum octo in eo quievit, ne segnes efficerentur milites neve statum suum ad ossa roderent, Papæ impensa statuit exercitum alere, qui præcipue sensit, Pontificem suas vires cogere, & alienas implorare contra se. Implorat auxilia Leo Maximus contra Catellum labefactatum: qui derisus hi sint, attendite, ne vestris applausibus confidatis. Exit Urbino tanquam furibundus torrens. Comitem habet bellorum egregium magistrum Federicum Gonzagam de stirpe Mantuanorum Principum Bozeni municipii dominum. A Venetis, quorum semper fuit peditatus mille hominum ductor, & ipse dimissus, cum duobus præfectis levis armaturæ equitum Epiroticorum, Andrea Bugiaro & Francisco Zucca. Tercentum hi velitibus imperant. Federici Gonzagæ Urbinas consilia sequitur. Fama est vastasse jam plures terras Pontificias, dedisseque multa in prædam, quo sibi milites fidos faciat. Valete. Madriti. XII. Calendas Aprilis, MDXVII.

EPIST. DLXXXVI.

De Fortunæ ludis. Leo Maximus auxilia implorat aliqua in Catellum hebetem. De Cardinali Senensi autore. qui Romæ capitur cum complicibus.

P. M. A. M. Marchionibus.

QUo palpabilius cognoscatis vos qui sedetis in crudelis novercæ gremio: per status à majoribus relictos, quinam sint ejus ludi jocique, advertite. Dixi Leonem ingentem potentissimum à Catello hebete perturbatum iri, adeo ut parum suis viribus fretus Leo, auxilia imploraverit Christianorum Principum in Catellum. Processit Catellus in immensum vagans per Pontificias terras. Fanum est civitas Papalis egregia: expugnare illam tentavit Catellus Urbinas ejectus; non perfecit. Agrum ejus & diœcesin universam diripuit, deditque in prædam. Exercitum aluit Fanensium impensa dies octo. Fanensibus exhaustis, Pisaurum, dicit vulgus *Pesarum*, tetendit: ejus terminos VII. Calendas Februarii occupavit; Quindecim in Pisaurensi agro dies omnia vastans moratus est: Candelariam & Novelariam Juris Pisaurensis oppida, hostiliter infestavit. Exercitu bene depasto ditatoque, miserorum insontium spoliis, turmatim distribuit milites hybernatum per ea Pisaurensia loca. quæ hinc evenient, habebitis. Interea loci ne tempus terat incassum, quo se Principibus, quænam sit, apertius ostendat Fortuna, in Summum Pontificem insidias paravit, nec patrari tantum facinus passa est. Cardines quidam dicuntur suam domum voluisse diruere. Chirurgo cancreum

cancreum ulcus veteratum inter nates Pontifici curanti, persuaserunt, ut inter medicamina venenum immisceret. provinciam amplexatus est Chirurgus rei perficiendæ Cardinalis Senensis, quia Pandulpham suam familiam Pontifex ejecit ab ea urbe, in qua Pandulphus ejus genitor absolute imperitabat, Princeps hujus machinæ dicitur fuisse, dentibus frendens in Pontificem, *Tyrannum crudelem* appellans: verba passus est ab ore decidere, quæ sanius tenuisset. Res delata est ad Pontificios necessarios; mox ad ipsum Pontificem, de cujus vita agebatur. Absens erat ab Urbe Senensis. vocatur. sensit detectum esse commentum. recusabat. datur illi fides, ut ajunt, tutelaris. sub data fide, vel non data, videat ipse, venit ad Vaticanum, sedem Pontificiam. capitur. in S. Angeli castellum, Adriani molem mittitur. Capiuntur una S. Georgii, & Genuensis Saulus Cardinales, quod scivisse rem dicantur, tacuerintque. Adrianus & Volterra Cardinales, re intellecta; fugam rapuerunt, quo tetenderint, non scribitur. En ludos! en jocos! en derisus rotæ rotantis! & rotare tamen cupimus in ambitionis sclopis. Rotent quicunque volent, ego tutus in imo sedens quietus vivo. Madriti. in Calendas Aprilis, MDXVII.

EPIST. DLXXXVII.

Admirative hic multa narrantur de mundi ludibriis. Quid Iulius Leoni reliquerit. Causa admirationis. Catellus Leonem perturbat. Magna potentia in exiguam.

P. M. A. M. Marchionibus.

AD egregiam vulgi fabellam de Urbinatibus ejecto & electo, est omnis sermo vertendus. nil enim hac nostra tempestate ferventius ebullit, in pernicioso procellosoque Ambitionis & Avaritiæ cacabo. Quid hoc rei sit, me trahit attonitum, ad judicia Dei non comprehensibilia remitto sententiam. Julius II. hujus nostri sacri Leonis prædecessor exhaustum ab Alexandro VI. Pontificatum ingressus est, tenuem & depauperatum invenit. Tacitus ab initio thesauros coacervavit. Refectis viribus Gallicam statuit potentiam, & Venetam Remp. Julius confringere ac perfecit. Leoni successori suo, ex restitutis, Bononia, Ravenna, multis prætera civitatibus & municipiis, duplicatum fere reliquit imperium, nec thesauris vacuum. Florentina est Resp. superaddita Pontificatui, ob Medicæ familiæ primatum in ea urbe. Quænam admiratio est hæc, omnem superans admirationem? Inops, exul, miser, extorris, nobilis *Franciscus Maria Roboretus*, id est ejecti Ducis Urbini nomen, Ducatu & Urbis præfectura privatus, per alienas terras vagans, viam invenit, qua tantum Pontificem fere triplicato Principatu, Julii, Gallorum & Venetorum stratoris successorem, fastidio molestiaque ac mœrore repleret, qua Regem Regum & Cæsarum Augustorum creatorem ignominiis, contumeliis, jurgiis, injuriis, jacturis & damnis ingentibus conficeret. Sed væ miseris insontibus populis qui prædas, incendia, rapinas, virginum & nuptarum crudelia stupra passi sunt. Venit contra Urbinatem ejectum Laurentius Medices electus Dux Papalis exercitus, sed quibus viribus audite. Cum Gallicis cataphractis quadringentis, Hispanis tercentum, Pontificiis reliquis ad numerum mille ducentorum, ut fama est, velitibus equitibus levis armaturæ, duobus millibus, peditibus quindecim millibus. It ad ejectum. confligere nunquam electus est ausus cum ejecto. In Carthachitofanensi oppido castra metabatur ejectus, castra metatus Laurentius electus ad milliaria tria. Incursionibus se invicem infestarunt diu. Mondainum Fanense oppidum in Laurentii fere conspectu dedit in prædam ejectus, occasionem nactus, quod hosti Laurentio commeatus præbuerit. hæc impræsentiarum, cætera posthæc. Valete. Madriti. III. nonis Aprilis, MDXVII.

EPIST. DLXXXVIII.

Multa de utroque, Urbinate, electo & ejecto. De præda sublata Laurentio. Ludibria Fortunæ. se parant ad pugnam. non ausi sunt Papales confligere.

P. M. A. M. Marchionibus.

CRebros habet ab Urbe tabellarios Joannes Ruffus Forolíviensis Cusentinus Antistes, Apostolicus legatus in Hispania. Labra mordet præ molestia Pontifex, non minus ob suorum militum & nepotis Laurentii desidiam & inertiam, quam ob ejecti Urbinatis petulantiam. Castra locarunt ambo in monte quodam ab Urbino non multum distanti. Dierum quindecim intercapedine alterne se infestabant. Castrorum munitionibus tuti erant ab incursibus repentinis ambo in castris. ager incursitabatur utrimque. Urbinati ejecto fuit illis diebus commodior copia commeatuum, quoniam à tergo veteres habebat observantes incolas, Laurentio secus. Exiguus prætera Urbinatis ejecti exercitus facilius alebatur, quam tot millium armatorum multitudo sub Laurentio electo

militans. Dum sic staretur, Laurentius jussit ad se quædam duci mulorum impedimenta, cum quibus pretiosæ illius vestes & supellectilia multa portabantur. Diximus, duos esse in Urbinatis ejecti castris Epiroticos equitum ductores, Franciscum Zucam & Andream Bugiar; hi prædis & latrociniis assueti, nesciunt stare loco; tercentum velitibus quibus imperabant ad se vocatis, quid intellexerint de advenientibus onerariis jumentis, aperiunt, paratos militum animos inveniunt, itinera occupant, in venientes ad Laurentium incidunt, adoriuntur, sternunt, præda potiuntur, divites ad sua castra redierunt. Tanto facinore turbatus Laurentius inde discedit. Fanum urbem, cujus viciniam omnem jam Urbinas ejectus dilaceraverat, petit Laurentius electus. Sequitur ejectus vestigia illius. Sic luditur in lusoria Fortunæ tabula. Vertit aciem electus fusam, Brunum versus. est id oppidum celebre Urbinatis jurisdictionis. præit, re intellecta per exploratores, ejectus. per pontes electus, per difficilia vada ejectus; transmittunt fluvio copias. in prospectu erant. signa dat Laurentius, ad pugnam se cataphracti Papales apparant, Gallearum fenestellas demittunt, hastas manu capiunt. Altera parte Fœdericus Gonzaga Bozeni dominus, cujus consilio, quia veteranus militum gubernator, Urbinas ejectus regitur, Hispanorum cuneos properanter instruit. erant ex transitu fluminis madidi semique sparsi adhuc. in ictu oculi globus efficitur. Stringunt una secum alienigenas milites. ita parati animis in colle vicino, quid sors latura sit, exspectant. Papalis autem multitudo, illorum ferociam cernens, à congressu abstinuit. Sic luditur in rota rotante rerum humanarum. Vos valete. Madriti. IV. Idus Maii, M D XVII.

EPIST. DLXXXIX.

Quot cruciatibus affligatur Papa. vulneratur Laurentius. Mondolfum oppidum exuritur & dissipatur. Urbinas ejectus in vindictam contra Montembrochium eandem exercet crudelitatem. Ignoscitur tantum fœminis & militibus.

P. M. A. M. Marchionibus.

POntifex mille angustiis circumseptus, nescit qua se vertat. Hinc paratæ per Cardinales insidiæ, quo perimeretur veneno, illum terrent. graves bellorum impensæ inde fatigant. Perseverantes ejecti Urbinatis incursitationes & rapinæ cruciant, quæ in summum ejus dedecus & ignominiam cedunt. Propinquorum & familiarium, quibus subest inexhausta petendi vorago molestiis mille conficit. Hæ sunt tympanistriæ Fortunæ chorizantis in alto throno choreæ. sunt perpetui Principatus affectantium ludi. Nullo pacto à Catello, non latrante solum in Leonem, sed Leonis calcaria remordente, discedendum est, donec quo sit tandem casurus, intelligamus. nequibit enim diu tantum onus sustinere. Est Mondolfum inter Fanum & Senogaliam Urbinati ejecto cum urbis præfectura ereptum oppidum. In fide adhuc Urbinatis ejecti stabat Mondolfum. Urbinas electus Mondolfum petit, obsidet, quatit tormentis. Scopetarius è latebris trans murum, latus occipitis Laurentii globulo percussit. Anchonem Pontificiam urbem semimortuus dicitur esse delatus. Crescit in Papalibus ducibus, qui sub Laurentio merent, in obsessos ira. quærunt omni conatu oppidum expugnare. per cuniculos subterraneos oppidum tandem capiunt, in percussi Ducis vindictam dant in prædam; oppidanos præter fœminas ad unum trucidant. Ignotum est etiam præsidiariis militibus. combusserunt demum universum. Proh miseranda strages! quid miseri meruerant insontes? Ut malum malo addatur, Urbinas ejectus Montembrochium, & ipsum valde munitum Juris Pontificii municipium adit, quatit, expugnat, dat in prædam. municipales ad unum trucidavit, in vindictam Mondolfi comburit. Proh dolor! fœminis & ipse, præsidiariisque militibus pepercit. prodierunt nunquam in auxilium Papales. Ad Montem Imperialem sic appellatum, ob palatium ibi structum, Imperatore dignum, se recepit Papalis exercitus. Est is Mons Pisauri viridarium, vinetis & fructetis omnifariam, hortisque recentibus fultus, omnem amœnitatem superans. Fama est ejectum ilico Papalium vestigia secuturum. quæ succedent, habebitis. Valete. Madriti. nonis Julii, M D XVII.

EPIST. DXC.

Paratur adventus Regis. quem Aragones & Lalecani nolunt Regem *appellare. de Magno Cancellario. de damnis illatis, ab Urbinate. tributum exigitur à Perusinis. Hispanorum audacia. de inertia Papalium.*

P. M. A. M. Marchionibus.

A Belgis habemus literas. nostri jam Regis Caroli avo Cæsari data est fides de adventu. Naves conducuntur de recenti. Magnum Regis Cancellarium ajunt esse paratum ad iter terrestre, ut præeat. qualis ille sit,

sit, quando venerit, scrutabimur. avarum & sui amantem commodi fama præcedens refert. Scribitur Aragones & Laletanos, dicitis *Catalanes*, nuncios misisse salutatum Regem, sed non ut Regem. recusant *Regem* appellare, donec in eorum conventibus præsens per publica suffragia recipiatur censeaturque, an Regem liceat, matre vivente, nominare. Nullis Regis mandatis auscultant. literas regias si quæ mittantur, servant clausas. Statuta patria inquiunt servatum iri debere, obtemperaturos, quando in Regem fuerit admissus, aliter minime. Ad Urbinatia fulgura in Summum Pontificem jaculata petulanter, donec dissolvantur, revertamur. Dixi paucis ante diebus Papalem exercitum cum duce suo Laurentio jam valido, montem Imperialem Pisauro imminentem occupasse, secutus est Urbinas ejectus. In Ginistreto à Pisauro millia distanti sex tantum, sistit. Papales per Hispanos centuriones incursionibus fatigat. Ex insperato una noctium Papales præstites in stationibus sub monte Imperiali adoriuntur Hispani. In Germanorum & una Hispanorum custodias incidunt, trucidarunt ad unum utrosque, vastatis quibusque obviis, abductisque viris pluribus in servitutem ex itinere, Ginestretum redierunt incolumes, paucis è suis desideratis. Erant in exercitu Papali quater mille Vascones, hi videntes Papalium ducum inertiam, & illorum male fortunatos eventus, quodque audirent pinguibus prædiis ditescere milites, qui Urbinatem ejectum sequebantur, electo Urbinate relicto, ad Urbinatem ejectum seducti transfugerunt, tormentaria vasa surripiunt duo. Aucto exercitu, ejectus Pisauri relinquit electum. Ne segnes effecti milites torpescant, certareque desuescant, Etruriam versus movit exercitum. it Perusium. ab urbe tanta castrametatur ad milliaria duo. compositis ordinibus & vexillis protentis Perusium lustrat, Feciales mittit, agri & villarum stragem minatur, ni dicto pareant. commeatus & pecunias petit. Commeatus & pecuniarum ingentem summam præbuit infelix Perusina civitas, quo se redimeret à latronum furore. A decurione Hispano, nomine *Maldonato* dicitur repertas fuisse literas in castris ad Pontificem, quibus Hispanorum secessum ab Urbinate ejecto polliceri videbatur. Datus fuit reliquis Hispanis cum sex aliis facti participibus, ut mulctarentur. publico illos spectaculo hastis longis infixerunt, hic sistit opus. Vos valete. XIV. Calendas Augusti Madriti, MDXVII.

EPIST. DXCI.

De vindicta Villafradæ justitiæ ministri susceperunt ignominiam. de præsidente Valledoletano. Regina Portugaliæ obiit. octo natos reliquit.

P. M. A. M. Ad Marlianum.

QUanti constet, Leonem Pontificem Summum spoliasse Urbino & Urbis præfectura Franciscum Mariam Roboretum, Julii nepotem, elegisseque in Ducem ex fratre nepotem Laurentium Medices, non autem Ecclesiæ status illos reddidisse prædecessoris exemplo, aliunde quærite. De his quæ apud nos accidunt, est mihi cura tibi significare. De contemtu Comitis Urveniæ, erga Senatum Valledoletanum regium, super Villa Guterro Quixade per Senatorum sententias nomine *Villardefrades*, ut missos executores male tractaverint, intellexisti; bene autem est. sed audi rem novam. Jacobum Villaescusam concionatorem egregium, Episcopum Malacitanum, hujus Valloletani Senatus Principem, optime nosti. Plures enim annos egit apud vos cum Regina Joanna. quam eruditus, quamque modestus sit, ac penitus ab omni strepitu Martiali alienus, calles ad unguem. Mutatus ab illo est in immensum, tempori se accommodavit. ulturus regium id dedecus, & vim illatam Justitiæ ministris, prætorias cohortes, reliquos etiam quoquomodo stipendia merentes regia jussit acciri. Coactis militaribus præsidiis ipse ipse medius, equo vectus sonipede armatus iter cepisset, præeuntibus tubarum bellicarum clangoribus, & protentis vexillis villam diruturus & sale saturus ut proditricem, nisi Comestabilis restitisset. Villæ inerant eam defensuri Comitis ipsius Urveniæ filius Don Rodericus secundo genitus & gener Don Beltranus à Cueva, Albucherchi Ducatus hæres, plærique etiam nobiles alii idem quod Don Rodericus discrimen exspectaturi. Cucurrit ad ebullientes juvenes magnus Comestabilis eorum propinquus. Juvenes temeritatis accusat, provinciam deserant susceptam monet, fiat Senatui regio administrandæ Justitiæ copia, consulit. Parent veterani principis rerum experientia sapientis dicto. juvenes eduxit sine vi armorum, sine ullo bellico ulterius strepitu. tuus Malacitanus antistes arma sumpta deposuit, ad abollam & Episcopalem togam rediit. Villa succensa est, non tamen est universa combusta. ad aliorum exemplum satisfactum est. pacata sunt omnia. tuto jam venire potestis & debetis, erigere cristas posthac nullus audebit, Portugaliæ

Portugaliæ Reginam Donnam Mariam nostri Regis materteram scito esse vita functam; bene filiatum reliquit maritum. quatuor illi mares peperit filios, fœmellas totidem. Vale, & venite. Madriti. XII. Calendas Augusti, MDXVII.

Epist. DXCII.

Dux Urbinas effrenis in Papam. Hesa civitas it in prædam. Urbinas ejectus auscultat nuncios.

P. M. A. M. Marchionibus.

AD somnia non somnia reduco arundinem. Solutis habenis Urbinas ejectus, tanquam effrenis equus, omnia calcat & conterit. Quom in agro Perusino castrametaretur, sensit suos hostes Urbinum versus velle divertere. Tributo à Perusinis accepto, carpit ipse Anchonem versus iter, misso Urbinum commodo præsidio, dat in prædam civitatem Hesam, quæ cum Anchoni de pari certabat, immo & jam velle caput extollere in illam videbatur. Anchonitanum minatur se velle depopulari agrum, & quicquid in eo est villarum; Anchonem deinde ipsam nisi quæcunque petierit illico præbuerint. militaria petit omnifaria tela, scopetas, scorpiones, hastas longas & commeatus gratuito; nil defuit, omnia emisit misera civitas. Ita furentis mustelæ, quæ Leonem habet naribus deprehensum, venenatos evasit genuinos. Ariminum dehinc proficiscitur. Arimini suburbium Helvetii tenebant mille quingenti, ut relatum est. Noctu per Hispanos, omnes trucidati, aut capti fuerunt, licet suburbium illud esset validis mœnibus circumseptum. Fœdericus Gonzaga Bocanensis pro Urbinate dux ejus exercitus, scopetario globo in ea percussus expugnatione. Fama vagatur, quod jam Urbinas ejectus aures aperiat Pontificiis nunciis. Ægidium Viterbiensem, Augustinæ professionis concionatorem, Cardinalem, in ea provincia legatum, audivisse dicitur ejectus in Ariminensi agro. Hinc Hispani diffidere cœperunt. Audiunt & ipsi nuncios à Rege suo missos, hortantes ne contra Pontificem bellum gerant. nil est conclusum. cito mutabuntur hæc nubila. Ex Flandria fertur nutritium de Xebres, & magnum Cancellarium duras Pacis conditiones, quo tuto Rex venire queat, annuisse. Primo ut anniculæ infanti Galli Regis filiæ nubat, Rex noster uxorio certamini jam maturus, quo sero sobolem procreet. ut centum millia ducatorum tributum pendat pro Regno Neapolitano. ut Angiovinos æternos nostrorum Regum hostes in Regnum Rex noster admittat, statibus eorum restitutis ad unum. Super Navarræ petitione responsum est, ut ab illo Rege spoliato veniant in Castellam Oratores. satisfiet illis pro viribus, impræsentiarum nequire quicquam promittere Regem absentem, vivente matre præsertim. sic vivitur. postrant Hispani passim Gallos, & ut victi tributa pendent. quid hoc rei sit, non intelligo. Puto non potuisse aliter fieri, quandoquidem ita factum est. Hæc sero scribo, licet jam diu hæc allata sint. ex Curia delatum est. Valete. Madriti. X. Calendas Augusti, MDXVII.

Epist. DXCIII.

De strage Hollandiæ. de artibus Galli contra Regem. de Siciliæ generalibus motibus.

P. M. A. M. Marchionibus.

SPes est de adventu Regis. in insula est Gelandia, & oppido Medialburecho. nil exspectat præterquam ventorum flatus aptos. Infelix est illi allatum paucis ante diebus nuncium. Olandia est alia in Oceano dives insula, à qua telæ subtiles candidæ, *Olandæ* vocantur. munitis oppidis & pulcherrimis villis fulta est. Ejus partem & majorem ac meliorem in prædam dederunt. soluti quidam milites ad numerum quinque millium, Duce, ut ajunt, Geldriæ, ea est Sicambria, Tyranno. Data opera dimissos à Gallo Rege inquiunt. Putat his commentis & astubus Regis nostri adventum deturbare Gallus. Vires collecturum Regem nostrum pacata Hispania, quibus illatas tot injurias in ejus Austriæ familiam ulcisci queat aliquando, suspicantur Galli. propterea proscindere illius adventum totis viribus innitentur. ad fortunæ petulantiam facies vertenda est. Quod pacifice Siciliæ Regnum hactenus Hispani Reges possederint, cognovistis. Nescio quid fuerit per famam incertam delatum. Nunc audite quid rei sit. Catholico Rege vita functo, Panormus civitas fere Regni caput jugum excussit. Don Ugum Moncadam Proregem potestate regia exsequendi justitiam spoliant. qui saniore vigent consilio, aliter sentiunt. nil immutandum esse perhibent, donec à Carolo jam Rege novæ literæ veniant. nil profuit. excitarunt Proceres populum ad seditionem, ne Ugoni pareatur, contendunt. In urbe Termino conveniunt Regni gubernationi ipsi provisuri, Marchiones Iraquii & Legodiæ, ut vulgaribus utar vocabulis, Comites Golisani & Cameratæ, barones cum his Petrepreciæ, Chinninæ, Castelli Vitrani,

ni, alii quoque, ex seipsis gubernatores creant. Ugonem ejiciunt, ad Messanenses nuncios mittunt, ut suo consilio inhæreant, suadere nituntur. Renuerunt Messanenses. Ugonem invitant, illi parituri uti Proregi, haudquaquam posse à Magistratu abdicari nisi à Rege, cuja interest, erigere tollereque Magistratus arguunt. Irati Proceres Messanensibus Ugonis fautoribus commeatus intercludunt. fame laborant Messanenses ob eam causam. hæc habemus impræsentiarum. hæc habetote, ac valete. Madriti. III. non. Septembris, MDXVII.

Epist. DXCIV.

De Ugone & Senatu Inquisitionis interficiendis populari tumultu. quomodo evaserint utrique. crudelia omnia. de moribus Xeuris. Vaticinium autoris.

P. M. A. M. Marchionibus.

Particularius habemus res tumultuarias Siculorum. Uno habitu famæ non prodeunt rerum novarum puncti graves omnes. Crudelius audistis nunquam facinus. Castellum in quo Senatus sacræ Hæreseos Inquisitionis jus dicebat, populi furor aggressus est, oppugnare illud cœperunt, trucidare judices intendunt, Potentum bonorum auxilio fuit opus. vix è populi sævientis manibus illos potuerunt eripere, in tutum eos abduxerunt. Ast aliud majus, quando in Ugonem statuerunt insurgere, cum tormentis ejus domum adierunt, oppugnarunt, jam excussis muris aditus patebant. jam Ugoni proclamabant interitum: *Moriatur Ugo, Ugo moriatur*, sublatis vocibus æthera rumpentes vociferabant. Cessisset ad eorum votum nisi domum Ugo in litore, litorique proximam stantem in anchoris navim propriam habuisset. Ad navim se recepit per posticum, ita crudelem populi furentis cogitatum evasit. Mellachum primum concessit; inde Mesanam, uti diximus, se contulit. Dum hæc agerentur, à Rege Carolo literæ deferuntur, ut pacati vivant, Panormitanis jubet. A se Ugonem Moncadam ad Regni regimen electum scribit. Dum literæ in Senatu leverentur, vox elata est rabida procacis populi dicentis: *Vivat Regina Ioanna, vivat Princeps Carolus, sed Ugo Moncada moriatur.* Non his contentus insanus populus, sed, creditur insufflantibus à tergo Proceribus aliquibus, Prætorium adit, Senatum universum, jam ut Regni rebus provideret, coactum trucidat. nemini parcit, fit strages inaudita. Proh truculentum facinus! senatum integrum fuisse à seditioso populo interfectum, legi nunquam. Sic vivitur in Fortunæ gremio. In Regno etiam Neapolitano turbulæ quædam erant excitatæ. Don Ramonus à Cardona, illius Regni Prorex, longa rerum experientia prudens illas sedavit. Sed abscindere illi fimbriam Regis nutritius dominus *de Xevres* Gallice, Latine *Capra*, in benefactorum præmium studuit. Triremium quibus Ramonus Prorex diu præfuit ad tutelam Regni destinatarum, sibi petiit Caper imperium, quo absens illarum stipendiis frueretur. Renuit Prorex illas velle relinquere, nisi prius impensæ debitæ solvantur. erat summa ingens, propterea destitit à postulato bonus vir, liquidioribus intendit. Ajunt esse avarum, sibique magis natum, & suæ quam Regis utilitati. Væ nobis, si vel ita est, vel si ab hujusmodi hominibus se Rex gubernari patiatur. Juvenis est, nescimus qua sit temonem directurus; tempus loquetur. Vos valete. Madriti. III. Idus Septembris, MDXVII.

Epist. DXCV.

Prorex Ugo ad Hispanos Urbinates. Deserunt Urbinatem Hispani, sed jure. quia promissis steterant.

P. M. A. M. Marchionibus.

Ad procacis Fortunæ petulantiam regrediamur parumper. Videns Leo maximus nequire se vi ulla catellum à sua excutere cervice, aut mustelam à naribus disjicere, artibus jam innititur. Ugonem illum Moncadam Siciliæ Proregem fama est, ex Messana trajecisse fretum, ivisseque ad Hispanos ejecto Urbinati faventes. Credimus rogatu Pontificis, ex nostri Regis mandato. Seduxit illos Ugo. ut in Regnum Neapolitanum concedant, imperatum est. Ajunt & Hieronymum Vichum oratorem nostrum partem habere in hac seductione, qui & ipse fuerit primarios Hispanorum præfectos allocutus secreto. Parent imperio regio Hispani. Nil esse cur jure debeat ejectus eos taxare duabus rationibus probant. Pactis inesse ajunt, ne ab illo discedant, donec in Urbini statu reducatur. reductum esse; ergo solutos à jurejurando, seque liberos esse dicunt: proposuisse præterea illos, quando conveniebant, exceptionem à sui Regis imperio, cui nesciunt Hispani non obtemperare; se à suo Rege invitari ad tuendum regnum Neapolitanum, ergo non debere corripi. Est aliud tertium, quod in faciem ejecti projiciunt: *Audisti tu*, inquiunt, *à Pontifice legatum & nuncios præterea, scimusque, te cum Pontifice agere nobis insciis de Pace; nec à conquestu aut perfidiæ appellatione desinis? si*

quid est inter nos errati, multo majus est crimen tuum, quam Hispanorum, quibus non licet à sui Regis mandato referre pedem, quique promissis steterunt ad unguem. Utcunque sit, Hispanis abeuntibus, cum Pontifice jam pacifcitur ejectus. Eunt redeuntque medii frequentes negociatores, à Christianissimo & Catholico nostro Regibus. horum auctoritas Regum commendabilem reddet Pontifici ejectum. conclusum est nihil. quando fuerit; habebitis. Valete. pridie Idus Septembris, MDXVII.

EPIST. DXCVI.

De conventu Cleri contra decimam postulatam. Cardinales XXXI. *creati. Vendit galeros Papa. Franciscani Rhodii degenerant in proditores.*

P. M. A. M. Marchionibus.

INtelligere cupitis, quid sibi velit universus Hispaniæ clerus in hoc oppido coactus. Ab Urbe scriptum est, Pontificem sub prætextu adventus Turcarum, decimam beneficialium omnium reddituum velle ab Hispanis petere. Ad rei tantæ objicem convenerunt. Affui huic Synodo & ego, quia Prior sum Metropolitanæ Granatensis, electus à Capitulo. Statutum est, ut supplicetur. Si Pontifex institerit, parere renuemus. quia nescitur legitimam esse causam ad exactionem adeo novam, nusquam in Hispania auditam hactenus. tam inusitato jugo pessundari est grave, quia præcipue sit per generalia sancitum Concilia, *ne quis Pontifex decimam ullam exigere conetur, nisi forte senserit alienæ Legis potentem aliquem in Christianorum terras prius irruisse.* sic statur. Cardinalis hic noster gubernator laudat propositum nostrum. se nobis fauturum pollicetur. patravit & aliud larga manu Pontifex generosum facinus. Unum & triginta Cardinales simul mense Junio creavit, contra veterum Cardinalium consilium. Labra mordent omnes præ rabie. ut pecunias cogat factum creditur. Vilescit jam gradus ille purpuratus. Cardinalem S. Georgii veteranum centum quinquaginta millium ducatorum summa mulctavit Pontifex, causam à præbendo per Chirurgum veneno captans, quia conticuisse scitum consilium dicatur. Reliqui Cardinales consilii participes, irati Leonis ungulas formidantes, pedibus sibi consuluerunt. Fertur & aliud horridum auditu. Intra Rhodon est Franciscanorum fratrum cœnobium mœnibus inhærens, cuniculos ajunt fuisse repertos, per quos Turcarum copiis daretur aditus in urbem. Cogitati sceleris autores pœnas dederunt. periculo provisum est, cum paucorum supplicio. hæc feruntur, hæc damus. Valete. Madriti. Idibus Septembris, MDXVII.

EPIST. DXCVII.

Rex in mari. Cardinalis gubernator & Senatus Arandæ exspectabunt.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarius ex Flandria, literas affert à Rege in hunc sensum. Septimo Septembris die navim sum ingressus. Mea classis vela fecit. Deum orate, ut fauste feliciterque succedat. Non desunt qui credant nutritoribus & intimis consultoribus invitis, qui massam ad sui libitum pinsebant. Vereri ajunt illos ne Regem oporteat aliter gubernari, aliisque artibus quam ab eis fuerit educatus. gubernator hic noster movet in veterem Castellam. Ego Matriti resto valetudinarius. sequar ubi per salutem dabitur. In Galleciæ portibus arbitramur descensurum Regem, uti Philippo ejus genitori accidit. Arandam Dorianam celebre oppidum, uti nostis, & rerum victui necessariarum abundans, tenebunt interea gubernator & Senatus Regius. In Flandriam vocavit Rex è Proceribus Siculis Regni seductoribus in Ugonem Proregem quosdam, secum advehit in Hispaniam, donec Siculæ sedentur seditiones. Ad eos tumultus pacandos Diecus Aquila, quondam apud Maximilianum juvenem Mediolani Ducem Orator, missus est. Prudens est & literarum non ignarus, successus sunt incerti. Valete. Madriti. VI. Calendas Octobris, MDXVII.

EPIST. DXCVIII.

Cardinalis gubernator ægrotat graviter. Regem optat.

P. M. A. M. Marchionibus.

CArdinalis gubernator Matriti febribus ægrotaverat. convaluerat. nunc recidivavit. Est natus & enutritus in horum montium Segovianorum latere meridionali aprico. Septentrionalis alterius lateris aër illum perturbavit non leviter. Breves fore dies illius, Medici autumant. est octogenario major. ipse Regis adventum affectu avidissimo desiderare videtur. Sentit sine Rege non rite posse corda Hispanorum moderari ac regi. sub regio nomine sperat multa perficere, quæ nunc supprimit. quæ sancita sunt in divina Providentia, illa evenient. Ego febribus laboro Madriti, neque per eas licuit Curiam sequi, si Cu-

si Curiam sine Rege possumus appellare. permansit & Regina vidua novercalis Regis avia. Ad illam scribuntur universi successus. inde nos illos elicimus. paroxysmum, ut medico utar vocabulo, exspecto. propterea manu aliena epistolam accipite, his paucis contenti. Madriti. XIV. Calendas Octobris, MDXVII.

EPIST. DXCIX.

Quo sit appulsus Rex. de Regis & sororis constanti pectore in tempestate.

P. M. A. M. Marchionibus.

REgem habemus. Leonoram sororem natu majorem secum advehit. Ambos ferunt magno fuisse animo imperterritoque in ferendis concutientibus & fere invertentibus navim, qua vehebantur, fluctibus: tempestatem namque perpessi sunt gravissimam. reliquos nautas & familiares omnes evomuisse ad viscera usque ajunt: ipsos autem stomachos indemnes servasse. Validæ naturæ argumentum. Unda rapax navem regiam impulit quo noluissent. Ad montes Asturum horridos, hujus mensis die XIX. stationem præhendit non bene tutam, classe dispersa, *Tazones* vulgo locus dicitur. vicinum Gigionis portum nautæ, illorum litorum gnari, optabant: non licuit per adversantes ventos. *Villaviciosam* nomine oppidum petivit Rex. ibi Regem reliquit incolumem cursor. Laude hic dignum facinus evenit. videntes ad eorum litora insuetam classem adventare, Gallicam arbitrati hostilem astutiam, properanter arma capiunt, fœminas puerosque ac senescentes cum supellectilibus ad montana detrudendo in tutum miserunt. Quotquot erant armis apti capiendis, tela omnifariam, grandia scuta, galeas acutas, patrio more raptim sibi accingunt. Colles mari imminentes occupant, conveniunt animis parati ad repulsam. O pulchrum spectaculum! E regia navi proclamatum est: *Hispania*, *Hispania. Rex noster Catholicus*, *Rex noster.* Audito symbolo, scuta, lanceas, hastas longas, missilia, ensesque demptis etiam galeis, & quicquid telorum attulerant, in terram tanquam res male sumptas projiciunt, superque genua flectunt, ac tollunt voces ad sidera præ gaudio. Regiam navim, visis Hispanis vexillis, proni adorant, litus inermes implent. Regem qua decuit reverentia salutant, familias & facultates è montibus reducunt. in oppidum læti Regem suscipiunt. Nunc satis. Valete. Madriti. XI. Calendas Octobris, MDXVII.

EPIST. DC.

Petrus Nunius & Episcopus Asturicensis pellitur è Curia.

P. M. A. M. Marchionibus.

NOvam & incogitatam audite rem. Ubi primum Cursor accessit regius, Cardinalis gubernator Arandæ oppidi portas claudit, prætoriam cohortem, quæ Infantem Regis fratrem comitatur, & noningentos suæ custodiæ, duce Spinosa claudo, milites jubet esse præsto in armis: quid rei sit, mirantur omnes. Prodit in lucem gravidi montis fœtus ilico. Petrum Nunium Infantis custodem nutritorem à cunabulis, à Catholica Regina Elisabetha ad id ministerium electum, Calatravæ religionis Commendatarium majorem, & Episcopum Asturicensem ipsius Infantis bonarum artium præceptorem, genere nobili ambos, uti nostis, è Curia jubet ex mandato Regis exire. Populi Curialis seditionem, si forte recusassent, veritus est: sunt enim & amicis & redditibus potentes ambo: propterea vi agendum esse duxit, si vim tentassent. Eant quocunque velint, edicitur, ut his quæ assecuti sunt, fortunæ bonis jam tranquillo fruantur. paruerunt, libenti an invito animo, vos judicate. abstulerunt & omnes amborum affines ab Infantis latere, quos ambo locarant in Infantis familiam. Coætaneum puerum Altemiræ Comitem Episcopi nepotem, fuit Infanti durissimum amittere, non sine fletu discedentem inspexit. est is miræ indolis puer, corpore agillimus, ingenio ad quamcunque rem spectantibus gratam eleganti & prono. cum illo erant Infantis exercitia universa gratiora, sive pertractandis armis, sive seriis, sive jocosis ludis intenderetur, ad literarum studia suis temporibus divertebant invicem, Comitis patruo Episcopo dirigente, amborum eruditore. Repentina mutatione hac, universa Curia dicitur esse attonita. causa latet adhuc. quando patebit, intelligetis. nunc valete. Madriti. VII. Calendas Octobris, MDXVII.

EPIST. DCI.

De annalibus Asturum. Casus tristis de nave Regis exusta. Comestabilis munificentia.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Rege frequentes incursitant nuncii, per horridos montes Asturum. cum summa equorum & jumentorum penuria,

Renosam de Campo, ut vulgo loquar, petiit. magnam quoque passi sunt egestatem. terra namque illa propriis incolis est frugibus & reliquis victui necessariis satis abundans, peregrinis minime, quia remotus ille secessus inaccessarum rupium raro solet hospites cognoscere. Annales construxerunt Astures ad nepotes transferendos, quod ad eos primum Rex fuerit appulsus, beatæ rei loco acceperunt omen. Sancti Vicentii municipium Rex tenet. equos mulasque, quibus queat familiam educere ab arduis illis Pyrenæorum jugis, exspectat. desunt & oneraria jumenta pro asportandis supellectilibus. neque enim est montanis illis de nutriendis equis aut mulabus cura. Casus præterea, proh dolor! accidit Regi horrendus. vix tempero à lachrymis. In omnium conspectu ex regia classe unam è primariis navibus in alto pelago ignis consumpsit, qua centum amplius inerant regii familiares ac plures nobiles, equorum stabula in ea vehebantur. Nil servatum est. Magnus Castellæ Comestabilis sese magnum esse ostendit. Commeatibus itinera omnia, qua Rex venturus est, munivit. Cum septingentis ipse familiaribus, equitibus & propinquis Regem ivit salutatum, rediitque ilico propositis oblationibus observantiæ, ne hospitia impediret, quæ pauca & humilia sunt, uti solet accidere in locis hujusmodi, neve annonam ad regios allatam absumeret; vetitum est, ne Procerum quisquam Regem adeat, donec ab illis montibus explicet se. Valete. ex Aranda, quo me contuli pridie Calendas Octobris, MDXVII.

EPIST. DCII.

Male succedit in Africa. Ænobarbus Tremessenium debellavit Regem.

P. M. A. M. Marchionibus.

INtelligimus ex Africa, cui vos estis viciniores, res nostras male succedere. Turca ille vulgo *Barbaroxa* protendit alas. Tremessenium Regem obsequentem nostrum adortus est. Morabitos, hi sunt Afrorum sacerdotes, seduxit; *non esse parendum Regi, qui Christiano cuiquam subsit*, pulpitariis orationibus Morabiti præconati sunt. *Ænobarbo Mahometicæ Legis conservatori credendum esse*, populis facile persuaserunt. Regem ejecit illorum favore adjutus Ænobarbus. hæc repente allata sunt. cætera quando evenient, habebitis. Ad Regem tendamus vela. Turdesillas ad Reginam matrem, paucis è suismet comitantibus petiit. comitem duxit Leonoram majorem natu sororem. Regina, licet non incolumis; filiorum prospectu delectata est, vestes sumpsit nitidas, quod raro solet, viduitatem sordescere oportere docet: filios gratis donavit muneribus. de Regnis nulla est Reginæ cura. Ruant an coalescant, tantundem est in ejus gremio. Dum ore aperto Cardinalis gubernator Regem ad se venturum exspectaret, in Roa municipio quo venerat ex Aranda propior futurus Regi, est interceptus & omni spe frustratus Regem visendi. Invitus dicitur calicem illum bibisse. Cæsar Augustanus Archiepiscopus Catholici Regis naturalis filius, & Reginæ frater, audita Toletana Antistea vacatura convolavit Turdesillas. jam Castellam erat ingressus. vetitum est, ne ingrediatur oppidum. ut Reginam sororem videre, ut Regem nepotem salutare liceat, instanter petit. Negantur omnia. ut se jungat cæteris Proceribus, illi edicitur. repetitur idem. Ex ante-muralibus Turdesillanis dimittitur despumans. Adverse actum immurmuratur: inurbane atque impudenter fuisse id Regi consultum per omnium ora pervagatur. Sed durius aliud contra Regni Leges & consuetudinem emergit, quod forte aliquando turbulas excitabit. Nutritorem dominum de Xebres ajunt Regi Toletanum Archiepiscopatum petiisse puero cuidam nepoti suo Cameracensi jam Episcopo præbendum, Regemque illius postulatis annuisse. Nemini hæc rerum initia placent, quid successurum sit ex his seminibus, tempus dicet. ajunt, Proceres quosdam autores fuisse, Regique suasisse, ut alienigenæ illam præberet potentiam, ne aliquando, uti assolet, in regiam insolescat coronam indigena. ex invidia putandum est, ne forte ad aliquem eorum non amicum deveniret, si ab alienigenæ manibus tanta moles evaderet. ecce jam apertum aditum, quo innumeræ distrahentur ab his Regnis pecuniæ. avarum namque esse ajunt homines hunc regiæ navis temonem. Deus bene vertat. ex Valleoleto quo Rex cito venturus est. IV. Idus Novembris, MDXVII.

EPIST. DCIII.

De Regis adventu. de Aragonum constantia.

P. M. A. M. Marchionibus.

UNo contextu multa capite. Novembris dies decimus octavus Regem dedit huic municipio egregio, qualem decuit regalem pompam tale oppidum parare, diligenter, eleganter & copiose paravit, triumphales arcus & currus triumphales construxit, ager tamen extra mœnia fultus, & viæ omnes intra, populi

populi cuneati concursu erant pressæ: in sextum inde diem Adriano fuit oratori allatus purpureus galerus. Adstante Rege bonisque omnibus præbitus illi fuit, & solennibus conviviis dies ille consumptus. Pontifex est Viterbii ab Urbe milliaria viginti. Fugit à molestiis negociorum, gaudet venatu & vocali Musica. Habemus à Venetis Oratorem à quo intelligemus quæ in Orientis oris evenient. Illustris enim illa Resp. suos monet Oratores de successibus rerum, quo queant eas Regibus, apud quos illos habent, significare. *Franciscus Cornelius* is appellatur vir nobilis; neque enim è populo quenquam Veneti ad ullum honorem admittunt. De Urbinate ejecto dicitur esse conclusum cum Pontifice, ut relictis statibus iterum eat in exilium. particularius alias habebitis de hac turbula tonante. Ab Aragonicis Oratores adsunt. Carolum tanquam Principem, non autem Regem salutarunt. Eat ad se, hortantur & orant: *Non licere illum appellare Regem, nisi prius in Regno se illorum privilegia servaturum juraverit.* Sic vivitur. Castella potens subdit colla jugo nil hæsitans: tenuia illa Regna dicere audent, *nolle se Regem admittere sine strictis conditionibus.* Hæ sunt artes quibus res humanæ reguntur. Valete. ex Valleoleto. IX. Calendas Decembris, MDXVII.

EPIST. DCIV.

Urbinas denuo redit exul Mantuam. Comparationes admirativa. quid autorem trahat in phrenesin. de Barbaroxa altero catello contra nos.

P. M. A. M. Marchionibus.

INter Fortunæ familiares sunt & satellites, quorum opera utitur ad perturbandas res humanas, quo ridiculas esse aut ærumnis fultas magis appareat. E duobus quos in alea exercet, jam alterum stravit, Urbinatem ejectum dico. Is Pontificis admisit fœdera. pecunias est illi Pontifex impartitus non modicas. it ex composito, Urbinum currus, plaustraque ac oneraria jumenta opibus onusta raptatis, abduxit. Mantuam iterum exilii sedem statibus relictis, concessit. Ibi ociaturus, donec novi consurgant venti aliqui, hujusmodi scintillarum ad tempus sopitarum, excitatores. Sperat aliquando repetere, quod nunc deserit, insufflante à tergo potentiore aliquo Principe, ut fieri solet ac moris est in rotæ rotantis astubus & consiliis. Cur de tam tenui negocio tam multa scripserim, interrogabitis forte. Magni ego pensi rem hanc esse judico, in qua pygmæus gigantem tanta confecerit molestia, totque ignominiis ingentem cuniculus leonem oneraverit, passerculus aquilam. Ordo fatorum est, latentia Dei judicia sunt, quæ me in has trahunt phreneses, non res ipsa. excussit tandem è collo, cervicem illi dilacerantem catellum leo maximus, ad rabiem præ animi dolore perductus; quis hæc non mirabitur? Satelles alius Ænobarbus à pyraticis ad terrestres turbas conversus, Mauris Tremessenis fallacias extruxit egregias. ejecti Regis nepos à patruo sub fida custodia ob Regni zelotypiam servabatur carceribus. per Morabitos populo persuasit Ænobarbus, ut vinctum solverent & Regem crearent, quandoquidem sit Mahometicæ Legis observator; se nihil aliud cupere, nisi ut Regi pareant, qui à Christianis abhorreat, neque Regi Christiano sit obnoxius. figmentis crediderunt. Solutum juvenem ilico Ænobarbus peremit, & se Regem nominat Tremesenium. hi sunt ludi, hæ nugæ. Valete. ex Valleoleto. IV. Calendas Decembris, MDXVII.

EPIST. DCV.

De Selimsachi habitudine, de animo & verbis. Coguntur milites in Ænobarbum. Gallus orator petit Navarram. quam audacter Aragones negarunt mandata Regis.

P. M. A. M. Marchionibus.

CUpitis de Selimsacho Turcarum Principe frequentes narrationes, & qualis ejus habitudo corporis sit, intelligere. Accipite primum quod posterius petistis. Venetus Orator hæc habet ab illustrissimo Senatu suo. Pusillo est corpore, suffuscus, nec alioquin formosus. Sedentem ajunt aut equitantem sat commodi esse adspectus, monstro autem similem si stet pedibus; ventrosus est, brevissimusque cruribus. cælo dicunt illum sub tentoriis magis quam sub tecto gaudere. Rei bellicæ deditos summis afficit honoribus. Historiarum perpetua lectione delectatur. Alexandro invidet, quod brevi tempore subegisse orbem cum parva manu militum dicatur. cum duobus enim & triginta solum peditum millibus, equitibus autem quatuor millibus ex Macedonia movit in Persarum Regem potentissimum. Se autem cum multiplicatis viribus, nisi propediem quod orbis superest, subegerit, erubescere. Væ igitur Christianis omnibus, nisi conveniatur ilico. Hebetant vires suas, se invicem dilacerant. Quando prementur, bellantes succumbent.

utinam evadam mendax! cum hoc suspirio annum claudo decimum septimum à quingentesimo & millesimo. Quæ octavus decimus pariet, habebitis. Restat adhuc pusillum. Audite: describuntur milites, qui transfretent in Africam, in *Barbarubram*, ut Latine loquar, qui quales, quantique ac quot sint futuri, nondum scimus. Ex Gallia orator accessit. Eques est auratus nobilis, dominus dicitur *de la Roche*. Navarram vellent Galli: ut Nebritensibus Joannis Regis ejecti filiis restituatur, petunt. Sero aut saltem ægerrime patientur Castellani Pyrenæorum angustias abalienari & Gallo sanguini præberi. est enim, uti nostis, citra Pyrenæos in Hispania Regnum illud, magni quippe momenti ob locorum situm, licet exiguum. Aragones à Rege requisiti ut conventus Regni cogant, responderunt, *nil debere illius imperio agere, quia non sit Rex, sed Princeps tantum heres.* Eat juretque Legum Regni observantiam prius: dehinc in Regem erigetur, si matre vivente fas est Regem dici; per suum interea Justitiæ præfectum convocari oportere ajunt Regnicolarum curias. Hæc volitant per confusum aërem, hæc habetote. ex Valleoleto. III. Calendas Januarii, M D XVII.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

Epist. DCVI.

De apparatibus Turcarum in Vallona. De Gallo, Cæsare, Anglo, Ungaro & Portugallo ad resistendum. Decima negatur Papa. De Cardinale Ximenez. de Licentiato Vargas thesaurario. de copiis in Barbarossam.

P. M. A. M. Marchionibus.



AB Urbe scribitur, Pontificem cum suis purpuratis collegis tremere. distant ab Apuliæ littoribus, parvo freto intersecante, sinu scilicet Adriatico, Epirus & Dalmatia. E regione Idrontis, dicitur vulgo *Otrontum*, Turcarum receptus est, dictus *Vallona*. Ad Idrontis fora & nundinas trajectu brevi Vallonenses transvehunt commerciatum. Quæ igitur per universam agitentur Græciam facile intelligitur. In Vallona, inquiunt, magnos bellicos apparatus & tormentorum & commeatuum coacervari. publicis per omnes regiones edictis denunciatum esse ajunt, ne quis audeat alio commeatus ullos vehere, præterquam in Vallonam. Gallorum Rex ad eam se expeditionem, si oportuerit, iturum cum universa Gallica potentia Pontifici pollicetur. pacti & sunt idem Cæsar, Anglus & Pannoniarum Reges, nec Portugallicus tergiversatur. Rex noster à Pontifice per frequentes literas, perque varios nuncios monetur, ne obdormiat. Neapolitanum Regnum esse in tanti lupi faucibus meminerit, sese apparet, hortatur. Decimam ab Hispanis initiatis exigendam assentitur Pontifex. Convenit negaturus clerus Hispanus omnis, seipsos suaque omnia expositurus conferunt, quando necessitas ingruerit, impræsentiarum minime, quia non ea sentiant esse vera, quæ Papa promulgat. occasiones esse quæsitas, non præbitas, quibus sub justi nomine pecunias extorqueat. Hæc de Clero: de secularibus autem hæc habeto. Ab urbibus & municipiis habentibus in Curiis & Regnorum conventibus suffragia, procuratores à Rege vocati veniunt. quæ statuentur, habebitis. parata sunt in Barbarubram trajectura millia peditum octo, cataphracti sexcenti, velites levis armaturæ quadringenti. Audite quæ nascantur vepres in vestris segetibus. bonus ille frater Ximenez Cardinalis gubernator thesauros ad *V. Belgas* transmittendos coacervavit. Licentiatus Vargas thesaurarius vobis notus ad afferendas quascunque pecunias ab illo congestas Complutum (ea *Alcala*) missus est. Glacialis Oceani accolæ ditabuntur, vestra expilabitur Castella. Nil Rege liberalius, nil ejus comitibus consultoribus rapacius. Deus bene vertat. Valete. ex Valleoleto. pridie nonas Februarii, MDXVIII.

Epist. DCVII.

Rex Turcarum potentior effectus insolescit. novum Soldanum & sectatores mactat more carnificis.

P. M. A. M. Marchionibus.

CAstellæ procuratores accesserunt. die quinto Februarii primum in cœnobio fratrum Dominicorum S. Pauli, quid fieri debeat, consulturi, convenerunt. Sintne Regem, an solum Principem appellaturi Carolum, jam Regem à longe vocatum vivente matre disputabunt; quæ concludentur, habebitis. Repetitur ab Urbe, Turcarum Principem esse ipsa ferocia ferociorem; insolentemque ac superbissimum effectum, ex Soldanicis Regnis priscæ potentiæ superadditis, Ægypto dico, Syria & Palæstina cum Arabiarum parte. conscientia scelerum agitatur, verentur ejus eruptionem, qua non putatur. Ex præcepto Legis Mahometicæ ajunt non proditurum ad lunam usque Julianam. Secum habet obsides, uxorem & filios ejus Principis Mamallucorum, qui Dominus erat Alepi, magnæ civitatis in Syria, & pugnæ tempore defecit à Soldano cum suis militibus in Soldanum iratus, eo quod fratrem ejus Soldanus jugulasset. hujus Principis transfugæ proditio Victoriam Turcis præbuit. primo enim congressu Mammelucci primas Turcarum frontes perfregerant, victoriaque potiebantur, ni Princeps ille in hostium favorem ab his discessisset. Facinus aliud patravit, priusquam

priusquam regrederetur Constantinopolim Selimsachus Turcarum Princeps, Soldano mortuo, ut jam diximus, ex casu equi: secutus victoriam aptis præsidiis in Syria Damasco relictis, Mamalluccorum reliquias Cairum usque longis itineribus persecutus, certavit ad ejus magnæ urbis muros, & intra urbis vicos quater, cum superstitibus Mamalucchis qui eo confugerant & novum Soldanum creaverant. Vicit tandem Selimsachus, & urbe potitus est dimidia fere illius parte tum diruta tum combusta. est in Ægypto provincia adverso Nilo in ejus ripa nomine *Saëtum*. fugati Mammaluchi ad millia duo paulo amplius, cum novo Soldano in eam se receperunt. data fide, ne quid detrimenti paterentur, illos vocat Selimsachus. veniunt. ad unum obtruncat. Soldanum ipsum per urbis illius vias asino prius vectum, suspendi patibulo jubet. hæ sunt artes Selimsachi Turcæ. quid sperandum sit, judicate. Ex Valleoleto. IV. Idus Februarii, MDXVIII.

EPIST. DCVIII.

Rex creatur in Curiis. de Mota & Don Garsia. Mira laus Regis. de Belgarum desiderio abeundi ex Hispania. student crumenis implendis. Laus Regis denuo. de suis alitur.

P. M. A. M. Marchionibus.

REgem jam reipsa habemus, sicut prius nomine. Octavo hujus mensis die in Regem fuit à procuratoribus erectus, juravit & ipse Castellæ privilegia se servaturum indemnia. discordarunt procuratores aliquandiu, plæraque voluissent à Rege petere, ut puta ne pecuniæ asportarentur ex Regno, ne Magistratus & beneficia darentur exteris, & quædam præterea, sed Hispani duo, magister Mota concionator Pacensis Episcopus, & Don Garsias Padilla Calatravæ commendator Procuratorum cogitata suis circuitionibus tum minis, tum pollicitis, & rhetoricis argumentis confuderunt. Simpliciter & de plano res acta est. Quoad Regem nil est quod possit ultra desiderari. Est à natura omni egregia dote præditus. de his autem, qui ejus inhærent lateri, ab axe gelido advectis, hoc dici potest; ac si apud Superos nati, altique essent, nunc vero in abstrusis & desertis locis aut rupibus horridis vitam agerent, ita cupiunt ad boreales flatus tanquam ad beatos portus, veluti è scopulis infelicibus hinc evadere. Tanta est soli natalis vis. Temperiem fatentur Hispanam. Nec negant quin in patria vivant majorem anni partem, præ concreta glacie miserrimi. Rapiuntur tamen illarum partium desiderio. sed crumenas auro fulcire prius inhiant. huic uni studio invigilant. Nec detrectat juvenis Rex. farcit illos, quacunque posse datur: non satiat tamen. Quæ qualisve sit gens hæc, depingere adhuc nescio. Insufflat vulgus hic in omne genus hominum non arctoum. minores faciunt Hispanos, quam si nati essent inter eorum cloacas. Rugiunt jam Hispani. labra mordent. submurmurant taciti. fatorum vices tales esse conqueruntur, quod ipsi domitores Regnorum ita floccifiant ab his, quorum Deus unicus (sub Rege temperato) Bacchus est cum Citherea. Ita regitur terrarum facies, & quicquid eam perambulat, ut motu ac lumine agitatis elementis, modo imperent aquilonibus austri, modo contra. Annuerunt Regi Procuratores ex Episcopi Pacensis & Garsiæ Padillæ vafris & callidis suasionibus, circiter sexties centena millia ducatorum per annos tres distribuenda. Solebant Reges Catholici, quando id petebant tributum, quadringenta solum petere. novo Regi æquum est aliquid ultra solitum condonasse, modo in ipsius Regis commodum cedant. Jam satis superque. Vos valete. ex Valleoleto. pridie idus Februarii, MDXVIII.

EPIST. DCIX.

De torneamento sanguinario. deque hastiludio Regis. Videre Regem pulchrum fuit. Nondum, *quid.*

P. M. A. M. Marchionibus.

POst exacta ad Regis votum Comitia, quæ *Cortes* dicitis, dimissis procuratoribus Regni, structum fuit à Flandricis Regis familiaribus, more suo Belgico hastiludium paucis admixtis Hispanis, & ipsis nobilibus Regiis elegantibus. Armati prodeunt, in hujus oppidi platea ingenti equites sexaginta, hinc triginta, inde totidem per apertum concurrunt, ac si hostes essent invicem dimicaturi. horrida visu fuit pugna hæc. hastis alterne concussis, ex equorum conflictu major pars cecidit. Illico equi septem interiere. ex militibus nullus periit, aut confractus membra fuit. Sunt illa, quibus teguntur ad id ministerium, arma, arte adeo mira fabricata ac robore tanto ut corpus gestantis ab omni casu tutentur, licet equis lapsi conculcentur. Rex vero ipse diem hujus mensis septimum decimum illustravit hastiludio, sed non atroci, nec in vacuo. metas habuerunt medias, dicit Hispanus *telam*. mitto hastiludentium admissorum (neque enim sine judicum adstantium venia quisquam audebat in stadium prodire) numerum & elegantiam

elegantiam Procerum Regem comitantium, & ornatus, preciosasque vestes omitto, populi multitudinem inauditam, & erecta tabulata, viasque ac plateas regali luxu comptas prætereo. Regem ipsum fuit pulcherrimum videre incursitantem, à planta pedum ad verticem armatum, uti convenit in exercitatione tali, totus albo coopertus prodiit, clypeumque rasum candidum hoc tantum adagio inscriptum attulit, *Nondum*; inferre volens, se nihil adhuc præclarum gessisse. Magno stabulario suo licuit in eum hastam dirigere. quater ad metam cucurrit in adversum, tres perfregit in eum hastas. cum summo populi applausu lancearum fragor excipiebatur. Nemo fuit non admiratus tantum in Rege ex ephebis nondum egresso, animi vigorem. eo namque die octavum decimum nondum attigerat annum. natus enim est hujus mensis die quarta & vigesima anno quingentesimo supra millesimum. mira ejus erat sub armis dexteritas, mirus decor. Signa prodeunt ab eo futuri Regis tot regnorum bene merentis successoris, nisi avarorum aut ambitiosorum beatam ejus indolem prostituent mala consilia. Valete. ex Valleoleto. XI. Calendas Martii, Anno MDXVIII.

EPIST. DCX.

De monstris apud Berdelum in Bergomensi agro visis, ut scribitur.

P. M. A. M. Marchionibus.

NAturæ portenta Fortunæ fabellis immisceamus. De Ravennate monstro ex Urbe ad nos misso, priusquam Gallorum sævitiæ Ravenna succumberet, vidistis suo tempore. Nunc accipite, quæ nuper prelis formata Chalcographorum, & sparsa per universum emerserunt, aut emersisse dicantur. Sunt namque qui fictum fuisse monstrum illud, quamvis illico Ravennæ pernicies fuerit subsecuta; forte & hæc; illa tamen, prout allata sunt, legite. Est in Bergomensi agro in Insubria, quæ vulgo *Lombardia*, nobile vicina sylva oppidulum, nomine *Verdelum*. peditum turmas publico spectaculo Decembri mense visas fuisse plures ad sylvæ limites cataphractorum structis aciebus, & levis armaturæ equitibus intertextis ad numerum ingentem, & gravium leviumque tormentorum copiam non exiguam, suis curribus locatam, ad opus paratam. Ausos propius quam ex distantibus collibus visendi causa procedere, vis quædam flaminis mortuos in terram subito lapsu disjiciebat. ex monticulis igitur prospectantes, per latam planitiem adventantem alterum ex opposito exercitum videbant, aut videre putabant: à tergoque præire cernebantur egregii bellorum duces. nuncii de Pace agentes circumcursitabant inter utrasque. mox lacertum excutere primorem ex advenis, quasi proposita fœdera detrectaret, apparebat, projicere demum in altum manicam ferream in indictæ pugnæ signum. hoc signo dato, tubarum clangores, & excussorum tormentorum tonitrua, fumosaque fulgura vidisse, audivisseque testantur. Concurrere demum acies tanto furore, ut clamores audirentur animos ad pugnam excitantium, & quasi morientium gemitus, ac ferientium telorum fragorem. Itaque dimicatum est, ut nullus ad vesperam toto agro ultra conspiceretur. porcorum posthæc ingens multitudo grunnientium, & ejulatus, uti rabidi canes emittentium dicitur in sylvam irruisse. Altero die populi concursus, pugnæ locum revisens, nil penitus præterquam equorum curruumque vestigia, & orbitas, terramque illam, quam triverant, in minutissimum pulverem redactam reperiisse dicitur. sylvam ingressi, attritam adeo invenerunt, & confractas illius arbores, ac si grandinem horrendam atrox nimbus in illam demisisset. quid sibi velint hæc prodigia, judicate. Verane sint an ad populi cibum commenta, effectus peperisse semper ærumnosos experimento compertum est. Valete. ex Valleoleto. XXIII. Februarii, MDXVIII.

EPIST. DCXI.

De culicibus cum longis tibiis de quibus videntur Hispani vaticinari: de puteis inexhaustis.

P. M. A. M. Ludovico Marliano Episcopo Tudetensi, cujus filii pransuri erant apud Autorem, quem Marlianus *Patrem* semper appellat.

Ituri quo sint nati, Pater ipse rogamus,
Pransurus veniat, vivere si optat avum:
Si nos hoc dono ornaris, signare lapillo,
Hanc lucem statuo candidiore nive.

TEtrastichon extorserunt filii tui, mihi nepotes, si tu mihi filius, uti ludis. Accipe, vah quæ hic fabulentur Hispani quidam Prophetiis dediti, sic vatum omnia dicunt. Ex vestris tenus genu curtis vestibus nescio quid divinant. ex Prophetis ajunt se carpsisse, *quod Hispania tunc seditionibus urgebitur, quando ad eam venient longarum tibiarum culices imperaturi;*

turi; longas appellant Regis & familiarium advectorum tibias, eo quod ex vestium brevitate tibias ostendant; ajuntque se timere Prophetiæ successum, quod Regem videant ab exteris gubernari, nec Hispanorum amicis, & proprii, non Regis commodi studiosis. Consule igitur tu, qui bonus es, & Regem observas, uti decet, ut multorum Regnorum, & bellicarum gentium se Regem esse meminerit, ut ab avaris & ambitiosis consiliis caveat. de ipsius facilitate in dando istis advectis in Hispaniam, & de ipsorum insatiabili cupiditate, nescio quid immurmuratur. Super his quæ nunc vident vaticinia proferunt de futuris. Quod sit liberalis, laude dignum quidem, sed quod ita prodige profundat, ut nihil sibi relinquat, detque Hispanas opes exteris, ægre ferunt. *puteos* vocant *inexhaustos* vestros, Magnum Cancellarium, & istum nutritorem *Monsieur* Xebrem, cæterosque circumstantes nec virtutum, sed obsequiorum levium rationem haberi apud vos, cum suspiriis obloquuntur. cætera, pluraque coram alias, quando ad nos venire te vetat accessus ad Regem. nunc vale. VII. Martii. ex Valleoleto, MDXVIII.

EPIST. DCXII.

Germana vidua adducitur à Rege. de Oriola revocanda. De Turcarum apparatu bellico.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

GErmanam viduam, Regis nostri aviam novercalem, Rex ipse à cœnobio Francisceo, dico *Abrogio* adduxit. est mitissimus Rex, & præbendi honores cupidus. ac si mater esset, hanc observat. Ad te solum attinet, tu ergo solus hæc habeto, quod nunc referam. Fernandus meus à teneris, qui tibi dum puer esset, jentacula sæpe ministravit, & condiscipulis, quando literalia mea sugebatis ubera, missus est ad Pontificem. supplicavit Regis nomine, ut ea gratia de tollenda Oriola, urbe Valentini Regni, à jurisdictione Carthaginensi, à Julio concessa, revocetur. quia non licuit Fernando Regi Catholico in Castellæ præjudicium, cujus non Rex tunc, sed tantum erat gubernator, id à Pontifice postulare. Irata est Castella universa ob eam semotionem, quæ à noningentis annis Episcopatui paruit Carthaginensi. quæ afferet, habebis. De Turcarum Principe fama est in eo Græciæ portu, qui dicitur *Valona*, magnos bellorum apparatus, & commeatuum copias ingentes congerere. quo rabiem suam velit explere, nescitur. Vale. ex Valleoleto. pridie Calendas Martii, MDXVIII.

EPIST. DCXIII.

Hispane loquitur Rex. qui præceptores. Xeures & Beure inimici. quæ jurgia inter eos. Nota contra Dn. de Cheures adagium.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi & Mondeiaris.

REm audite, qua delectabimini. Rex jam callet Hispanam linguam, ac promit, ac si esset inter vos natus, & enutritus. Repente videtur, ut in Parnassi jugis ille somniator, aut Arcadicus alter greges custodiens inter dumeta didicisse. nec mirum quidem. pollet naturæ dotibus ipse, indiesque magis in eo signa Regis bene meriti repullulant, apud se Hispanos habet magistros, inter quos & Motam, quo nemo, est nativæ linguæ copiosior aut elegantior. ab eo putamus & à magistro Ludovico cognomine *Vacca*, Regem imbibisse idioma. Episcopus est Pacensis hic noster Hispanus, Mota primorum erudimentorum præceptor alter. Apud Regem sunt advecti primarii duo Belgæ, Monf. hic de Xebres, *Capra* dicitur Gallice *Xebres*. Caprum ergo posthac hunc appellabo, ut Latine loquar. dicitur alter Monf. *de Beure*. hic est major OEconomus. adverse senserunt semper in consiliis. quod Toletanam Antisteam sibi Caper acceperit, male sensit hic OEconomus, sive præ invidia, quæ semen est Tartareum, & hospes æterna in Regum domibus; sive quod videat Hispanorum animos turbatos ob eam rem, & multos præterea in Regem, qui nescit ab hujus magni Capri voluntate vel puncto discedere. verba jecit in Caprum jurgiosa, *proditorem* appellavit, sui, non Regis commodi studiosum, tracturumque suis artibus & Avaritia præcipitem Regem, quem indies magis ac magis reddit Hispanis odiosum, quod omnia sibi & consociis raptet, nulla de Hispanis viris egregiis, quorum hæ sunt opes, habita ratione. œconomi dictis contumeliosis, contumeliose Caper camerarius major, & Regis laqueus respondit, *esse mentitum*. Ad manus venire optabat, uti ait OEconomus, ni prohibuissent præsentes. Caper autem ab his saltubus astute cavet. vafer est & ingenio sagaci patientissimus. rem suam curat, neque à proposito coacervandi quicquam illum divertit, modo vaginæ suos retineant hospites. nullus apud Regem versatur in penetralibus aut cubiculis, qui sit ibi aliena, quam Capri manu locatus. nil potest Regi ad aurem dici,

dici, quod illorum aliquis non percipiat. ad Caprum cuncta referuntur. hinc est Rex Capro adeo parens, ut pupillus tutori nullus unquam fuerit submissior. Ab Hispanis cavent hi omnes tanquam ab hostibus infensissimis. pauci admittuntur ad arcana cubiculi, & si quis forte, protentis oculis Caprenses illum continue inspectant, si quid Regi dicant. Magister ille Mota Episcopus aditus habet apertissimos, sed ajunt Capro esse obtemperantissimum. Motæ consilio Caper regitur, quod sit Mota sagacissimus, temporique sciat perbelle servire. Si cœptis artibus inhæserit, emerget ad rerum culmen, & jure merito. est enim & eruditus & multarum gnarus linguarum. Sed vereor, illius sapientiam patriæ suæ fore nocivam, si Capri cupiditatem foverit. Valete. ex Valleoleto. Idibus Martii, MDXVIII.

EPIST. DCXIV.

De Catharina Regia abducta & reducta ad matrem. quid mater egerit filia privata. Libertas Procerum in dicendo. De Cancellario. de familiarium voracitate. Quid Turcus de Christianis dicat.

P. M. A. M. Marchionibus.

CAtherinam posthumam *Infantem*, ut vestro utar vocabulo, qui Regum non primogenitos utriusque sexus *Infantes* appellatis, jussit, inscia Catholica Regina illius matre, Rex adduci ad se, ne in tanto secessu enutrita, non regio sanguini consonam induat educationem. tanta fuit Reginæ matris ejus filiæ, quam ex tanta natorum copia solam habet, suæ solitudinis levamen absentis molestia, ut à cibo post id abstinuerit triduo, statueritque, nil comedere, donec reducatur. Matri est reddita, secutusque illam est Rex, Tordesillas, matrem solaturus. sorore relicta, regressus est, & Aragoniam petiturus se jam apparat. recusant illa Regna velle aliter vocare Regem aut ejus edictis, parere. Proceres Castellanos ad se vocavit, ut servandæ Paci studeant, hortatus est. Magnus Castellæ Comestabilis, & Admirantus, Duxque Albæ ac Compostellanus Archiepiscopus aderant. Quisque de his Regnis gubernandis aliter scilicet quam cœptum sit, suam dixit sententiam, insinuarunt. neque destitit aliquis eorum ab hortatu, ne tanta sit Regis proluvies in diffundendo alienas opes in insatiabilia suorum advenarum guttura. de mittendo in Flandriam Infante Fernando sermo est exortus. inde ad B. Francisci portas affixum est chirographum perturbativum, ita inquiens: *Va tibi, Castella, si abduci Fernandum Infantem patieris.* hæc Hispano idiomate. fuerunt populi varia murmura, nil tamen ultra. Publicis, non jam arcanis sermonibus taxantur regiæ navis magistri, præter Caprum. Fama est magnum Cancellarium nulli lucro parcere, quacunque veniat. sana miscet ac profana, justumne sit an injustum, modo aurum adferatur, est discrimen nullum, uti ajunt, & aperte licet in multis cognoscere. gladius est hic biceps cum suis L L. est namque Jureconsultus, Regis famam & honorem Avaritia sua deglutiens. Sunt & rapaces plures lupi alii, quos impræsentiarum tacere intendo. hi & ipsi quæque obvia devorant, minuta tamen uti de parvis quadrupedibus in Lybiæ vastitate leones venatores sequentibus legitur, quæ de prædæ reliquiis pascuntur, membrorum carnibus à leonibus adesis. Ad Turcarum Principem veniamus. dicitur in Sophium arma parare. commentum esse putant aliqui, ut nos incautos reddat, quo tutius nos queat adoriri. res namque bellicæ in Græco littore in Apuliæ prospectu longe absunt à Sophianis finibus. Fallar opto. nostræ religioni timeo, quia præcipue miscet in quotidianis sermonibus, se noscere Christianum dogma, audisseque, non servatum iri Christi Leges à membris, & à capite Christianis, unde sperat Christum non futurum auxilio Christianis, si provinciam in eos sumpserit. hæc aliquando latius. multa enim audivi ab eo dici, quæ me perterrent. nunc valete. Paramus discessum. ex Valleoleto. XIII. Calendas Aprilis, MDXVIII.

EPIST. DCXV.

Infans abducitur, & Mons. de Beure sub honoris specie cum eo. De Capri versutia. Adagium desperatum.

P. M. A. M. Marchionibus.

PEdem fiximus in Augusta-Cæsarea. Sed quid ex quo Valleoletum deseruimus, acciderit, habetote. in Aranda Doriana moram traximus diebus aliquot. Ex eo municipio Proceribus, qui aderant, non prohibentibus, Fernandus Infans dimissus est; sublatis ei familiaribus Hispanis majori ex parte. boni Regis rectores hoc adstruunt, ne quid restet eorum cogitatibus adversum. Regni suspicio & zelotypia male ferunt socium. Quanta sit hujus magni Capri versutia, hinc colligito. sub honoris specie cum Rege tractavit, ut competitor ejus Mons. de Beure OEconomus Infantem ducat in Flandriam, ejusque

ejusque domum gubernet. licet OEconomi filius maneat sub genitoris titulo. Juvenis est. nesciet, aut audebit in Caprum, vel in quenquam ex Capri pendicibus emutire. ergo libere ac solute per hæc pinguia Castellana pascua Belgæ Gallique vagabuntur, & ad votum inter greges & armenta deligent, quæcunque oculis placebunt, quandoquidem Castellani Proceres, ut rem ipsi suam curent augeantque, lupis conniventibus confusioni tantæ assentiunt, dissimulareque intendunt. è populo nemo potis est tantæ dissipationi, quanta per hos corde Gallos, Hispanis inimicos paratur, qui Regem trahunt quacunque volunt, sese objicere hi ac super Tartarum incederent, sperarentque, se ad Elysias regiones profecturos, ita cupiunt sese ab his terris exsolvere ad concretas ex frequenti Borea, & longis noctibus hyemalibus molestissimas regiones redire. neque aliter cupere Regem sentimus. ergo quandoquidem per vestrorum inertiam dabitur, guttura vestro sanguine implebunt. Augustanos Cæsarea tertio non. Maii suscepit. est in atrio Rex dicto *Algiaferia*, donec Regia in ingressum pompa pararetur. ibi exspectat. nos in civitate ipsa jam sumus hospitati. Ab Italia quid feratur, accipite. Ob Turcarum formidinem Pontifex ipse pedibus laboriosam celebravit supplicationem, dictis *processionem*. admixtis lachrymis preces Christo, superisque fudisse dicitur, *ut ab hoste rabido fidem suam tueatur, & audiat conquestus genitoris, fratum & propinquorum à Selimsacho Principe interemptorum, ob Imperii tyrannidem, & in tantorum scelerum vindictam expergiscatur.* oravit ipse, ac facer Cardineus Senatus. Valete. ex Augusta Cæsarea pridie non. Maii, M D XVIII.

Epist. DCXVI.

Revocatio Oriolæ. de Scandaro Mauro & nostris in Africa. de quinquennali Principum fœdere contra Turcas viso apparatu. Quando natus filius Galli Regis.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

FErnandus meus tuusque ab Urbe rediit. quod optabatis, attulit, plumbo firmatam dico membranam Pontificiam. quæcunque Julius II. in Carthaginensis Antistea jacturam, de Oriola separanda, revocavit Leo X. habetis quod toto animo tu tuique Murcienses petebatis. Labra mordebunt præ rabie Oriolenses, titillo scalpenti præ gaudio psallent Murcienses. Sic vivitur. frons est Fortunæ variis tenoribus, his læta, illis molesta. Tu autem qui Aphricæ teris limina, ex angusto pelagi divortio à nobis ad me scribis, Regem Tremesenium exulem cum nostris auxiliis à Comarensi Marchione Prorege in Aphrica præbitis, obsedisse Ænobarbi duces militum, in oppido munito dicto *Alcala*, sed Argotum nobili genere ortum Cordubensem, nostrorum præfectum præcurrisse, nec sine discrimine, priusquam Rex se applicaret, castra in oppidi prospectu locasse. Argotum namque Scandarus dux primas, noctu fessos ex itinere milites nostros adortus est imparatos, & nil tale ab inclusis timentes deprehendit. tres è nostris interfecisse dicis. Sed Argotum sumptis propere armis, furorem Scandari repressisse, fugasseque, ac peremisse Scandarum ipsum cominus pugnantem. Ais Regem exulem his actis supervenisse, obsidereque, nostris juvantibus, Scandari reliquias. placuit universæ Curiæ nuncium istud. habemus & nos per celeres tabellarios eadem, quæ tu scripsisti. Dabit, uti spero, suæ temeritatis debitas cum suis militibus pœnas Ænobarbus. Ab Urbe scribitur, Christianos Principes convenire animis, visa Turcarum potentia, & bellico apparatu, quinquennalia junxere fœdera, in templo Minervæ, adstantibus Pontifice, Cardinaliumque cœtu. Sadoletus vir eruditus Orationem habuit luculentam in hujus unionis laudem. De imperandi cupiditate Principis Turcarum mira retulit, & animo illius elato, sed de crudelitate, qua impulsus, quærit nostro sanguine pastum, ea proposuit quæ summam in adstantibus genuerunt formidinem. Ex Gallia fertur natum esse Christianissimo Regi marem filium, *Delphinem* appellat Gallia Regni hæredem. Primo noctis crepusculo quinta hora diei octavæ & vigesimæ mensis Aprilis prodiit in lucem. Ad Urbem redeamus. quatuor Pontifex destinavit legatos de Concordia suasuros, ad Cæsarem, Gallum, Hispanum & Anglum. Nostrum ajunt esse Augustinæ professionis virum eruditum, Ægidium Viterbiensem, Concionatorem egregium, Cardinalem: discessisse illum, inquiunt, ab Urbe, ut ad Hispaniam veniat. Est aliud quod referam: in unius Cardinalis domo propinqui Pontificis, mula peperit crinitum caudatumque animal equo simile. Vale. ex Augusta Cæsarea. VI. Idibus Maii, M D XVIII.

EPIST. DCXVII.

Pompa Cæsar-augustana in susceptu Regis & Leonoræ, quæ despondebitur Portugallo. Laus Leonoræ infantis. Adagium de Principatu in Curru Veneris. Ænobarbus obsidetur.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

EA qua convenit Regia pompa Cæsar-augustana civitas Regem suscepit die nonarum Maii. Juravit Rex servaturum se patrias eorum L L. & instituta. Regem nondum ipsi appellant. An vivente matre, Rex debeat nuncupari, adhuc dubitant, dubitabuntque, donec per universa totius Regni comitia censeatur. Sororem secum duxisse Regem natu majorem *Leonoram* nomine, dixi alias. ea est nympharum venustissima, elegans. cum Rege Portugaliæ audio tractari matrimonium. Mallent qui puellam diligunt, cum primogenito hærede juvene. ætas ætati esset commodior. Si tertium florem in una progenie, post duas puellæ materteras sorores invicem, bonus senex gibbosus Rex absorpserit, jactanter poterit in curru Veneris principatum efflagitare. Concludetur arbitror, quia per Regis legatos aperte oppugnatur puellæ casus largitionibus, his duabus primariis voraginibus promissis, quo Regem fallant. explicare qui sint, non est opus. pro explicatis illos habetote, cerdones & caulium venditrices, pannosæ vetulæ, in triviis digito transeuntes signant. ab illis intelligetis, quacunque pecus balent. detorquent L L. & Jura omnia. Puella calamitatem sentit suam, si annoso cogetur desponderi filiis onusto. nec fallitur in hoc. neque enim plures habet quam octo. unde si quos illa pepererit, victum aliunde quærere cogentur. Scribis, ex Aphrica, peremptos ab hostibus fuisse ducentum pedites è nostris, equites autem fere totidem. sunt bellorum vices. Mars propterea *dubius* appellatur, modo serenat, obnubilat modo frontem suis sectatoribus, resumptis tamen viribus. Per cursores habemus obsessum esse Ænobarbum in arce Tremeseni. peremit è nostris ex arce in oppugnatione plærosque strenuos milites, præter cæteros præfectum nomine *Collatium* bellorum egregium magistrum; sed quandoquidem septus est, æquo animo feramus susceptas jacturas. dabit Deus quandoque finem. cras qui erit dies hujus mensis vigesimus, thronum ab Aragonicis paratum adscendet Rex, ut inde ad conventus citentur Curiæ. quæ in eis agentur, habebis. Vale. ex Augusta-Cæsarea. XIV. Calendas Junii, MDXVIII.

EPIST. DCXVIII.

De oratione habita in his. quid responderit Archiepiscopus Cæsar-augustanus Curiarum nomine.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

PRidie quam Rex Orationem haberet ad populum Cæsar-augustanum, ad te scripsi, quia nuncius eo ad te die discessit. Nunc quid ultra contigerit, accipito. In populi Procerumque corona, Regi in suggestu alto sedenti, per Protonotarium Aragonium, uti moris est, elata voce, oratio est sermone recitata vulgari, per non Oratores, nec Rhetores quidem formata. Judicata est namque magis ad habendarum pecuniarum cupiditatem facere, quam ad Regnorum rite gubernandorum desiderium. Ea in hunc sensum, prætermissis ambagibus, est habita. *Serenissimus Rex, relictis suis veteribus statibus à tergo ad vos hæc Regna gubernaturus venit, fatens se habere avum* Romanorum Imperatorem, Ungarorum ac Daccarum, *dicit* vulgus *Dinamarcam*, Reges *sororios duos*, Anglum & Portugallicum *ex materteris avunculos. Pontificem*, inquit Rex, *se habere sui amantissimum. quare sub tanti Regis ductu sperare potestis, beata vos Pace fruituros, quod est singulare ac divinum munus. hortatur igitur vos, ut expedite, quod vestris Regibus præbere soletis* donativum, *designetis. Neque manum restringatis vos, ad quos ego, postergatis tot Principatibus cum summo Flamingorum mærore ac lachrymis ob meum ab eis discessum, libens veni. Octingenta millia florenorum sibi*, dicit Rex Serenissimus *oblata ab illis derelictis; quanto liberalius æquum est*, ut *vos animos paretis ad ejus obsequium. Moveant etiam vos ad beneficentiam horrida bella quæ geruntur impræsentiarum, gerendaque sunt in hostes fidei, quæ sine pecuniis, belli nervis, geri nequeunt.* Ad hæc, universi cœtus nomine, Cæsar-augustanus Archiepiscopus respondit: *Aragonas fuisse Regibus fidos; cætera fore, uti per Curias statuetur.* His actis, ex aula ducitur Rex ad destinatum Regibus locum, ubi pro tribunali sedere solent in conventibus. hos ipsi *Curias* vocant. suffragia ibi suscipiuntur. jam satis. Vale. ex Augusta-Cæsarea. X. Calendas Junii, MDXVIII.

EPIST. DCXIX.

De discessu Infantis. de quiete animorum Xerrensium. de avaritia Cancellarii. Deploratio in Castellam.

P. M. A. M. Marchionibus.

AB Oceano Cantabro Don Fernandum Infantem conscendisse classem allatum est, qua vectandus erat ad glaciale fretum. defuit illi Dacarum Regis navis ingens, quæ in sicco littore, dum restauraretur, combusta est. Jam tutum dormitabunt regii Belgæ ac Galli rectores. Sublatus est illis metus. sublata est Castellæ adipiscendæ valetudinis spes. in Proceribus est exigua. stupidi Regem sequuntur. sibi studere videntur. tanta est jam vis in hujus Capri cornibus, ut illi Proceres observantius assurgant quam Regi. Ergo valeat Castellæ spiritus anhelans.. Aragones, respectu Castellæ pygmæi, figunt pedem in primo assumpto proposito, ne *Regem* appellent, neve obulum impartiantur, vivente matre; vel, nisi matris assensum ostenderit, aut non esse sui Juris probaverit. Regi Anglo structas fuisse à Gallis insidias, per nostrumque Regem detectas, primus regius Cancellarius mihi retulit. fabulam puto. est namque vafer hic vir, ad cogendos auri globos inhiat. priusquam accederet, de reditu cogitabat, sed non strigosa crumena. vastus est & ejus gurges. Deus bene vertat. jam sunt omnia venalia. misera Castella mille modis depauperabitur. nos hic suis cavillationibus Aragones detinebunt. hospitiorum est caritas immensa. Rerum victui necessariarum ingens penuria, duplo multa, triplo amplius alia coëmuntur quam in Castella, neque aliunde Curia sperat universa vel numum, præterquam ex Castella. Spongiæ sunt multæ paratæ ad Castellæ succum exhauriendum. Vale. ex Augusta-Cæsarea. IV. Calendas Junii, MDXVIII.

EPIST. DCXX.

De morbo Cancellarii. quantum expediat Inquisitioni, quod non surgat. de venditione Leonoræ Portugallæ.

P. M. A. M. Marchionibus.

VIx è manibus abierat prior ad vos epistola, quando in febrem decidisse audivi primum Cancellarium. auguratur sibi obitum, ex duobus ejus familiaribus in ejus cubiculo vita functis intra paucos dies, tertio suffocato in Hiberi fluminis alveo. Sacræ Inquisitionis hæreseos expedit ut majores visat suos. Viginti publice millia illi ducatorum Neophytæ promiserant, è quibus decem receperat, quo Regi consuleret & persuaderet publicari debere testes, de Hæresi deponentes, quodque in publicis includerentur carceribus. nisi Atropos ejus filum disruperit, sacra prostrabitur inquisitio & miseri Regis fama sternetur, qui se patitur à talibus Harpyis gubernari. de puella Leonora cum senescente Rege concludetur. infelicis namque puellæ venditores, fore honoratius, ut ilico Regina vocetur quam hæredis uxor, illi nituntur persuadere. plorat illa tamen, & juvencula juvenculum mallet exspectantem, quam vetulum jam longis itineribus ad lethum recedentem. ex Augusta-Cæsarea. pridie Calendas Junii, MDXVIII.

EPIST. DCXXI.

Appulsus est Infans. de varietate postulatorum in Curiis. quid Ægidius Cardinal. legatus Regi suadeat & minetur. de Tragico Ænobarbæ exitu.

P. M. A. M. Marchionibus.

ILlustrissimus Infans Don Fernandus, superatis Oceani tumoribus, in Flandriam appulsus est incolumis. est amabilis naturæ. pronus est in benignitatem erga venientes ad se. colunt illum Belgæ, *Flamingi* vulgo. In Curiis Aragonicis est conventum, ut pars utraque, Rex puta Regnique urbes & municipia parte altera, Jureconsultos deligant, qui LL. & Jura pertractent, statuantque, an queat, sine Regni labe,. *Rex* appellari absolute, ut saltem addatur, sine Reginæ matris ejus injuria, quam se jurasse in Reginam, patre moriente, arguunt. Rex autem instat, ne aliter verba sonent quam in Castella fuerit pronunciatum, ut scilicet *Corregnans* dicatur. Ad alia legatum habemus à latere fratrem *Ægidium* Viterbiensem, Augustinæ professionis concionatorem eximium, Cardinalem. Regem salutavit. ut se excutiat, ut oculos aperiat, ut vigilet, ut Neapolitanum Regnum in Turcarum faucibus esse meminerit, ut classem apparet, fervida petit efflagitatione. Ad Afros tendamus vela. Ænobarbus, videns nostrorum perseverantiam, sentiensque, se diu nequire pati, quin omnes esurie pereant, laborabant namque omnium rerum egestate, de fuga clandestina cogitavit, per captivos Christianos muri partem, qua minime nostri custodiebant, disjecit, ea qua sine incommodo, pateret exitus equitatui. dis-

rupto

rupto muro Christianos omnes trucidavit. equites habebat centum circiter. Ad discessum dat signum. Sub nocte silente, prodit in apertum, in equorum clunibus quicquid auri argentique ac gemmarum è templis & domibus rapuerat, alligant. Ingentem ajunt eam fuisse summam, sed in sui perniciem illa coëgerat. aufugit. insequuntur Regis ejecti equites nostris admixti primo diluculo, neque enim prius sensere dolos, ad milliaria circiter quadraginta continuo cursu, macerantes calcaribus equos. Ænobarbum tandem intra nemus quoddam assequuntur. acies utraque rem gessit sine peditibus. aliquandiu pugnatum est atrocissime. quadringenti erant nostri equites. peditatus accessit Hispanus. victus est multitudine tandem Ænobarbus. sed cruentam dedit nostris victoriam. peremit plerosque, vulneravit multos. erant enim delecti milites omnes & strenui, qui sequebantur. trucidati sunt ad unum; & præda potiti sunt nostri. Ænobarbi caput, hasta infixum, allatum est ad urbem Tremesenium cum ingenti Maurorum & nostrorum lætitia. Ita turbulentos dies exegit suos Ænobarbus, pirata, Cilix, qui sua magnanimitate ausus est suis viribus impares provincias amplexari. ex Augusta-Cæsarea IV. nonas Julii, MDXVIII.

EPIST. DCXXII.

Mors Cancellarii. Ejusdem vita. Quot Ducatorum miserit in Flandriam. Unde pecunias tot habuerint. Collacrymatio super Rege devorato à suis.

P. M. A. M. Marchionibus.

PRimus hic regius Cancellarius, quem ægrotare alias vobis significavi, Belga homo, Jureconsultus, ad egregios nostri Regis mores pervertendos natus, qui priusquam ex Flandria moveret, venalia cœperat facere omnia. qui Senatores adauxit, qui Secretarios ad numerum circiter quadragenum, metatos numeros, lictores quos dicitis *alguaziles* multos, precio creare à Rege, posseque id ex Legum sanctione fieri persuaserat: qui jam in Inquisitione Hæreseos, sacram Majestatem precio diruere statuerat, jam sine precio trajecit Acherontem, neque trientem secum quem porrigeret nautæ, detulit. Jam coacervandi & hæc Regna sternendi redeundique ilico, ad flatus horridos Boreales desiderio finem imposuit. jam cæcitati suæ, trahendi præcipitem miserum populum, qui se, ipsi consortique suo Capro credidit, lora injecit. hic si diu vixisset, ad rabiem usque universam traxisset Hispaniam quandoquidem Rex monitus, ut ab horum perniciosis consiliis caveat, minime auscultat. E pluribus ergo Hydræ capitibus unum excisum est, ne septem renascantur, orandum est. Ab his qui penetralia illorum callent, pro certo mihi relatum est, has Charybdeas voragines nil minus quam undecies centena millia ducatorum jam à misera Castella misisse in Flandriam, ex cruciata partim, quæ ad bellum hostile tantum à Pontificibus est concessa, ex sacra Inquisitione partim, à qua non solum de jam condemnatis crimine hæreseos, bona ex Regis concessione assecuti sunt, sed eorum qui solum capti, nondum judicum subierant sententias, ex Archiepiscopatu Toletano jam plus quam centum decem millia, ex magistratibus, præturis, præfecturis, multisque aliis hujuscemodi rebus venditis, numerus est innumerus. veluti ad hastam venduntur quæcunque vacare contingit, quæ & qualia quantaque, quod à publicanis neophytis quæstoribus moniti, nova excogitata tributa, de quibus alias erit sermo longior, subsidia concessa, & *donativum* quod dicitis *servitium* prævendiderunt, sub gravi fœnore, ut pecunias haberent præsentes, nulla de Regis fama, nulla de Regis fisci dissipatione habita cura. *pauperem se esse* Rex conqueritur, & fatetur verum. corroditur ad ossa, neque se potest à tanta illuvie liberare. Jam valete. rumpor præ dolore. nil ultra. ex Augusta-Cæsarea. III. Idus Julii, MDXVIII.

EPIST. DCXXIII.

Leonora est jam Regina Portugalliæ. Regis facilitas in dando. Regem ipsum expilant. Multitudo unionum rapiata.

P. M. A. M. Marchionibus.

JAm res acta est de puella Regina *Leonora*: vetulo Regi Julii die XIII. illam desponsavit. Regia corona ornata prodivit in publicum, honoratius esse Regi. quam Principi nuptam persuasa. Unum & viginti millia ducatorum, pretium sanguinis virginei, per Galuanum Senensem mercatorem trapezitam Valloletanum jam municipalem, à multis annis, in Flandriam, ut Galuanus ipse mihi retulit, Guillelmus de Croy dictus *Xebres*, mavis Latine *Caper* misit. hæ fuerunt pecuniæ ab Oratore Portugallico publice numeratæ. quid de missis in arcanis? de Capro educatore satis. ab Indis nova multa feruntur. civitates repererunt Hispani, ab insula Cuba, quæ

quæ *Fernandina* dicitur, discedentes ad occidentem, meridionaliter tamen, in quibus vivitur Legibus, mercimoniaque tractantur, & induuntur, libros habent, interjectis lineatim Regum & idolorum imaginibus, ut apud nos videmus Chalcographos historiales, sive fabulosos ornare figuris codices, quo magis emptores alliciant, vias stratas, ex lapidibus & calce constratas domos, & atria magnifica, templa etiam egregia, ubi Cemibus, nocturnos lemures æmulantibus litant humanis victimis. Pueros puellasque, servos etiam pretio emptos, quotannis jugulant innumeros. Ad particulares, de his inventis, narrationes cætera remitto. Ex Putato continenti feruntur unionum sæpenumero cumuli. sunt jam edocti, publicani omnes quæstores neophytæque de horum Gallorum & Flamingorum familiarium studiis in rapiendo, uti sagaces odori canes, quacunque quid emergat, olfacere invigilant. cum quid detegunt, ad Flamingos & Gallos hos certatim procurrunt: de his quæ cognoverunt, faciunt certiores; partem de præda illis pollicentur. Si à Rege rem illam impetrarint, ad Regem res defertur. facilius assentitur quam ipsi postulent. Sunt Harpyiarum apud infelicem juvenem versantium adeo rapaces ungues, ut neque succum neque medullam illi relinquant. Cur hæc tam longa oratione protulerim, audite. Libras Unionum, dicitis *perlas*, centum sexaginta, uti fertur, attulerunt ab Indis nostris occidentalibus octunciales, de Regis quinta collectas. Xebrica uxor per odoros neophytas monita, priusquam portarentur, impudenter illas poposcit, postulatas rapuit, neque Regi videre tantum illas licuit, neque nubenti sorori vel unam ex illis unciolam servavit. Sub hoc tenore cuncta procedunt. Valete. ex Augusta-Cæsarea. XII. Calendas Augusti, MDXVIII.

EPIST. DCXXIV.

Profligatio Maurorum & ingens præda per Marchionem Comarensem. de Aragonum inobservantia erga Regem super Iustitia. De Parafano Ribera prætore. Adagium de pecuniis. de cavillationibus. Concio Motæ. de Procerum speluncis.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

TU ad nos scribis, quæ in Africa gerantur, nos ad te nostra. Placuit universæ Curiæ audisse, quod novus iste Comarensis Marchio Ludovicus à Corduba septendecim Maurorum villas fuerit deprædatus, cum ducentorum hostium captorum & interemptorum jactura, armenta boum & camelorum, quæ abduxit, uti ais, innumera, corda militum, excitabunt. Sunt namque Hispani, uti nosti, vitæ prodigi, quando prædæ alicujus spes occurrit. Ugonem Moncadam regiæ classis præfectum, inquis, post negocium à Comarensi peractum, supervenisse, discessisseque in Bugiam, quæ *Tabraca* est. Arago est libertatis tantæ ut magis audeat quam honestum sit. In regiam autoritatem multa patrant inobservanter. Nec regios permittunt magistratus punire scelestos & facinorosos, neque ipsi persequuntur. Vice-Cancellarium, qui vices Regis habet in Curiis, redeuntem, primo noctis crepusculo, larvatus quidam adortus est, ut illum occideret. obstiterunt comites qui erant plurimi, domum illum reducentes ex curiis. neque uti tale facinus merebatur, perquisitum est, neque si repertus fuisset, in alicujus primarii equitis atrio luisset pœnas. naturæ beneficio vivunt sine justitia. In Africam trajiciamus. Perafanus vir nobilis qui Tabraca præsidio tenet, dico *Bugiam*, dari sibi milites petit, quibus se Mauris magna illaturum damna pollicetur, si præbeantur. Sed frustra. Triginta potius Tabracas & Africas septem iri perditum patientur, boni Regis consultores interni, quibus creditur, quam decem aureos duplices perlucidos de manu solvere velint. Ad legatum venio. hic noster legatus tertio Calendas Augusti cum summa Regis & universæ Curiæ attentione concionatus est, & rem divinam celebravit. Ea vespera jurarunt Aragones Regem ut corregnantem. jam Curiæ procedent ad negocia. neque enim hactenus actum est quicquam aliud quam cavillationibus protrahere tempus super modo jurandi. quarto nonis Augusti concionatus est Pacensis Episcopus, magister Mota in Curiis. *Iustitiam è cælo missam* ait. *Infaustas esse terras*, inquit, *in quibus Iustitia deest.* hortatus est ad eam revocandam, cum ab his terris aufugerit, sed frustra. mores mutare non cogitant hi Proceres. Latronum speluncæ sunt eorum oppida. asyla sunt facinorosorum. Valete. ex Augusta-Cæsarea. pridie non. Augusti, MDXVIII.

EPIST.

EPIST. DCXXV.

Fama fallax de Selymo. de nece filii Ludovici Borromæi Comitis. quid Leutrecus in Trivultium fautorem homicidæ. Xerres laborat profluvio sanguinis. Populus per Garcesium excitatur. Inobservantia erga Regem.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

TUrcarum Principem allatum est fuisse à Sophio in Syria profligatum, nec reperiri. fabulam puto. quia per famam incertam non à Venetis aut Raguseis vel Genuensibus, à quibus certa solent afferri de rebus Orientalibus. Mediolani autem casus accedit ex his qui solent inter fortunæ ludos accidere. Ludovicus Borromæus Comes apud Leutrecum Mediolani gubernatorem filium habebat adolescentem; Jacobi Trivultii Magni bellorum magistri propinquus quidam adolescentem peremit. favit homicidæ propinquo Trivultius. nequivit Leutrecus de homicida facere judicium. adolescentem amabat Leutreccus, ideo tulit ægrius patratum fuisse crimen favore Trivultii. Conquestus apud herum Regem Christianissimum. Leutreccus à Rege impetravit Trivultii facultates, post ejus obitum, quo familiæ suæ nomen post ejus mortem exstinguatur. meritum est laborum præmium. ter patriam hic subdidit Gallis, fuitque hujus causa gravibus bellis Italia longo tempore conquassata, ut in Gibellinos diversæ partis factionarios iram expleret suam. Ad nos veniamus. Caper hic, vulgo *Xebres* Regis educator, mavis *devorator*, fluxu sanguinis laborat. formidat exemplo sui collegæ magni Cancellarii. de illius salute Medici hæsitant. Ad alia. Annuit Rex legato de paranda classe; ea enim est legati, nomine Pontificis efflagitatio. In hac urbe populi seditio est coorta, Garcesio Jureconsulto una cum socero stimulantibus. Justitiam exerceri debere poscit populus. Nil immutandum de veteribus statutis, ajunt Proceres. petit populus, ut cuique liceat annonam & cætera victui necessaria importare, primores urbis prohibent. se de eo curam habere ajunt. inde tanta est caritas rerum. Est in paucorum potestate triticum universum, nec aliunde importari patiuntur. Visa est Regi justa petitio. postulata concessit. primarii contra Regis edictum insurrexerunt. sistunt curias. Rex ei edicto coactus est abrogare. denuo populus primariis civibus subjicitur. Libertatem appellant hanc sui Regis inobservantiam, quod nequeat, si jus petatur, jus exercere. suis Legibus vivere malunt antiquis, licet nocivis, quam pati quod Regis arbitrio quicquam fiat. Vale, ex Augusta-Cæsarea. Idibus Augusti, MDXVIII.

EPIST. DCXXVI.

Oratores Genuenses. Ugonis Moncadæ præfecti classis concio & victoria contra multitudinem. de ingenti Hispanorum naufragio. Pacem Turca petit à Persis, ut alibi belligeret.

P. M. A. M. Marchionibus.

NOvos habemus Genuenses Oratores. Gallo Regi quamvis pareant, Hispaniam tamen optant ob frequentia commercia servare amicam. Ab Africa fertur, Ugonem Moncadam regiæ classis præfectum, apud Alger cum militibus vix mille quingentis, in terram descendisse. Viginti ajunt hostium millia confluxisse, qui formidant, augent hostium numerum. multitudo tamen fertur fuisse ingens equitum ac peditum. In unius montis latere nostri exspectant venientes hostes, ordines pro militum numero componunt. hortatur Ugo pro tempore milites, *Aut cum summa gloria vincendum, vel ad unum cum summo dedecore moriendum* proponit. *meminerint se esse Hispanos* monet. *quam sæpe parva manu copias ingentes Hispani fuderint, ante oculos ponant* suadet. *Deum eos habere propitium, ne vereantur*, consulit. His dictis, ruunt in hostes. clivum adscendentes, scopetarii præmissi, viam hastatis aperiunt. primæ frontis Mauros transverberant, subsequentes fugam rapiunt. prorumpunt à tergo nostri. multos trucidant, non dant revertendi locum. ad radices usque montis victoriam secuti sunt nostri. Ulterius ad plana non sunt ausi progredi, ne ab equitibus premerentur. Sed quid? Paucos inde post dies suis est usa moribus fortuna. Turbo veniens à Borea classem ita concussit, ut fere universam discerpserit. ad quater mille sunt obruti: octingenti capti in litore ab hostibus. O infelix naufragium! Jam versa est Hispanis in novercam hæc infausta Rhamnusia, quæ diu blanda mater extitit. Insula quæ vulgo dicitur *Gerues*, è Syrtibus una, Hispanæ calamitati dedit initium. Ad extera tendamus, Sophius Persa, qua venturos Turcas suspicatur latam vastavit regionem, quo si tentaverint aggredi Persas, fame pereat exercitus. Turcarum autem Princeps in mandatis dedisse finium præfectis fertur, ut Pacem tentent cum Sophio, modo non sit ignominiosa, quamcunque annuent, admitter.

admittet. regressus namque ipse est Constantinopolim. Ibi jam dicitur magnas copias terra comparare. Qua sit irrupturus, nemo est qui divinare queat. est ejus magna vis in secretis posita. Væ judicantibus! quicunque audet super ipsius machinamentis emutire, aut opiniones promere, trucidatur illico deprehensus. Vale. ex Augusta-Cæsarea. XVII. Calendas Septembris, MDXVIII.

EPIST. DCXXVII.

Designatur Orator ad Turcam. invitatur autor ad id. renuit is id ob senectam. Avaritia quorundam. Est Intus malum, non Extra. Quantum valeant anni. De citatione Cupidinis ad hastiludium.

P. M. A. M. Marchionibus.

AUdito Turcarum Principis è Syria in Thraciam reditu, magnisque illius bellicis apparatibus intellectis, quibus summus Pontifex perterritus, eam instituit supplicationem, quam ipse pedes, Cardineo Senatu comitante, celebravit. de mittendo ad illum oratore sermocinantur consultores regii, quo sub specie salutationis quod vicinus nostris sit Regnis, & congratulationis victoriarum, exploretur, quid animi habeat, qualesque sint ejus copiæ. Invitor ego ab eis ad hanc provinciam. putat, quia legatione functus, apud Soldanum Babylonicum, Catholicorum Regis & Reginæ vita functorum nomine, postulata impetravi, fore, ut facilius, quæ ipsi sub camino cogitant, à Selimsacho, sim ego quam alius assecuturus. falluntur. Neque Selimsachus is est qui decipi queat argumentis, est namque astutus & vafer. neque ea sunt tempora. deest etiam mihi robur illud ad labores perferendos. quatuor & quadraginta tunc annos agebam; octo decem superadditi vires illas hebetarunt. Annorum lapsus, qui solutis habenis & volante columba celerius evadunt, membrorum secum rapiunt vigorem. Attamen si honoratam mihi pararint legationem, forte onus complectar, sed longe arbitror jacet hic lepus. Pecunia opus erit ad alendos comites. Solvere de manibus pecunias est his regiis quartana gravius. est eorum auri fames adeo immoderata, ut stare hoc loco minime queant res, nisi mores ipsi mutaverint, quod durum esset, mutabuntur tempora. Major est tamen in Proceribus culpa, qui venientibus in Regis & Regni gubernaculo cesserunt. publicanorum & quæstorum est altera, qui manibus ambabus clausos innocentum oculos aperiunt, his Belgis & Gallis pecuniarum acervos offerunt. De vacantibus aut vacaturis faciunt ilico certiores, quo ipsi partem assequantur. Ita paulatim ad prædas illos assuefecerunt. Regi etiam persuadendo, ut suos, qui patria relicta eum sunt ad exteras nationes comitatati, ditesaciat. Est ergo Intus malum quod patitur misera Castella. Jam satis expectoravi. epistolam jocoso claudam ludo. Castellani nobiles, qui adsunt, gratum populo struxerunt hastiludium. pars una Cupidinem citat. suspendi ac mille cruciatibus torqueri debere postulat, à judicibus super alto tribunali sedentibus in metæ medio, tuetur illum pars altera. Stultorum esse juvenum, non ipsius Cupidinis culpam, si vulnerari se patiuntur, arguit. Suo illustrius tunc fungi officio probant, quando plures nobilioresque secum trahit vinctos Cupido, cavendum esse rejiciendumque, si venerit armatus, inquiunt, nolentem vulnerasse nunquam reperietur. quid ergo mali facit artifex, qui suam perbelle artem exercet? Spectaculum est placidissimum, qui vicisse à judicibus censebuntur, Cupidinem ex sententia tractabunt. discedit nuncius. vos valete. ex Augusta-Cæsarea. V. Idus Septembris, MDXVIII.

EPIST. DCXXVIII.

Ubi sit Selimsachus. ubi pater ejus obiit. De Burgensi Episcopo. Sponsa Caroli V. obit. Autor nil petit à Papa munificentia oblata.

P. M. A. M. Marchionibus.

AB externis sumat initium epistola. Selimsachus Turcarum Princeps est in civitate Adrianopoli, à Constantinopoli trium itinere dierum ab Antimaco, ubi Selimsachi pater obiit milliaria tria. magna molitur parricida Selimsachus, dentes acuit, uti à canibus lacessitus aper, inter sylvarum feras ferissimus. Qua sit primum directurus novaculam, nescitur. est ejus diligentia in arcanis actionibus tanta, ut sit difficillimum, quid consilii meditetur indagare. Ad Gallos vertatur oratio. Pridie Calendas Octobris desponsata nostro Regi primogenita Regis Christianissimi obiit. fama est, Gallos operam dare, ut cum illius sorore vix annicula despondeat, quo sero procreet sobolem. Ad nos reiteratus est sermo de me ad Selimsachum destinando. Burgensis Episcopus, cui sum familiaris, mihi fuit in consilio absenti propitius, non esse mihi dandam tantæ peregrinationis molestiam. consuluit, tum ob ætatem jam gravescentem, tertii namque jam & sexagesimi calcem anni percurro, tum etiam quia

me

me sæpe vidit præ iliaco dolore gementem, quid statuent, ignoro. Ad mei commodum arbitror, quia nisi honorificum præbuerint comitatum, supervacaneum erit instare, nec nolentem cogent, neque ab se tam lucidum tamque dulce metallum, uti est aurum, virgineum præsertim volent à suis pectoribus eruere. Intra cordis penetralia illud arreptum suffodiunt. ad Belgas portandum, nulli rudentes, funes nulli, ab illis unciolam extorquere sufficient. Ad alia. Est ab hac urbe distans milliaria quinque villa, nomine *Popula*; sæpe ad illam diverto animi causa. ad me se contulit Romam rediturus Dirachensis Episcopus sacrista Pontificius. Venerat legato comes Ceremoniarum magister. late sese mihi obtulit, quia & legato ipsi & reliquis ejus comitibus fui, ut ipsi ajunt, utilis in eorum expeditionibus, ut se medio à Pontifice aliquid peterem, instanter postulavit. nil aliud à me potuit extorquere, quam ut Pontifici diceret, *me esse beato Pontifice beatiorem. Me nullius Fortunæ blandimentis esse indigum.* Si vos ergo qui Fortunæ illecebras magnifacitis, à Pontifice cupitis alicujus beneficii gratiam consequi, pronum vobis offero Dirachensem Archiepiscopum Pontifici gratissimum. Ex Augusta-Cæsarea. idibus Septembris, MDXVIII.

EPIST. DCXXIX.

Vastavit Hungariam Turca sub dissimulatione pacis. de deprehensis magis ac sagis combustis. de classe in Insulas aromatum. de successore magni Cancellarii.

P. M. A. M. Marchionibus.

CHristiani Principes dormiunt, Selimsachus vigilat solus, & vicina perturbat. Vafro est usus strategemate. Rex Pannonus, *Ungarum* dico, miserat eum salutatum congratulatamque victoriam per oratores. quod non tulerit in mandatis de amicitia ineunda, se moleste tulisse dissimulavit, suasitque Oratori, ut hoc suo Regi consulat, datque literas ad pacem & amicitiam invitantes, quo securum reddat Regem, ut imparatum queat adoriri. Interea per celeres tabellarios præsidiariis confinium præfectis imperat, ut incursionibus Pannoniam infestent. Heri mandatum exsecuti sunt Præfecti. Septem dierum itinere terram vastarunt, in prædam, quicquid fuit obvium, dedere. Apud Brixiam est val lis altis circumsepta montibus. ex crassis illius vaporibus, ob solis carentiam, est opinio generatum iri Spiritus varios. si de Necromantia quid est credendum, dæmonum opera putantur ejus vallis incolæ uti ad veneficia. Magos magasque deprehenderunt multos, octoginta combusserunt. Infantes peremisse innumeros, aërem terrasque turbinibus & nimbis insolentibus sæpe in regionum perniciem commovisse cum grandinibus & horrendis typhonibus confessi sunt. putant hac dira contagione infectam esse provinciam universam. Ad nos. in nostro Senatu regio de rebus Indicis conclusum est debere mitti classem quæ Insulas aromatum genitrices perquirant. duobus transfugis Portugalensibus à suo Rege discedentibus, qui vicinas earum terras longo tempore tractarunt, est provincia credita. In Collocuto, Canenoro, Cochino & Mellaca quam putant multi *auream* esse *Chersonesum*, horum alter septennio versatus est, ad quarum urbium nundinas & fora venum ab illis insulis aromata comportantur; quatuor & viginti millia ducatorum sunt ad classem hanc instruendam destinata. Si fauste res successerit, Orientalibus & Portugallo Regi commercia intercipiemus, aromatum & gemmarum, animos hominum effœminantium. Fernandus Magalianes est primario nomen. Rodericus Falerius alter, hic Astronomiæ peritiam profitetur. Ad alia. Mortuo magno Cancellario, suffectus est Mercurinus de Gatinera vir eruditus & Jureconsultus longo tempore Burgundi Senatus Princeps, & anno MDX. ad Catholicum Regem Fernandum pro Maximiliano Cæsare, proque Rege nostro Carolo, dum puer esset orator. Justus est & integer. Spero quæ prostrata inter Scyllam jacent & Charybdim, hujus consiliis resuscitatum iri, modo viam inveniat, qua de hujus classis rectoribus sciat evadere, ne ab eis suffocetur. tempus loquetur. Valete. ex Augusta-Cæsarea. xv. Calendas Octobris, MDXVIII.

EPIST. DCXXX.

It in Portugalliam Leonora Regina. Adagium de inguine tenero. Supplicatio Castellanorum contra Belgas. de instanti novi Cancellarii adventu.

P. M. A. M. Marchionibus.

EGregia nympha Leonora Regis nostri soror est Regina. hujus mensis die quinto iter cepit ad maritum Portugalliæ Regem. Albæ Dux ad limites usque Portugalliam à Castella dirimentes eam comitabitur. Don Alfonsus Manrichus Cordubensis episcopus illam ad maritum ducet. It comes Harpyiæ celerior curvis unguibus Xebrensis vetula, marito in rapiendo nihilo melior. Universam

versam Portugalliam, si universa præbeatur, devorabit. Magno constabit amanti Regi tenerum illud intactum inguen, seductis tot venditoribus. Ad nos. Audistis forte aliquando à Toletanis civibus & una Hispalensibus ex aliis quoque urbibus missos fuisse ad Regem nuncios supplicatum, ne tam crudeliter velit Castellam à suis Gallis & Flamingis excoriari; ne tam aperta manu Castellanas opes inter illos profundat; ne tam impie quæque vacantia vendantur; ne tot pecunias contra Regni Leges à Regno ab his, quos secum advexit, transportari patiatur, commercia confundi omnia, aurum jam in Castella non reperiri, & quod deterius est, Regem premi ære alieno, neque ex tanta auri alluvie Regiam propterea domum esse ditem; ne Castellana beneficia, ne Magistratus, ne præfecturas alienis impartiatur. Castellanas res Castellanis dari debere postulant: Flamingas Flamingis reminiscatur. hæc iter capere ad odium à summa observantia & amore, quibus ejus adventus desiderabatur. Hæc & multa præterea Regi dixerunt, sed frustra. regitur, non regit. incidit in latrones. repulsi sunt nuncii à Castellanismet interpretibus & actoribus patriæ titionibus, quo rem suam perficiant. hi Charybdeas Capri ac reliquorum ejus collegarum voragines & fovent & illis prædas monstrant digito, qui sunt aliunde, quærite. Jam satis. Mercurinum à Gatinera Cancellarium electum propediem venturum, dicunt jam esse in Hispania. sumus & amicitia ex quo Monzonum venit orator, & vicino natali conjunctissimi. Gatinariæ namque ipse, in Arona ego insigni municipio, sito in lacus majoris ripa, nati sumus ad milliaria duodecim. utinam liberum illi fiat posse sua natura & animi bonitate uti. Valete. ex Augusta-Cæsarea. VI. Calendas Octobris, MDXVIII.

EPIST. DCXXXI.

De dilatione curiarum. De Iustitia neglectu. de Capro & collegis ejus.

P. M. A. M. Marchionibus.

RAras mitti nunc epistolas conquerimini. rari eunt tabellarii. neque se offert quicquam nisi tragœdia dignum. Video trahi præcipitem à suismet secum advectis Regem à natura egregie donatum, quo magis illis guttura replet, eo latius ipsi guttura pandunt. nescit illis negare quicquam, sed nostrorum est primaria culpa. Ad Curias veniamus. Verbis se propediem expedituros Regi pollicentur: re autem parum expeditur. Jurgiosis inter se clamoribus dies consumunt totos, concludunt nihil. simultatibus agitati tendunt in diversa. hoc uno concordes, ne Rex quicquam imperet à suis Legibus alienum. hi Justitiam exerceri uno modo proponunt, vetant alii. Ne sicarios & homicidas proceres admittant, postulatur à populis. eunt contra Proceres, tolli de Libertate sua, inquiunt, si quicquam immutetur. Sic nos trahunt attonitos, & crumenas nobis rerum penuria evacuant. Sed gravius est & aliud postulatum. quæ cuique debentur pecunias vocant *greuges*, id est, gravamina. A veteribus scriniis educta corrosa portant multi diplomata & extra hominum memoriam aliqua, contracta esse debita illa cum suis majoribus à Regibus antiquis debita; deberi sibi stipendia dicunt alii *Alvalanes*, ut Aragonice loquar, ostendunt alii multorum annorum à Regibus præbitos, nec solutos. alii à potentioribus sua usurpari conqueruntur. Curias non passuros perfici, nisi ad unguem cuique satisfiat. est namque in cujusvis gravati potestate Curias impedire, licet humillimæ sortis, ne concludantur. Est hujus Regni donativum librarum ducenta millia: libra vero ducato undecima parte minor. ducenta millia opus erit, ut Rex illis superaddat, si greuges omnes sit soluturus. & quod ridiculum est, jam Caper & collegæ à fœneratoribus donativum illud, dicunt ipsi *servitium*, exegerunt & conculcarunt in Corbanas, fœneratoribus parte non exigua designata, quo pecunias prænumerarent. Itidem & de Castellano donativo fecerunt, passerculum manu tenere malunt quam volantem perdicem exspectare. ita & Rex & fœneratores se deceptos in fine ludi reperient. quia si quod Aragones præbuerint in suos ipsimet greuges, quicquid erit, dispartientur, vento plenas ab eis dexteras Rex asportabit, ære alieno pessundatus. Valete. ex Augusta-Cæsarea. XIII. Calendas Decembris, MDXVIII.

EPIST. DCXXXII.

De obitu & funerali pompa I. Trivultii. Fœdus ictum inter Gallum & Anglum. de auxiliis Galli contra Turcas. autoris loco alius legatur ad Turcam. Comparatio Capri cum fœneratore. de classe Hispaniæ.

P. M. A. M. Marchionibus.

DE J. Jacobo Trivultio Mediolanensi cive quam egregius bellorum magister, quanta sciret creditos exercitus arte guberna-

re,

re, quam astutus, quamque sagax esset in explorandis hostium consiliis, illisque obices opponere, puto vos à me sæpius habuisse. Is animi tædio confectus diem obiit exul, hujus mensis quinto in oppido Galliæ dicto *Diarities*, ab urbe Parisio duorum itinere dierum. Merita suscepit obsequiorum tantorum à Gallis præmia. ter Gallis patriam pede sicco præbuit. nunc jam quiescit à turbulentiis ab eo satis in Italia. Hic est ordo fatorum, ut qui vitam agunt in humani generis perturbationem, turbati & ipsi moriantur. Funeralem ejus pompam ajunt fuisse, qualem non Regi maximo pararint unquam successores. Mediolano propediem ad me illius ordo portabitur. Ad exteros. Gallus & Anglus Reges conveniunt: per oratores Anglos Parisiis jactum est fœdus. Tornacum, ea est Nerviorum caput, Gallis restituitur, expositis prius impensis omnibus tam bellorum quam in urbe ipsa factis, nequit Anglus tantum pondus in alienis terris sustinere. Christianissimus autem Rex ad provinciam in Turcas suspiciendam Pontifici offert peditum millia quadraginta, cataphractorum tria. Rex noster suam parat classem, ut expeditior sit cæteris Regibus expedit, quia in fronte hostem habeant. Ad me venio. postulatis annuerunt meis hi regii consultores. quiescere me jam sinunt à laboriosa ad Selimsachum legatione. Ad id onus *Garsiam* cognomine *Loaysam* S. Joannis commendatarium elegerunt: per dispositos equos Neapolim usque volitabit. inde à Prorege instructus comitibus trajiciet in Græciam. Ægidius Cardinalis legatus, nulla usus est, prohibente Capro, Apostolica facultate. In peram, ut est in proverbio, quicquid attulerat de thesauris Ecclesiæ, reportabit intactum, neque obolum habebit ex universis, de sua tolli crumena; bonus Caper, quicquid ad alienas manus venerit, arbitratur. Castellæ miseretur hic misericors, mille modis exhaustæ. fœneratorem imitatur Mediolanensem, qui pulpitarios hortabatur, ut quam detestabile sit crimen usura, quam Deo male gratum, quam proximo perniciosum, quanti sint fœneratoribus apud inferos cruciatus, quæ tormenta parata proclamarent. pio putabant zelo moveri bonum civem. At ille commentis his utebatur, quo cæteris metu pœnarum perculsis, solus ipse usurariam artem quiret exercere. Ne pecuniis Hispania spolietur, arguit hic temperans, quo solus ipse illas queat absorbere. Proh Hispani proceres, qui tam devoratorem colubrum & fertis & fovetis, quo usque jam tandem stertitis? nolo ultra. quia quo longius eo, magis excandesco. decimum octavum claudo annum, Hispaniæ præsentem & futuram deteriorem, nisi Deus averterit, calamitatem ingemiscendo, utinam felicioribus auspiciis sequentem incipiamus! Ex Augusta-Cæsarea. III. Calendas Januarii, MDXVIII.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS.

EPIST. DCXXXIII.

De lassitudine Regis in Curiis. Consultatio super Navarram à Gallis petitam. De casu Regis in Cortinis. de Selimsacho. de Fr. Chiregato. de Germana vidua regina.

P. M. A. M. Marchionibus.



Atholicus Rex Aragonum cavillationibus fastiditus, se discessurum Curiis non per actis minatur. paucorum dierum petunt intercapedinem Aragones; conventuros propediem pollicentur. super modo regendi Justitiam est major difficultas, licet gravaminum sit valde implicata negociatio. plura ipsi singulatim sibi deberi proponunt, quam in genere per universum Regnum sint præbituri. Nudius tertius Rex Proceres Castellanos, qui eum sunt comitati, accersiri jussit. Gallorum efflagitationes de Navarra restituenda illis aperuit, quid faciendum, aut quid respondendum sit, illos consulit. negatur & rejicitur petitio, dilata est tamen res. Ex Barchinona, quam propediem petemus, Oratores in Galliam mittentur ad rem de Jure discutiendam. Ex Castella, cui est annexa Navarra, Legum interea periti accersuntur, qui altercationi adsint de Jure arguturi contra Legis peritos Gallos. suis ista locis dicentur. Unum advertite,

tite, quid fuit universæ curiæ molestum: dum divinam rem Rex audiret in Cortinis, decidit exanimis, ilico tamen rediit. Ex non temperata cœna præcedenti partim id accidisse aliqui prædicant, non desunt qui putent eam cerebri vertiginem à Venere prodiisse. hac enim intemperie Philippus Rex pater ejus obiisse creditur à prudentibus. plures namque fœminas ad eum necessarii leones perducebant, quarum ego duas nobilibus ortas familiis agnovi, non autem ea morte, quam isti Galli & Belgæ Regi tenero nituntur persuadere, quo illum trahant in Hispanorum odium, tanquam & Regis & Hispanorum inimici, ne id quidem secreto, sed palam & sine rubore, cum objectione quadam barbara profitentur. Hæc ego tacuissem, ni Castellam ab ea labe nitidissimam labefacterent rabidi. Turcarum Princeps nunc voluptatibus indulget, imperat tamen ut militaris quisque præsto sit ad tubæ clangorem. In Curia nescio quid immurmuratur de *Germana* Regina vidua, quod de secundis nuptiis audiat nuncios. fœmina est & pinguis ac bene pota. quis dubitat, quin titillo medullitus mordeatur. Ab Urbe per novum nuncium Franciscum Chiregatum juvenem eruditum petit Pontifex à Rege, ut Tripalda municipium in Regno Neapolitano restituatur Ursinis, suis ex sorore nepotibus, à quibus bellorum tempore fuit ablata. sero arbitror fore, ut in hoc Pontifice obtemperetur, nisi forte fulgentis metalli rotulæ per caprarum dumeta rotatæ compulerint. Valete. ex Augusta-Cæsarea. pridie Idus Januarii, MDXIX.

EPIST. DCXXXIV.

De rebus ab Indis venientibus, & priusquam Rex illas videat, raptatis. De Aragonicis Curiis. Fama de obitu Cæsaris. De Ugone Moncada.

P. M. A. M. Marchionibus.

AB Indis & putato continenti proximis insulis, preciosi crebro afferuntur uniones. Sed quid Regi aut Hispanis tanti autoribus inventi prodest? priusquam terram capiant in litoribus Hispanis, illos hi regii gurgites, ut cætera emergentia olfaciunt, odoris canibus Hispanis plena sunt omnia Regnorum loca. nil pullulat, à quo extorqueri possent opes, quin mille accurrant satellites, arte jam intellecta, Gallis & Belgis rem significantes, quo ipsi partem assequantur. qui primus Regem adit, is primus prædam rapit. facilius, quicquid petunt, Rex condonat, quam ipsi petere audeant. Xebrensis vetula rapuit primo certior effecta unionum libras octunciales sexaginta, plures alii dicunt. sed auditu est rabiosum ut jam ementes ab eis & sacra & profana, in monetamque ipsam spuant, si duplicibus & quadruplicibus ducatis simplex aliquis, vetus præcipue, nitentibus & decoris immisceatur, ut ipsi jocose contumelioseque garriunt. De Comitiis, mavis Curiis Aragonicis nil est ultra quod referam. peracta sunt omnia. peracta est & spes Regis de donativo. gravamina illi de manibus partem rapuerunt majorem. si quid restitit, fœneratorum sitis id omne corrosit. duodecies centena millia ducatorum, nos qui Regem secuti sumus, in hoc Regno reliquimus. sunt qui me stricte calculasse ajunt. quindecies amplius multi putant. ex misera Castella cuncta importata. Aragones ditavit, ditabit & Laletanos Rex, apud quos est rerum penuria durior. In Ilerda aurato flumine Sicori, & Petrei atque Afranii fato Romanorum ducum à Cæsare in ejus agro obsessorum nobili Urbe sumus. hic per incertam famam relatum est, Maximilianum Cæsarem vita functum. A classe nostra, cujus est præfectus Ugus Moncada fertur naufragii reliquias esse in insula Ebuso, dicit vulgus *Ibizam*, salinis egregiis notam. tumultibus student milites. neque obolus illis præbetur. jam insulam universam depopulati sunt, fame adacti. armenti aut gregis pecus jam Ebusanis restat nullum, nec quid comedant, aut quid serant, uti ipsi conqueruntur. ad Regem oratores miserunt, quos ego lachrymis effusis cum animi angore audivi. sic vivitur cum hac avara gente, sub Rege clarissimo, tenebrosissima. Vos valete. ex urbe Illerda. III. Calendas Februarii, MDXIX.

EPIST. DCXXXV.

Instat legatus de classe. Obiit Aragonius Cardinalis. de pullis vestibus. de pompa funerali Cæsaris. cui succedere qui velint. de Laurentio Medices Ægro.

P. M. A. M. Marchionibus.

FEbruarii die decimo septimo Barchinonam pervenimus. hic Pontificius legatus instat, ut classis mittenda præparetur. repentinam Romæ Turcarum timent irruptionem. Cardinalis Aragonius regio sanguine ortus periit. Naturali an adjutus morte dubitatur. repentinus namque rabidusque fuit exitus. De Curiis sunt hæc, de nobis vero, eadem facta est Laletanis, *Catalanes* dicitis, Propositio, quæ in Aragonicis conventibus, per eundem

eundem Aragonium protonotarium. in tertium inde diem, ob propalatum avi Cæsaris obitum, pullas sumpsit vestes Rex, sumpsit & universa Curia. pompa funeralis in templo primario structa est, qualis à tanto nepote tanto avo instrui debuit. Coronam Imperii speramus ad Regem nostrum venturam, Electorum beneficentia in eum. Legati Pontificii postulata jam auscultantur. terrestres ac maritimæ censentur Neapolim versus mittendæ copiæ. Timent hi Belgæ regii non minus Pontificis animum pronum in Gallos. Minatus est Legatus sæpenumero conventurum Pontificem cum Gallo, ni classis properanter instrueretur. suspicamur & jam convenisse. aliter enim nisi necessitas urgeret, obdormirent in pecuniis exhibendis. Durum est illis amplexandas, & sub spe apparentes, dissolvere. de jam coactis non est cogitandum. Rex Gallus apud Anglum instat, ut in sui favorem ad Electores scribat. Recusat Anglus, æternum quod recusabit. licet aperto fœdere sint colligati; animis tamen convenient nunquam: est inter eos immortalis simultas. Nititur Gallus totis viribus à nostro Rege Electionem Imperii divertere. sibi efflagitat primum. Sed si assequi nequibit, favebit tertio cuivis. Laurentius Medices Pontificis ex fratre nepos, Urbini Dux, gravi laborat ægritudine. est sitis impatiens, non paret Medicis: propterea citato cursu Florentiam petiit Cardinalis Medici, ejus propinquus. Pontifex ægre fert ejus morbum. Est tamen adeo bonæ naturæ, quod facile disjiciet quicquid evenerit. Vale Barchinonæ. XII. Calendas Martii, MDXIX.

EPIST. DCXXXVI.

Durachensis ad Urbem legatus, ne classis parata mittatur, efflagitat. de Martino Spinosa. unde Cæsaris mors.

P. M. A. M. Archiepiscopo Durachensi Papali Sacristæ majori.

DUas habui abs te literas, ex quo à me ex villa *Populа* Augustæ-Cæsareæ vicina, ubi ego semotus à molestiis curialibus ociarer, mecum meridiasti ad Urbem rediens, cur à me petis, ut, quid novi emergat, tibi significem, donec apud nos est Romanus legatus, quem ad has tu regiones extremas comitatus es. Ingemiscebat, uti ego tuque testes sumus; Legatus, quod tepide classis pararetur, plangit pectus nunc quod sit parata, vertit folium, ne mittatur, efflagitat. quæ nova formido est hæc exorta repente? paulo ante Turcarum furores tremebatis, nunc nostros videmini extimescere. si forte quid adverse machinati estis, quid vos in suspicionem traxerit, vos videritis. Bis mille sunt & quingenti equites cataphracti, velites paulo pauciores, pedites autem decies mille destinati Neapolim trajicientur. Abominandum aliud quod in summum Pontificis dedecus fertis emergit. Quid arbitramini judicatum de nefando doctore Martino Spinosa Sacræ Rotæ auditore, quod se procuratorem causarum, cum sit judex, efficiat? hocne Papa dissimulat? hocne consentit? Quid mirum, si Christus patitur perturbatum iri Petri naviculam, aut scopulis collidi, donec putridis tabulis ab ea discerptis, novis & recentibus incolumibus reficiatur. tale facinus admittitur, ut idem sit judex in causis alienis, & procurator, contra Regis familiares præsertim, cujus est favore ex gleba effectus homo. quam aptus sit scriptoribus campus de quocunque mortali in utramque partem, meo nomine Pontifici aperite. Nisi Spinosæ flagitiosas spinas & collegarum ejus amputaverit, prodere in vulgus cogemur, qualis Pontifici sit Patientia. Duodecimum Januarii diem ais rapuisse Cæsarem ab orbe terræ, id jam intellexeramus. dies laboravit ægrotus viginti. teneros puellæ amplexus fama est illi properasse interitum fluxu sanguinis. obiit in oppido inferioris Austriæ, nomine *Vek.* Vale. Barchinonæ. VII. Calendas Martii, MDXIX.

EPIST. DCXXXVII.

Quid repertum in Cæsaris gazophylacio. de aureo vellere.

P. M. A. M. Marchionibus.

AUditu gratiosum est, quid fuerit inter arcana Cæsaris supellectilia repertum. duas quocunque proficiscebatur, secum habebat arcas, grave jumenti onerarii gestamen. Auro plenas putarunt cubicularii semper ad casus inopinatos parato. Marmoreas repererunt tabulas sepulchrales, qui eas incluserit, nemo repertus est. Testamento præterea explendo suæ domesticæ capellæ initiatos & cantores præfecit, neque majoris dignitatis quenquam. familiaribus nil legavit. sui studiosos ait, non ipsi bene obnoxios fuisse. Mortuo Cæsare, Dux Bretumberchensis è Germanis Principibus unus à Cæsare, dum viveret, ob rebellionem privatus in Imperium, perturbaturus Germaniam, Gallo Rege stimulis & pecunia favente, transilivit. Electores autem, uti moris est, intra semestre suffragaturi de Corona Imperii convenient: si distulerint, res defertur ad Pontificem.

ficem. qui & ipse nititur toto conatu nepoti Laurentio apicem eum Imperatorium comparare. Magna uterque Pontifex & Gallus Rex Electoribus pollicentur. Duros habet Rex noster competitores: ad eum tamen, quod Germanus sit, magnaque & ipse offerat, directuros animos arbitramur. Constabit magno. Nollent Electores fulgidos auri nostros nummos, si offerantur, de manibus insufflare, si è Castella præcipue, uti puto fore, exhaurientur. dulce est ac jucundum hoc nostrum virgineum metallum, in venustas & cunctis mortalibus gratas formas diductum. Ad alia. Hujus mensis die quinto Rex aureo suo Vellere Proceres insignivit, dicit vulgus *Fuson*. est collo pendens agniculus aureus, obsequentiæ vinculo adstringuntur qui suscipiunt. Magnus affuit Comestabilis Castellæ. Affuerunt & Duces Albæ, Cardonæ, Begiaris, Princeps Vissignani, Almirantus, Asturicæ Marchio, cuique fuit in templi majoris sedibus locus assignatus, cujusque stemmatibus à tergo depictis. fraternæ religionis est quoddam vinculum. aderant & veteres alii in id collegium alias admissi. Si adfuissetis & vos decentem agnum vestris pectoribus ex pulchre laborato pendentem torque habuissetis. absentibus hi non præbentur honores. Valete. Barchinonæ. nonis Martii, M D XIX.

EPIST. DCXXXVIII.

De solemni pompa funerali Trivultii. Ejus epitaphium. Germana Regina nubit Marchioni Brandenburgico.

P. M. A. M. Marchionibus.

Dixi alias functum vita fuisse magnum Trivultium in exilio. Allatus est pompæ funeralis ejus ordo. nulli Regum fuit latior præstita. Mille præciso numero pueri, puellæ mille, rustici bis mille cereos feretro pullati præferebant singulos. una omnes voce clamabant: *He morto il patre de la patria.* Sub lingua multos è converso immurmurasse credendum est, nec immerito quidem. illius enim novos motus semper in adversæ factionis cives quæritans, animus inquietus, Italiam perturbavit sæpe universam. feretrum sequebantur cataphracti equites centum, signiferi quinquaginta, scutati totidem. Trivultii stemmatibus in pictis pullis vestibus terram verrentibus. ex affinibus & amicis mille nobiles bustum comitabantur, & gestabant tractim. Viæ qua funus ferebatur coopertæ pulla omnes. Religiosis templa omnia cœnobiaque fratrum evacuata; horum fuit numerus innumerus. cantibus omnes mortuo gratias agebant, quas vivo minime forte egissent. à mortuo namque cereum quisque ingentem est assecutus, quem à vivo non rapuissent. Hæc & inania multa, unum ex his omnibus mihi elegi non tacendum. Est Epitaphium viro conveniens hujusmodi:

JACOBUS TRIVULTIUS QUI NUNQUAM QUIEVIT, NUNC QUIESCIT.

consonum est vitæ, an post mortem quiescat, qui patriam quiescere nunquam permisit, ambigo. de convicino meo Trivultio satis, extremum illi dico Vale. *Germana* ex Catholica Fernando vidua, ex Regina transformata est in Marchionissam, Umbratili Brandalburgensi Marchioni nupsit. Impudice jam sese ostentat, gemmis auroque onusta. Hoc Rex promiserat, si verus Marchio Elector hujus frater suo adesset suffragio in electione. Nullum habuit magis adversum bona fœmina, de conditionibus nil curans rem apprehendit, verba non fecit irrita, fœmineum opus exegit, & vetitis diebus quadragesimalibus: ardentius propterea furit, quia quo flagitiosius aut impudentius quid committitur, eo tenacius absorbetur. Barchinonæ. XVI. Calendas Aprilis, M D XIX.

EPIST. DCXXXIX.

De variis artibus quæsitis ad pecuniarum emunctionem.

P. M. A. M. Marchionibus.

Vorago hæc inexhausta Caprensis, quæ non solum Regis & Regnorum ejus facultates expilat ad ossa usque, sed honorem & famam devorat, commentum reperit novum, quo si quid reliquiarum auri restat, id omne recolligat, vindemiavit Castellana vineta, sagaci nunc naso quæritat, si latens inter palmitum folia racemus aliquis acerbus à frondatoribus relictus sit, ut illum ipse decerpat. Regis supplicatu ipso impellente impetravit à Pontifice mandatum extorquendi redituum omnium Ecclesiasticorum decimam. Rem tentavit Hispanis inauditam, neque in Conciliis unquam generalibus exigi permissam, nisi jam alienæ Legis hostes irrupissent alicubi contra Christianum nomen. si patietur Castella id onus, erit ejus exactio ingens. undecies centena millia misisse hunc & minores Harpyias in Flandriam, dixi alias. duplicarunt ab eo tempore forte tenacius ansam, extorquendi modos excogitat, quos neque Crassum aut Midam reperire potuisse crederetis.

Non

Non inficior, quin Hispanimet sint neophytæ sagaces ut plurimum, qui arcanos Belgis ignaris cuniculos detegant, monstrentque digito, ut prædæ partem ipsi assequantur. Attamen quæ debet admitti excusatio de Capro, cum videat his artibus aperte iri perditum & regna & famam pupilli Regis optimæ naturæ, quem educavit, quique adolescens adhuc illius fidit consiliis, & solam forte putabit is excoriari Castellam. Multo rabidius mandunt spumas Neapolitanum Siculumque ac Regna cætera nostri maris Hispano jugo parentia: hinc illorum ploratus & planctus exaudiuntur. Vos valete & vestræ Castellæ futuram deteriorem calamitatem exspectate. nequibunt namque Hispani tantam tamque ignominiosam expilationem diu perferre. Sed vereor ne sero sapiant. A Germania proximi veniunt Oratores ad Cæsarem, quæ ferent habebitis. Valete. Barchinonæ. non. Maii, M D XIX.

EPIST. DCXL.

Spes Caroli ex conventu Electorum. De conventu nostrorum in Gallia super Navarra. Laus Magni Cancellarii.

P. M. A. M. Marchionibus.

IN Francfordia urbe Germana Imperatorum Electores conveniunt. Speratur electio in Carolum Regem nostrum. Super negocio autem Navarræ, quæ repetitur à Gallis, ierunt Oratores, & re infecta redierunt. Narbonæ pedem fixerant. in Gallia conventui assignata est civitas Mons Pesulanus, vulgo *Mompellier*. Nondum ad statutum venerat locum magnus Franciæ magister, ad controversiarum discussionem audiendam cum Parisiensi antistite, & multorum Regum à secretis Roberteto, ob longam rerum experientiam Gallicarum negotiationum sagaci directore. Venerunt tandem Galli. adierunt nostri. Mons. ille Xebres, de quo multa, & Mercurinus à Gatinera magnus nostri Regis Cancellarius, vir integer, incorruptus, & Belga Jodocus, argumentator egregius, cum plærisque Castellanis Jurisperitis. Res fuit discussa, minime conclusa. Per urinam egerebat sanguinem magnus ille magister Gallus. interiit eo morbo. Nostri autem veriti, ne si res ad Christianissimum Regem devenisset, forte detinerentur, sub prætextu alterius sufficiendi defuncti loco, donec fines Gallos postergaverint, longis regressi sunt itineribus. Eodem nostri jure se retinere Navarram arguebant, quo Galli Narbonensem & Tolosanam provincias retinent, à Martino Pontifice Gallo præ inimicitia cum Hispanis ablatas, Regis Aragonum rebus in prædam datis, ob inobservantiam, ut Martinus ille Pontifex Gallus formato processu prædicabat. Juratum à Laletanis reperere Oratores Germani, quos diximus adventare: sed corregnantem, non absolute. Controversiis diu actum est: An matre vivente liceret Regem appellare, & an super additis conditionibus matre annuente, aut si mater resipiscat, si est invalida, uti arguitur. Ab Urbe autem habemus, mortuum esse Pontificis nepotem Laurentium Urbini Ducem. audita illius morte, patruum Pontificem ajunt hæc verba dixisse: *Deus illi parcat. Si diutius vixisset, & patrimonia universa & nos ipsos dilapidasset.* erat enim prodigus. Boni est stomachi Papa hic noster. hoc sublato, facilius erit iter nostro Regi ad Imperium. Durus fuisset competitor. Barchinonæ. Idibus Julii, M D XIX.

EPIST. DCXLI.

Quid inquiat Loaysa orator. à Turca quomodo tractatus fuerit. Descriptio magni Turcæ. comparatio Peribassani & Capri. de moribus Selimsachi.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Selimsacho Turcarum Principe rediit Orator Loaysa, de quo alias. ad me venit. Amplam sui discursus rationem mihi præbuit. In Adrianopoli Curiam reperit. ea urbs à Constantinopoli distat itinere dierum trium. ducitur, sed semivinctus, ad Principem: utrumque enim illius latus familiares aulici claudebant, ipso per duos thesaurarios secretiores utrimque adstricto per lacertos. *an genus aliquod telorum secum afferat latens*, interrogatur: *se nullum habere*, inquit; totum perquisivere tamen, suspicari videbantur. *Ex patria vetere consuetudine* id ajunt, *non suspicatione fieri*. Introducitur tandem, supposito pulvinari solo sutoris more pedibus reductis sedebat Selimsachus, Persice indutus, ex quo Sophium Persarum Regem se vicisse prædicat. A dextris arcum, à sinistris latum ensem stratos habebat; parvum esse ait & macrum icterico fere colore, oculis semiviridibus, magnis, ampla fronte & pectore: assurrexit Oratori parumper, resedit ilico. tentavit accedere Orator, ut Hispano more illi dexteram oscularetur; ac si crimen aliquod admisisset, retractus fuit, cum rugosis adstantium frontibus. Credentiales Oratores literas accepit primarius Selimsachi educator, qui aderat stans pedibus. Is *Peribassanus* appellatur.

latur. autoritatis esse dicitur maximæ, ac jure merito. Ad salutationem & victoriarum congratulationem ab Oratore propositas nihil respondit Selimsachus. Ita reducitur ab iisdem comitibus noster Orator, inscius, an sit vocalis, an mutus Selimsachus. In hujus Principis curia & regnis fama est magnarum rerum quas gessit autorem fuisse institutorem ejus Peribassanum. hinc potest colligi, quantum vel erigantur vel sternantur Principes educatorum consiliis. sua Peribassanus fide in pupillum suum, illum evexit ad sydera, qui erat inops, ejectus à patre. Trahit nostrum Regnis onustum præcipitem istius esurientis Capri avaritia. De crudelitate Selimsachi multa feruntur. imperii causa fratres duos, nepotes quinque, præfectos genitoris decem peremit, & manu propria quosdam ex his qui patri viventi consulebant, ut foris retineretur, ne sereret in Regno simultates. septies dicitur non sine vitæ discrimine collatis signis pugnasse. Mendax est & fallax, avarus etiam, justus tamen, est omnibus formidolosus. cupidum se ostendit feriendæ pacis cum nostro Rege. Multa prætereo mihi narrata, quia non ea facio digna memoratu. Barchinonæ. XIII. Calendas Julii, MDXIX.

Epist. DCXLII.

Prosper Columna ad Regem. De Vesca Duci Alba restituta. Piratæ Rege inspectante percurrunt & litoralia loca vastant. de Cleri conventu contra decimam.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

Prosper Columna primas familiæ Columniæ Romanus Regem venit salutatum, ut is cujus familia est Hispanæ coronæ observatrix, ob multa quæ habent Columnenses in Regno Neapolitano municipia, honorifice susceptus est. Quid aliud afferat, nescitur. Ad alia. De Vesca oppido in Granatensi Regno, quod ab Albæ Duce defecerat, inquiunt non potuisse Catholicum Regem Fernandum id oppidum abalienare à Corona, quod gubernator esset Castellæ, non Rex. Jam oppidanis invitis est Duci Albæ restitutum. erit hoc nostro Fagiardo Marchioni sub mea disciplina tibi condiscipulo molestissimum, qui semper ea in re Duci Albæ fuit adversatus, oppidanisque dedit in Ducem suppetias. Ignominiosum audi aliud factum. veluti elegantes per aulam regiam solent tuto deambulare, ita piratæ coram nostris, Curiæ dico ac Regis vultibus, in prospectu velificant. Medium videntur ostendere nobis unguem. litus universum hoc infestant, in prædam dedere oppidum ad milliaria hinc duodecim, duxere captivos vicinos omnes, & majora minantur. proh dolor, proh dolor! de obolo expendendo ad hanc damnosam ignominiam tollendam nulla mentio. De hoc satis. Ab universo Hispano Clero assunt procuratores. citor & ego ad conventum, ut Granatensis metropolitanæ Prior. inter Scyllam versor & Charybdim. in Regis postulata dicere nefas est, quia regius sum rerum Indicarum Senator, ut annuatur tributum grave, horrendum auditu. Ibo vocatus & tacebo, compescam digito labra, vel Toletanis suffragiis rem Granatensem credam. unanimes omnes eunt pedibus in negativam. Pontificem arguunt, id nequivisse concedere. Conciliorum sanctiones adducunt in medium, quæ decimam posse à Pontifice peti vetant, nisi jam ab hostibus nostra religio reipsa comprimatur. Ad congregatos procuratores missi sunt à Rege, mavis à Regis corrosoribus, suasores, Cardinalis Dertosensis Regis adolescentis præceptor. Comites illi dati sunt Mercurinus à Gatinera magnus Regis Cancellarius, Burgensis & Pacensis Episcopi, Bisuntinus Decanus, Belga Panormitanus designatus, antistes & Licentiatus Vargas thesaurarius. Oratorum officio male usi sunt, quandoquidem non reliquere persuasos auditores. Nil responsum est præter negativam. Neque libum ex hac farina sibi pinset bonus Caper. Vale. Barchinonæ. IV. nonas Julii, MDXIX.

Epist. DCXLIII.

Est electus Imperator Rex. de illius genio & ingenio multa. Literæ Electorum & nomina. de Classe & militibus.

P. M. A. M. Marchionibus.

Fauste feliciterque factum optate, uno Electorum consensu Rex est Romanorum nuncupatus Carolus Rex noster, cujus ingenio, cujus indole, cujus benigna natura nil felicius, cujus genio nil infelicius, qui teneram ejus ætatem ab educatione tyrannica non præservavit, per celeres cursores, qui citatis equis volitant cum talibus præcipue nunciis, habemus conclusum fuisse IV. Calendas Julii in Francofordia, ubi convenisse diximus ad id ministerii Electores. vultis Electorum nomina, ut quisque suo suffragatur ordine, accipite. Tres primis fruuntur suffragiis Archiepiscopi, Albertus Maguntinus, Hermanus Coloniensis, Richardus Treverensis,

rensis. Sequitur Boëmiæ Rex qui per procuratorem gessit. Dehinc seculares alii optimates, Ludovicus Palatinus Comes, Federicus Saxoniæ Dux, & Joachimus Brandalburgensis Marchio. Literarum titulus ab Electoribus missarum hic est: *Omnium Serenissimo, Potentissimo Principi & Domino, Domino* Carolo, *nato Archiduci Austriæ, Regi Hispaniarum, utriusque Siciliæ ac Hierusalem, & Duci Burgundiæ, Brabantiæ Comiti, Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Domino nostro clementissimo.* Epistolæ calcem his claudunt verbis: *Electionis ordine & significatione narrata, humile, debitum & promptum nostræ servitutis obsequium.* de hoc satis. De classe nostra parumper. Classi præfectus est Capræ Comes, vir quippe aptus ad magnas provincias capessendas, est jam semiparata, ingens erit. Rostratarum navium septuaginta, triremium terdecim. timet Gallus, ne ad perturbandam in se Genuam, dehinc Mediolanum instruatur. propterea Genuenses in remis feruntur habere triremium & levium aliarum navium copiam in actu paratam. Quando vela ventis dederit, particularius quæ & qualis erit, habebitis. Valete interea. Barchinonæ Idus Julii, MDXIX.

EPIST. DCXLIV.

Derisus Laletanorum de futuris Curiis.

P. M. A. M. Marchionibus.

Quid agatur in conventu hoc Laletano, accipite. Quando huc pervenimus, hi cives cum lepido surrisu nos exceperunt, dicentes: *Duplicibus & quadruplicibus aureis nummis Aragoniam implestis; nonne oportet & nos, qualis illius auri virginalis Indici sapor sit, degustare? Novem egistis in Aragonia menses, duodecim est æquum apud nos.* putabam joco dici, in rem convertitur, ut video, amarus hic lepos. Anni jam est pars dimidia transacta, nec cœptum est agi quicquam. Jusjurandum de dando nomine Regio, longioribus & jurgiosioribus argumentis hi distulerunt quam Aragones. Nunc est gravaminum contentio proposita, dicunt ipsi *Greuges.* Est horum gravaminum tanta postulatio, ut arbitremur ad Regis ærarium neque obolum proventurum. Balbutiens Berengellus quinquaginta petit à Rege ducatorum millia, de triremium, cujus fuit diu præfectus, gubernatione; ac si præclarum aliquid multorum annorum intercapedine patrasset. nec finientur curiæ, donec ad unguem postulata omnia compleantur. è veteribus scriniis diplomata corrosa multi producunt à Rege Martino & reliquis successive Regibus Aragonum, audita nunquam; admittuntur tamen à Curiis. Cur ista nulli Regum petita nunc petantur interrogati, Laletani respondent: *Cernere se Flamingorum & Gallorum, Regem regentium, cogitatus qui sunt apprehendendi quicquid venerit obviam, ut aufugiant tanquam ex hostium terra: propterea nolle se neque debere, quæ sua sunt, amittere, quæ præteritis Regibus omittebant, quia & patres eorum nutrierant & filios ac se aluerant: si Reges obsequiis & donativis prosequebamur, in nos ipsos & lares nostros cuncta revertebantur.* Hi sunt horum civium sermones, hi joci conversi in effectum. ad ossa usque nos corrodunt, tum hospitiorum conducturis gravibus, tum alimentorum mira caritate. Barchinonæ. XIII. Calendas Augusti, MDXIX.

EPIST. DCXLV.

De gravibus exactionibus à viatoribus defensis. de variis & oppositis affectibus Belgarum & Laletanorum.

P. M. A. M. Marchionibus.

Non magis vincti carceribus detinentur quam nos in his terris. In confinibus quicunque cupit in Castellam redire, ter excoriatur sub vectigalium nomine, è Laletanis in Aragoniam aut Valentiam primo, ex Aragonia in Castellam secundo, nec lenius aut mitius intra Castellæ fines tractantur à quæstoribus & publicanis viatores. ac si hæc Regna Turcis, illa Sophianis Persis parerent, ita dura est exactio, ex antiqua priscorum temporum consuetudine, in quibus sub Regibus diversis, diversisque animis vixere, hoc evenit: sub uno nunc Rege accipientia Leges, inveteratos retinent tamen mores. Sed comprehensos nunc alia nos tenet ratio. Rex optat hinc discedere, Laletani sentiunt aliter. vellet Rex, ne Greuges peterentur; statuunt Laletani neque obulum prætermittere. aperte dicunt, se nil ultra exspectaturos à Rege, quem intelligunt soli discessui inhiare, ex Belgarum & Gallorum, qui eum à teneris educarunt, consilio. De Regis indole nil satis dici potest. excellentissimæ naturæ ac munificæ est, sed veluti capistratum trahunt eum avarissimi nutritores; neque didicit faciem vertere, aut aliud eligere, quam quod illi suadent. quos neque abyssus auro farcita saturaret. hinc præ invidia recto nequeunt oculo Hispanum inspicere quenquam. formidant, ne de ipsorum faucibus prædæ tollantur. Callidius hos Laletani quam vos Castellani cognoverunt. Ab his neque furfuris atomum, neque cineris favillam assequentur

unquam, si forte solitum tercentarum millium librarum quæ ducatu sunt minores parte duodecima, donativum Laletani assignaverint, illud inter se sub gravaminum occasione partientur. labra super hoc mordet Caper & cæteri minores Cerberi. Laletani qui eos noscunt neque timent, derident. rabie premuntur illi, salivam degluriunt hi. sic vivitur. Valete. Barchinonæ. IV. Calendas Augusti, MDXIX.

Epist. DCXLVI.

De magnis & parvis lupis multa. quantum excorient & corrodant Regem.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Castellanis dilacerationibus ad Neapolitanas divertamus parumper. quæ ferantur, accipite. Illustrem hunc Prosperum Columnæ familiæ caput in Urbe venisse ait vox populi, & forte non vulgarium, ad Caprensis ingluviei famam. A misero pupillo esuriens educator, Soræ Ducatum in Regno Neapolitano extorsit & una maris præfecturam. is magistratus dicitur *Almirantatus*. Audio & alia multa in illis terris, Capro suadente. Rex mutaturum se Ramonum à Cardona virum jam longa rerum experientia prudentem in illius Regni gubernaculo sæpe locutus est. Dedit operam per callida strategemata bonus vir, ut res ad Proregis aures deveniret. Ramonus ne tanta injuria afficeretur, per Prosperum ipsum obtulit Capro centum ajunt & viginti, nonnulli centum quinquaginta ducatorum millia sub nomine venditionis Ducatus Soræ, ac præfecturæ maritimæ, quorum sunt redditus non tanti faciendi. puteos implet Flandricos hic bonus Caper, & Regis pupilli domum exhaustam & conquestibus plenam relinquit. ad ossa usque illum corrodit. Millia ducatorum annuit plærisque Rex ex necessariis, qui centum argenteos nunquam sunt nummos assecuti. Sunt de parvis lupis inter quos Tympanistria qui Carolum Regem Franciæ, quando Neapolim petebat, fistulam pulsando scurram imitatus comitabatur. Sunt è cubiculi servis non pauci quibus multo plura ducatorum millia impartitus est Rex, quam obolos unquam possederint. ex his lupulis innumeros habet apud se Rex famelicos hiantes. Hi ad quater & quinquies, sexties etiam & decies millies ducatorum fauces aperiunt. Caper autem & stabularius, Brixianus etiam quidam & Beurre, Marchioque ille qui Germanam ex Regina transformavit in Marchionissam, non aperiunt crumenæ ligulas ad has tenues escas. depauperarunt hi & Siciliam. Ex Sardinia tentarunt Marchionatus Orestani redditus, ad exoneranda Regis Joannis debita designatos, absorbere! Sed id Aragones minime passi sunt. plura dicentur alias. Valete. Barchinonæ. Calendis Septembris, MDXIX.

Epist. DCXLVII.

De classe vela dante sub Moncada. de acribus Caprensis Comitis conquestibus.

P. M. A. M. Marchionibus.

EAt classis bonis avibus. quarto & quinto decimo hujus mensis vela dedit in altum. Ugum Moncadam Siciliæ quondam Proregem illi præfecerunt. recusavit Capræ Comes provinciam, cui fuerat prius demandata. Neapolim putarat fore mittendam, uti prædixerant, ubi se arbitrabatur cum summa autoritate futurum generalem armorum ducem & forte Proregem, sive quod temporum sit alia ratio, sive quod Ramonus alter à Cardona diu Prorex aurato præoccupaverit rem strategemate, ut multi autumant. Quo sit classis primum jactura anchoras nescitur. Sicilia dicitur ad stipendia militibus persolvenda paratam habere pecuniarum ingentem summam; quia sit in lupi rapacis faucibus, ambigimus, an eas sit relicturus pecunias, qui nulli parcit pecuniæ. Inveteratam timemus cupiditatem. Impræsentiarum autem classiariis sunt stipendia magis promissa quam præbita; sarcita tamen discessit classis, neque deesse quisquam dicitur ex eo numero quem supra memoravi. Caprensis Comitis conquestus acres sunt. facultates dilapidasse ait suas, tum in filiorum quondam ad Regem dum Princeps esset missorum impensa gravi in Flandriam, ubi convivia & magnifica hastiludia celebrando ingentes opes consumpserant, tum quia ad hanc expeditionem designatam ex patrimonio tredecim ducatorum millia penderit, in parandis, quæ ad rem tantam erant necessaria. pecuniarum petit jacturam resarciri, quandoquidem honoris non licet. Valete. Barchinonæ. XIV. Calendas Octobris, MDXIX.

EPIST. DCXLVIII.

Pestem Rex fugit. invitatur à C. Palatino ad Imperialem coronam. Quam magni animi sit Rex & gravis. de Valentinis. de miseranda præda.

P. M. A. M. Marchionibus.

PEste urgemur. Badalonam à Barchinona villulam milliaria distantem tria Rex petiit. Contagio est illico subsecuta, longius Rex Cæsar aufugit, oppidum à Barchinona milliaria distans octodecim, dicunt leguas sex, inhabitat: turrim ego itinere in medio sancto Olivæ quondam atrium incolo. A diversis Germaniæ Belgicæque Galliæ regionibus oratores confluunt. est ingens concursus. Venit Principum Electorum nomine Comes Palatinus, electionem Imperii stante sulta Optimatum corona obtulit. Res visu digna sine ostentatione ulla tantum honorem suscepit. Rex jam Cæsar quicquid in humanis præstare fortuna potest, visus est nihili facere. tanta est ejus gravitas & animi magnitudo, ut habere sub pedibus universum præ se ferre videatur. Germanorum Principum nomine suadet hortaturque Palatinus Orator, ut ad coronam capescendam se accingat properetque. Auscultat libenter nuncium natalis Patriæ cupidus. Belgæ familiares domestici onusti auro libentius. Sed hiatu avidiore satrapæ ipsius, quorum consiliis regitur, libentissime. Hispaniam Hispanis esse relinquendam; Flandriam Flandricis esse commodam publice fatentur. Valentinos differt, uti suspicatur conventus. Amissurum se Regnum illud prudentiores Regi prognosticantur, ni accesserit. Nil curandam avari suadent. Redeundum in patriam & coronam imperialem esse quærendam ajunt. vincet arbitror conterraneorum postulatio, qui suo student commodo, & suo desiderio optatam arguunt causam, de Imperio scilicet. Sentiunt & à Valentinis neque obolum se habituros de donativo, quia gravaminum intelligant petendorum summam esse numerosiorem: dicunt & Valentini greuges. fertur præterea triginta jam ducatorum millia sub gravi fœnore capta, sub spe donativi ejus præbendi, si Curiæ Valentinæ celebrabuntur. ita teritur, comeditur, corroditur, absumitur ab internis educatoribus, & fœnorum magistris. Non desunt qui arbitrentur & judicent, id à suismet primoribus agi data opera: quia Gallico sint nomine affecti, secretaque à Gallis recipiant stipendia, quo miseri juvenis vires hebetent, ne queat, si forte cogitaverit, caput erigere in Gallos. Hæc varie summurmurantur. Hæc uti colligo, suscipite & valete. Barchinonæ pridie Calendas Decembris, M D XIX.

EPIST. DCXLIX.

De calamitosa esurie Bugianorum militum. De Francisco Garaio. It autor Valentiam.

P. M. A. M. Marchionibus.

EX Afra urbe Tabraca, *Bugia* dico, venere nuncii ab obsessis nostris præsidiis, agrestibus herbis, neque illis ad saturitatem contentos quinque se ajunt menses egisse, arcibus inclusos, nequeunt sine vitæ discrimine inde caput exserere. Ea se pati extrema, inquiunt, ne si ab Afris deprehendantur, dedere arces cogantur; se tantum dedecus non admissuros, ut spiritu anhelante cedant hostibus, remque à suo Rege creditam amitti patiantur, quo animo id referant, memoratu dignum est. Bis cocti tantum panis sumulam ad esum & pulveris globulorumque tormentariorum, qui accedentes hostes queant salutare, postulant sibi & sociis dari. Ita leviter super ea ærumna sermocinantur, ac si de scaccorum ludo fieret mentio. Quanto sit in tuendis arcibus creditis vestrorum Hispanorum constantia, hinc colligite. Ab Orbe novo scribitur, Franciscum Garaium Jamaicæ insulæ gubernatorem, ea est Hispaniolæ & Cubæ australis, ad cultum redegisse talem Jamaicam, ut in ea colonias jam plures erexerit. Ubertate soli beata est ea insula, in qua vix toto anno diei ac noctis noscitur discrimen. ibi temperies gratissima. culturæ magis quam auro legendo intendunt, licet ibi aurum reperiatur. Armentis gregibusque referta est jam. cogitat Garaius alias quærere vicinas insulas. ad id naves instruxit sua impensa. est aliud referendum. Moneor ut me apparem ad iter Valentiam versus, Hieronymo Cabanillæ prætoriæ cohortis præfecto futurus comes. Irrita puto fore, quæ isti regio nomine petunt, ut scilicet Valentini jurent Regem absentem & donativum, præsenti dari solitum post exactas Curias, dat absenti. Neutrum arbitror assensuros. Audivimus Valentinum populum de insurgendo in Proceres & Nobilitatem cogitare. Nos ibimus, quæ successerint, habebitis. Valete. Barchinonæ. Calendas Decembris, M D XIX.

EPIST. DCL.

De Orbe novo & Cortesio. de donis ingentibus ad Regem missis.

P. M. A. M. Marchionibus.

SCripsi alias, ad repertas novas terras, Olloam, Jucatanam, Cozumellam missos fuisse à Dieco Valazquez Cubæ progubernatore milites sub prætore Fernando Cortesio. Hi videntes eas, quas prehenderunt terras, auro abundare atque argento gemmisque variis, pedem figere & coloniam erigere constituerunt; nulla de Dieco Valazquez progubernatore, qui eos miserat, facta mentione. Magistratus inter se diviserunt, ad loci populique sedem aptantes regimen. Nuncios ad Regem destinarunt. Ecce illos cum donis ingentibus ex auro argentoque ac variarum volucrum pennis arte mira laboratis, à Regulis ex composito & rerum nostratium permutatione habitis. Mira de terris illis referuntur, de victimis humanis præcipue. de illarum regionum rebus, particulares cogito condere commentarios. modum epistolæ transcenderem, si de urbium illarum magnitudine, de viarum platearumque ordine, deque Legibus & libris cæterisque vivendi modis, vellem impræsentiarum facere sermonem. petasatus hæc scribo. Valentiam tendo. Valete IV. nonas Decembris, MDXIX.

EPIST. DCLI.

De Valentinis multa.

P. M. A. M. Magno Cancellario Mercurino à Gatinera & Ludovico Marliano Episcopo Tudetensi, ambobus Cæsareis Rectoribus.

PEr horridas Carrassæ montes & vias fere præcipites pelago rugienti imminentes, qua despiciendo viscera sentiebam præ formidine morsu quodam perturbari, & per colles Vallagerios latronum insidiis, ob saltus nemorosos & concavas rupes aptissimos, Dertusiam, dehinc Valentiam pervenimus. Valentinos reperimus ex recenti fama, quod Rex ad eos non sit venturus, mœstissimos. sunt in hoc Regno, uti in Laletano, tres status, quos ipsi *Brachia* vocant, Ecclesiasticum, Militare, Populare. In Populari Regni urbes & oppida concluduntur, oculum potius à quolibet ipsorum, ut nobis præbeat extorquebitis, quam ut Regem nominent absentem, neque absenti vel obolum præstent, supervacaneum est instare: se delusos & despectos esse dicunt, nisi Rex eos adierit Curiasque veteri more celebret apud ipsos. Mechanici Nobiles jam expellunt. audet nemo generosus in hac urbe morari. festis diebus contra gubernatoris & reliquorum Regis & Regni magistratuum assensum arma capiunt, ordines instruunt, & pugnæ simulachra exercent, ac si eundum esset in hostes. Nimium se oppressos fuisse à Nobilibus hactenus conqueruntur. populares in libertatem se vendicant, nemini è magistratibus parent. Nisi Regem ergo Cæsarem huc adduxeritis, cum ignominia gravi Regnum hoc amittetis, & forte labes hæc veluti contagio ad vicina Regna transiliet. Vos qui Regem magis quam Regis costas, quas isti vestri collegæ corrodunt, amatis, rite consulite, & valete. ex urbe Valentia. Idibus Decembris, MDXIX.

EPIST. DCLII.

Quid Cardinalis petat à Valentinis.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi P. Fagiardo.

DErtosensem hic habemus Cardinalem à Cæsare missum, ut Valentini regium acceptent ipsius manu juramentum, quod absens positis ambabus manibus in Euangeliis præstitit de servandis Valentinorum privilegiis & patriis Legibus. sunt in proposito constantes, ne absenti non jurato aut Curiis celebratis quicquam tribuant. Rex autem ipse dicitur Barchinona discessisse Castellam versus, nos sequemur re Valentina infecta. Sed audi, quid paucis ante diebus acciderit Barchinonæ in condiscipulum apud me tuum, Cardonæ Ducem, quo intelligas, quam adverse sentiant Barchinonenses vim inferre tentantes. est in hac regione carnium penuria. ex agris numerum quendam vervecum macellarii ad lanios Curiæ dividendorum ducebant. Iter erat illis ad macella per Ducis atrium. Ducis œconomi partem arietum ad Ducalis familiæ usum invitis gregis ductoribus, soluturi tamen eorum pretium, detinent. Proclamatum est per totam urbem assuetum eorum symbolum: *Viafora, viafora.* Concurrit tumultuarie civitas universa, Ducis domum armatus adit populus suum, & ducales promunt symbolum: *Cardona, Cardona*, seditio exoritur ingens. Regis autoritas intervenit, se justitiam administraturum populo pollicetur. arma deponant imperat, ad sedandum populi furorem. Ducem ipsum cum uxore

uxore ac filiabus, marem habet nullum, in se Rex capit, ducit in palatium; domum dehinc aliam assignat à qua non discedant suo injussu. non multo post soluti sunt, quia levium familiarum culpa, non imperio Ducis aut uxoris exortum fuisse initium rei compertum est. Valentinus vero populus crebris *caracolis*, ut vulgo loquar, intendit. Ingentem ejus atrii, quod *Reale* dicitur, plateam replent, Zeneti Marchionem solum è Proceribus patiuntur, sive quod illis benefecerit, pecunias in genere mutando & particularibus seditiosis præsertim, largiendo: sive quod ipse tumultibus gaudeat. tria millia & amplius armatorum convenere ad id ludium, aliquando sub vexillis octodecim. augent alii hunc numerum. Elatus est in fumosam ardentem superbiam hic populus. quanto sit tempore hoc monstrum duraturum, novit Altitonans. ne serpat hæc labes, orandum est. Vale. Valentiæ. XIII. Calendas Januarii, MDXIX.

EPIST. DCLIII.

De cursoribus per Murtiam. De Urbino & Senogallia Ecclesiæ incorporatis. De Leone X. de Comite Hieronymo & Francischeto. De Laletania Regem male tractante.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

TUo condiscipulo Marchioni Mondeiaris Regni Granatæ Proregi hæc nota facies. cursoribus ad eum est iter per istam tui soli urbem Murtiam. Leo X. Pontifex post sui nepotis ex fratre obitum, Urbinum & Senogaliam Francisco Mariæ Roboreto ademptas in Ecclesiæ patrimonium conclusit. Sero jam Urbinas ejectus terras illas recuperabit. Duriores habebit posthac competetiores. Aliter sub Ecclesiæ nomine fautores expergiscentur, si motus evenerit, quam Pontificis sanguinis causa longo constat experimento, cælitibus omnibus Pontificiam esse progeniem exosam. nemo diu fruitur Ecclesiæ bonis à Pontificibus præbitis, uti fumus è paleis evanescunt. Ubi sub Sexto IV. Comitis Hieronymi fastus? Ubi Francischeti sub Innocentio VIII.? Quid de Alexandri VI. multiplici propagine quam ad sidera usque Fortuna ludens provexerat? qui fuerunt illorum exitus? Valentini Ducis præsertim, qui formidine Christianum genus omne jam videbatur velle perturbare, qui tot cladibus Italiam universam cum genitoris favore fœdaverat. His edocti exemplis debuissent & Leo patruus donans & donati nepotes ab Ecclesiæ patrimonio temperare. Dum hæc scribo, ecce tabellarium à Rege. Revocamur ad curiam. A Laletanis fuisse male tractatum ait Regem: ex tercentum millibus libris, quæ ducato sunt minores quarta parte, quinque tantum & viginti Regi superfuisse à Greugibus fama est, & id residuum tenue fœnus consumpsit. plusquam quindecies centena millia ducatorum in Laletania Rex & ejus Castellana curia reliquerunt, neque obolum ab eis exhausit. ditata est provincia, depauperata Castella. jam gemit sub pondere. quæ succedent, Deus novit. Belgarum familiarium ingluvies crescit, qua neque Sathanæ facile esset. neophytæ Belgis artes detegunt ad extorquendas à Castellanis pecunias, per officiorum & exactionum venditiones ex quibus partem ipsi rapiunt. Vale. ex Valentia. VIII. Calendas Januarii, MDXIX.

EPIST. DCLIV.

Discedit Rex. quid de Valentinis. quid de Imperio. Laus Castellæ.

P. M. A. M. Magno Cancellario Mercurino à Gatinera & Marliano.

LIcet sentiat Valentinus populus vos jam discessisse, sperat tamen, vos ad se diversuros ex itinere, priusquam Aragoniam postergetis. Id si non feceritis, faxit omnipotens, ne aliquando vos pœniteat. credimus Dertosensis, qui sano vivit consilio & ego, vobis duobus invitis, qui vestri estis pupilli amatores. O vocamur in Germaniam, dicetis forte. Occasionem oblatam de Imperio visne prætereamus? non, inquam, prætereatote, non in aliquantula mora dicimus non esse periculum. Illud in manu est, aufugere jam nequit. Quidnam timetis? Non cogitabunt Electores facile de tollendis præbitis suffragiis, quia præcipue audivimus ingentes vos pecuniarum acervos illis promisisse, quibus eos ambivistis. Nollent tam suaves aureas oblatas escas amittere, & auro præcipue virgineo, splendido, intacto, quo Duplices illi & Quadruplices cuduntur nummi. præterea, ut verum fateamur, dicite, *quid est esse Imperatorem*, dicite? estne *aliud quicquam*, quam *altissimæ arboris umbra? Est solis radius per fenestram intrans, qui domum illuminet, apprehendite manu, si potestis ejus luminis unciolam, quam inde auferatis. parate vobis ex ea luce, quibus induamini sericeas vestes, replete mensas.* Neque decentem familiam alere potest Imperator ex Imperii fisco. ne dicam exercitus ad illatas propulsandum injurias, aut surgentes exstinguere, si vos fallimini, multi vident quæ sunt in re: cæteris omissis dicite: *Nonne Germani*

mani qui sub Imperio vivunt, ab Imperatore ipso conducti ad bellum, ad hostes, relicto Imperatore, transibunt stipendio deficiente? Neque proditionis se putant debere taxari, si ad exponentes nummos ierint, si deerunt Imperatori pecuniæ. Quid ergo Regem tantopere stimulat, ut pulpam adeo pinguem tam despecte statuatis abjicere, ossa corrosa secuturi. quando pulpam nomino, de Castella intelligo, de qua etiam deserenda cogitatis, licet vestri apud Regem collegæ, qui & vos sua ferula deterrent, eam fere denudaverint, & mille modis expilaverint: Castella tamen est omnibus rebus abundans, à quibus resarciri queunt illæ dilacerationes. ergo sanius quam illi, suo innixi commodo, ob id pupillo credito perniciosi, consulunt, consulite & valete. Valentiæ. VI. Calendas Januarii, MDXIX.

EPIST. DCLV.

De novo Magno Cancellario & Marliano probatis viris. De Capro ejusque sequacibus. Laus Regis.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

TUa me petitio fatigat, de populorum conquestibus multa enarras, conterraneo mihi Magno Cancellario & Philosophorum maximo affini Ludovico Marliano nunc Tudetensi Episcopo. Regis nostri semianimis collateralibus culpam impingis. culpa quidem aliqua digni sunt, licet à culpa liberari merean tur. Aures habent Regis apertas. scio repletas esse amborum sanis suasionibus & monitis, parum tamen ad rem ut grave onus piorum educatorum excutiat. Si acriter institerint, ut oculos aperiat, ne se ab voracissimis lupis, Capro cæterisque suppositis à Capro cubiculariis regi patiatur; rem suam in discrimine locabunt. ibunt excusso sago ad nubila. exserere audet nemo linguæ cuspidulam in illos; de Cruciata raptata, quæ ad solum hostilem usum concessa est, de tributis, quæ *servitia* vocatis: de mutando alcavalæ tributo, qua mutatione universorum Castellæ regnorum agricolæ, negociorumque tractatores à quæstoribus excoriabuntur, uti fieri alias solebat, per mille fraudes & cavillationes. de venditis magistratibus & justitiæ lance, vivente illo vasto raptore Magno Cancellario, quem Augustæ Cæsareæ diximus obiisse fœdata. de corruptelis ab innocentibus vel minima quæque petentibus à Rege magna feruntur, quid faciemus? aut quid illi facient? obtusæ sunt omnibus Regis aures, illis exceptis, quos à Borealibus secum abduxit flatibus, nescit ab illorum susurris discedere. Aperiet aliquando, ut speramus, & bonis consultoribus. Gravis est & perspicacis ingenii. Curiam propediem petemus. ibi sagaci naso scrutabor quid fieri poterit. Sed aut viventibus aut à Regis latere non discedentibus prioribus Harpyis, vereor ne irrita sint futura quæcunque serentur in Regis agello. Sero excitari ad prudentiam inquiunt multi genus hoc Burgundum. Rex autem adhuc tener est neque pollet rerum experientia. Veniet cum pilis, Deo favente. æquo animo ferenda sunt interea quæ accident. Claudo annum decimum nonum hac circuitione. utinam felicioribus incipiam successibus vigesimum. Vale. Valentiæ pridie Calendas Januarii, MDXIX.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M. EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS.

Epist. DCLVI.

De recessu maris Valentiæ. de prognosticante civitate. insolescit populus Valentinus. non parent magistratibus.

P. M. A. M. Magno Concellario & Marliano.



Eas vos optare dicitis literas, dum absum. Illas habetote. Novo arcano consilio naturæ, est animus incipere annum vigesimum à quingentesimo supra millesimum. stupet hæc civitas. aliquod sibi discrimen venturum ominatur. pontem in litore ligneum habent, *gravum* appellant. Quod sit ibi mare ad spacium ingens vadosum, ex navibus in alto manentibus per lintres & oblongas cymbas merces ad pontem illum deferebantur. Ex ponte calonum humeris ad terram, ad urbem mox cum rhedis & onerariis jumentis portabantur. Retractum est mare. In sicco est pons passus forte viginti. Est ea res huic civitati valde incommoda. Statio enim vulgus dicit *plaia*; hæc est male fida & harenis male tenacibus anchorarum periculosa. Concutitur ventis omnibus, præterquam borealibus, à quibus erecti à tergo civitatis colles tuentur. Quoties ab Euro vel Austro furunt venti, naves ibi stantes in anchoris quatiunt, & sæpe subruunt. Sed misera civitas omnium urbium nostræ tempestatis amœnissima it præceps, jam suo pondere premitur. populus insolens imperat. nobiles ab urbe diverterunt ad villas patrias. in secessu vitam agunt. Pugnæ simulachris diebus festis omnibus vulgus intendit. Nulli jam paret regio magistratui. sunt artes mechanicæ octo & quadraginta. Ars habet singula binos Judices, appellant *syndicos*. Illis vocantibus conveniunt, aliter minime. Quid hinc speretur conjectemini. Valete. Valentiæ. VI. Idus Januarii, MDXX.

Epist. DCLVII.

Quid Autor alleget Valentinis turbatis, quod Rex eos deserat.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

EX Illerda, quam vulgus dicit *Leridam*, cursorem habimus à vobis. Itineribus longis ait vos tendere in Castellam, ut inde Hispania universa relicta trajiciatis ad Belgas. Non desinunt Valentini sperare adventum vestrum. putant vos diversuros ad se priusquam Aragonios postergetis fines. His accidit quod de animabus Lethæi fluminis ripas perambulantibus fabulose recensetur. sciunt se discessisse ex corporibus, sperant tamen se posse redire, quia id maxime cupiunt. Ego autem qui sum Regis Cæsaris observantissimus, adduco illis in medium, quibus urgeamini necessitatibus. Illis præter Imperialis Coronæ decus aperio magni esse momenti rem alteram, quæ populo latens emergit; Gallum, inquio, & Brittannum Reges circiter Idus Maii conventuros. Multo interesse ajo, si persuasus à Gallo semel discesserit Anglus. Eam se amissurum occasionem, ut prior Anglum compellet, si in vestris se conventibus implicaverit, Aragonum & Laletanorum exemplis edoctus properat coactus. In aliud se tempus vestra differre se dicit, non negligere, uti conquerimini. Excusationem admittunt Valentini nullam. De his satis. ad vos redeo. Repetito hic fama est venisse nuncios ad Cæsarem Regem Barchinonam, ex quo ego à vobis discessi, ab Urbibus Castellanis, ab insigni Toleto, quæ primatum tenet præcipue, audio supplicasse, ne Castellanis infringat Rex immunitates à majoribus concessas, ut juramenti de servandis præstiti in Valleoletanis conventibus reminiscatur, & patrias eorum Leges, non à populis statutas, ut Aragonicas & Laletanas; sed ab ipsismet Regibus compactas & in volumen *septempartitas* dictum, redactas. non fuisse auditos, immo & cum ignominia fuisse jurgiose repulsos nuncios fertur. Coacta solet Patientia in rabiem transformari. Nullus est tam segnis asellus, qui vehementer stimulatus in dominum aliquando calces non excutiat; quanto

magis leones, quales Hispani se bellorum temporibus ostendunt. Valete, & quoad poteritis, juveni Regi Cæsari benignissimo sanis vestris consiliis succurrite. Valentiæ. XII. Calend. Februarii, MDXX.

EPIST. DCLVIII.

Quid Cardinalis egerit cum Euangeliis.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano Episcopo.

CArdinalis Dertosensis à vobis, Rege dico missus ad nos venit. Euangeliorum attulit volumen, super quo Rex dicitur de servandis horum statutis & privilegiis jurando manus imposuisse. Valentinis rem proposuit, librum ostendit, juramenti locum assignavit: ut sint hoc promisso contenti nomine Regis hortatus est. Nequire ullo pacto Regem impræsentiarum venire arguit. Regem & ipsi jurent absentem suasit. frustra omnia. torsere nasum aliqui, surrisere alii. Rabie conciti plerique adagia vomuere diversa. Sed unum audite à Don Frangello equite aurato apud Catholicum Fernandum Regem à teneris educato depromptum. Is ad me venit tum ridendo tum gemendo inquit: *Quid de nobis Rex vester, noster futurus sentire videtur? putavitne Valentinos à Christi dogmate tam alienos, ut Euangeliorum libris careamus? Euangelia mitti ad nos opus fore credidit? habemus Euangelia & fidem præstamus Euangeliis, ut veniat, neque nos tam parvo faciat opus est.* Hi sunt & hujusmodi desertorum civium sermones. De Valentinorum animis erga vos satis. De seditionibus & tumultibus exortis parumper. Præter quotidianas simultates insolentis populi adversus nobiles egregia una coorta est, die quinto & vigesimo Januarii. Est inter nobiles Don Rodericus Giofredus nomine, juvenis elatus animo. Est & inter artes mechanicas una conficiendorum cucullorum ad rem maritimam & agrestem commoda, dicit populus hic cucullos *capotes*. Don Roderici Giofredi familiaris eam artem statuit exercere; artis illius præpositis, quos appellant *syndicos*, inconsultis, minime licet ullius artis tabernam aperire in hac urbe alias. Invitis artis præfectis tabernam aperuit ille cum heri sui favore capotalem, & publice capotes cepit consuere. Ad arma conclamatum est, vim inferri capoteis syndicis conquestum. Artes aliæ in hujus auxilium concurrunt, in ictu oculi ad quindecim armatorum millium convenit multitudo. Verita est urbs universalem prædam. sunt namque in urbibus tumultuum excitatores utplurimum petulantes, quibus nihil pensi est, occasiones ad hos optant saltus, vexilla è domibus ea servantium, etiam invitis servatoribus, raptant. Vulgus sequitur, Giofredi domum se combusturos ajunt. Abscidit malum hoc jam coalescens occurrens forte fortuna doctor Figuerola gubernatoris assessor vobis amicus. Tabernam capotalem tyronis illius adivit, facultates omnes ejus in publicam plateam eductas comburi jussit. Ita sedatus est ea vindicta populi furor. Paratus tamen est ad quamcunque levem causam pullulantem excitare novos ardores; ni veneritis, actum erit. Valete. IV. nonas Februarii. Valentiæ, MDXX.

EPIST. DCLIX.

Quid de Cardinali, de Vice-cancellario, de Garsesio, de Carpentario, & cerdone oratoribus.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

CRebros habemus à vobis nuncios ad Cardinalem Dertusensem afflictum in agro illi à vobis credito laborantem. frustra & in cassum omnia. laterem est lavare, ac è sicca rupe fontem excuti posse contendere. de recenti Vice-Cancellarium Aragonium ad nos misistis, addito in collegam Jureconsulto illo Garsesio Aragonico excitandis popularibus tumultibus aptissimo, qui nobis cum Rege Cæsaream Augustam tenentibus in nobiles vulgi seditionem commovit. Eadem quæ nos assequentur. sunt Valentini urbani ac bene morati. Nollent Hieronymo Cabanillæ præfecto prætoriæ cohortis suo civi primario mihique præmissis aut Romano Cardinali subsecuto tantam in frontem fabam cudere, tantaque nos ignominia conficere, ut nobis negata, reliquis annuant, momenti non altioris. Derisum Fortunæ secum Vice-Cancellarius cum Garsesio attulerunt. qui ad vos ierant à tumultuante populo missi nuncii duo: Faber carpentarius alter, calceis conficiendis cerdo alter, se à vobis quæcunque petierint impetrasse contra nobilitatem jactitant; Vice-Cancellarium & Garsesium afferre ajunt in mandatis, ut hujus rei sint judices executores. Adventantibus per syndicos artium qui habenas regunt, imperatum est ut sistant in itinere ad Divi Antonii sacellum ab urbe Valentia distans milliaria duo usque ad noctis crepusculum per cerariorum tabernas faces quotquot reperiuntur, quæri jubent. lætitia ingens exorta est, voces ad cælum elatæ, conventiculi coacti. Ignari gnaros percunctantur, quid causæ ad eam petulantiam emergat. Inquiunt qui rem intelli-

gunt

gunt cum excandescentia. En amentes & inepti! rem tantam ignoratis? Nostri adventant oratores. Quidquid populus optabat, assecuti sunt à Rege Cæsare: Vice-Cancellarium Aragonium & doctorem Garsesium cum nostris oratoribus ad nos mittit Rex qui à gubernatore cæterisque regiis magistratibus de administratione justitiæ rationem exigant ad unguem; illatasque nobis injurias ulciscantur. Jam nobis serena dies advenit: istorum nobilium insolentium, qui nos resque nostras ita superbe tractarunt hactenus, & jugum excutiemus. Æquum est ut Oratoribus tantis Reip. tam utilibus & honorificis suscipiendis à summo ad minimum invigilemus. Hæc & hujuscemodi multa populus ampullose promit, ample quidem verbis, sed re amplissime. discedit cursor. quæ ad noctem fient, cras scribemus. Idus Februarii, M D XX.

EPIST. DCLX.

De insania Valentinis adaucta ob concessionem regiam.. De triumpho insani populi.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

INter Fortunæ ludibria non est exiguum hoc de insolenti Valentino populo, cui vos alas, uti formicæ volare cupienti accidit, imposuistis. ex concessione votorum ejus perniciem propriam concupiunt, perniciem annuistis. Duæ sunt illis hoc impetratu exortæ alæ, quibus per aëra illos ducentibus vel fame labentur cito præcipites, vel in rapacium volucrum ungues incident. Aërem prehendit habitandum quisque mechanicus, qui à ministerio, cui est addictus ad arma tractanda ludosque exercendos se confert, desides & ociosi fiunt indies magis ac magis hac nova sibi raptata lascivia, quam ipsi vocant *Libertatem*, ut festis diebus appareant elegantes, qui cuculo aut panno vili contenti erant, nunc quicquid assequuntur peculii, magno labore parti, in thoracibus sericeis & caligis purpureis expendunt, & vagantur, pessundantque se ære alieno, ac laborant domi inedia. Alia est altera quæ illos trahet propediem ad extremam egestatem. A nobilibus & divitibus civibus ad esum & vestitum sibi uxoribusque ac familiæ necessaria consequebantur, quis Nobilibus ejectis ab eis emet magni pretii materias adornatus? quis sutor? carpentarius faber quis? aut aliarum artium opifex obolum jam ex industria ministerii sibi comparabit? Misereor his tam perdite errantibus ovibus sine pastore, in luporum fauces cadent ilico. Ad paratam nudius quartus insanam pompam deridiculis à populo appellatis Oratoribus, veniendum: neque silentio prætereundum, ut intelligatis vos qui Regi assidetis, quonam pacto gladium locastis in manu furentum & ex insanis insaniores fecistis. Ecce illo die noctis crepusculum, ad suos oratores eunt mechanici ad Divi Antonii sacellum: viæ plenæ, quæ mediæ sunt, ager refertus, faces exeunt accensæ, supra ducentum equitum numerus ingens. Qua erat transeundum per urbem, senum, fœminarum, puerorum cumuli pressissimi, lignarii suum, cerdones calcearii suum, collegas uti patriæ liberatores, plenis buccis & obortis lachrymis præ lætitia salutabant. brevibus accipite. Regio sunt suscepti comitatu cerdo calcearius & faber carpentarius. Insolentia est illis ex hoc munere adaucta: quæ hinc evenient, intelligetis. Valete. Valentia. IV. Idus Februarii, M D XX.

EPIST. DCLXI.

Quæ Autor egerit cum Valentinis. quid illi adducant in medium.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

VIx abierat cursor, qui ad vos meas attulit de susceptis ab inepto vulgo suis nunciis, sub Libertatis nomine miseram Valentinis servitutem afferentibus, quando ecce alterum, ut ilico ad vos properem nomine Cæsaris imperatis. Nil differo, donec oneraria mea jumenta pararentur veniam petitum à Romano Cardinali Dertosensi profectus sum. Ægre tulit repentinum discessum meum, suam solabatur mecum calamitatem, meum optasset comitatum, quum & ipse nil aliud exspectet quam ut revocetur. nil ejus mora operabitur. vivit anxius hanc inspectans confusionem populi. Nobiles priusquam hinc populi furentis rabiem timentes, discederent ajebant, se nequire etsi vellent una cum sacerdotum brachio regiis postulatis annuere, urbium aliarum quæ in Curiis habent suffragia deficientibus. Allocutus ego sum ex illis præsentibus plures, & persuadere conatus sum, ut Regis Cæsaris excusationes admittant, quæ sunt urgentissimæ, coguntque properare ob causas paucis ante diebus ad vos scriptas de Imperio, deque Regum Galli & Angli suspecto conventu. Addidi tertium his verbis eos appellans. Quam acer fuerit in Imperialis Coronæ petitione Regi nostro competitor Rex Gallus, arbitror Valentinos vos intellexisse; durus quippe fuit. Is seducere

cere totis viribus Electores, ni Rex properat, conabitur. hæc & multa in hunc sensum. E præsentibus mea dicta plærique admittebant: cum excandescentia negabant alii, sedem illam imperialem non modo his Regnis, sed & Regi ipsi commodam fore negabant, imo & futuram incommodam arguebant. Hispaniam, inquiunt, quæ libera erat & suis fruebatur prærogativis, sub titulis Imperialibus in provincialem calamitatem esse vertendam. *Turgentem* appellant *ambitionem* & *inanem ventum* Imperiale *nomen*. Ad quid nostro Regi gratulabimur, si tam exigui sunt redditus Imperiales uti fertur? Si Germanum assequetur nullum ad bella gerenda sine ingentibus pecuniis? Si Germania solis indigenis sit, ob horrenda frigora habitabilis? Utinam ad Gallum umbra ista devenisset! Nos Pace ac nostro Rege frueremur. Gallia vero quæ nos patimur patiemurque, ni Deus providerit, gravius indies ipsa sentiret. Irriguo indiget alieno ager ille fumosus Imperialis ac sterilis. Nostri fontes exhaurientur, & campi arescent, fame nos peribimus, ut alienæ terræ nostro pane saturentur. hi desertorum sunt Valentinorum cum gemitibus sermones. Videte, quales relinquatis, & valete. ad vos eo. Valentiæ Idibus Februarii, MDXX.

EPIST. DCLXII.

Multa de adulatoribus. dicit Autor, se nolle adulari. de gratitudine erga Castellam.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

INvidiam, ambitionemque & avaritiam ajunt sapientes esse pestiferas & humano generi perniciosas, quia turbatos trahunt animos hominum in diversa. vitia sunt quæ à bono, justo & recto divertunt, fateor. Adulationem ego in Regum atriis perniciosiorem esse hospitem censeo. Nocent illa possessoribus, nocent & vicinis. hæc in penetralibus Regum habitat. quodvis præclarum ingenium, si contagiosi adulatores auscultentur, pervertunt. Quorsum hæc, percunctabimini, quia nimis acriter ista quæ nunc eveniunt, carpere me dicitis. cedendum esse tempori creditis, vel obsequendum vel tacendum exigit ista dies. Quid à me optatis? ut sordidum adulationis fimum tractem. Est id ministerium à mea natura dissonum. Nullius boni viri officium est adulari. parit odium Veritas, inquitis. pariat & necem respondeo. Castella me honoribus affecit, & summo amore prosequitur, suxerunt mea literalia ubera Castellæ Principes fere omnes. debeo igitur immensum Castellæ persolvere, opus est. Restat nil aliud mihi nisi ut Castella sentiat, me illius tanta ruina summopere dolere. gemo una & collachrymor super fortunatissimo Carolo Rege, quem ab ejus inimicis internis cerno trahi præcipitem. Alieno ære audio esse gravatum adeo ut erigere caput miser nequeat. Si hæc ita sunt, si, uti Peribassanus Selimsachi magni Turcarum Principis educator, pupillum suum, Selimpsachum inopem & extorrem evexit ad sydera; hic vester Caper educator suum ad orbis imperium designatum voracitate sua pressum tenet: quid fieri potest aliud quam cum planctu labia mordere præ rabie, incipereque de vobis male sentire, qui non mortem potius eligatis quam ea perferre, quæ oculis cernitis, licet integerrimas vos à tanta labe manus servetis, non est satis. Ne me putetis dicendi modum mutaturum, nisi mores apud vos mutentur. Valete. ex Valleoleto. XIII. Calend. Martii, MDXX.

EPIST. DCLXIII.

De vocandis Compostellam curiis & de petitione donativi.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

HAbui ab excellentia tua literas. Quod sim in Valleoleto, inquis, tibi placere; ut hic exspectem, suades. exspecto quidem, quia præcipue ais, vos propediem huc venturos. Sed quid hoc mali est, quacunque iter facio, resonat aër maledictis. Ad quid nati estis? Duo feruntur Capri & Hispanorum, qui apud Regem sunt suæ patriæ gladii ancipites, consilio peti à Castella, unum ut Curiæ vocentur ad Compostellam, lege præbita, à vobis, ne procuratores urbium & municipiorum suffragia in Curiis habentium, quicquam aliud ferant in mandatis, præterquam se Regis cuique imperio parituros, Libertatem tolli hoc dictato susurrant; servis pretio emptis Leges hujusmodi solere præscribi immurmurant: paratos video multorum animos ad negativam. Alterum est, ut donativum, priore nondum exacto, quod Hispani dicunt *servitium*, præparetur. Ambo cudunt fabam Hispanis, uti video in frontem. Quid futurum sit, ambigo. se nimium stimulatos hactenus arbitrabantur, si calcar calcaribus addetur, calces timeo. Nec confidite, quod civitas Burgensis primaria cesserit postulato. corruptos fuisse ac subornatos particulatim è rectoribus quosdam per magistrum Motam concivem, Pacensem Episcopum, qui sagax est & vafer, quo

quo Regi gratum faciens & Capro, quem timet, magis emergat in rota Fortunæ: ergo *vim* eam esse, non *concessionem*; *seductionem*, non *voluntatem populi*, vulgus id officium erga Regem appellat. tergiversuros ab hac petitione puto multos, vos videritis. Ex Valleoleto. VI. Calend. Martii, MDXX.

EPIST. DCLXIV.

Quod Castella debeat & possit acriter gubernari ex opinione adulatorum. Rex ex Compostella recedit.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis.

PRæsentes habeo Regis duas Justi columnas, Magnum Cancellarium mihi conterraneum & Marlianum affinem ex Marlianis fœminis in nostram familiam de Angleria matrimonio traductis, propterea originales posthac vos meas habebitis, non ulterius exemplaria, uti hactenus. scripsi fieri sermonem de convocandis Castellanis Curiis in Compostellam; scribo de adducendo illuc & Regio Senatu. Immurmurant populi; rem novam esse, inquiunt ac duram, arbitror fore, quia Ignis comburens domum domi est. Jactant jam hi Belgæ Gallique Regem gubernantes, *Castellam posse debereque virga regi*. Verba hæc non à Barbaris officinis prompta sunt, sagaces olfactores Hispani, qui sibi leporem quæritant ex his inventis, de patriæ ruina nil curantes, ista moliuntur. Vereor magnum aliquid, quia præcipue deserere Hispaniam ex Compostella Rex cogitat. Deus bene vertat. In Calendis Martii Rex Valleoletum ingressus est, quæ succedent, habebitis. Valete, ex Valleoleto. III. non. Martii, MDXX.

EPIST. DCLXV.

De tumultu exorto contra Regem exiturum ad Turdesillas.

P. M. A. M. Marchionibus.

NUdius quartus sub atroci nimbo cæli catarractis apertis Rex equitavit exiturus Turdesillas ad genitricem Reginam, unde iter est capturus ad Gallecos, ut in Flandriam trajiciat. Vagans fama populum perturbavit, movitque in seditionem. Relatum namque populo est, rectores oppidanos tributum, quod *servitium* dicitis, alterum, primo nondum exacto, annuisse, tumultuatum est. Ad S. Michaëlis campanam, qua populus ad arma vocatur, accurrunt quidam, campanam quatiunt, armatur populus, ad portas confluit, ne Rex exeat obstiturus, fecissetque, quod optabat, nisi pluvia ingens populum detardasset. Jam ad portam, qua erat exiturus Rex, se applicaverat, quando populi jam copia appropinquabat armata. tentaruntque pauci, qui præierant, ex valvis duabus unam claudere. restitit prætoria cohors, exivit ergo Rex. Contra rectores, qui dicuntur annuisse de donativo, populi est murmur rabidum, in discrimine sunt. Cæteræ orbis partes silent depositis armorum strepitibus. Nostra vero classis, quam ex litoribus Barchinonæ discessisse diximus alias, in Siciliam appulsa est. Maria illa perlustrat Turcarum Princeps, uti habetur ab Oriente, refertque Don Petrus Guivara, qui ab Hierusalem peregrinus regressus est. in armis habet classem ingentem, galeacearum circiter centum, duplo levium triremium, quas dicimus *galeas sutiles*. Turcas tamen ajunt à Sophio infestari. sunt qui putent præ timore nostræ classis, à Raguseis præcipue, potius paratam, quam ut prodire audiat. Ab Indis nobis Coloacana, Olloa & Cozumella, in quibus, ut alias dixi, vivitur Legibus & Politice, licet pecuniis non commercientur. allata sunt multa preciosaque ad Regem dona. Rotas vidimus duas, auream unam, argenteam alteram, octo & viginti spithamarum æqua circumferentia orbiculari compactas, miris modis laboratas. alia etiam innumera tulerunt monilia, vestesque ac lodices, scripta galleasque & diversorum animalium ac variarum volucrum tegmina nobis ignota, quæ tædiosum esset nominare. Particulatim de hujusmodi rebus alio volumine aliquando videbitis, quod Decadibus meis tribus de Orbe Novo annectetur. Nunc sumus in alis ut Regem sequamur, qui dum hæc scribo dicitur ex Tordesillis jam evolasse. Vos valete, nullam ulterius à me ex Castella habituri. pridie Idus Martii ex perturbato Valdoleto municipio, MDXX.

EPIST. DCLXVI.

De discordia in Curiis. de donativo varia.

P. M. A. M. Marchionibus.

DIversis itineribus profecti Compostellam tenemus, via quæ vulgo *Francesum iter* dicitur, Rex & reliqua Curia, Senatus per Ponferratam villam Francam asperumque montem Zerberium & nimio flumine nobilem civitatem Aurensem. Divi Jacobi templum mira vetustatis majestate venerandum visimus, corpus minime ostenditur. Conventus procu-

procuratorum urbium & municipiorum habentium in curiis suffragia coactus assidet. Annuerunt de donativo petito triennali, dimidia temporis parte alterius donativi nondum exacta plærique, negarunt multi. Sed Salamantina præcipue civitas, cujus procuratores è Curiis explosi fuerunt, quia tulerint negativam & nullo pacto tale donativum debere aut posse peti argumentati sunt. Onocrotali tamen voraces, quos trahit sola cupiditas, neque de horum Regnorum ruina tædet, quam cernunt futuram ex eorum insatiabili hydropisi, non desistunt à calcaribus, quacunque via fiat, modo fiat, expostulant. Miser agnus innocens Rex, quem educarunt, nescit ab eorum stimulis se exsolvere. Protestantur qui sano vivunt consilio, iri perditum hæc Regna his artibus, auscultat minime. Toletum urbs nullos procuratores ad Curias, ad Regem nuncios misit, nobiles equites primarios duos, Don Petrum Lassum & Don Alphonsum à Sylva, supplicatum, ne tantopere Regni Leges infringantur, ne inusitata petantur. conqueruntur una quod in Compostellam ad ultimas orbis partes, contra morem majorum, Curias ire Rex impulerit, quodque Senatum eo secum traxerit, relictis & regia præsentia & regio Senatu tot Regnis desertis. Male auditi fuerunt. Venit & Comes Palmæ qui Toletum gubernabat. magistratu privatur à Rege, quod in ea urbe non dedit operam apud cives, ut regiæ voluntati assentirentur. Nulla ejus excusatio, quod nequiverit, admittitur. conquerenti de ablato magistratu, respondit Rex: Annus tibi designatus peractus est, meum est producere in alterum; quando nobis expedierit, tua utemur opera, nil est quod conqueri debeas. Adivit Regem & Don Petrus Urveniæ Comitis hæres, qui se jus habere super Ducatu Medinæ Sidoniæ, uti nostis, prætendit. Restitui debere in Ducatus possessionem, quam semel apprehenderat, moriente Duce suo sororio, petiit. non est assecutus postulata. Minatus est se jus suum petiturum armis, quando Justitia denegetur. Respondit illi Rex: Si quid molieris Don Petre Giron in nostram autoritatem, lues debitas pœnas. Ex Compostella. nonis Aprilis, MDXX.

EPIST. DCLXVII.

De motu Galleciæ super suffragiis Zamorensibus.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi discipulo.

Unus post alterum it nuncius. vix prior epistola exierat domo, quando Pachiecus tuus se alterum ad te missurum retulit. quæ post illas acciderunt, habetote. Ea tuo condiscipulo Marchioni vallis formosæ & Mondeiaris significabis. est vetus consuetudo in Curiis, ut Zamoræ, quam aliqui Numantiæ solum esse arbitrantur, sed falluntur, procuratores pro Regno Galleciæ suffragentur. Neque enim Regnum illud habet in Curiis suffragia. Archiepiscopus Compostellanus ejus Regni Princeps primarius, Beneventanus Comes, qui & in Regni ejus faucibus & intra Regnum ipsum villas & oppida possidet: Atque una Comes Don Fernandus Andrada, qui Obegninum quondam Gallorum Ducem profligavit, cepitque in Calabria, è Gallecis & ipse Principibus unus, D. Francisci cœnobium, ubi Curiæ celebrantur, adivere. Petunt audiri, vetantur introire, explodun-tur. Elatis vocibus protestati sunt ad valvas, procuratoribus & duobus Hispanis totius molis hujus autoribus audientibus, se pro nihilo habituros, quicquid Zamorani procuratores annuerint. Galleciæ regnum dignum esse ut admittatur. Accesserunt & Toletani nuncii Don Petrus Lassus à Vega & Don Alphonsus Sylva, se pro rato non habituros, nisi Toletani procuratores exspectentur, quos ajunt esse in itinere. obtusas illis aures præstiterunt Curiarum præsides duo, Episcopus Pacensis & Don Garsias Padilla. variis susurris repletus est aër. murmura sunt exorta ingentia in Episcopum & Garsiam; fungi officio suo erga Regem, qui eos & extulit ex imo, & elaturus est ad altiora, inquiunt alii. S. Ysidori præconantur alii se quædam reperisse omnia de ruina Castellæ, quando Curiæ in Gallecia celebrarentur. Lassum ad arcem Gibraltarii, ejus est præfectus, Sylva Neapolim ad suam centuriam, cujus est caput, proficiscantur ob inobservantiam, imperatum est. Curiales Castellani his rebus attoniti, quid futurum sit, exspectant. Vale. ex Compostella. VI. Idus Aprilis, MDXX.

EPIST.

EPIST. DCLXVIII.

Laus portus Clunii. De turri & Epitaphio.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

EX Compostella Clunium venimus. Huic portui nullus est par. Navium capax est omnium quas maria tenent. portui turris imminet Oceanum spectans, qua Britannia major, dico Angliam, Oceano. Miris est compacta artificiis, sed inutilibus, eo quod sint interna ejus omnia tabulata diruta. Antiquum ibi fuisse Faron die noctuque ardentem navium vagantium nocturnum ducem fama est. In lævam conversis, ubi ad turrim quadratum est ventum, saxum se offert nativum, non concisum; hoc Epitaphio insigne:

MARTI. AUGUSTI. SACRUM. G. SEGIUS. ARCHITECTUS.

Et quædam præterea literæ vetustate corrosæ. Romanorum fuisse monumentum credendum est. Nulla est apud incolas de hac mole magnifica ulterior notitia. Postero die quo Rex Clunium ingressus est, per cursores habemus urbem Toletum studere defectioni, quod audiverint ejus cives suis nunciis non fuisse auscultatum. tu qui propior es, apertius rem intelliges, odia inter factiones capitalia non minus esse in causa feruntur quam barbarorum Regem devorantium ingluvies, ne diversæ factionis opiniones videantur amplecti, factionarii adversi occasionem adversandi sumunt à gravaminibus & totis viribus populum nituntur excitare. Regem esse quocunque modo timendum & observandum arguunt alii, discordes non modo familiæ in familiam, sed frater dicitur fratri esse oppositus. è multis Sylvæ progeniei nobilibus; Fumbus inter quos & Episcopus Segoviensis, & Don Jo. arcis ipsius Toletanæ præfectus & illius familiæ caput, hi candidum, nigrum illi esse amplectendum ferunt. Confusio est exorta, quæ Regnum inficiet, nisi aliter provideatur. Avaræ nec ob id Harpyiæ à suis postulatis desistunt. Cupiunt veluti ab inferis ad superos hinc ad Boreales halitus Regem trahere, neque ipse aliter desiderare videtur. Sed venti prohibent Boreales, ubi primum secundi flaverint, volitabit. Audisti de Regina quadam Maura Fecense, quæ Christiani captivi ab ea liberati arte aufugit à marito Rege, baptismatis lavacro heri fuit adspersa. Regem Cæsarem & Germanam ex Regina in Marchionissam transformatam, habuit, vos dicitis patrinos. optandum est, ut Christi Spiritus, qui illam traxerit, in ea perseveret. Vale. ex Clunio, dicitis *la Carugna.* IV. Calend. Maii, MDXX.

EPIST. DCLXIX.

Regis Angli oblata & Regis Daccarum. de conventu futuro Galli & Angli. de Helvetiis. de miro Comete.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

CUrsores habemus. Rex Angliæ vires suas offert Cæsari, se comitaturum eum ad Coronam, si opus fuerit licet ex Galli Regis rogatu annuerit Anglus colloquium in utriusque finibus, apud Calesium oppidum. Qui conventus Cæsareis est suspectissimus. verentur ne quid detrimenti rebus Cæsareis afferat illa conjunctio, si prius acciderit quam Cæsar Anglum alloquatur. Præterea sunt adversi venti molestissimi, properare prævenireque optarent, quia præcipue hoc Anglus optare videtur. petitus fuerat à Gallis is conventus ad Idus Junii, intellecta nostrorum suspicione ad Maii finem stringi petierunt Galli. Daccarum Rex, dicit populus *Dinamarca*, Orcadum dominus, Regis Cæsaris sororius, multa peditum millia equitum plæraque obtulit, seque ipsum venturum suo tempore. Ab Helvetiis allatum est, se à Gallis enixe requisitos, ut fœdera ineant. Nil conclusuros sunt polliciti ante D. Joannis solenne. sunt Gallorum promissa ingentia. De Pontificis autem animo erga Cæsarem, bene se sperare ajunt Cæsarei. Hæc à Magno Cancellario qui est arcanorum Cæsaris archivum. Naturæ nunc audite gravem partum. Heri qui fuit Maii dies decima septima, sole ad occasum vergente, Cometem in sua specie mirandum inter Zephyrum & Boream vidimus, in media cæli regione super hoc oppido. In Zenith nostri capitis ortus cadensque in Oceanum perstitit in celsa regione aëris immobilis, & in globum conversus est igneum, à quo tria spectatu digna prodibant: viæ duæ argentei coloris retroactæ, velut serpentis colubri per herbida prata, quæ ad Zenith tendebat, una triginta circiter gyris constabat, quæ ad imum non plus duodecim: ab eo vero latere, quod relictam spectat Castellam, fumus exibat nigerrimus, qui paulatim Cometæ uterum absorbebat: ita ut fœtum emittere prægnans cometes videretur; donec visus ab universa Curia consumptus est tandem. Tunc quæ salax Astronomus Manilius heroico de Cometis tradidit carmine, subierunt in mentem. Quum primum

in

in Castellam profectus fuero, ex Manilio tibi carmina illa excerpam, ut inde queas, quid Cometes portendant, colligere. nunc vale. ex Clunio. xv. Calend. Junii, M D XX.

EPIST. DCLXX.

Discessus Regis & Castellanorum conquestus de vendita parte redituum ob magnas impensas.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

EX Castella jam meas habebitis. Insperati nocte intempesta, quam secundus & vigesimus Maii dies sequebatur, tam optati à Belgis quam ab Hispanis deplorati exorti venti Cæsarea vela tetenderunt. Illucescente jam die clivos imminentes Oceano conscendimus omnes. Nil spectabilius cerni potest. Turritis arcibus & magnificis atriis refertum vidimus velificatum pelagus. Mœstos vidi Castellanorum omnium vultus, qui miseram Hispaniam cernunt versam in provinciam, ab Oceano glaciali gubernandam. Gubernatorem reliquit Dertusensem Cardinalem. Contra Regni leges arguunt factum Castellani. Alienigenæ vetant id munus posse salvis legibus præberi. Conqueritur & Cardinalis tenuem sibi relictam benefaciendi potestatem. Ad Belgas eat opus est, qui ultra Patronatus parva beneficia quicquam optaverit. Vendita & fuit reddituum Castellæ copia quædam quam dicitis *Iuros*. Tenues jam erunt posthac Regibus Castellæ vires, quandoquidem abalienati sunt census. Necessitatem parandæ classis præter alias ingentes impensas, & multarum classium tum in Afras destinatarum, quam ad vehendum ad Belgas infantem & infantis sororis Regis Leonoræ nuptias arguunt, nec immerito quidem. Sed est concepta in Hispanis omnibus opinio de illorum voracitate, quod nihil queant in candidum dirigere, quum intelligant illorum esse inexhausta guttura. Ad nos. Rege sublato ab oculis, discessimus Castellam versus. Ex itinere relatum est Zamoram, quam plærique ducti errore *Numantiam* credunt esse, Procuratores *patriæ proditores*, quod annuerint de donativo promulgasse. Ni aufugissent, in frusta secti à furenti populo fuissent: eorum domus diruturi procurrerunt. obstitit prudens matrona Albelistæ Comitissa, atque una urbis ipsius Episcopus Don Antonius de Acunna. Audivimus & nescio quid de motu Segoviæ. Fervebit olla paulatim in nostram calamitatem. Vale. ex Valleoleto, quo die sum appulsus. IV. Calend. Junii, M D XX.

EPIST. DCLXXI.

Turdesillas Segoviæ procurator in curiis discerptus à plebe.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

DOnec audiero in Flandriam appulsos esse meos conterraneum Magnum Cancellarium & affinem Marlianum Episcopum Tudetensem, ad vos ibunt meæ. ad illos tunc quia Regi relata, quæ scripsero, forte parturient aliquid utilitatis. exemplaribus eritis contenti. Infaustum audite ac monstro simile facinus. Segoviæ procurator nomine *Tordesillas*, quod annuerit in Curiis de donativo, nec obstiterit, ne Don Fernandus Bouadilla Chincionis Comitis titulo à Rege donaretur: quia Segoviensis ditionis status ejus fuerint; A Regina Elisabetha ob ingentia genitricis ejus Marchionissæ Moiæ obsequia semoti, & Marchionissæ ipsiusque hæredibus, semper appellante Segovia, præbiti: quid reportet à Curiis, à populo furenti, interrogatur. Se rationem eam regiis magistratibus & urbis rectoribus collegis suis, non populo daturum respondet. Ambagibus posthabitis, paulo post hæc dicta, sive eodem, sive postero die mechanici artes deserunt, arma capiunt. sive apud collegas, sive alibi, Turdesillam prehendunt, *patriæ proditorem* appellantes, trahunt raptantque præcipitem, conspuunt, expilant; alapis colaphisque mille, ac mille jurgiis & contumeliis afficitur. *Moriatur, moriatur*, sublatis vocibus, *patriæ proditor* proclamant. Hinc ad supplicium extra urbem lacer & sanguine rorans ducitur. Francisci fratres accurrunt, ut confiteri saltem illum sinant, flexis genibus efflagitant, orantque. Respondetur: *Non est vestra confessione opus, plebs eum à peccatis omnibus absolvit.* Ita fato natus adverso infelix suspenditur. Sanæ mentis quidam verba protulit querula, quod hæc ita fierent, æqua lance tractatus est. Comitem Turdesillo dedere in patibulo. Scriba ex transverso alter furentium nomina signabat calamo, deprehensus eandem cucurrit viam. Quæ rosæ pullulent ex his vepribus, considerate. Nec ultimas fore arbitror, universum audio Regnum perturbatum esse. Vale. ex Valleoleto. III. non. Junii, M D XX.

EPIST.

EPIST. DCLXXII.

De novis rebellionibus. de rabie Toletanorum. quid de Alcavallis. quid de Antistea. quid de donativis. de obsidione arcis Segoviæ.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi & Mondeiaris.

EX malo labimur in pejus indies. Guadalaiara, Cyguenza & vicina student iisdem motibus: nec potens est Infantati Dux sedare populum ebullientem. Infantati status & Buitragum ipsius Ducis jurisdictio sunt in propinqua defectione: nec audet Dux emutire, plausibus & blanditiis opus esse magis quam severitate arbitratur. Mantua Carpentana, quæ dicitur vulgo *Madritum*, calces concussit, arma sumpsit, Castellum obsidet: ex Licentiati Vargas regii thesaurarii domo raptasse per vim dicuntur circiter ducentas integras armaturas, & de ambabus ejus domibus, quas magnificas in oppido unam, in agro alteram erexit, diruendis cogitarunt. suspectus est vulgo, quod regios pertractet redditus, & vir bonus sit, ad magna quæque aptus negocia. Toletum diffidet præ rabie, quod barbaro, inepto, alienigenæ suam præbuerit Rex Antisteam. Regi abstulit omnem autoritatem, Magistratus expulit regios. Alcavallas se non ultra soluturos ajunt Toletani, quod fuerint ad extremam necessitatem cuidam veteri Regi pro annis octo concessæ tantum: Tyrannice autem inquiunt in ordinarium fuisse tributum conversas. de donativo autem ajunt, nec primum in Valleoletanis Curiis concessum debuisse peti: quanto minus secundum, primo nondum exacto. Segovia non contenta prioribus crudelitatibus, arcem obsidet, aquæductum præsidiariis præbentem potum fregerunt. Agrum perpetuis servant custodiis, ne quid ad obsessos ingrediatur. Don Jacobus commendator Calatravæ Comitis Don Fernandi frater se includi passus est intra arcem, tutatur una templum majus, quod est arci proximum. Deus tot malis exorientibus sua occurrat clementia. Valete. ex Valleoleto nonis Junii, MDXX.

EPIST. DCLXXIII.

De accessu Regis, & quo pacto in Anglia susceptus: de causantibus tot mala. de Conventu Galli & Angli.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

OCeani furentis rabiem vos evasisse, Angliam captasse, Conturberii sacram B. Thomæ sedem visisse: materteram Angliæ Reginam tanti nepotis amplexu delectatam, ut par fuit, fuisse, Cæsarem à tanto Rege susceptum, uti decuit, audivimus, nec sine lætitia ingenti. Sed additum est, Regem ipsum Angliæ una & Reginam Calesium trajecisse fretum ad Galli Regis colloquium, jam diu ab utrisque compositum, vos parte alia in Flandriam. Quid Gallus & Anglus egerint, non est nostræ farinæ ultra solicitudinem, qua torquemur, ne Leoni nostro Lupi & Vulpeculæ conventus detrimenti aliquid sit pariturus. Si memores estis, neque id *pingui Minerva*, ut est in proverbio, sed ex intimis visceribus in mandatis mihi dedistis, ut vos de horum Regnorum successibus, quæ turbata relinquebatis, certiores facerem. Verebamini namque ex prodigiosi Cometæ significatione periculum Cæsaris, vel seditionis ex vestrorum collegarum Gallorum & Belgarum, misero pupillo quem educarunt inimicorum, voracitate horridas in Hispania seditiones. Proh dolor! Aperte videbant Onocrotali absorptores & una duo illi tantæ labis ministri Castellani præsentaneam horum Regnorum perniciem, cum tam intemperanter Regni leges infringerentur, clausis tamen oculis, profunda guttura aperiebant illi. Hi sub spe cibi pinguioris patriæ immemores, tum pollicitis, tum minis & vafris artibus procuratores curiarum subornando, ad hos quos scribere me cogitis, terminos rem deduxere. De Zamoræ Segoviæque crudelibus facinoribus, quidve Toletani ferant, deque aliis pejoris mali pullulantibus argumentis, incluso contenti estote exemplari; Originaliter ad Marchiones duos, qui literalia mea ubera ab adolescentia suxerunt, illa dum evenirent, dirigebam. posthac ad vos. quia forte prodesse poteritis apud felicissimum à natura, infelicem ab educatoribus Cæsarem, hæc illi significando. Licet vereamur ægritudinem istam potius in augmentum quam in salutem processuram, donec per eosdem medicos regi valetudinarium intellexerimus. Valete. ex Valleoleto. Idibus Junii, MDXX.

EPIST. DCLXXIV.

Burgos amisit suum candorem, defecit. Mors Giofredi crudelissima. quæritur Mota frater trucidandus.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano Episcopo Tudetensi.

PLacidis mallem sermonibus vestras aures demulcere, faceremque libentius, si placido nos vultu ac materno Fortuna prospiceret: sed si novercali rabidoque nos ex Scylla disjicit in Charybdim, & ex incendio in incendium trahit, quid faciemus? quæ dat, accipite. Burgensis illa civitas cordata ob frequentia mercatorum orbis hospitum commercia, candorem suum amisit, gravius inundavit alluvies. Duo ibi atrocia sunt commissa. Giofredum Regium metatum facetum illum, qui à vobis arcis Laris præfecturam, Burgensibus invitis, ad quos ejus arcis custodia pertinebat, impetravit; erat civibus illis exosus; protulit verba injuriosa in plebejos quosdam. eam nacti causam Giofredi domum adit furens populus armatus, partem anteriorem diruit discessitque. Gallum Oratorem à vobis in Clunio dimissum, redeuntem comitabatur Giofredus. exiens iterum minatus est Burgensibus, inquiens: *Ex sanguine Burgensium neophytarum integram spero me domum erecturum*; & hinc alia hujuscemodi. Hæc inquiens oratorem comitatur abeuntem. Cogitur populus ab his qui verba hæc audierant. Giofredum jam iter facientem quæritant. Equites illum assecuti sunt, evadere nequivit: nec sacelli, quo se recepit, numen; nec Christi nomen imploratum; neque aræ complexus profuerunt. E sacello evulsus ad urbem trahitur, multo crudelius quam Segovienses suum Turdesillum tractarunt. mille Giofredum vulneribus confectum suspenderunt, dehinc raptandum pueris tradiderunt. Est & aliud multo sævius, quod læsæ Majestatis crimen complectitur. Est Garsias Mota Pacensis Episcopi frater, unus è rectoribus ejus urbis, & is cujus suffragio donativum civitatis nomine concessum est. Garsiam trucidandum quærunt, latuit. Domum ejus adorti comburere tentarunt: quod in discrimine locaretur civitas eo igni ob vicinas domos ligneas, destiterunt ab incendio. domum ingrediuntur, in vicinam plateam è fenestris quicquid intra domum repertum est, projicitur, auri argentique ac supellectilium copia ingens acervatur. Proh indignum facinus! erat is Guarcirvizius præfectus custos omnium privilegiorum bullarumque Pontificalium & brevium membranarum scripturarumque omnium, quas cum Regibus Castellæ Pontifices Regesque ac Potentatus cæteri ab initio rerum per fœdera inita, vel alterne gratias aut contractus, cumque illis Castellæ Reges negotiati fuerant. In ea domo scripturarum earum arcas habebat, quæ in egregia debuissent arce sub fidis veteribus regiis custodibus & præfectis servari. tradita sunt igni & in cinerem versa omnia. Castellæ nulla fides restat gestorum suorum cum vivente quoquam. qualia hinc commoda sperentur, conjectamini: ni veneritis, cuncta ruent. Valete. ex Valleoleto. Idibus Junii, M D XX.

EPIST. DCLXXV.

De prodigiosis Cometis.

P. M. A. M. Marchionibus.

INtellexisse vos arbitror per meas literas de accessu Regis Cæsaris ad optatum natalem suum ad Belgas. de rebus aliis exemplaria literarum, quas dedi ad Magnum Cancellarium & Marlianum Philosophorum nostræ tempestatis maximum, nec mediocrem oratorem, legetis. Vos autem, ut stem promissis, ex Manilii astronomi ac vatis libro primo heroica de Cometarum portentis carmina suscipite, ut intelligatis, quam aperte Cometes ille Cluniensis, quem vobis descripsi, Rege Cæsare discedere jam parante, nascentes nunc rubos, vepres ac dumeta spinosa, sine rosis aut moris comestibilibus significaverit. Autorem ipsum audite.

Funera cum facibus veniunt, terrisque minantur
Ardentes sine fine rogos, cum Mundus & ipsa
Ægrotet natura novum sortita sepulchrum:
Quin & bella canunt ignes, subitosque tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma:
Extremas modo per gentes, ut fœdere rupto,
Quum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum sanguine campos;
Arserunt toto passim minitantia cœlo
Lumina, & ipsa tulit bellum natura per ignes,
Opposuitque suas vires, finemque minata est.
Nec mirere: graves rerumque hominumque ruinas
Sæpe domi culpa est, nec scimus credere cœlo.
Civiles etiam motus cognataque bella
Significant: nec plura alias incendia mundus
Sustinuit, quam cum ducibus jurata cruentis
Arma Philippeos implerunt sanguine campos.

En de Cometarum portentis, quæ cælestes ignes, id est Cometæ significant, quorum effectus præ oculis habemus. nec satisfactum arbitror, parari multo pejora video, quam acciderint

accideriint ad hunc usque diem: multa & saltantium caprarum & alias Cometarum genera describit suo Meteororum libro Philosophus. Sed qualem nostris oculis in Clunio vidimus nullum: hinc ex his plusquam civilibus simultatibus vereor deteriora. Nollem hæc scribere si materia daretur sapidior. Hæc fortuna parit, hæc dici oportet, hæc ad Cæsareos non scribo. quia uti suæ domus illorum quisque novit penetralia, ita Maniliana carmina novit. Valete. ex Valledoleto. Idibus Junii, MDXX.

EPIST. DCLXXVI.

De ejecto ex Valentia Prorege. de Caracellis contra Proregis jussum. de motibus Valdoleti.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

CAnicula minutæque stellæ suas certis anni temporibus sortiuntur vices, & cælorum proceres, Solem puta Lunamque, ac reliqua errantia sidera suis affectibus molestia solent afficere. Ita Valentinus populus post abactos Proceres, Proregem nunc Don Jacobum à Mendoça, quem paulo ante læti susceperant, male tractatum ejecerunt. Sed qualiter acciderit, uti Reverendissimus Cardinalis Dertusensis mihi retulit, habetote. Insolens tot successibus effecta plebs, solitum belli simulachrum die Pentecostes exercere statuerat, petiit per Syndicos à Prorege veniam. Satisfactum hactenus ait Prorex. hujuscemodi armorum spectacula regiæ adversantur autoritati, propterea ut cessarent jam tandem ab istiusmodi actibus hortatus est, imperare non est ausus. Irascitur populus, sævit plebecula. suam parat multo plenius explere petulantiam. Statuta venit hora. Vias vicosque omnes scopetarum sclopis, tympanorum reboatibus & clamoribus implens versus Proregis atrium, in ejus impudentiorem ignominiam dirigit gressum. per nuncios petiit Prorex, ut saltem abstineant à suæ domus transitu, ne uxorem gravidam, quæ istos formidat strepitus, locent in abortus discrimine. Rabidius in adversum tendunt. Ante fores atrii duplicato scopetas solvunt, & tympana quatiunt. perterretur uxor tremens, perturbatur, embryonem peperit. Post paucos inde dies occasionem nacta plebecula, quod Prorex nobilibus magis faveret quam populo, insurgit, tumultuatur, arma capit, Proregem obsidet ac expugnat. per posticas atrii fenestras se demittit, aufugit larvatus. Est & hujus oppidi Valdoleti vulgus elatum, conventiculis intendit. De diruendis procuratorum domibus sermones movet. Heri Franciscеæ regulæ frater unus Alburcherchi Ducem Francisci de la Serna Curiarum Procuratoris hospitem adivit: secreto monuit, ut ilico ab ea domo discedat, in summo esse periculo, si moretur. audisse in ejus cœnobii angulo, Quadrillas inisse consilium de domo illa diruenda, ipsoque Duce perimendo cum universa familia, si obstare niteretur. perbelle satis compositeque labuntur hæc vestra Regna quæ deseruistis. Valete. ex Valledoleto. x. Calend. Junii, MDXX.

EPIST. DCLXXVII.

De beneficentia in Valdoletum. de Segovia discorde. Toletum Don Pe. Lassum suscepit honorifice, quod negaverat de Mota promoto in Palentinum.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

RElatum est mihi, nomine Cæsaris venisse mandatum, ut Valdoletanis de promisso donativo dimittatur obligatio, utque nundinis & mercato fruantur liberis, & libera piscium, tritici atque hordei sit venditio, sine ullius tributi solutione. Sero sapuistis. placatus est tamen hac beneficentia populus aliquantisper. optandum est ut constet. Segovia est inter se dissidens, Clerus ac nobiles à populo dissentiunt. Arcem tenet populus obsessam, & in ea Comitem ipsum Don Fernandum, ipsius arcis nomine Regis præfectum. In Arevalo regiæ conveniunt cohortes, Segoviam ituræ, duce Curiæ prætore Ronchillo, ut si fieri poterit, tumultuum excitatores luant suæ crudelitatis pœnas. Toletum cum solemni pompa Don Petrum Lassum suscepit, & *patriæ liberatorem* appellat: quod in Clunio sit aperte locutus Regi de Regni gravaminibus. Malo vivit stomacho urbs illa, fomes est futura ingentium malorum. Cæteras nititur seducere civitates: Pacensem Episcopum magistrum Motam creastis & Palentinum cum alterius Episcopatus retentione. Licet Hispanus sit, duabus tamen de causis parum est Hispanis satisfactum. Ejus ductu & consilio suspicantur omnia fieri quæcunque contra Regni leges & statuta emergunt, quo ipse fortunales sibi sarcinas augeat, cum Capri favore. Altera est causa, quod ejus consensu pensionibus graventur Antistеæ in alienigenas: quibus modis hæc Regna pecuniis evacuantur. Hæc sunt in usu: hæc habetote & valete. ex Valledoleto Calendis Julii, MDXX.

EPIST. DCLXVIII.

De carminibus filii Io. Vasquez rectoris Murciæ, quod nunquam annuerit de donativo.

P. M. A. M. ad Ludovicum Vasquez, Joannis Vasquez Murciæ Rectoris filium eruditum.

PEr egregium rectorem istius urbis patrem tuum, qui nec prece nec precio diverti potuit, ut de novo donativo annuendo assentiretur, intelliges quæ hic acciderint, quamque turbulenta subeant tempora. Tuum de Imperii electione Heroicum tulit poëma. succo plenum est, & elegantia. Nil æque ob veterem cum genitore tuo amicitiam me potuit delectare, te filium multo magis ob innatas & acquisitas tuis vigiliis virtutes, admiratur, quam vi naturæ coactus amet, quum amet ardenter. In humanis actionibus habes virtutum omnium in patre speculum: quæ in egregio cive possunt desiderari. A Deo autem & natura, quæ dare viventium nemo potest, jam instrumenta es consecutus, quibus ab injuria oblivionis te genusque tuum queas vendicare. Turbida hæc nostra tempestas, materiam ingeniis præstat satis amplam, licet calamitosam, qua possis ex homine in heroëm transformari, ac lethargi tetras cavernas evadere. Vives postquam vivere desieris, modo desidiam excutias, nec laborem amplecti recusaveris. Vale & consilio adhære huic meo. ex Valledoleto. Calendas Julii, MDXX.

EPIST. DCLXXIX.

Ronchillus Segoviam petit. Segovia illum pellit. è Segovianis quidam perimuntur & alii capiuntur.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

FAme, flamma, ferro Regna ruunt regia. cum equitibus quadringentis, peditibus duobus millibus, prætor ille Ronchillus Segoviam petebat, in Seditionis autores. sensit infelicem civitatem ejectis bonis omnibus esse in plebeculæ sævientis potestate. Sistit in S. Maria de Nieva itinere in medio. Adortus est Segoviensis populus cum exercitu octo millium peditum, equitum paucorum prætorem ipsum. Insilit illis à tergo cum una equitum centuria Don Ludovicus de la Cueva, peremit quosdam, cepit sex è primariis, inter quos rectorem urbis ejus Peraltam. It posthæc ingens multitudo populi, Ronchillum è loco, ubi steterat, fugere coëgit, liberum reliquit Segoviensibus oppidum, ubi consederat. Contra regias cohortes mittit Toletum suppetias Segoviensibus, duce Joanne Padilla juvene nobili, sed earum seditionum autore, ob adversæ partis familiæ de Silva, odium intestinum, uxore Donna Maria Pachieca Tendillæ Comitis vita functi filia stimulante. elati ajunt animi esse fœminam illam, & mariti maritum. Trahunt etiam Toletani Archiepiscopatus loca in suæ urbis jus & observantiam. ipsius urbis arcem & portas & pontes & vias prehenderunt, nobilibus multis eorum opinioni adversantibus. Regios magistratus abdicarunt. Dux Infantati Guadalaiaræ fere dominus, tumultuantem jam civitatem illam, jugulato è seditiosis uno primario, nomine N. de Coca, quem populus sequebatur, sedavit. Sed Duci adversum aliud contigit. Comes Saldaniæ primogenitus ejus hæres inobservanter patrem tractavit. ense evaginato intra patris hospitium trucidandum quæsivit Don Rodericum fratrem unicum, eo quod Rodericus adolescentem quendam Comitis famulum percusserit alapa. Indignatus Dux pater, filium Comitem exilio mulctavit. Pro Burgensi populo venit ad Cardinalem & Senatores Salinæ Comes, veniam petitum præteritorum cum summissione humili ejus urbis nomine. non impetravit. timeo deteriora. Vos valete. ex Valleoleto. III. nonas Julii, MDXX.

EPIST. DCLXXX.

De facultate corrigendi Clericos.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

JUsta petistis, quando impetrastis à Pontifice, ut regii Senatus Princeps quiret Sacerdotum errores corrigere, sed causa fuit id Breve Pontificium durioris in his Regnis acrimoniæ. tribulos addidistis in vestris segetibus. Appellat clerus, Toletum convenit universus. Currentibus addit ea civitas jam diu sæviens calcaria. Rem adeo novam, licet recti faciem monstret, non patientur. est his artibus conceptum in vestros collegas odium augere, indies magis ac magis excandescunt & crescit contagio. Salmantica regnorum Academia nobiles & ipsa discussit ab humeris. petulantem juvenem Don Petrum à patre Maldonatum à matre Pigmentellum populus sibi ducem elegit. Clodium imitatus ad populum à nobilitate transilivit. est Beneventani Comitis nepos ex sorore. Auræ vulgaris dulcedine

dulcedine pellectus eo fastu gaudet. Itidem & Avila, quam Latinus *Abulam* appellat, effecit, vicinæ sunt, facile consociantur. Redditus regios ambæ colligunt, exactoribus ejectis & quæstoribus eliminatis. Medina Campi jam sequitur illorum vestigia. Cardinali & Senatui tormenta regia, quæ ibi sunt deposita, petentibus ut Ronchillo prætori dentur, negavit, *nolle se instrumenta præbere, quibus suis nundinis utiles vicinos & amicos Segovienses torqueant.* Rogat etiam Medina, *ut à consilio delendi Segoviam abstineant; nequire se non ferre talibus vicinis suppetias, si institerint*, protestatur. petit idem & jam ructat murmura, & hoc oppidum Valdoleti. Conca & ipsa palpitat. fomes omnium malorum Toletum, ob suam Antisteam barbaro inepto stirpis ejus hostilis præbitam, præter querelas alias, mugit uti jaculis taurus vulneratus. per literas, per nuncios, quibuscunque modis potest, secum trahere universum Regnum nititur. Murcia unius Regni caput calces excussit, Magistratus ejecit, prætorem curiæ Leguizamum virum nobilem à Senatu ad seditiones ejus pullulantes missum, adortus est furens populus, sub occasione, quod in unius nobilis & plebei controversia dixerit, *aliter esse agendum cum nobili, aliter cum plebejo. Ergo tu factionarius es*, inclamat vulgus, & occidendum quæsierunt. Evasit seminudus, fugiens ad milliaria novem amplius. secuti sunt ejus vestigia, latuit, mœsti quod Giofredi Burgensis exemplo careant, regressi sunt. sed duas accipite rosas jam tandem inter tot spinas spirantes, à vobis unam, à fortuna alteram. pacabitur forte multorum animus de tot aversis ex hac quam misistis beneficentia, de donativo non exigendo, licet multæ urbes annuerint. Quæ vero à fortuna est? A classe nostra è litoribus Laletanis dimissa, nuncii venerunt, ituri ad vos propediem. Insula Gierves è Syrtibus una, nostrorum quondam sepulchrum, quia nostras copias sæpius profligarunt, sese dedidit. Cæsari observanter parebit, subdidit colla jugo. Tuus œconomus Carolus scripsit, hos motus Cæsareæ detraxisse Majestati plurimum apud vicinos Reges. ubinam sit culpa, tu intelligis. intelligant & tui familiares, ne odium vertant in immeritos. Attamen cito dissolventur hæc nubila: neque deerunt aquæ tantum ignem nunc flammantem exstincturæ. Vale. ex Valdoleto. x. Calendas Augusti, MDXX.

EPIST. DCLXXXI.

De conventibus Cæsaris & Angli. de spe adventus Cæsaris. Conventus communitatis in Abula. de pugna in Medina. de horrida combustione urbis & cœnobii Franciscanorum.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Marliano.

A Vobis quod Rex Anglus trajecerit fretum & Cæsarem una cum regina Cæsaris matertera intra Cæsaris fines viserit, è converso Cæsar Calesium petierit, delectamur vehementer, laudamusque consilium vestrum, quod totis viribus retinere Angli Regis animum studeatis. Iturum dicitur propediem in Germaniam ad primam coronam Cæsarem, quo liberiores esse possitis ad reditum, inquitis. Rite fiet. qua namque hora sentiet Hispania, vos ad se faciem dirigere, sedabitur. Duris aliter & amaris dapibus depascemur. A nobis quid novi emergat, audite. Civitates & oppida quæ diximus, querula esse in Avila, invitis Cardinali & Senatu, conveniunt per Procuratores, quæque duos aut ternos destinat. Ne conventui intendant, aut si aliquid velint una cum eis à Cæsare petatur ajunt, se fauturos eorum postulatis pollicentur. Surdas præstant aures, citant & reliqua Regni membra, ut de communi commodo consultura veniant ad se. Valdoletum confricat humeros. sanguis hujus populi ebullit, crebros cogit conventiculos. Senatus aut prætor curiæ quisquam prehendere neminem audent. Antonius Fonseca relictus à Rege generalis militum regiorum dux, edicebat stipendia, ut pedites quosdam cogeret, curabatque velle ex oppido tormentarium pulverem asportare. vetuit populus tumultuans, & conquestus est quod in suos vicinos ista molirentur. petiit una ut prætor Ronchillus & copiæ Segoviam infestantes, dissolvantur. aliam petunt quæri viam qua tumultuum autores puniantur, quam ejus urbis excidio: de militibus & pulvere annuerunt, de tollendis armis à Segoviensibus consulendi tempus in diem tertium Cardinalis & Senatus petierunt. Antonius Fonseca his ita ipso invito concessis, Arevalum petiit. Regias, quotquot potest, cohortes accersit. Medinam Campi ante lucem adoritur. Regia petit placidis verbis tormenta, ibi ad hos casus emergentes à Catholicis Regibus deposita. Vetuerunt contra vicinos Segovienses educi. Ad viarum fauces locant è tormentis quædam, ad defensionem se accin-

gunt, ad manus ventum est, vim tentat. Fonseca affines & asseclas plures intus habebat, in eis confiderat. fefellit eum opinio. Solvunt in volentem ingredi tormenta Medinenses, perimunt quosdam. Gutterius Quixada tunc oppidi gubernator erat, generali Regis armorum duci machinas tradi debere consuluit, pervicaciam oppidanorum cernens, sceptrum cujus autoritate regebat, ad eos projecit, *nolle se ea potestate uti contra regios duces* ait, exivitque ad Fonsecam. ut paucis absolvam, ad ignem proclamatum est. Incendium, de quo Poëtæ fabulantur, Trojanum non puto fuisse crudelius. incenditur nundinarium illud oppidum, ubi à diversis orbis partibus mercatoriæ servabantur facultates. Combustum est D. Francisci cœnobium ad medullam, adeo ut ibi fuisse unquam quicquam ædificatum negares. miseranda strages. quæ in Octobris nundinis à venditione supererant merces ad Maias alteras in eo cœnobio colligebantur omnes. Tam atrox tamque repentinus supervenit turbo igneus, ut exportari nihil potuerit. quicquid preciosum inerat, in cinerem conversum est. Tercentum millia Ducatorum amplius ajunt id incendium abstulisse mercatoribus. Rasa est jam platea ingens illa, rasæ & viæ omnes nundinales. In lateribus paucæ domus evaserunt: oppidani autem, licet facultates universas absumi cernerent, à pugna tamen nunquam destiterunt, donec Fonseca re infecta provinciam reliquerit. Ingressum tentavit in Tordesillas, vetitum est à Marchione Deniæ Reginæ relicto custode, populo id exigente, qui & ipse motus erat petebatque per Reginam rerum dominam gubernari debere Regna. Arevalum se contulit Fonseca. Ita paulatim imus præcipites, ibimusque indies magis ac magis, ni properatis ad hæc Regna venire. Valete. ex Valledoleto. XVII. Calendas Septembris, M D XX.

EPIST. DCLXXXII.

De gelu in Augusto mense Prognosticon. De casu popularium motuum. De motu Galleciæ ac servato per Compostellanum Archiepiscopum Prorege.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

DIstulit cursor discessum, uno propterea contextu duas habeto meas. Circiter Idus Augusti decidit è cæli regione concretus ros, gelatæ sunt in vineis uvæ. sperant reconvalituras si supervenerit imber. pro portento habetur, quia nunquam alias. ex hoc novo naturæ officio prognosticamur, propediem fore, ut gelentur populares hæ alluvies. sine alis volitant, sine ducibus certant. Galleciæ quoque Regnum est in armis, perimendum quæsivit furens populus Fonsalitæ Comitem Proregem. Archiepiscopi Compostellani Don Alfonsi Alzevedi, cujus est in eo Regno autoritas primaria, servatus est opera. Audita vicini oppidi Medinæ Campi jactura, Valdoletum turbatum est. nulla ratione habita de Cæsarea in eos beneficentia de nundinis & foro liberis, deque tritici, hordei & piscium venditione sine ullo tributo, tumultuantur oppidani, inobservanter furiunt. de Cardinali & Senatu jam nulla mentio. Fonsecæ relicti à Cæsare militum Ducis domum adeunt magnificam, comburunt & funditus evertunt, petuntque à Cardinali, ut à Fonseca tollatur exercitus. populi rabiem timentes Cardinalis & Senatus, per præcones Fonsecam militibus spoliant. Audito edicto Fonsecam deserunt milites. His perculsus casibus Fonseca fugam rapuit, aufugit & frater ejus Burgensis Episcopus. Ronchillus vero regiæ Curiæ præfectus nusquam visus est ultra. Fonsecam arbitramur fuisse comitatum. per præcones promulgati sunt ab inepta plebe debacchante *hostes Reipublicæ.* quo tetenderint, est incertum. Post Fonsecæ dirutam combustamque domum, solutis habenis jam vagatur ignara plebs: Petri Portilli procuratoris municipalis, qui dicitur annuisse de mutandis Alcavalæ tributis ab ordine priore, domum adeunt & deprædantur. Is est opulentus mercator, combureréque cœperunt, & fecissent, nisi pars major obstitisset, ob viciniam, quæ universa flagrasset illa incensa. ruunt & in Francisci Sernæ atrium, eo quod procurator in Clunio annuerint Regi de donativo. temperarunt ab incendio, ne serpens ignis oppidum sterneret, præda contenti & parte domus diruta discesserunt. Ne sint omnia stomachosa, unum accipito sapidum. Tres illi populi, qui montes incolunt Cantabros & bellis apti, vulgo *Biscaini*, Astures & Lipuzcani se venturos ad unum offerunt in Regiæ coronæ auxilium, si vocentur: Roderici à Rua computatoris, equitis Asturis, honesto loco nati, diligentia & industria retenti sunt Astures in fide. Labimur in deterius indies magis ac magis, ni properatis. Vale. ex Valdoleto. XIII. Calendas Septembris, M D XX.

EPIST.

EPIST. DCLXXXIII.

Cur tantum vagetur ista labes, & quorum causa. Quid annuerint trementes Cardinalis & Senatus insolenti vulgo.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

NOvas habemus à vobis literas, quod sitis Hispanis perturbationibus perturbati. Non miramur, vestra res agitur. Si amiseritis hæc Regna, vestræ coronæ gemmas & lacertorum vires perdetis. Excoriarunt isti collegæ tui Caper & consocii Cerberi ad ossa usque Regna hæc. Unde obolum possint habere ad stipendia militibus persolvenda, quibus obstare tantæ labi queant, non reperitur. Propterea dissolutis cohortibus populo subdere capita coguntur Cardinalis & Senatus: ad quos ab hujus populi conventiculis venere nuncii, multaque insolenter petierunt. Nil negatum est, nec se tutos arbitrantur. De mittendis Abulam procuratoribus ad eos qui ab aliis urbibus & municipibus illic sunt congregati, sermo est inter eos agitatus. Beneventanus Comes & Oxomensis Episcopus municipales & ipsi debere curias illas huc vocari, non autem mittendos esse Procuratores à tanto municipio ad illos, suffragati sunt. suspecti sunt populo. Jam Cardinalis gubernator & Senatus quandoquidem prohibere nequeunt quin conveniant, ad se illos trahere conati sunt. Nil minus quam ipsi postulent se Regnorum utilitati consulturos pollicentur. Recusant adventum qui Abulæ negociantur. Volunt (uti suspicamur) imperare. Sunt in hoc oppido terdecim tribus, dicunt *perochias*, singulis conveniunt diebus. Insultant ignari plebeji jam in primarios, veluti vulpes in leonem, quando catenatum & quartana pressum leonem sentit: tortos in Comitem & Episcopum, reliquos etiam nobiles omnes jam dirigit oculos petulans plebecula. Imperatorem sibi elegit, quem sequatur, Infantem Granatæ convicinum virum regia stirpe ortum & sanguinem regium redolentem, omni virtute præditum, licet adverse à populo sentiat, non ausus est recusare, quinque illi addixerunt popurlares legatos, quorum consilio gubernetur oppidum. nocturnas exercent excubias. verentur, ne ruat ex insperato militum aliqua manus sub nobilium favore. Vagos omnes qui sine artibus, aut sine domino agunt, ejecere. Ita cohortibus regiis dissolutis & spe dempta, ne cogere queant ullas copias, Cardinalis & Senatus ut implicitum gregem sine tutoribus melampis se esse reperiunt, sævibunt in eos lupi ad libitum. Toletum habet in Curiis Abulensibus primatum. Toletanarum copiarum præfecto Jo. Padillæ Medina Campi tormenta regia illi oppido credita præbere statuit: quid cogitent, tempus loquetur, nil prosperi emergit. Communitatis nomen coalescit, regium labitur in deterius. Vale. ex Valdoleto. IV. Calend. Septembris, MDXX.

EPIST. DCLXXXIV.

Quid Cochensis Episcopus. Quid Ajora historicus in conventu plebejo. ejus oratio.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

SÆpe accidit, ut mittendi cursores discessum producant. Datus est locus, ut priori adderem plæraque. Ad sedandos Valdoletanorum animos ex Cardinalis & Senatus nutu Conchensis Episcopus hujus princeps Cancellariæ Valdoletanorum adivit conciliabulum. Jurejurando præeunte asseruit; *Cardinali & Senatui Medinæ calamitosam ærumnam fuisse molestissimam, ne velint ejus ruinæ cuiquam ipsorum culpam impingere.* Exhortatusque est Valdoletanos eorum nomine, *bono sint animo, fore ipsos Regnorum commodo fautores*, & hinc multa; & suggestum conscendit Gonsalus Ajora, regius historicus, lingua disertus, de Monarchia, de Democratia, de Aristocratia quædam, quid utilius, quid tutius, Romanorum principatu aliorum exemplis edixit; ut Romani coaluerint Concordia durante, ut ruerint Discordia pullulante, disseruit. Quid uterque profecerit, tempus dicit. Video paulatim ista venire ad ineptorum potestatem: quibus nihil pensi est. Ad subulcorum manus per mare tempestuosum regendi naves cerno trahi ministerium, depulsis artis maritimæ naucleris. Nudiusquartus Regina Catholica accersiri jussit Conchensem Episcopum veterem suum capellanum majorem, & è Senatoribus antiquis Zapatam, Polancum, Aquirrum; Juris peritos. Redierunt nulla re, quæ momenti sit alicujus, acta: vivit eadem Saturnia gravedine pessundata, à negociis abhorrens. Ruat cœlum an nova procreet sidera, illi tantundem est. Eodem die Burgensis populus ut crimen crimini addat, in Burgensis Episcopi provisores sævivit, ejecitque inde facto impetu. Oppidum Episcopale, nomine *villa Fruel* properanter adeunt, Episcopum trucidandum quærunt; ociabatur namque ibi, quid insolentia vulgi esset paritura, exspectans. Aufugit: dedere oppidum in prædam, & una Episcopi supellectilia omnia. Quæsivit

vit & Palantinus populus Episcopi sui fratrem Garsiam Ruizium Mottam, peremisset repertum. latuit. Sævivit & idem populus in Clerum, eo quod possessionem Episcopatus liberam magistro Mottæ Pacensi Episcopo dederit: putans, Episcopum ipsum apud Regem Cæsarem, ut Capro aduletur, malorum autorem. Hæc fiunt, hæc habeto. ex Valdoleto. III. Calend. Septemb. M D XX.

EPIST. DCLXXXV.

Boadilla plebejus refert Medinæ dominum. de crudeli nece rectorum Medinæ. de superbissimo Boadillæ dominatu. de rebus Alfonsi Nigni.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

MUltiplicata hujus hydræ capita renascuntur. Quis tandem sit futurus tot malorum finis, ambigimus. Boni torpescunt omnes & è patriis laribus eliminantur. Sicarii, lenones, prædis & latrociniis assueti elevant capita. O dictu miserandum! In Medina Campi combusta, vilis panni tonsor nomine Boadilla, manu promptis & petulantibus coactis oppidi usurpat autoritatem. In prætorio coram cæteris rectoribus oppidi eorum collegam *Ægidium* cognomine *Nepotem*, ipsius Boadillæ quondam herum, ense nudato trucidavit, nec emutire quisquam eorum ausus est, per prætorii fenestram dehinc ad pueros cadaver ejecit. trahitur misero raptu per cœnosas oppidi vias, & discerpitur. Hoc perempto quærit Boadilla sequentibus digladiatoribus rectorem alium nomine *Loppe de Vera*, repertum eadem lege sectum in frusta tractavit. In Christophorum quendam librorum paginatorem, quod dicere ausus fuisset, debere tradi ducibus regiis machinas regias, æqualem exercuit sævitiam. Ita lanitonsor rerum illius oppidi regendas sibi usurpavit habenas, staturque illius dicto. Primariam sibi domum in prætorium elegit, dat leges pro libito. Accersitos in Concilium oppidi primores, sedere jubet, si grati sint, reliquos stare patitur. audet erigere caput contra illius torrentem nemo. tributa quibus alatur exercitus contra regios magistratus, imponit. Senatum quo duce imperat & executores ministros sibi eligit. Larvam hanc inter cæteras Fortuna excitat. Cito cadet, quia cito sine fundamentis surrexit. Malum interea ingens est. In hoc autem egregio municipio Valdoleto vicatim exiguntur sub mutui nomine pecuniæ, quibus excubiæ alantur. Mille militum elegerunt numerum, qui præsto sint ad emersuras occasiones. Quid ipsi velint, non intelligunt. Alatam imitantur formicam per aëra vagantem, quo tendat ignaram. Est hujus oppidi concivis Alfonsus Nignus vir nobilis, quod eum senserunt suis cogitatibus aversum, licet Justitiæ sit præfectus, quem dicunt *Merinum*, alias *Alguazillum majorem*, odio prosequuntur. turrim ejus egregiam in agro mœnibus vicinam combussit vulgi furor, viridariumque ingens adhærens mœnibus, arboribus, vinetis, rosetisque erutis, muros etiam circumsepientes diruerunt. Ad conventum Abulensem à Cardinali & Senatu missus Commendatarius Hynestrosa, suasum, ne illa fierent, Senatu regio inconsulto, quia præcipue sint una ipsi fautores futuri in his omnibus, quæ ad Regni commodum & honorem faciant. neque auditus, neque admissus, regressus est. sunt hæ artes quibus Fortuna exagitat hæc Regna. Intelligimus etiam Madritenses arcem illam quam dicunt *Alcaçar*, obsidere, ut à regio arcis præfecto Francisco de Vargas nostri thesaurarii Vargas nepote auferant, & populo dedant, petiisseque ad id onus à Toletanis auxilia. Sed audi deterius aliud. Senatus princeps Granatensis Archiepiscopus & Senatorum pars major, magnus etiam Castellæ Commendatarius Fernandus à Vega, de turbati populi adversis consiliis facti certiores, latenter ab oculis hominum evanuerunt. quo diverterint, ipsi dicent aliquando. Sapienter egisse judicati sunt. Re tamen à populi primoribus intellecta, supplices à Cardinali petierunt, ut illos accersiret. præbita fide tutelari, reversi sunt Granatensis, & qui cum eo ierant Senatores. ut constanti sint animo populares, optandum est. volubilitatem formido. quia præcipue Jo. Padilla Toletanarum copiarum dux à Turdesillanis Deniæ Marchione Reginæ custode invito, cum bis centum militibus susceptus est intra oppidum, à quo Fonsecam regium generalem exercituum ducem deturbarunt. Altero die Padilla vocatus à Regina, multa de Regnorum ruina disseruit: ad ejus præsentia dicta præstitit aures Serenissima Regina, dixitque *se provisuram*: sed sua pristina valetudine pessundata operatur nihil, recusatque diplomati cuiquam imponere manum. quod si faceret, actum de nostri Cæsaris esset autoritate, vivente matre præsertim. Dum hæc ita scripsissem & discessum tabellarius differret; audivimus, Madritenses dedisse in prædam egregium illud nundinale oppidum, dictum *Torreion*, Jo. Ariæ municipium, eo quod Jo. ipse Arias ejus dominus cum equitibus ducentum, peditibus autem quibusdam veniret contra in præfecti arcis obsessi auxilium, sataque omnia vineasque ac arbores omnes

omnes ejus oppidi viciniæ exstirpasse. Unde rejectis venientibus auxiliis ad obsessos, susceptisque mille peditibus Toletanis, arcem tandem expugnarunt. Est ea jam in populi potestate, cum armamentis omnifariam illic à Catholicis Regibus inclusis. ergo nostras vires hebetat, suas adauget, hæc communitatis insolentia. *Se deleturos quotquot proceres à corona Regia quicquam possideant*, aperte prædicant. *Coronam se ditaturos regiam* inquiunt. quid judicem ambigo. Ubeda etiam ac Baizia & Gienium in Vandalia fremunt. Complutum quod est Alcala de Henares, levavit ab onere gubernandi Archiepiscopatum Toletanum, Don Franciscum Mendozam ejus Antistetæ gubernatorem, potestatem illi ademit. Vale ex Valleoleto Idus Septembris, M D XX.

Epist. DCLXXXVI.

De transitu conventus Abulensis ad Turdesillas. de Marchione Denia. Regnorum petitiones. de damnis hospitiorum.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

Habui à te literas, quibus duo capita continentur: narrativum unum; alterum interrogativum. Sed audi prius, quo in statu res nostræ sint. Procuratores Abulenses Marchione Deniæ cum uxore ac universa ejus familia inobservanter ejecto, Turdesillas petiere, ibi Jo. Padilla somniat se magnum esse magni exercitus prætorem. Centurionibus ac tribunis circumseptus comedit ac negociatur, omnia confusa. In Caprum vestrum quem ajunt sua voracitate tot malorum causam fuisse maledictis insectantur hæc Regna. Zamoram in fide regia sustinet ad hunc usque diem Comes Albelistæ, illius urbis Episcopo ejecto, qui ebulliens & nova semper moliens communitatum vires implorat in hostem suum. Saturninus est & Martialis hic Episcopus, veremur ne aliquid sinistrum pariat. Petrus etiam Giron Comitis Ureniæ primus hæres, fervet inter hos motus. Sperat hac via tumultuaria, se jus quod petit de Medinæ Sidoniæ Ducatu consecuturum. Audi quam sit populo fidendum. Sub præbita fide Granatensis Archiepiscopus princeps Senatus & qui eum secuti sunt regressi, denuo aufugerunt noctu & clam, quia per exploratores moniti fuerunt de vulgi murmure in eos. Statuisse plebem domos eorum ea nocte impetere, per amicos fuerunt moniti. en quibus artibus nobiscum agatur. Est gladius in manu furentis, populo potestatem præbere. Ad vos tandem. Cæsarem ais paratum esse, ut in Germaniam proficiscatur, nec animo decidere propter hæc adversa. Viri est ea magnanimi & fortis natura, ut neque prosperis extollatur aut prematur adversis. fumi sunt hi paleares, qui licet naribus sint molesti, quia fœtidi, ad capitisque apti gravedinem; propere tamen dissolvuntur. Interragativo nunc alteri epistolæ tuæ capiti respondeamus. Ut quid isti seditionum excitatores petant, tibi significem cupis: primaria illorum postulata, quæ dicunt legibus contineri, sunt hæc. Primo petunt, ut Rex veniat, nec tam parvi putet esse momenti hæc Regna, quæ possint absente suo Rege gubernari. Petunt ut jam nubat ad horum Regnorum voluntatem. Quod majestas Catholicæ Reginæ matris ejus, ad quam viventem spectant Regnorum redditus, decenti muniatur familia. Quod non alienigenis beneficia vel officia præbeantur: neque in prætorias cohortes admittantur. & suam instituat domum avorum maternorum exemplo. Quod auferantur ministri additi post obitum Catholicæ Reginæ in Regia domo: nec stipendio fruatur ullo quisque absens à Curia. Quod nulli Procerum pars ulla detur in actione redditiuum regiorum. Quod gubernatores absente Rege sint regnicolæ, deturque illis ampla providendi potestas. Utque tollatur de hospitibus consuetudo. Id negant lege fieri. Inde jacturas, damna, stupra, injuriasque ajunt exoriri hospitibus innumeras. excipiunt in itineribus, in quibus sex dierum dicunt se passuros id incommodum. Ultra id spatium solvatur à Curialibus hospitii præmium, quale magistratus loci assignaverint. In ruribus autem ut regiæ cohortes & reliquæ custodiæ sine pretio stativas habeant, patiuntur: sed in urbibus aut oppidis, ubi Curia pedem fixerit, sexaginta tantum hospitia Regi præbeant; de communi ære necessariis ministris distribuenda Senatoribus aut hujusmodi Justitiæ vel censuum ministris minime. Quod alcavalæ tertiæque ac reliqua tributa reducantur ad summam, quæ Catholica Regina vivente colligebatur, aut illius testamento relictam. Quod exteris nulla detur naturalitas & datæ revocentur. Ne donativum, quod dicunt *servitium*, detur ullo tempore. Ne locus detur ut debita decennio sopita, quæ vulgus appellat *Albachias* excitentur, ob exactorum extorsiones. Ut ad Curias eant delecti ex omni civitate vel oppido suffraganti tres viri: Ecclesiasticus unus, è nobilibus alter, è populo tertius. ad impensam provideatur, Ecclesiasticus à capitulo, cæteris ab ipso mittente loco; de propriis redditibus loci. Neve

Rex quicquam hujusmodi nunciis promittat vel impartiatur, aut ex eis quenquam nominet aut chirographa mittat limitibus inclusa: sed liberum sit procuratoribus justis annuere, ac negare quæcunque contra Regni leges aut statuta proponantur, possintque in Curiis procuratores convenire, sine alicujus Præsidentis à Rege statuti præsentia, possintque Juris peritum eligere, cum quo liceat de Regni legibus consulere. Quod abrogetur beneficiis datis aut promissis procuratoribus Regni in Clunio. Quod suffragantes urbes & oppida queant singulis tribus annis convenire, consultum de communi commodo. Quod pecuniæ non asportentur è Regno. Ut monetæ cudantur tam aureæ ad scutorum Gallicorum valorem, quam argenteæ; vulgaresque numuli ad exterarum monetarum pensum: nec illis decussis appareant ultra tariæ vel aliæ alibi decussæ. aurum quippe Hispanum purum prodit ac naturale ad varias orbis partes. ditescunt alibi fabri monetales & eorum domini in magnam Hispaniæ jacturam, exteras admittendo viles monetas, exportando perfectas. Petunt una ut greges & armenta non educantur è regnis Castellæ, ne frumenta, ne coria, ne lanarum plus quam pars dimidia, reliquam tollant ab emptoribus, æquo precio lanifactores Regni. Ne Senatores favore vel precio eligantur, quodque ab eis ministratæ rei exigatur ratio singulis quatuor annis, ne possit eorum quisquam, aut bis in eadem causa suffragari, vel secundæ alicujus litis discussioni bis interesse. Idem de reliquis Regni justitiæ ministris qui non sint perpetui. Ne quis in regia domo fruatur stipendiis aut locis duobus. Ne referendarii sint cameræ regiæ, ne quisquam petat affinibus aut amicis: quia fiunt sub ea occasione fraudes innumeræ. Quod liceat à Curiæ præsidibus ad regium Senatum appellare; ne civitatum aut oppidorum correctores possint prorogari ultra annum, nisi locus ipse supplicaverit. Itidem de reliquis ab illis pendentibus, solvanturque illorum stipendia, de fisco, non de civitatum redditibus: neque illis quicquam assignetur super fisci pœnas, ab eis præcipue condemnatis: quia esset præbere illis gladium in vicinos. Quod nemo cogatur invitus bullas indulgentes accipere; nec pecuniæ inde habitæ in alios usus convertantur, quam in hostes fidei: sique à Rege sit alicui facta de similibus gratia, revocetur, deponanturque illæ pecuniæ in Ecclesiarum æraria: unde ad usum statutum extrahantur: diligentibus super ea re designatis inquisitoribus. Ne cuiquam assignentur Indi ad obsequia effodiendo aurum, & si qui sunt, tollantur à possessoribus. Ne domus contractationis rerum Indicarum alio mutetur. Ne Rex cuiquam pecunias non visas per chirographa impartiatur, ni prius ad cameram venerint. Ne de bonis accusati alicujus fiat gratia, ni prius res transierit in rem judicatam, & præbitæ revocentur à Rege decepto à suis voracibus gurgitibus. Ut gratiæ post Catholicæ Reginæ mortem factæ per Regem revocentur, donec an in bene meritos sint exhibitæ censeatur: quia ex consilio malorum sunt multi recepti non necessarii, in multis officiis favore vel corruptela, & ita statutum legato Catholica regina reliquit. Ut privilegia nobilitatis & alterius modi Regno nociva, nisi aperte constiterit recipientes fuisse optime meritos, revocentur: de reservis spectativisque super officiis & beneficiis. Quod ministri Regii fraude deprehensi deleantur è libris, fiantque inhabiles: Abjiciantur quicunque pecuniis aut corruptelis aliquibus reperiantur officia sibi comparasse vel beneficia, & si qui forte emerunt, morte mulctentur, si tentaverint exercere, postquam fuerint moniti. Ut prælati majorem partem anni cumque suo grege resideant, qui secus, amittant redditus. Ut aboleatur membranea brevis Pontificia, quæ Jurisdictioni regiæ subdebat Ecclesiasticos. Nec urbium aut municipiorum rectores stipendia queant ab illo Procerum recipere, sin aliter, aboleantur è magistratu. Ut à morte reginæ Catholicæ quicquid ablatum est, restituatur. Ne in bene gestorum præmium quicquam de corona regia dematur: pecuniæ officia & beneficio tribuantur. Quod regii census appellati *Iuros*, de regiis redimantur redditibus. Ne Procerum cuiquam dentur arcium præfecturæ, & si quas habent, ut tollantur. Ne panni ab exteris partibus advecti sint his quæ texuntur in Regno deteriores. Ut urbes, oppida, villæque à Regia corona transmissæ ad Proceres in tributis & censibus cum Regiis, æquis contribuantur portionibus. Cætera quæ servari postulant, pauci sunt momenti. Hæc autem ajunt à nostri Cæsaris majoribus fuisse sancita, in volumenque dictum *Septempartitas*, redacta. Cur magis pati debeant suarum legum & statutorum dilacerationem, quam Hispani reliqui, Aragones puta, Valentini & Laletani, quam Belgæ, quam Germani Cæsarei, percunctantur. Mi Magne Cancellarie, ut verum fateamur, si ablata passione turbante rationem, pensitaverimus rem, non longe à justo vagatur in suis postulatis misera Castella. Sed quid? ad dementem temeritatem & sicariorum petulantium manus res deducta est, qui

qui cum nihil pensi habent bonis invidentes, sui generis sceleratos extollunt. Imperat hac tempestate ac sævit in nobilitatem vulgus ignarum. Hinc facile est vaticinatu, seditiones has cito ruituras, quia & consilio & ducibus carent. Nequeunt multa, quæ petiisti velle te intelligere parvo esse contenta spatio: jam tandem claudatur exundans rivus. Tu vale. ex Valleoleto. idibus Septembris, MDXX.

EPIST. DCLXXXVII.

De sermone Don Petri Guivara Francisco Regi super tumultibus à suis lateralibus causatis. Verba Regis in favorem stabularii. de Episcopo Zamora. de Regno Valentia. Pellitur Comestabilis.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

A Nobis relatum est Don Petrum Guivaram Spatensem Commendatarium à Cardinali & Senatu ad vos dimissum, libere Regi locutum, coram Capro & consortibus, Clementissimi Principis lupis rapacibus: de horum malorum ob commoda particularia seminibus, nec erubuisse Caprum nec pœnitentis ulla signa ostendisse. An profutura sint ad remedium ejus dicta exspectamus: quod fiet, si devoratores noverit suos sub specie ac nomine nutritorum Rex, & aures præbere destiterit illorum perniciosis consiliis. Missus est Rodericus Nignus Toletanus eques nobilis, Regi dicturus, Cardinalis & Senatus nomine, quid expediat ad tantorum malorum levamen. Is si auscultabitur, putamus utile fore. Sed si excoriatores horum Regnorum obstiterint, labemur in pejus. De civitate illa vero tradita magno stabulario, ut eam oblatis triginta millibus ducatorum vendat, Regnum id sensisse graviter audimus. paratos audio cives illius urbis ad defectionem, obstiturosque, ne vendantur. Cæsarem vero dicunt repetiisse, ut res fiat, nec appellationem civium admittere, scripsisseque dicitur Cæsar in hunc sensum: *Solent grati obsequiorum Reges, necessarios liberalibus donis ornare, propterea æquo animo feratis oportet.* Hæc stabularii, consortes, sibique, non Regi studentes, ajunt. Nos qui extra illam ludimus aleam, dicimus, æquum esse, ut his majoribusque donis ditetur Stabularius, quia majoris sunt multo momenti quæ præstitit Regi obsequia Stabularius, quam magnus ille Capitaneus qui toties Gallis enervatis deletisque liberum reliquit coronæ Hispanæ Regnum illud Neapolitanum: cum deviceris Stabularius pinguiora Regna & Turcarum copias deleverit, pro quibus meritis præberi solent ducibus autoribus hujusce modi præmia. A nobis scito, Valdoletanas tribus tractare jam nil aliud in suis conventiculis, quam de diruendis rectorum domibus, deque radicitus exstirpandis omnibus potentibus, quo liberius ipsi queant has pultes convolvere. Beneventanum Comitem & Oxomensem Episcopum, paulo ante suos heroas eliminarunt. Zamoræ antistes Antonius Acugna contra Comitem Albelistæ petit auxilia communitatis, assequetur, ut arbitror. Valentiæ Regnum tendit ad ruinam indies magis ac magis. In dominos quæque oppida erigunt cristas, populari assentiuntur defectioni, ampliorem hinc sperant libertatem, sed falluntur. nesciunt namque sine pastoribus oves qua tendant ad necessaria pascua. Burgensem cordatam civitatem, provincia quæ dicitur *Merindates*, ad seditionem invitat novam. Literas detinuit gladiarius quidam faber seditiosorum primas, ex Comestabilis suasu. Provincia duplicavit, & bellorum ducem creavit Salvaterræ Comitem, Ampudiæ Mareschallum. Ad tribus delatæ secundæ illius provinciæ literæ. in Comestabilem detentorem & fabrum gladiarium insurgit populus Burgensis, fabrum petunt, ad Comestabilem se recipit tremens. non est ausus obsistere, ne trucidaretur. vivit Comestabilis in summo discrimine. Facto impetu à furenti populo intra sui atrii sedem obsidetur & oppugnatur. Satius esse credens cedere quam vim tentare; paciscitur cum eis, & ignominiose pellitur, una cum uxore ac natis & familia. cujus ærumnoso casu audito, sui Status oppida defecerunt ab eo. Viam reliquis ostendit horum suæ vetustæ domus municipium Comitatus caput. Tremunt & alia Regna, Laletanum scilicet ac Aragonum quæ licet Castellam exhauriendo ditastis, desperatis tamen animis vivunt ob Justitiæ fugam. De utraque idem audimus Sicilia, nostrique maris insulis aliis. Confuse vivitur ubique. Vos valete. ex Valleoleto. postridie ab inclusis, MDXX.

EPIST. DCLXXXVIII.

Consultationes de tollendo Regio nomine matre vivente. de Najara & multis aliis locis deficientibus à Dominis.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

NImium protenditur ista lues, mi Magne Cancellarie. Quid jam audeant, habeto. Postquam Turdesillas occuparunt,

ejecto Deniæ Marchione, relicto à Cæsare in custodiam Catholicæ Reginæ suæ matris ac serenissimæ sororis Catherinæ posthumæ, Curiarum communitatis procuratores Catholicam Reginam hortari ac orare supplices non desierunt, ut ipsa velit literis & diplomatibus manum imponere, dicentes; *Regna hæc, dum ipsa vixerit, sua esse, non filii.* nec destiterunt à colloquiis de tollendo Cæsari nomine regio, non potuisse ipsum regium nomen assumere, matre vivente. Audi rem nigro exstincto carbone nigriorem: adeo temerarie rem tentarunt, ut ad suffragia ventum sit, deque terdecim ibi suffragantibus urbibus & oppidis, majorem ajunt partem isse, in eam sententiam, ut Regium nomen Castellæ, jam præbitum per generales Curias, Cæsari tolleretur. Obstitit pars minor, nec passa est ullo pacto sermonem ultra fieri de re hujuscemodi. Sub horum favore Naiara & oppidum Duegnas ab hoc municipio distans lequas sex, defecerunt à veteribus dominis, idem & cæteri populi facient, nisi aliter hi proceres excutient pennas. Comestabilis tamen suum vetus Hari oppidum reduxit ad pristinum statum primariis plærisque tumultus excitatoribus affectis supplicio. Hoc municipium jam tendit ad perniciem: Regio magistratui qui dicitur *Corrector*, potestatem & sceptrum ademit, occasionem nacta, quod illius consensu Fonseca Regnorum à Cæsare relictus imperator exercitus, pulverem tormentarium contra Segoviam expendendum ex oppido tentaverit asportare: quodque stipendiarios colligi milites assentiretur. Jam ad conventicula tribuum res devenit. Cardinalis & Senatus ociantur, nec sine periculo vitam agunt. A vobis autem audimus, Gallorum Regem itinera vetare nostris cursoribus, neve Hispanus quisquam tutus possit ejus fines calcare, quin deprehensus capiatur. ergo inimicitias indicit. cito igitur emerget, unde Cæsaris è Clunio discedentis jusjurandum expleatur: qui Cardinali Dertusensi fore, ut Gallus, Cæsare absente, Navarram sit impetiturus, suspicanti, respondit: *Hoc non est tuæ inquisitionis, ad me hoc attinet, Cardinalis, vel me ipse, vel ego illum radicitus delebo: si Deus est*, ad primum ejus motum erga res meas. Vale. ex Valleoleto. XVI. Calendas Octobris, MDXX.

EPIST. DCLXXXIX.

De nova secta Lutheranorum apud Germanos exorta.

P. M. A. M. Marchionibus discipulis.

QUæ in Regnis gerantur, vos non latent. Ex his quæ ab exteris habemus, legite prodigium horrendum mihi ab Alfonso Valdesio magnæ spei juvene, cujus patrem Ferdinandum de Valdes Rectorem Conchensem nostis. non minus fideliter quam ornate descriptum, cujus epistola sic habet.

Alfonsus Valdesius Petro Martyri suo Salutem.

§. QUod ex me scire cupis, qui fuerit ortus atque progressus Lutheranorum sectæ nuper apud Germanos exortæ, si non ornate, diligenter tamen scribam, ea bona fide referens, quæ à fide dignis accepi. Audisti (opinor) Julium II. Pontificem Maximum, templum in Romana urbe Apostolorum Principi dicatum, incredibili sumptu, atque non visa hactenus magnitudine ædificare cœpisse. indecorum (ut arbitror) ratus, in humili templo Apostolorum Principem habitare: præsertim quum ex omnibus mundi partibus, religionis causa illuc homines confluerent, consummassetque insigne opus vir maximus magnanimusque; ni in ipso cursu mors eum è terris rapuisset. Successit huic Leo X. cui cum tanto sumptui pecuniæ non suppeterent, missis per universum Christianum orbem, largissimis condonationibus (quas *Indulgentias* vocant) his qui Eleemosynam pro ejus templi structura conferrent, ingentem pecuniarum vim sese hinc corrasurum existimabat, præsertim à Germanis, qui singulari quadam religione Romanam Ecclesiam venerabantur. Veruntamen quum nihil sit in rebus humanis tam firmum atque stabile, quod non temporis injuria, vel hominum malitia corruat, hujuscemodi condonationibus factum est, ut Germania, quæ nullam non Christianam nationem religione superabat, ab omnibus in præsentia superetur. Nam Wettembergæ (ea est civitas Saxoniæ) quum Dominicanus quidam concionaretur, Pontificisque condonationes, unde & ipse non aspernandum lucrum venabatur, populo obtrudere conaretur, prosiliit Monachus Augustinensis, cui nomen *Martinus Lutherus* Saxo, & hujus tragœdiæ auctor, & Dominicani fortassis invidia

dia motus, nonnullos Articulos typis excusos emisit, in quibus asserebat, Dominicanum longe majora tribuere suis condonationibus, quam vel Romanus Pontifex concessisset, vel concedere fas esset. Dominicanus perlectis Articulis incanduit in Augustinensem. adeoque inter Monachos tum convitiis, tum argumentis incruduit pugna, dum alius concionem, alius Articulos defendit; ut Augustinensis (quæ est malorum audacia) condonationes Pontificis prope irridere cœperit, diceretque, non ad salutem populi Christiani, sed ad sacerdotum avaritiam explendam adinventas esse, atque inde inter Monachos de Romani Pontificis potestate disputari cœptum est. Habes primam hujus Tragœdiæ scenam, quam Monachorum odiis debemus. Dum enim Augustinensis invidet Dominicano, & Dominicanus vicissim Augustinensi, atque hi etiam Franciscanis, quid quæso poterimus præter gravissima dissidia sperare? Nunc ad secundum scenam veniamus. Audierat Federicus Dux Saxoniæ ad Albertum Cardinalem, & Archiepiscopum Moguntinum, ejus in Romanis Imperatoribus designandis collegam quo cum haud recte illi conveniebat, magnum commodum ex hujusmodi condonationibus venire. Sic enim inter ipsum & Romanum Pontificem conventum erat, dumque occasionem captat Dux qua Moguntinum eo commodo privaret; nactus Monachum ad quodvis facinus non minus audacem quam impudentem, qui Pontificis condonationibus jam bellum indixerat, omnem pecuniam ex hujusmodi condonationibus per universam ditionem suam collectam, è Commissariorum (quos vocant) manibus eripuit, dicens; *Se velle proprium hominem Romam destinare, qui eam pecuniam in fabricam templi D. Petri exponeret, videretque, in quem usum reliqua pecuniæ, quæ ab aliis partibus ferrentur, Romæ consumerentur.* Pontifex vero, cujus est ecclesiasticam libertatem tueri, nec permittere, ut prophani Principes se his immisceant, quæ ad unum Romanum Pontificem spectant, monuit Ducem semel atque iterum tum literis amanter scriptis, tum nunciis ad hoc in Germaniam destinatis, ne tantam injuriam Apostolicæ Sedi inferret; sed interceptam pecuniam restitueret. Quod dum ille obstinate negaret, in suaque sententia perstaret, Pontifex ad extrema conversus, hominem à fidelium consortio semotum pronunciat. Tum Augustinensis, Ducis favorem captans, magna audacia asseveravit; hujusmodi sententiam, ut iniquam non ligare: nec posse Romanum Pontificem quenquam injuste (uti ajunt) excommunicare: cœpitque multa, graviaque in Romanum Pontificem, & Romanenses typis excusa emittere, quæ per universam Germaniam facile pervolarunt. Hortabatur præterea Lutherus Ducem Saxoniæ, ne hujusmodi terroribus ab ea sententia, quam semel animo infixisset, sese divelli pateretur. Intumuerant dudum Germanorum animi, videntes Romanensium mores plusquam prophanos, cœperantque de excutiendo Romani Pontificis jugo clam per cuniculos agere. Quo factum est, ut quum primum Lutheri scripta in vulgum prodiere, mirum quanto applausu ab omnibus suscepta sint. Ibi Germani gestire, & convicia in Romanenses jactare, petereque, ut generalis Christianorum omnium conventus indiceretur: in quo excussis his quæ Lutherus scribebat, alius ordo in rebus Ecclesiæ statueretur. Quod utinam factum fuisset. Verumtamen dum Pontifex jus suum mordicus tuetur; dum timet Christianorum conventum, dum (ut libere loquar) plus apud eum valet privatum commodum in generali Synodo forte periclitaturum, quam Christiani populi salus; dum cupit Lutherana scripta, nondum discussa è medio tollere, Legatum à latere ad Cæsarem Maximilianum mittit, qui inter alia curaret, ut Cæsaris atque universi Romani Imperii autoritate, Luthero silentium indiceretur. Habebantur tum Imperialia Comitia in Augusta celeberrima Germaniæ civitate, Cæsareoque decreto Lutherus venire jussus, Augustæ comparuit, sua scripta fortiter propugnaturus: obidque cum Cajetano (id enim nomen erat Legato) in harenam prodituros. Cajetanus asserebat, *Monachum non audiendum, qui tot blasphemias in Romanum Pontificem scripsisset.* Status Imperii vicissim contendebant, *iniquum esse hominem inauditum damnare compellereve*, ut *quæ scripta se propugnaturum asseverabat, nisi convictus revocaret.* Quod si Cajetanus ipse vir (ut nosti) in sacris literis eruditissimus, Lutherum convincere posset; paratos esse tum Cæsarem, tum Imperii Status, sententiam in hominem pronuntiare. Cajetanus itaque videns, se nihil proficere posse, nisi manus cum Luthero cominus confereret: idque quum semel tentatum, male homini successisset, re infecta discessit. Lutherus vero majori cum gloria dimissus quam admissus, quasi parta victoria gestiens (ut sunt hominum ingenia ad malum proclivia) Ducis Saxoniæ præsidio fretus, novo fervore nova dogmata ab Apostolicis institutis dissidentia & scripsit & emisit. Tum Pontifex videns, se nec blanditiis nec monitis tantum efficere posse, ut Monachus ille blasphemus meritis pœnis plecteretur, ne

venenum, quod impune, longe lateque spargebat, latius serperet, Orthodoxosque viros in partes suas pertraheret, quo hominem ut hæreticum & schismaticum declaratum omnes fugerent, sævissimam *Bullam* (ut vocant) in Lutherum Lutherique fautores emisit. Quo facto, non tam commotus, quam in rabiem versus Lutherus, ipsum Pontificem Maximum (ô impudentia!) *hæreticum* & *schismaticum* pronunciat, libellumque cui titulum fecerat *de captivitate Babylonica Ecclesiæ*, emittit, in quo (Deum immortalem!) quibus machinis, Conciliorum, summorumque Pontificum decreta atque statuta oppugnat? asseveratque *Ioannem Hus* in Concilio Constantiensi inique damnatum, seque omnes illius articulos damnatos, ut Orthodoxos defendere velle. Nec his etiam contentus, quotquot Wittembergæ nactus est Juris Pontificii libros, publico igni tradidit, dicens; *eos Christianam pietatem pervertisse atque inquinasse; ob idque è medio tollendos esse.* Horum itaque fama per universam Germaniam sparsa, adeo Germanorum animos in Apostolicam sedem commovit, ut nisi Pontificis prudentia pietasque, aut Cæsaris nostri felicitas cum generali Synodo his malis occurrat, vereor atque iterum vereor, ne hoc malum latius serpat, quam ut postea illi antidotum adhibere valeamus. Hæc ad te ex tempore scribere visum est: tu ea boni consule. Et vale. *Bruxellis pridie Calendas Septembris*, MDXX.

De infido Cucullato satis: multa sunt in ejus confutationem à peritis & gravibus viris scripta, quæ ad manus vestras facile devenient. Valete. ex Valleoleto. XIV. Calendas Octobris, MDXX.

EPIST. DCXC.

Prodigus est Papa. de suis mutabilitatibus. Turca dissolvit classem & quare.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarium habemus à mercatoribus, qui ex pacto singulis mensibus unum destinant ab Italia. Pontificem scribunt esse magis profusum quam avarum. propterea licet duplicato Pontificatus censu ex additis Florentia & Bononia suisque pendicibus magnos pecuniarum redditus assequatur: necessitate tamen urgetur æterna. inde inconstanter facile reservas & exspectativas assentitur expediri, mox revocat. Turcarum Princeps classem dissolvit suam præ formidine nostræ classis, quam ad Orientem misimus, quandoquidem non ultra suam aluit, quam nostra constiterit. Quæ de deditione Gervensi? jam & ipsa dimissa est. aliud audite. Cardinalis & Senatus unum è Senatoribus regiis ad Cæsarem miserunt nomine doctorem *Guivaram* cui mandata dederunt de procelloso rerum Castellæ statu. quonam pacto ruant omnia in deterius, ni venerit Rex. Contra Zamorensem Episcopum Breve Pontificium delatum est contraque seditiosos initiatos omnes. producere illud, ne acrior exoriatur seditio, non audent. Ex Gallia fertur Comitem Petrum Navarrum in Ravenate pugna captum à Gallis, carceris impatientem, ut libertatem assequeretur; Gallo Regi fidem de obsequendo præstitisse. coacta classe ajunt illum petiisse altum mare. quo tendat, aut quid moliatur, ignoramus. Galli præsides ex Narbonensi Gallia lenones & vagos omnes ad remos conjecisse dicuntur. ab exteris nil ultra occurrit. ergo valete. ex Valleoleto in Calendis Octobris, MDXX.

EPIST. DCXCI.

Adagium de Castellæ morbis. Senatus & Cardinalis tollunt autoritatem. quid de Proceribus dicant plebei. de Capro vorace. de novis gubernatoribus. de Iunctæ nunciis. de Concordia Procerum cum vulgo. Tria imperata Cardinali. Cardinalis responsum. Lascivia Iuncterorum. de incuria Luporum apud Regem.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

AD hos usque dies in cruribus & pedum articulis podagram Castella patiebatur. Jam ad cubitos humerosque paulatim serpsit, & cervicem. Nova machinantur popularium motuum fautores. de abroganda Senatui regio potestate, novisque creandis magistratibus, deque redditibus regiis in se recipiendis loquuntur. nec passuros, ut Cardinalis vicem gerat Regiam, quod sit alienigena, licet illum observent, quia mitis est. Proceres *Coronæ Regiæ usurpatores* & *gregis regii lupos* appellant: quare se deleturos omnes blaterant. Sed majore illos odio prosequuntur, quod voraces Capri & complicum cogitatus non modo non interceperint, quom facile potuissent, sed ut gratiam ejus captarent, postergata Regis mentione, foverunt. erigere namque in Hispania caput non ausus Caper fuisset; quanto minus Toletanam sibi usurpare contra Regni leges Antisteam: aut reliquas uvas de famelicorum Hispanorum faucibus ex Hispana vinea decerpere; ex qua neque acerbum quidem racemum relinquere studuit, quin aut in suum inexhaustum gurgitem illum detruserit: aut in facinorum conscios immerserit: unde quæ nunc sentitis, emergunt.

emergunt. quod periculosius est, è Proceribus multi per literas cum ejus popularis conventus primoribus de concordia tractant, ne in suos status ruant, aut eorum subditos semiebullientes subornent, formidantes. Si morabimini, forte reperietis utrosque seductos. De novis autem gubernatoribus regnicolis Connestabili & Almiranto, quos Legibus consonos elegistis, bene quidem vos; sed non admittuntur. Ajunt enim Juncteri consultores: Regem absentem, salvis Legibus, nequire gubernatores eligere. Lupus Furtatus nobilis vir quem ad nos misistis cum spe vestri adventus, eos, qui sano vivunt animo, solatus est: non tamen alii desinunt suas ineptias exercere. Nuncios ad Cardinalem & Senatum Juncta Turdesillana misit. Ne quid agant in Regni negociis, audet imperare ac minari; ad se veniant Senatores, rationem de anteactis præbituri: jubent quo si quis prece aut precio vel amore aut metu contra Leges aliquando consuluerit, tali pœna mulctetur, ut cæteri illorum exemplo futuri deterreantur. Spectaculum atrox, in Regiam autoritatem fœdum ac detestabile. Responderunt, se audivisse, neque ultra quicquam. per notarium ac testes dicta colligit Franciscus Agnaia, juvenis bene compositæ hactenus Salmanticæ, non bene compositus procurator. Cardinali autem per cucullatum fratrem quendam concionatorem, seditiosum, lingua promptum, Dominicæ professionis dictum *Alfonsum de Medina*, tria imperat *lancta*, quam *sanctam* temerarius appellavit, ut Inquisitionis hæreseos primo tantum exerceat ministerium: secundo ut gubernatoris insignia deponat ac nomen: tertio ne cuiquam Procerum inhæreat, quia inde scandalum poterit exoriri; si vero hinc exire libuerit: Sanctam dicit Junctam, ad quemcunque Regnorum locum elegerit ad sui moram ut observanter tractetur, scripturam. Inde ad Senatores conversus, impudenter hortatur, ne differant Junctæ sanctæ parere, ni mulctari cupiant. Ad hæc Senatores responderunt: *Se nisi coactos, aut per vim tractos hujuscemodi mandata impleturos.* Cardinalis autem, *se à Cæsare creatum gubernatorem jure medio, quia sit ejus vasallus; quodque non sit vita inhonesta, aut ignarus ad id onus exercendum, & sit recti cupidus, nec minus horum regnorum commodi studiosus, quam ipsimet, qui hoc profitentur: potuisseque Cæsarem salvis Legibus eligere, quia sit vigenario major, seque apud Proceres unguentum fore: si ad eorum quenquam diverterit, non autem scandalum, uti ipsi ajunt.* Altero die cucullatus hic buccinator, ad tumultus populares excitandos eloquens, è suggestu tribus convocat, eas appellant *quadrillas*. Padillam ait Sanctæ Junctæ Imperatorem, manu venturum armata, Valleoletanos objurgaturum; ni utrique Sanctæ Junctæ mandatis paruerint. Castagnedam sigillorum, licentiatum Ximenez Registrorum, Rodoricum Ruam & Christophorum Suarez computatoriorum voluminum Regiorum reddituum custodes; cum suis quemque oneribus ire ad se coëgerunt: de cæteris Regiorum negociorum ministris idem. Reginam Catholicam insulsæ Junctæ procuratores sunt allocuti longo sermone, largis effuderunt buccis de Regni dilacerationibus post Catholici patris ejus obitum. Taxaruntque filium, quod sibi Regis nomen sumpserit, ea vivente. De re utraque se nihil scisse ad eum usque diem, professa est. ad tertium ajunt respondisse, *provisuram se posthac, ne Regna ruant, signaturamque propediem chirographa quaque ad Regni gubernationem facientia* fuisse pollicitam. In præsentiarum tamen nequire ob adversam valetudinem. His elati sermonibus Sanctæ Junctæ naucleri, qui navim adscenderunt nunquam, aut mare prospectarunt, non intuentes maritum aut genitorem ab ea id potuisse assequi nullis precibus. Ludum Troicum, qui *cannarum* dicitur instituerunt. Vicos viasque omnes, plateas etiam atrii Regii, inspectantibus ex alto Regina & Donna Catherina infante ejus filia: solutis habenis lascivis impleverunt stridoribus præ lætitia. Est eorum jam turgida adeo superbia, ut missos à Cardinali duos Episcopos Lucensem & Ovetensem cum mandatis de Concordia, inauditos neque admissos in oppidum, remiserint. Jam pudor & timor strepentibus alis abierunt. Ex aula quoscunque Reginæ aut filiæ ministros, contra illarum inanes structuras sentire suspicantur, pepulerunt. nec serenissimæ puellæ Infantis lachrymis crudelem sententiam flexerunt, ut puellas paucas, cum quibus est enutrita, relinquerent. Acri scopa tanquam fœtidas scobes sexus utriusque ministros ex atrio verrerunt. Reginæ Catholicæ placere ista dicunt. Alfonsum Quintanillam Medinensem equitem, una cum uxore, Deniæ Marchionis & uxoris ejus loco suffecerunt. Fama hic viget, tantorum autores malorum, qui apud vos sunt, hanc magnanimi Regis Cæsaris ingentem jacturam nihili facere, quod non parum indignationem auget populorum. Argumento esse inquiunt, quod ridendo ista suscipiant auscultentque; neque ob id à ludis ac jocis & symposiis magis abstineant quam si virtute sua Regi addidissent pacifica suis Regnis hæreditariis alia Regna. Ad hanc usque metam epistola, quæ jam epistolæ modum

transilit,

transfilit, moram faciente, quod rari jam cursores eant redeantque ob intercepta itinera. quæ acciderunt interea, suscipito. Quatuor è Junctæ ducibus militum *Padillam* ipsum *fortunæ* nunc *palponem* ab inepto populo habitum pro *Hannibale*, cum nulla polleat rerum experientia: Joannem Bravum Segoviensis exercitus: Suerum Aquilanum Abulensis: Joannem Zapatam Madritensis, stultitiæ duces, venisse scito ad Cardinalem: Comite fratre illo loquace Alfonso Medinæ, lethali stimulo hujus incendii: Reddere voluerunt causas, cur Episcopos rejecerint inauditos. Redarguit illos Cardinalis, quod suos recusent nuncios audire de Pace acturos, quibus mediis eos hortabatur, ut pacifice, non sumptis armis, in suum Regem peterent Regni commoda: eorum se futurum procuratorem, promittens, ut quæcunque petierint, assequantur; suarum cicatricum fore se chirurgum & valetudinis medicum, modo ut subditi, non ut hostes salutem quærant, ut accepturi à Rege, non daturi Regi leges videantur. In seditiosum dehinc cucullatum conversus, quam facinorosum illi sit indumento ac professione eloquentiam in populorum exagitationibus exercere prædicavit. In cassum omnia summersi jam sunt & obruti pelagi profundo. Venerant hi, Senatores apprehensuri, Valleoleto non obstante, quod oppidum jam præceps & ipsum lapsum est: cordatis viris & potentibus eliminatis. Sed ab exploratoribus moniti Senatores, aufugerant partim, veteres præcipue. Novi autem plærique tum prece, tum precio in Senatum admissi, ut honoratam Senatorum famam hac via consequerentur, capi voluerunt, cum non secesserint. Armata manu illos in hujus oppidi fœdam ignominiam abduxerunt, dimiserunt mox ex itinere Turdesillano. ipsi vero ad Regnorum arcem Turdesillas Reginæ sedem regressi sunt, quæ audit auscultatque illorum nugas; exsequitur nihil. Cardinalis vero discessum tentavit sæpe. Neque illi parent, neque ut exeat, patiuntur, retroque illum traxerunt oppido armato ex ponte fluviali, tibi noto: discedentem in Calendis Octobris cohors prætoria quæ Cardinalem ut Proregem comitabatur, confringere portas à custodibus occlusas voluisse, aut confluenti populo in pontis faucibus obsistere. dedit se medium Don Petrus Giron populo gratus; suasit Cardinali reditum. invitus retrocessit. Pice nigrius audi aliud. Ex insula Gervensi redierunt equites quorum halitu dedita fuit. circiter milliaria viginti distant à nobis. nititur Juncta illos ad se reducere: *Reginam*, inquiens, *velle gubernare, Reginæque suæ adesse debere.* Parte alia Comestabilis, uti Prorex, idem summo studio quæritat. cui adhæserit illa moles armatorum, tutiorem videbit rem suam. offert etiam Petrus Giron, se iturum ad eos nomine Junctæ seducendos. quid fiet, habebis. Vale. ex Valleoleto. v. nonas Octobris, M D XX.

EPIST. DCXCII.

Ociantur Turcæ, Soldanus & Sophius. nos fluctuamus. Papa laborat corpore, viget animo, in dandis & tollendis censuris. Quid Lupus Furtatus afferat.

P. M. A. M. Marchionibus.

QUæ à diversis orbis partibus referantur, accipite. Turcarum Princeps ociatur. Soldano de bellorum fremitu nulla est cura. Sophius Persarum, Armeniorum ac Medorum dominus dormitat, soli nos fluctuamus. Pontifex tertiana laborat febri, corpore invalidus est, in dandis Reservis ad pecunias colligendas, mox abrogandas validissimus. Ex Flandria fertur, Cordubensem Episcopum & Villafrancæ Marchionem Ducis Albæ filium, fuisse monitos die Septembris XIV. ut præsto essent, huc per equos dispositos venturi nomine Cæsaris, promissum adventum ejus & Legum observantiam, quo Regnorum turbulentiæ sedarentur. Quid intercesserit, quid aversi consultores fuerint moliti, non intelligimus, ea nubes candida dissoluta est. mutata est sententia. perstant illi. laboramus nos, uti per literarum exemplaria videre licet quas ad Regis intimos do. puto namque vos, licet Hispani sitis, nec extra Hispaniam pedem habeatis, multa latere: cum sitis vos in tranquillo, harum popularium ineptiarum expertes. Per Lupum Furtatum nobilem Hispanum ad plærosque Primates eblandiendo excusandoque se, cur Comestabili & Almiranto, non autem ipsis gubernandi onus præbuerit: benigne hortando illos, ut Regnorum invigilent tranquillitati, pollicetur adventum, quem credimus longiorem caudam habiturum quam oporteret. missus est & Don Alvarus Ayala Marchionis Aquilaris gener à Cæsare cum literis ad Senatum & gubernatores, idem pollicentes & ut forti sint animo exhortantes. Ex Italia dicunt Cardinalem Medices, Leonis Papæ nepotem ex fratre Florentiam petiisse. Florentinæ Princeps est Reip. adversæ factionis primariis expulsis. Valete. ex Valleoleto. 5. non. Novembris, M D XX.

EPIST. DCXCIII.

Quid protestetur Burgos Iuncteris & Valdoleto. quid Comestabilis promittat Burgensibus. tentant mutare Reginam. Gervenses dividuntur.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

JAm prata florescere incipiunt. canistrum præpara, quo jam tandem pullulantes è tot spinis rosas, paucas tamen, queas carpere. Civitas primaria Burgensis per procuratores suos Juncteros incusavit, quod ausi fuerint sævire in Senatores, admittereque sermones de Regio nomine semel præbito debitoque Regi tollendo. Si de solis Regnorum gravaminibus & patriarum Legum observantia velint deliberare, se fore fautores. Sed si de vendicanda sibi autoritate gubernandi cogitaverint, alienos se ab eorum nugis futuros protestantur. scripseruntque ad Valdoletanos, ut resipiscerent: si remediorum consocios habere velint Burgenses, paucis à Rege impetratis se fore contentos profitentur, quæ ad Regni commodum faciant. Ad quæ Comestabilis operam navaturum suam apud Regem pollicitus est: deditque obsides filios, ut paulatim astu vafro dispergat ea fulgura popularia: fama est etiam tentasse Juncteros educere Reginam è Turdesillis, Toletumque traducere. Re suspicata, Valleoletani nuncios ad eam miserunt supplicatum, ut ad se veniat, si mutare sedem sua Majestas statuerit. Se nil tale cogitasse, facturamque illos de sua voluntate certiores, respondit Regina. De Gervensibus bellatoribus partem Comestabilis assecutus est: Petrus Giron partem, sua impensa seductam, ad Junctam duxit, quæ illum suarum copiarum Imperatorem creavit. Hac electione Toletum turbatum est. Suum voluisset Padillam, qui & ipse discesserat ex Turdesillis Toletum. re intellecta, suos revocat Toletum milites, & Padillam retinet. Soria vero, Guadalaiara & Zamora, Burgenses imitati, Juncteros deseruerunt. Zamoræ autem Episcopus, Albelistæ Comite recepto in civitatem, vagatur armatus, Juncterus totus effectus, excitat scandala & tumultus. Juncteri duos ad se causidicos Juris peritos Doctorem Olmedillam & Licentiatum Bernardinum, sub specie libertatis, effecti Reges ad se ire jusserunt, ut juridice dictent, quæ sint à Rege pro Legum observantia petituri, proponunt. Cardinalis autem nil prætermittit, quod ad tantæ valetudinis adversæ faciat salutem. euntibus ad Juncteros Juris consultis, dedit in mandatis, ut Juncteris operam suam polliceantur, &, si opus fuerit, se iturum in Flandriam supplicatum Cæsari, ut eorum annuat postulatis adversus pravos consultores, qui assident ejus lateri. Bernardinus vero de Causidicis alter Cardinalem iturum Turdesillas dixit, si opus esset, non in Flandriam: quo errore decepti Juncteri, ad Cardinalem nuncios mittunt in hanc sententiam: *Permittit Sancta Iuncta, ut Cardinalis ad se veniat, quatuor tamen rebus servatis; ne cum insigniis aut nomine gubernatoris, ut prætoriam cohortem quæ illum ut Proregem comitatur, dimittat, ut assignatam domum ingrediatur adveniens, ipsis inconsultis inde non exiturus: relaturos* ajunt *se quæ ipsi statuerint per proprios nuncios. Ne quid scribat ad Cæsarem ab eis non visum.* Renuit conditiones Cardinalis, dixitque, *protulisse nunquam se verba hujuscemodi. Iturum se in Flandriam ad Cæsarem*, ait, *dixisse, non autem Tordesillas ad tumultuarios. si sanari velint à tanto morbo, apud Regem posse medelam reperiri; apud ipsos minime*, inquit. Postero die Don Petrus Giron Juncterus ob causam omnibus notam effectus, ad Cardinalem venit, suasitque, ut Junctæ postulata susciperet; *eam esse viam*, inquiens, *ad concordiam.* Gironis proposita rejecit. Juncta posthæc misit ad oppidum Fonsecæ dictum *Alahegium*, obsident, tormentis ab oppido Medina præbitis, quæ Cæsareo recusarunt præbere imperatori, quatiunt; ab internis præsidiis multi obsidentes è scopetis & sagittis perimuntur, inclusis ipsi parum nocent. En aliud. Cardinalis tanta insolentia satur, nocte fere solus, ad Rivumsiccum Almirantis oppidum nundinale, supellectilibus & familia relictis, aufugit. Ego permaneo, nescius, quo tendam in medio igne flammato. quanto humilius potero, quid futurum sit, expectabo. Jam satis. ex Valleoleto. x. Calendas Novembris, MDXX.

EPIST. DCXCIV.

Moralis de felicitate non nota.

P. M. A. M. Fernando à Vega Commendatario majore Castellæ.

EX quo tibi tuisque rebus consulens ad amatam uxorem & dulces natos te contulisti furtim, mavis sævientis populi furorem, timens aufugisti: nullus sese mihi obtulit qui ad te profecturum diceret, neque ubinam lateres, intelligebam. Nunc autem hoc tuo nuncio à me literas exigente, quid de te sentiam, accipito. Quid in te lateat adeo cœleste, ut Deum naturamque meliorem tibi tam propitios habeas, ambigo. Excedit

cedit omne meritum humanum. Nolenti beatum tibi ocium tribuerunt. Quietem Elysiam tergiversanti præstiterunt. In tranquillo jam rure ac tuo quiescis. Nesciebas, cum hic esses, ad eam felicitatem iter invenire. Fore id feliciſſimum, si accideret, sermocinabaris mecum sæpe. Id optabas, deliberabas, prædicabas, eligebas minime. Quum hoc sentires, in mari tamen & procellas inter Palatinas fluctuabas: licet portum adspiceres, in quem protentis velis tuam navim reducere quires, te nunquam recipiebas, inter scopulos & ambesas tamen rupes morans excutiebaris. parato. igitur Superis grates immensas, & ne turbida ista tempestas mutetur, optato. si namque serena tempora refulserint, ad priores velis nolis tempestates raptaberis. cave interea tibi: transversatum te gestant suis gutturibus hi Juncteri timentque, ne tua illos prudentia det aliquando præcipites. Ego autem qui nec focum habeo, neque vineam in Castella, quo tendam inscius: hic in pelagi turbati medio rugitu exspectabo, quid fata ferant: puppim ad flantes ventos interea pro necessitate temporis, obvolvam. cito namque concrepare desinent hæc tonitrua. Tu vale, ex Valleoleto, quo die Cardinalis ante lucem, nobis insalutatis, uno tantum cubiculario comite tacitus evolavit, & *Iuncta* dicta *Sancta* paulatim disjungitur. x. Cal. Novembris, MDXX.

Epist. DCXCV.

De suspensis barbitonsore ac birretario. De tribus nunciis ad Iunctam. Postulata Burgensium. de recidiva Valdoletanorum. Andalusia stat fidei.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

Paucos post dies à priore mea, nova emerserunt multa, Junctæ insanæ disjunctionem augurantia. per Infantem Granatæ tribubus ita volentibus, cum sit eorum Prætor, barbitonsor & pileorum opifex, temerariæ plebis agitatores, media in platea patibulo sunt suspensi; latuerunt alii plures eo territi exemplo. Eo die sequentibus etiam quatuor aliis visum est oppidum quiescere aliquantisper. Oppidani ad Juncteros misere nuncios tres: sani unum consilii nomine *Georgium de Ferrera*, & pravæ mentis duos; ex ordine unum equestri nomine *Saraviam* virum semicatilinarium, sui profusum, alieni appetentem, è mechanicis alterum frenarium nomine *Alfonsum Veram*. Georgius, Junctæ protestatus est, ut resipiscant. ne Gironem, ne scandalis aptum serendis fratrem Alfonsum concionatorem; ne Zamorensem Episcopum ad se ultra mittant. Gravaminibus intendant solum demendis, de cætero nil curent. his actis regressus est. Insani duo rerum novarum studiosi cum insanis perstiterunt, ad sui commodum tendunt; de Rep. nil curant. hæc de Valdoletanis. Burgensem dixi civitatem, visa Juncterorum dementia, secessisse cum plærisque aliis. petit hæc civitas pauca sibi à Rege præberi: Ut de hospitibus tollatur consuetudo; ne pecuniæ de Regno exportentur; ne alienigenis officia vel beneficia præbeantur: ut Alcavallæ ad pristinam exactionem reducantur; ne petatur donativum, contentus sit Rex veteribus avorum tributis, & pauca præterea. Comestabilis se à Cæsare impetraturum illa pollicetur, gubernatoriaque potestate non usurum, donec illa ferantur. obsides dedit filios populo, ne defraudari suspicetur. sed quid? dum hæc ita scripsissem, ecce ignem, qui exstingui videbatur, repullulantem. recidivavit Saraviæ ac Veræ impulsu Valdoletum. Infantem & Oxomensem Episcopum eorum medicos egregios expulerunt quadrillæ. per seditiosos res agitur. Cardinalis & Senatus in Rivosicco agunt timentes. non arbitrantur, se tutos ibi esse. oppidani met illi semipalpitant in suum Dominum absentem. quia adhuc est in Laletania. optare videntur & hi novos motus, ut audio, nec dicere desinunt: si Juncterorum exercitus ad se venerit; quod Cardinalem & Senatores admiserint, non exspectaturos vim. Comestabilis qui Gervensium militum partem assecutus est, quicquid argenti cælati possidebat, in monetam decussit ad stipendia illis persolvenda, neque obolum de fisco reperiunt. tanta fuit vestrorum Onocrotalorum vorago deglutiens; ut ad ossa usque cervices horum Regnorum excoriaverint. Scribis Toletanos cum Gallis agere, ut in Navarram traducant exercitum: quo plenius queant seditiosos animos saturare. Immensum est in vestros Capros odium & à Capro insertos pampinos apud felicem à natura, infelicem ab educatione Cæsarem. Andaluzia tamen, quæ *Vandalia* est, in tranquillo manet. Non desunt à murmuribus illi populi, sed erigere caput non audent. Hispalim sustinet in fide Medinæ Sidoniæ Ducissa; Regium redolens sanguinem, quod Catholici Regis Fernandi sit ex Cæsar-Augustano Archiepiscopo neptis: de viro ejus nulla mentio, est morioni similis, penitus iners: Dux autem Archensis adversæ factionis Princeps, urbem illam seducere, ut ajunt, conatur, ob inimicitias veteres suæ domus cum Sidonia. De Granatæ Regno desideratis intelligere.

gere. Baza nobis excussit calces, Regios perturbavit Magistratus. Ludovicus Mendotius Tendillæ Comes & Mondeiaris Marchio, quem reliquistis ejus Regni generalem armorum ducem & Alhambræ regii castelli præfectum, regiis ejus Regni cohortibus accitis, ad Baccensem convolans urbem cum favore bonorum facile seditiosos domuit: horum Principes affecit patibulo. Convicini autem, qui jam motibus intendebant, Baccensium exemplo territi, cristas erigere desierunt. fuit cæteris ejus Regni habitatoribus id præclarum facinus, utile. Gienium, Ubeda, Bayzia jam confricabant humeros. profuit ad id sedandum Gabrielis Merini Bari Archiepiscopi, & Legionis Hispanæ Episcopi præsentia; qui ut matrem viseret adhuc viventem, Ubedam fuerat profectus; est namque Ubedanus. Exstat inter eos tamen odium intestinum, quod Don Jacobus Caravaialus, in agro venientem Ubedam versus, Don Ludovicum de la Cueva, cum quo particulares exercebat inimicitias, trucidaverit. Scribitis & vos adesse tempus quo Cæsar sit ab Electoribus coronam suscepturus. placet Hispanis, quia liberior erit post id ad capiendum iter ad eos. Audi nunc, quæ apud nos novi emergunt, spem salutis afferentia. Castellani Proceres ex hac populari seditione jugulum vident paratum, in eos namque scabiem hanc scalpendam esse Juncteri blaterant, ut ad coronam eorum terras ablatas reducant. Hoc veriti expergiscuntur, qui alias his motibus gaudebant, sperantes inde lucrum, uti ex turbido flumine piscatores. Beneventanus Comes & Asturicæ Marchio cum validis armatorum copiis equestribus peditibusque ad Rivumsiccum & Cardinalem & Senatum tetenderunt, hujus mensis die vigesimo septimo hic, vigesimo octavo ille. Almirantus vero ejus oppidi Rivisicci dominus adventare jam dicitur ex Laletania, ubi status habet non negligendos. VI. Idus Novembris, MDXX.

Epist. DCXCVI.

Marlianus dat rationes, quare debeat Rex excusari & liberari à querelis. Oratio Cæsaris ad Senatum. De tribus classibus. De locata sorore Portugallo. De proxima Coronatione.

P. M. A. M. Marchionibus.

MArlianus Philosophorum ætatis nostræ maximus nec inter Oratores ultimus, à me stimulatus, quod eorum causa qui cum Rege venerant, tot sint exortæ inter segetes regias vepres, viciæque ac tribuli, frumenta suffocantes, Regem excusans, rescribit magnas fuisse causas expensarum, quæ Regem coëgerint, cum hic esset, quærere pecunias; literarum ipsius exemplar habetote, sensa videbitis, callide diserteque composita, sed à proposito alienum est responsum. neque enim unquam incusavi Cæsarem, in quo nil taxandum reperiri potest. est à natura fere divinus. credidit, ut par erat illi ætati, felix alias ejus genius. non tutatus est eum ab educatione voraginosa. his omissis, Marlianum audite.

Ludovicus Marlianus Tudetensis Episcopus conterraneo & affini Petro Martyri Cæsareo Senatori.

§. PLures habuimus tuas ex Hispania, de rerum ista perturbatione. turbati quippe sumus, sed audi, quibus causis ausim ego Cæsarem ab ea labe, qua incusatur liberare. Quum ad Valdoletanos pervenisset, querelas agitari sentiens de pecuniis è Regno transmissis rebusque aliis quibusdam, Prætoribus ac Senatui rationem dedit in hunc sensum: *Etsi nulla sit populu reddenda consiliorum à Regibus ratio; tam apertam tamen esse illis rerum suarum non rationem tantum, sed necessitatem, ut nec eam tacere velit nec possit.* Viderent quam conveniret delatum ad eos Orbis imperium socordia amittere & ad alios transferri. De conjugio vero, se conjugium optare, inquit; salvis humanis divinisque Legibus fieri non posse nisi alieno; quod summopere quærebat, consensu. Nec se, nec suos superbe imperasse Hispaniæ. se negare nolle, quin aliqua essent & liberalitati suæ & novitati Regni condonanda in eos qui eum educaverant. Ne aurum ex provincia exportaretur; non superesse magnam auri vim, si censerent Hispani, quantum Senatui, quantum prætoribus, arcis præfectis, ipsi denique Regno deberetur. Animadverterent autem hi qui diligentius res judicant alienas, quantum auri contra Ænobarbum, quem vulgus *Barbaroxam* appellat, Africæ pestem, fuerit expositum, quantumque sibi classes instructæ pecuniarum exhauserint. prima quæ in Africa naufragio fere tota deperiit, dehinc in restituenda, alia etiam classe, qua ipse Cæsar vehendus erat in Hispaniam, quaque frater Fernandus ad Belgas ductus est. tertia quæ contra hostes ad orientem & Gervenses missa fuit navium rostratarum septuaginta, triremiumque terdecim cum octingentis gravis armaturæ, levis autem quingentis equitibus, peditibus vero decem millibus, quæ classis jam per an-

num alitur, cum Pontifex & Rex Gallus atque una Genuenses, vix per semestre viginti triremes sustinuerint, quin illas reliquerint, uti cadavera deserta præsidiis. Emissas præterea duas classes alias, ad orbem exterum, cujus tu præclara inventa tribus decadibus collegisti. aromata quæsitum unam, ad aurum jam repertum alteram. Animadverterunt præterea, locatam esse Regi Portugalliæ sororem, sed quod gravius est, librare secum deberent, quanta contentione, pollicitis, oblatis ac latis largitionibus fuerit à Gallis Imperii petitione oppugnatus. Non fuisse partum gratis Imperium, ut mala prope infinita averterentur: quæ si ad Gallos Imperium devenisset, subsecuta fuissent. Illudque reputare Hispanos debere, non mediocrem auri jacturam emersisse, ex tam diuturna & necessaria apud Celtiberos & Laletanos facta mora. Donativum autem non exigendi gratia petitum est, sed ut hic suus discessus plus autoritatis apud finitimos haberet, se autem, inquit, triennio tantum affuturum. De fratre ablato ex Hispania, quem Regno Austriæ præfecturus erat, longe majora, quando illum mittebat, cogitasse. De Toletana vero dignitate præbenda, eam se curam habuisse, ut illius gratia daretur, cui secundum à se locum crediderit. Nulli debere majorem curam esse Regni quam Regi. Ad quatriduum aut paulo longius coronatum habebimus Cæsarem, quantocyus licuerit post id ad vos iter expediemus. de istorum Regnorum commodis, quæ sua Majestas tanti facit, quanti æquum est fieri debere, tractabitur. Interim tu vale, ac apud tuos Hispanos, quandoquidem non vulgaris es apud eos opinionis ac nominis, tui nostrique Regis Cæsaris rationem tuere, nostrasque illis causas proponito. ex Aquisgrano urbe Germaniæ ubi pompam paramus coronationis *Octobris die vigesima*, MDXX.

Vos autem hoc exemplar habetote ex Valdoleto. idibus Novembris. Respondi nondum. quando acciderit, videbitis, quantum ipse dissonet à meis significationibus, de causis tot tantorumque malorum. nullus est enim qui conqueratur de Rege. neque emergit, cur possit quis Regi succensere aut dicere contra impensas, quas Marlianus recitat. de voraginibus Regem adolescentem deglutientibus, sub silentio, forte illorum pertimescens genuinos, præterivit. de hoc alias. Vos valete, MDXX.

EPIST. DCXCVII.

Coronatus est Rex. Quo tempore mutata sit Imperii successio. De confluxu ad Iuncteros. De Comestabili suscepto Burgis.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarium habemus à Rege. Jam coronatus Cæsar est Aquisgrani urbe Germaniæ, loco à majoribus assignato ad Imperatorum coronationem, ex quo Gregorius Papa Quintus & Imperator Otho Tertius, anno abhinc quingentesimo ac vigesimo, ambo Germani affines convenerunt, ne ultra per successionem Imperatores assequerentur Imperium. Rei ordinem nondum habemus, quia emissus repente fuit hic tabellarius, ut rem nobis significaret. ad nos amici propediem conscribent, uti res acta est, ad vos ego. Mira de Electorum potentia refert & elegantia ac ceremoniis. Octobris præteriti dies vigesima tertia fuit eo actu nobilitata. de me autem hæc habetote. Aufugisse latenter noctu Cardinalem, intellexisse vos credendum est. Nequivi ego illum sequi, commodius tempus exspectaturus. Mansi ergo maneboque in hoc oppido, in igne medio, donec violentis acta vorticibus Regia classis vel portum petat, vel, quod Deus avertat, illidatur. in magno quippe discrimine vagatur. Ad Juncteros confluunt undique ingentes copiæ. Comestabilis designatus gubernator in Calendis Novembris à Burgensibus honorifice susceptus est, quod illis promiserit, se non usurum potestate gubernatoria, donec à Rege illorum postulata impetraverit. Sub perpetua tamen custodia servatur una cum filiis Joanne Tovaro & Bernardino Velasco, quos ibi reliquerat obsides. Almirantus vero ex avitis & dotalibus terris quas habet in *Laletania*, veniens, auditis Valdoletani *natalis* sui soli motibus ex itinere in Cervera oppido sistens parumper, quia est invalidus, epistolam scripsit ad Valdoletanos vulgarem, dicendi copia pollentem, & sententiis utilibus refertam, cui si Valdoletani crediderint, à gravi, quo laborant morbo, revalescent. qua hora advenisse dicitur, eadem ad vos scribo. Valete. ex Valdoleto. pridie Calendas Novembris, MDXX.

§. *Inter*

§. *Inter Morales.*

EPIST. DCXCVIII.

Amisit oblatam sortem. dat causas auctor, cur nolit sequi fugientes.

P. M. A. M. Fernanduo à Vega Commendatori Majori Castellæ.

HAbui epistolium tuum elegans profecto, meis respondens, quibus ego, te invito factum à superis felicem fuisse te dicebam. sortem tibi è manibus evasisse video, ad immanes rediisti ventorum turbines, nec peractis tempestatibus inter Scyllæam iterum rabiem & Charybdeam voraginem lembum agitandum credidisti. dolendum tibi potius quam invidendum arbitror, qui quod optabas deserens, quod fugiendum fore arguebas, repetiisti, quando ad semiobsessos in Rivosicco te contulisti; ego autem tuis consiliis inhærens, & à tuis actis abhorrens eam mihi vitam elegi, quam tu tranquillam fore; si evenisset, prædicabas. Auratum Commendatoris Riberæ atrium, qui exul est à patria, quod inter cordatos enumeratur, inhabito. Commendatorem ipsum, suis ineptiis aversum, habent odio tumultuarii, cum sit è Rectoribus unus, licet non ierit ad curias Gallecas, quodque transeunte Don Petro Girone per villam quæ dicitur *Moiados*, cum Gervensibus seductis, unius centuriæ partem illi surripuerit, cujus ipse præfectus erat, & per vicepræfectum gubernabatur, ac volanti gressu ad Rivumsiccum perduxit. quod facinus à Cardinali & Senatoribus magni factum est & jure merito. quandoquidem ex Philosophorum sententia, *facti dimidii* dicitur *ille gratiam promereri, qui facto principium dat.* Hanc ergo domum, licet de illa diruenda sermonem sæpe seditiosi moveant, ejus amœnitate pellectus, incolere statuo, donec vestra classis fluctuans extra male fidam stationem anchoras projecisse intellexero. Ad vos tunc proficiscar. Ero, uti arbitror, ab ebullienti populari cacabo, & colubrorum morsibus securus, quod non sim vestri ordinis Senator. Vobis namque solis invident facinorosi. Manent & una mecum è duobus magistratibus duo Jureconsulti, è vestris tribus ordinibus quorum tu Princeps es, Licentiatus Varrentus, vir, uti nosti, cum Jureconsultura non vulgaris Orator, & sacræ Inquisitionis hæreseos doctor Mansus Metropolitanæ Granatensis Decanus, cujus & ego Prior sum, sed in domibus illi securis, quia popularibus, in suspecta ego, quia possessoris invisi est. donec illos pedem figere videro, quiescet in me Spiritus ab acribus invidorum genuinis, qui forte vestras implebunt susurris aures incusantes, nosque moram trahamus in loco tanta contagione polluto. Vale jam. ex Valleoleto. XIII. Calend. Septembris, MDXX.

EPIST. DCXCIX.

De coronatione Caroli Cæsaris in Romanum Regem.

P. M. A. M. Marchionibus.

AUdite narratu pulcherrimum. Totum ordinem coronationis Cesareæ descripsit Valdesius, cujus epistolæ exemplar ad vos mitto. Valdesium igitur loquentem audite.

Alfonsius Valdesius Petro Martyri suo salutem dicit.

§. QUod faustum felixque sit, habemus Cæsarem nostrum in Romanorum Regem coronatum, tanta pompa, tantoque omnium applausu, ut omnes Romanorum triumphos hic unus (crede mihi) quam longissime superarit. Quod si & militum & equitum legiones, quibuscum Cæsar Aquisgranum ingressus est, si omnium Ordinum Aulicorum magnificos apparatus, si Germanorum armatas acies, si tubarum clangores, si tympanorum bellicorumque instrumentorum strepitum, si auri, argentique ac gemmarum ornatus, si ipsum denique ingredientem Cæsarem describere tentarem, & mihi esset difficile, & tibi forte ingratum. Quapropter quæ scitu tantum digna judicavi, his tibi literis impertiar. Principio rumor erat Aquisgranum, ubi hujusmodi solennia celebrari solent, peste laborare, ob idque agebatur de alio loco ad hoc designando. Cæsar vero (ut est animo intrepido) contempta morbi suspicione, noluit alibi quam Aquisgrani coronari, ne antiquissimæ civitati injuriam inferre videretur, Lovaniique Infanti Ferdinando valedicto, recta Aquisgranum versus proficiscitur. Electores autem, qui Coloniæ Cæsaris adventum præstolabantur, ubi Cæsarem venire audiunt, Aquisgranum & ipse veniunt, de ceremoniis aliisque rebus necessariis tractaturi. Coronationi itaque dies XXIII. Octobris indicta est, tametsi essent, qui contenderent nisi in die festo Cæsarem coronari non debere, nec fas esse. Hic tamen scrupulus è medio sublatus est autoritate Episcopi Leodiensis

diensis, in cujus diœcesi ea civitas sita est. Jussit enim ut deinceps in ea provincia dies S. Severini, quo solennia celebranda erant, festus haberetur. Omnibus tandem rite dispositis, tres Archiepiscopi Electores, Moguntinus, Coloniensis ac Trevirensis Civitatis Senatui (ut moris est) decretum Electionis exhibent, quo venturum Regem rite electum esse sciant. A meridie autem Archiepiscopi Electores una cum Electore Palatino cum magna pompa venienti Cæsari obviam prodeunt, alii vero Electores, Rex videlicet Bohemiæ, atque Dux Saxoniæ, necnon & Brandenburgensis Marchio, licet non aderant, suos tamen Deputatos cum amplissimis mandatis, qui Coronationi interessent, miserunt. Cæsare itaque, qua tenentur, reverentia salutato, immiscent se ordini, ita ut Coloniensis dextrum, utpote Consecrator, Moguntinus sinistrum latus Cæsaris clauderent, Trevirensis autem una cum Palatino, & Oratore Brandenburgensi præcedebat ante Cæsarem. Et Zodus Papensis Imperii submareschalcus nudum gladium præferebat, Cæsarem solus in ordine sequebatur Orator Bohemiæ. post quem Cardinalis Sedunensis, Saltzburgensis & Toletanus incedebant. Nam reliqui Principum Oratores adesse noluerunt, dicentes, eorum loca ab Electoribus occupata esse. Dum introëuntium ordo à Domino de Iselstain disponitur, Civitatis Senatores jusjurandum solitum à Cæsare recipiunt. Ibi exorta inter Juliacensem, & Saxones contentio, hoc modo sedata est, ut Juliacensis tanquam illius provinciæ Advocatus primus intraret, rectaque Civitatem pertransiret, Saxo vero ceu Imperii Mareschalcus in civitate maneret, exercituique præesset. In ipsa porta Civitatis armatus Cæsar crucem adoraturus, caputque Caroli Magni deosculaturus, ex equo descendit, quem custodes portæ suo jure capiunt. Inde Cæsar ad templum usque Deiparæ Virgini sacrum, vetustateque insigne ducitur. Alium enim equum conscenderat Cæsar, qui Mareschalco Coloniensi ex more cessit, non tamen absque contentione, sacrificis ipsum equum sibi vendicare conantibus. A templo Cæsar in Regiam suam ductus est. Die sequenti Coronatio hoc ordine celebratur. Ab Archiepiscopis Electoribus Cæsar in templum introducitur. præcedebat Coloniensis, veluti Consecrator canens cum choro TE DEUM LAUDAMUS. Qui & Missam (ut vocant) incepit. Antequam Euangelium caneret Diaconus, prostratis omnibus, Chorus Divorum suffragia implorabat. Deinde Coloniensis Cæsarem in hunc modum allocutus est: *Vis sanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, & operibus justis servare?* Cui Cæsar: *Volo. Vis sanctis Ecclesiis, Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor atque defensor?* Respondet: *Volo. Vis Regnum tibi à Deo concessum secundum justitiam prædecessorum tuorum regere, & efficaciter defendere?* Respondet: *Volo. Vis jura Regni, Imperiique, ac bona ejus dispersa injuste, conservare & recuperare, ac fideliter in usus Regni, Imperiique dispensare?* Respondet: *Volo. Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum æquus esse judex, & pius defensor?* Respondet: *Volo. Vis sanctissimo in Christo Patri Domino Rom. Pontifici, & sacræ Rom. Ecclesiæ subjectionem debitam, & fidem reverenter exhibere?* Respondet: *Volo.* His dictis, Moguntinus & Trevirensis Cæsarem ad summum altare ducunt; in quo Cæsar omnia quæ dixerat, se pro virili præstaturum jurejurando pollicetur. Tunc Coloniensis ad populum conversus, tum Latine, tum Germanice dixit: *Vultis tali Principi ac Rectori vos subjicere, ipsiusque Regnum firmare, fide stabilire, ac jussionibus illius obtemperare?* Clamant omnes: *Fiat, fiat, fiat.* Ibi Coloniensis unxit Cæsarem dicens: *Ungo te in Regem oleo sanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Unctum Regem Moguntinus & Treverensis in sacrarium ducunt, eumque rursus Cæsareis ornamentis Caroli Magni indutum, è sacrario educunt. Cui sedenti, tres Archiepiscopi simul, ensem Caroli Magni tradunt, dicentes: *Accipe gladium per manus Episcoporum, ut per eum æquitatem exerceas, iniquitatem destruas, Ecclesiam protegas, ac falsos Christianos oppugnes.* Deinde solus Coloniensis dedit Cæsari aureum annulum, regiamque vestem, atque sceptrum dicens: *Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas diligere pios, & terrere reprobos.* Post hæc tres Archiepiscopi simul Regiam Coronam auream, non (ut vulgus autumat) ferream, capiti imponunt dicentes: *Accipe Coronam Regiam.* Et tandem unctum, & coronatum Regem ad sedem lapideam Caroli Magni magna religione servatam ducunt, in qua quum sederet, Archiepiscopi Electores Regiam dignitatem Cæsari congratulabantur. Principes autem prophani, & nobiles, quotquot aderant, Equestris Ordinis insignibus à Cæsare donabantur. Quibus peractis, peragitur & sacrum, quo durante, Cæsarea Insignia in hunc modum servabantur. Limburgensis Comes Imperii Subpincerna Coronam: Comes Palatinus Archidapifer globum orbis; & Zodus Papensis Imperii Submareschalcus ensem: Comes in Zorn Imperii Subcamerarius sceptrum. Peracto sacro, Cæsarem Imperialibus indutum, in domum Senatoriam Urbis ducunt. In qua

pro

pro singulis Electoribus, etiam absentibus, singulæ mensæ paratæ erant, aliæque pro aliis Principibus Germanis proque Coloniens. Francofordiens. Norembergens. atque Aquisgrani Senatoribus aliæ item mensæ. in eo autem convivio Electorum quilibet munia sua exsequitur. Lymburgensis Comes Imperii Subpincerna primum poculum Cæsari propinat. Comes Palatinus ceu Imperii Archidapifer primum cibum mensæ Cæsareæ ministrat. Et Zodus Papensis Submareschalcus cum baculo in manu Archidapiferum præcedebat. Convivio magnifico, sumptuosissimoque peracto, Cæsarem in templum D. Virgini sacrum, deindeque in Aulam suam reducunt. Habes & unctum & coronatum Cæsarem. Tu vicissim si quid boni apud vos evenerit, ne graveris nobis impartiri. Vale. *Aquisgrani.* VIII. *Calendas Novembris*, *Anno* MDXX.

Scribuntur & alia multa, quæ quum non sint ad rem necessaria, prætermittuntur. Valete. ex Valleoleto. XII. Calendas Decembris, MDXX.

EPIST. DCC.

De Vice-Comite Valdorna & Licentiato Spinosa missis ad Cardinalem. De Saravia perturbatore. de petulante Pigmentelo.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

FOrtuna hæc Valdoletana suo ad unguem fungitur officio. Die hujus mensis sexto missi sunt ab hujus oppidi procuratoribus ad Cardinalem ad Rivumsiccum nuncii Don Petrus Bazanus Valduernæ Vice-Comes & una doctor Spinosa inter causidicos clarus. Mandata de proponendis paucis ad Legum Regni observantiam capitibus attulerunt, prætermissis quæ ad rem minime faciebant; fidem præstitit Cardinalis à Rege impetraturum se illa. ut Juncteri assentirentur Turdesillas ierunt. se nihil horum à Valdoletanis habuisse Juncteri fatentur, immo è contra. uti mutabiles sunt pelagi procellæ; sic vulgus ineptum. Id struxerat vanissimus ille ordinis equestris Saravia, pauper ex ditissimo apud quadrillas. sicariorum est vagorum inquilinorum concitator. putat hac via se adepturum aliquod excelsum rerum culmen. falletur arbitror. Regressi ad oppidum, Vice-Comes & Spinosa adverse suscepti sunt. quadrillas nil tale intellexisse ajunt. Junctæ Turdesillanæ parendum esse proclamant. pereundum, si contradicatur. ergo die sexto convalescebat, ægrotum prius hoc oppidum, à quo Regnorum pendet salus, de novo autem recidivavit, ita volentibus nefariis. putant hi Castellanæ molis se fore architectos. In Comestabilem & Benaventanum Comitem, aliosque Proceres adagia jactant, super status eorum. *Ante collectas segetes mendicaturos*, hi blacterant, *ante novum mustum* alii. Saravia præsertim & ejus ponderis cucurbitæ, *Regiam* inquiunt *Coronam se velle disfacere ab eorum majoribus usurpatam rapiendo à Proceribus.* Nec longe abesset, uti colligere fas est, si Regnum cerneret, ad Regni commodum præbitam ab ineptis potestatem, eos exercere. Turres sine fundamentis ædificant. cadent propediem. Murcia & ipsa mittit ad Juncteros. non desunt qui putent Marchionem Bellecensem illius Regni principem & Adelantatum fautorem hujus turbulentiæ. forte illum necessitas coëgit, quom ipsius oppida cœperint caput erigere. Salmanticam dicitur ad Juncteros misisse pedum circiter duo millia, duce Don Petro Maldonato, alias *Pigmentelo*, Benaventani Comitis nepote. petulans juvenis est. petulanter procedet, ut arbitror. Merindatum provincia peditum dicitur decem millia coëgisse in Comestabilem. Confluunt undique ab urbibus & oppidis magnæ copiæ, ni Proceres setas excusserint, actum erit de illis, nimis diu dormiunt, alterque in alterum oculos jactat & exspectat, quid fata ferant. Cardinalis è rectoribus Medinensibus unum misit, nomine *Franciscum Diaz*, suasum Medinensibus, ut Alahegii solvant obsidionem, fere hominem trucidarunt, servatur auxilio paucorum, ad Juncteros catenis vinctus raptatur. Rex Portugaliæ dicitur suas vires in Regis favorem Proceribus obtulisse. Quinquaginta petunt mutuo ducatorum millia. quæ fient, habebis. Vale. interea. ex Valleoleto. XXVI. Novembris, MDXX.

EPIST. DCCI.

Ut solvatur nuncius Autoris captus sub suspicione. Iudicium de motibus populi.

P. M. A. M. Licentiato Bernardino Causidicorum clarissimo.

PRæstantissime, Audivi demandatam tibi esse portarum hujus oppidi curam, ne quis exeat introëatque vobis insciis. Ad nuncium Apostolicum qui est apud Cardinalem in Rivosicco mitto tractatum quædam negocia Cameræ Apostolicæ, quia sumus arbitrarii Judices, Reverendus Conchensis Episcopus vestræ Cancellariæ princeps & ego, inter Cameram ipsam & Mindonensis Episcopi hæredes, miseram unum è meis familiaribus. regredientem prohibent ingredi custodes. peto

to ut mittas è tuis aliquem qui eum introducat. Nil adversi potestis à mea exspectare familia. Quantum ego sim pacis amator, nosti. Crucior ego multo magis quam vos ipsi, cum videam, navim hanc vestram in tanto discrimine fluctuare. ut ista nubila jam tandem convertantur in serenum opto. horum à te turbinum primarias causas intellecturus ad te ibo, cum primum per morbum gravedinis cujusdam rheumaticæ liceat. Tu mihi hujus nocivæ nucis nucleos enodabis ambigenti. Sonus quidem primarius horum motuum sanus, ut leges Regni serventur indemnes: sed meo judicio aberratur in Processu. Supplicatu, non armis agendum esse, crederem satius. Vale. ex atrio Commendatoris Riberæ hospitio nunc meo, cadente meridie. XXVIII. Novembris, MDXX.

Epist. DCCII.

Male responsum Comiti Benaventanò & Almiranti.

P. M. A. M. Eidem Licentiato.

VEniens ad me Fernandus Rodoricus meus, te gratias, inquit, promeruisse in colore rei, non minus quam in reipsa. ait enim introductorem tuum ab eo veniam petiisse de mora, excusasseque portarum custodes, quod meum retinuerint. non licere illis aliter facere. functi sunt officio suo. nil est cur illis succenseatur. Audio ad vestros quos dicitis *Deputatos*, missos fuisse nuncios ab Almirante & Benaventano Comite, vires oblatum suas & industriam ad pacem & concordiam, nec fuisse responsum sapienter. forte non sic, uti relatum est. timeo tamen aliquid, quia vulgus vestrum vult sapere, ut desipiant Principes, quod est futuræ tempestatis argumentum. Cætera coram. ad te ibo capitis dimissa gravedine. Interea vale. ex hospitio meo. ad vesperas, die Novembris XXVIII. MDXX.

Epist. DCCIII.

Responsiva ad Marlianum de excusatione Regis. Laus Regis. quæ causa motuum.

P. M. A. M. Ludovico Marliano Episcopo Tudetensi.

HAbui elegantem & succo plenam epistolam tuam in excusationem Cæsaris mitissimi. Qui Cæsarem incuset, nullus est. Qui neget tot classium totque militum copias secum attulisse ingentes impensas, nemo est qui neget. quod Aragones & Laletani suis cavillosis occasionibus Cæsarem tanto tempore detinuerint, unde misera Castella fuit ea intercapedine temporis exhausta, licet jacturam senserit intolerabilem Castella, quia ex depauperatione sua ditata sunt ea Regna, non sunt hi conquestus tamen, neque impensam pro Serenissima sorore Portugallico Regi præbita in uxorem, exprobrant. Nil horum tumultus exortos excitavit, quia justa omnia, quia fieri aliter non debuit. Ab uno epistolæ tuæ capite initium capiunt, ubi dicis: Nec se nec suos superbe imperitasse Hispaniæ. Illud, *nec se*, assentiuntur, quia nil benignius, vel mitius aut gloriosius Cæsare. Illud autem, *nec suos*, incusant, & *dictum à vero dissonum* ajunt. addunt alii, dictum à te illud, *superbe*, juxta recti tenorem, quia non *superbe*, sed *superbissime*, temerarieque ac insolenter fuerunt à vestris Hispani tractati. A Rege culpam tollunt, quia nondum ex ephebis erat elapsus, sed quid superbius quam illos æquo animo pati, quod Hispani crudis afficerentur pœnis ex venialibus erroribus in Belgas, neque in Belgam auderet quenquam Curiæ præfectus ullus justitiæ, manum imponere, licet in Hispanum aliquem, injuriam atrocem admisisset. quas ego ipse ignominias vidi? quosque derisus à vilissimis stabulariis & sordidissimis coquinarum scopariis inferri nobilibus Hispanis? quid fœdius quam passos fuisse voraces eos qui tempore illo miserum adolescentem absorbebant, ut in foribus atrii volentem ex Curiæ præfectis unum digladiatorem tumultuarium ad carcerem trahere, præfectus ipse violenter & ignominiose raperetur à Belga illo qui dicitur *Pravostes palatii*, unde territi Præsules alii abstinuerunt post id à corrigendis erroribus. Addunt ad hæc, ex illorum pravis educationibus Cæsarem nihili penitus hæc Regna fecisse, imo & ab eis falso persuasum, quo facilius illum fallerent, ut Hispanos odio haberet. Hæ sunt artes, sunt hæ, Marliane mi observandissime, quæ vepres has inter segetes Cæsareas seminarunt. Caper vester & à Capro pendentes Cerberi, Regis infelicis, ad orbis imperium nati, familiares hæc semina reliquerunt. Ad sydera voces prodeunt, quod Regem Caper ad hæc Regna traxerit eo animo, ut sub Regis umbra quiret post collectas uvas hanc vineam, uti fecerunt, exstirpare. Non illos latebat futuros successus hos, quando sibi, contra Regni leges Toletanam Archiantisteam, necdum bene ingressi Regnum usurpavit Caper, in totius Regni odium contra Regem, de qua re tu Regem excusas. Accusat Regem nemo. quid facere poterat imberbis

berbis adolescens ad eum usque diem sub tutoribus ejusmodi ac magistris? Quid deinde successerit, æqua lance de cæteris vacantibus tu nosti, quam exigua fuerit de Hispano quoquam mentio, & quam solutis habenis Hispanus panis ab Hispanorum faucibus ereptus fuerit, ut ganeonum Belgarum & Gallorum, Regem ipsum devorantium guttura replerentur? Quis à concreto Borea & horrendis frigoribus ad hanc temperiem venit, qui non hinc plures aureos asportaverit quam obolos unquam fuerit assecutus? quales, illorum causa, regios redditus reliqueritis, tu videris. particularia omitto multa, ab ipso Job excussa vi patientia. Jam satis vagatum est super causis harum seditionum. Ut altitonans suam huic tanto malo, pullulanti dextram imponat, orandum est. In humanis nullum est judicium ad hanc labem detergendam aptum. Vale. ex Valleoleto cum alia ad magnum Cancellarium nostrum conterraneum epistola de rebus emergentibus. XXIX. Novembris, M D XX.

EPIST. DCCIV.

Pro coronatione supplicatio, sed non læta. Adventus Almirantis. quid cum Girone Almirantus. quid cum Iuncteris. quid promittant Iuncteris.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

VAriis confectum herbis accipe farcimen, quandoquidem ut minuta quæque vobis significem optatis. Hujus mensis die undecima pro coronato Cæsare supplicatio generalis in hoc oppido est celebrata. populi fuit concursus non frequens, quia corruptis vivunt animis, varia promebant judicia. fictum hi dicebant ad deterrendum. si verum, ajebant alii, fore deterius, quia videant terrarum paulo antea dominam Hispaniam conversam esse in provinciam. Ad urticas pungentes veniamus. Die postero post spectaculum Coronationis, Almirantus rediens ex Laletania in oppido Decigales, priusquam se ad Rivumsiccum conferret, fixit pedem. Nuncios ad Don Petrum Gironem misit. Juncterorum Imperatorem electum accersiri facit. sine Junctæ venia se nequire respondet. Responsum est à Juncteris interrogatis, ut suum sequatur judicium. Non est ausus adire, ne suspectum se redderet. Hæc videns Almirantus, ad hospites suos in Rivumsiccum concessit. Exit obviam magna militum caterva. Semitristis, *in Mauros*, inquit, *in Mauros ista parentur. Nostri sunt omnes, consilio, non armis agendum est*. Mox Turdesillas versus ad Juncteros, pacis ardens amore, tetendit. Turdesillas ipsemet adit, paucis & his inermibus comitatus. Vetant ingredi oppidum; petenti Reginæ adspectum negarunt. Ad eum exiere Junctæ nomine duodecim ex collegio illo. Nec monitis neque hortatu, aut precibus promissisque flectere potuit illorum animos, ut ab ea deciderent pervicacia. daturum se operam, ut quæ petierint, impetrentur, cum Cardinali & Senatoribus pollicetur, in cujus rei tutelam suas arces quosvecunque affines, obsides, aut alias amicos in eorum manus præbiturum se offert. demersi jam sunt, volunt imperare. Addit, *se gubernatoria nolle uti potestate, neque agere velle se apud eos ut primas Regni, aut dominus, sed unum se civem Valdoletanum & unum è regnicolis qui Regni commoda plus quam suamet exoptet, fore apud eos* jurejurando promittit. nil horum profuit. colloquia repulerunt, ejus eloquentiam veriti. Ita re infecta regressus est in Rivumsiccum. A longe venientem Cardinalis & Senatores prospectabant, boni aliquid de Concordia quam desiderabant, exspectantes. quando autem accessit propius, *quid novi afferret Almirantus*, percunctantur, *an deponenda vel sumenda sint arma* interrogant. *Ad arma veniendum fore* dixit, *obstinatos esse Iuncteros* inquit. *de pace nil velle illos audire* nunciat. Mox patitur, quod ante prohibuerat, ut lata per Senatores in Juncteros sententia promulgaretur. Tribunal palam erigitur, per præcones, quicunque sub eo communitatis symbolo arma ceperunt, in læsæ Majestatis crimen incidisse censiti sunt. Ita Juncterorum ægritudo jam est incurabilis. Tu vale. ex Valleoleto. suam quam, ad te mitto clausam Marliano dari jubebis. ego autem quod ad vestrum alterum scribo, ad utrumque scriptum puto. Nonis Decembris, M D XX.

EPIST. DCCV.

Iuncteri in Villabraxima infestant agrum Rivisicci. de angustiis Cardinalis & Senatorum. de proceribus qui tulerunt suppetias. quid Iuncteri dicant.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

RAros jam habemus à vobis nuncios, rariores à nobis vos. ergo plures habetote. Juncteri coacto exercitu valido castrametati sunt à Rivosicco milliaria tria, dicitur *Villabraxima* locus. Don Petrus Giron & seditiosus Zamorensis Episcopus, duces exercitus, ad Rivisicci mœnia incursitant, dedi sibi Senatores postulant. in summo discrimine res locata est. Sunt & Procerum ingentes copiæ,

postquam præcipue additus est Hari Comes Comestabilis primogenitus, cum veteranis quibusdam militibus. Juncterorum copiæ sunt numero plures, rusticanæ, vomeribus & ligonibus pertractandis aptiores quam armis. Valdoletani Senatus princeps Conchensis Episcopus, pacis amator cum Senatoribus quatuor ad utrosque ivit, ad Juncteros primo, ut arma deponant Regia imperat autoritate, uti ex verbis ejus colligere potui, qui mihi rationem earum rerum præbuit, excusationes eorum videtur admisisse. *Salutem se Regni quærere* Juncteros, ait dixisse, *Proceres autem cum summa Regnorum jactura sui esse commodi studiosos. ab ipsis constructam Regni perniciem & legum dilacerationem, eo quod dilapidatum iri à pravis consultoribus Regnorum facultates & redditus, passi fuerint. Infantem Fernandum Principem à Regnis ablatum eorum consensu, alienatamque Toletanam Antisteam, & barbaro puero præbitam, ipsis rogantibus*, arguerunt, & hinc multa. His rebus imbutus Conchensis ad Rivumsiccum tetendit. Coactos reperit cum Cardinali ac Senatoribus hos Proceres, Almirantum Asturicensem & Deniæ Marchiones: Comites autem Beniventanum, Hari, Albelistæ, Mirandæ, Castricæsaris, Salinarum, Aquilarum, Ognati. Aderant & Proceres alii, Castellæ major Commendator, è Prioribus D. Joannis Rhodii Don Jacobus à Toleto; Adelantatus Galeciæ, Prælati vero, Nuncius Apostolicus, Ovetensis & Lucensis Episcopi; ut arma deponerent, protestatus est Episcopus; Nec Regi, nec Regno ista prodesse dixit: Proceribus dicitur majorem horum motuum culpam injecisse. Jurgiosa verba utrimque intercessisse, Conchensis mihi retulit. En quid ait Almirantus? *Iuncta consilia tibi placere insinuas, è magistratu abdicaberis.* se nolle consiliis Procerum inhærere; nolle se Proceres illum collegam in processu rerum dixerunt; neque quod magistratu privetur, ægre laturum, inquit Conchensis. in hoc statu sunt res. utri partium favere velitis, vos videte. Scyllæam inter rabiem & Charybdæam voraginem vagatur hæc regia navis. Vos valete. ex Valdoleto. III. Idus Decembris, MDXX.

EPIST. DCCVI.

De morte Selimsachi, & quando. de laudibus Peribassani. de metu Pontificis & ejus revocationibus. de Gazello contra Turcam.

P. M. A. M. Marchionibus.

QUæ ab exteris ferantur regionibus, vestra sunt: quæ in his Regnis, Belgica. Selimsachus Turcarum Princeps spurcam, magnanimam tamen animam, peste adortus repentina exhalavit die Septembris XV. in Adrianopoli. filium reliquit annos natum octodecim. is ad arma pronus non est, uti fertur. Sed nil ad rem nostram, cur sopore premi pectora sinamus. Peribassanum habet rerum omnium, quas pater egit, autorem, quem uti genitorem ipse, uti dominum bellorum duces observant, eo quod Principi semper, sibi nunquam consuluisse cognoverint. Unde quo minus Peribassanus suæ rei prospexit, eo magis & Principis & sua coaluit gloria. Audimus tamen una, Mamaluchorum principem quendam ex his, qui Soldani fortuna cadente, ad Turcas secessit, cum esset Alepi dominus, nomine *Gazellum*, novi Turcarum Principis ignavia fretum, coacta manu extorrium Mamaluchorum & è Mamaluchis descendentium, quos *Turchomanes* appellant, in Syria defecisse, ubi Selimsachus illum gubernatorem reliquerat, sed quid? exercitus ingens in eum paratur. casurum arbitramur, quum primum acies viderit Janicerorum. Pontifex vero militibus & tormentariis quibusdam vasis stipatus incedit, quandocunque prodiit è Vaticani palatio. cum sibi timorem ajunt imbibisse, ex quo accersitum ad se sub tutelari diplomate Paulum Bajonum Perusinum tyrannum jugulari fecit. Colonenses fidejussores Pauli & genus omne Bajonum formidare dicitur. crudelis efficitur in suspectos quosque. dicitur etiam spectativas, reservas, regressus & coadjutorias revocasse contra morem majorum. Sancti Georgii & Sanctæ Crucis Cardinales sub tegmine valetudinis recuperandæ, Pontificis manus evasere. Neapolim profecti sunt. quæ in Regnis his agantur, à vestris habetote. ex Valdoleto. pridie Idus Decembris, MDXX.

EPIST. DCCVII.

De Apostolicæ Cameræ negociis. de Zamorensi Episcopo jaculante globos in Rivumsiccum. Iocus in Episcopum Ovietensem.

P. M. A. M. Vianesio Albergato Nuncio Apostolico apud Cardinalem in Rivosicco.

DE tuo Apostolicæ Cameræ negocio cum hæredibus Episcopi Mindoniensis vita functi nil agitur: turbida hæc tempora faciunt, ut nugari sit, velle impræsentiarum hæc agitare. animo æquo patiaris oportet, donec atra hæc nubes dissolvatur. Ne desinamus interea vivere. Salutavit, ut audio,

vos

vos Zamorensis ebulliens Episcopus quibusdam globis ferreis tormentariis, ab exercitu Junctero, qui sedem habet in agro Villabraximæ, Ovetensem Episcopum per Rivosiccana prata deambulantem, horas canonicas recitando, perterruisse globum unum è jaculatis, suo sibilo taliter ajunt, ut è mula semianimis deciderit, & an adhuc præ formidine strepentis globi palleat, cupio intelligere. casum atrocem fuisse illum, tremens adhuc prædicat. O virum imperterritum! felicitatem appellat infortunium. Quid enim beatius cuiquam potest accidere? Si namque illa hora qua procul ab omni ambitionis & avaritiæ fimo, in extasim raptatus, horas contemplans recitabat, animam, alterius Episcopi præsertim dextra, exhalasset, ad superos recta concessisset. Quod vobiscum non sum, epistolio me taxat suo, qui ex miti palumbe in egregium conversus est bellatorem, ut ipse de se jactat; facit ut virum decet posteritate dignissimum. Mavortios heroas turpe foret his temporibus ocio marcescere, quibus aëra stridoribus reboant, tonitruis nubila dissolvuntur. Nos qui magis Joviales sumus quam Martiales, nec per ora hominum sumus digni volitare, in Lethæis ociamur ripis, inter aurata desides lacunaria, domorum vestri Rivisicci angustias, & istorum oppidanorum nundinis assuetorum, Cerberream voraginem in exigendis pro sordido vilique hospitio pecuniarum acervis, horresco, hic morabor, donec collachrymandum hoc dissidium aliquo modo componatur. Bellator igitur Ovetensis, quem fragor, crepitus, sonitus, strepitus armorum delectat: inter oculos caligantia præ nitore, detersa tela, versetur: nos inter librorum choreas. Armis tunc oblectabar, quando in Granatenses Mauros exercebantur. Jam satis sum evagatus. Reverendissimo purpurato Dertusensi velim dici oscula manuum. Et valete. ex Valledoleto. pridie Idus Decembris, MDXX.

Epist. DCCVIII.

Lusus jocusque in Episcopum. dat Autor rationem de se.

P. M. A. M. Episcopo Ovetensi.

Pygmæo digitulo brevius, sed gigantæo longius lacerto, si lepores, si sales, sique mixtam sinapeam acrimoniam pensitaverimus, epistolium accepi tuum. Ominatum fuisse me tibi vitæ brevitatem conquereris, quando ad Vianesium Apostolicum Nuncium scripsi, fore te beatum, si tempore illo, quo maximæ contemplationi adstrictus è mula decidisse prædicaris, ob furentis globi fragorem, ab Episcopo Zamorensi excussum ex Villabraxima vitam exuisses. Iracundia illa qua fidum asseclam tuum, Juncta ipsa junctiorem appellas, Mavortiis convenit heroibus. Marti namque sapidissima Gratiarum Dea Venus est gratissima. Severa nimium sunt ac pessundantia spiritus quæ à Gradivo prodeant, nisi Cytharæa venustate condiantur, ubi tunc libra sinapis contusa, mi Patrone? in cavernulis narium, ut arbitror, hospitabatur, aceto perfusa. O quam belle mustaciam, ut vulgo loquar, expectorasti. Eam si retinuisses, discrimen peperisset in ilibus, quando præcipue maluisse te, inquiunt, ut ego Præcursor ad superos iter tibi facerem. Sumus Junctæ junctiores, quia Paci invigilamus. Hospites habeo in his auratis atriis Riberiacis, quotquot ad hos municipales corruptos à Juncta veniunt, pacem optare me cognoscunt. paci dandam operam suadeo, quanto in discrimine versentur, quam denigratum nomen sint per universum orbem consecuti, aperio. Causas motuum occultas esse ajo, effectus autem tumultuarios in proprium Regem apertos esse. audior & auscultor. sentio sedere illis animo quæ refero, quia me ad rectum tendere intelligunt. profuturos aliquando sermones meos puto. Vos autem sub heroum Martialium nomine, quid isthic agitis aliud quam Martialibus viris panem consumere & inerti ocio studere, præque suspicione pallescere, non sentio. Claudo rivum, ne nimis inundans pluvia torrentem augeat. Vale. Reverendissimo purpurato velim dici humilem commendationem. ex Valdoleto Idibus Decembris, MDXX.

Epist. DCCIX.

De motu Burgensium & Comestabili custodito. de inobservantia fœda Toletanorum. Quid uxor Almirantis. Iuncteri ad Villalpandum. Datur in prædam Turdesillas. Accersit Autor Iuncteros. Accusatio Iuncterorum. Oratio Autoris. placuit suasio. Ironia. De fatuis Valdoletanis.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

Cito clanget Alecto feralem tubam ad arma plus quam civilia. In Rivosicco sunt cum Proceribus cataphracti septingenti, peditum tria millia, equorum est. Juncteris minor numerus, peditum multo major. Globos è Villabraxima Juncteri ad Rivisicci mœnia sunt jaculati, è quibus unus Beneventi Comitem in agro perambulantem perterruit,

 ad

ad cujus pedes decidit. Res Burgenses in discrimen tendunt mutationis status, quia non assequantur à vobis pauca illa rerum capita, unde fidejussorem detinent sub fida custodia Comestabilem. Andaluzia, velut è specularia turre, quid sors latura sit inter Proceres & Juncteros, prospectat, sequetur victores. Toletum omnium fomes malorum, regiis quæstoribus abstulit omnem exigendi alcavallas potestatem, se ab eo tributo immunem esse dicit. Mittitur in eos à gubernatoribus Don Antonius Cuniga è D. Joannis Prioribus alter. Almirantis uxor Modicæ Comitissa it reditque frequens à Proceribus ad Juncteros; quid operetur, non intelligimus. credimus persuasuram Almirantis nomine Don Petro Gironi, ut Juncteros decipiat, à quibus, uti à marino fluctu, constantiæ nil potest exspectari. Almirantis hæres Don Fernandus Enrriquez est Don Petri Gironis sororius. Comestabilis est ipse nepos ex sorore. Perniciem Optimatum fore sibi commodam non arbitrari credendum est. neque ignarus est adeo, licet Regi sit iratus Cæsari, ob causas omnibus notas de Ducatu Medinæ Sidoniæ, quin intelligat, quam periculosum sit popularibus motibus fidere, quamque facinorosum judicetur, arma capere in Regiam autoritatem. Em! Em! dum hæc ita super pluteo scripta morarentur, Juncteri exercitum moverunt. Ad Villalpandum Comestabilis oppidum, frumentariæ rei uberrimum, sub occasione tollendi Proceribus in Rivosicco clausis, commeatuum viam profecti sunt Juncteri, ducibus Don Petro Girone ac Episcopo rabido Zamorense. Ad Regnorum arcem Turdesillas Reginæ sedem Proceres, expeditionem suscipiunt & contendunt. dum in Villalpando Juncteri morantur, ubi non est passus Petrus Giron quicquam mali fieri oppidanis, Proceres oppugnant Turdesillas. propugnatoribus, ex Juncterorum inertia oppidum desertum, expugnarunt, dederuntque in prædam. Regina vero strepitus & tormentorum tonitrua clamoresque hominum & tubarum clangores sentiens, *quid rei sit*, interrogat. Proceres esse Regnorum ejus usurpatores nominatim ajunt, studentque illos in odium Reginæ trahere. Supplicant ut in eos exeat ex atrio. Respondit Regina, *hi quos nominibus appellatis, adversi nunquam meis fuere parentibus, neque mihi erunt inobservantes, portas illis aperiri*, jubeo. Capto municipio, è Procuratoribus Juncteris pauci evaserunt, deprehensi sub fida servantur custodia. Ita luditur in Fortunæ fritillo. Juncteri duces, qui se deceptos repererunt, ad hoc oppidum adhuc ægrotum regressi sunt tristes. Senatores vero, quum primum Juncteri moverunt è Rivosicco exercitum, collectis sarcinulis trepidi ad castrum Cæsaris diverterunt. In quartum hinc diem Junctæ procuratores evasi è manibus Procerum, huc & ipsi venerunt. Commendatoris Riberæ atrium, quod ego inhabito, est ingens & populari fisco addictum, eo quod ejus dominus sit Juncteris adversus. huc de suis ineptiis consulturi, qui supersunt Procuratores Juncteri conveniunt. Vetere familiaritate in Reginæ Catholicæ capella cum Episcopo Zamorensi, & cum Don Petro Lasso à Vega ob consuetudinem apud me, cum fugeret una cum Proceribus Regnorum, ubera mea literalia fretus: quodque his fuerit hujus fomenti motor, ad meum cubiculum utrumque accersivi. Ambo ad amici quondam & præceptoris vocem illico venerunt. post salutationes, quales præteritum tempus exigebat, ad præsens procurrendo. Quanti sit periculi, rem hanc ea via tractare, aperui, quod ex Abula Hinestrosam Commendatarium pepulerint. Quodque ex Turdesillis Lucensem & Ovetensem Episcopos non admiserint, à Cardinali & Senatu missos, autoritatem suam apud Cæsarem offerentes omnes. Quod Almirantem ipsum fere supplicem desiderio pacis ardentem, & inermem atque incomitatum, ex ipsius municipii Turdesillani mœnibus prohibuerint ingredi, accusavi. Audiri à Turcis Mauros, à Sarracenis Judæos, & Christianos ab utrisque, prædicavi. quam turpe quamque fœdum sit proditorum nomen apud omne genus humanum consecuti, arguo. Neque scivisse à tanta se labe vel tantillo exsolvere. His & aliis multis in hunc sensum perfricatis, fuisse ignoranter factum hactenus, maleque suis rebus prospectum, annuerunt. subsequor ego in hæc verba: Audite attentis auribus quæ referam. In hac tumultuaria farina & fluctuante classe, vos estis ambo primarii, qui polleant ingenio tantillaque gravitate vigeant, præter vos ambos pauci sunt. De præteritis frustra esset velle aliam rationem exigere. actum est, nec potest aliter fieri quin fuerint: sed si forte impræsentiarum sese offerret sanior ad concordiam occasio, amplecteminine consilium ejus, qui non minus horum Regnorum bonam optat valetudinem quam vos ipsi? *Quorsum tendam*, interrogant. En ajo, si mea opera Summus Pontifex Christianorum pater generalis sese dederit medium, auscultabitisne? *Qui fieri possit*, interrogant. Pontificium, inquio, Nuncium habemus in Rivosicco. per Nuncios agit suos Pontifex inter discordes Principes. Multorum lites composuere

ſtere Pontifices. Componetur & hæc illius authoritate altercatio, quæ Regna trahit in præceps, modo velitis. Ambæ namque partes, vos ſcilicet ac Proceres, qui vos trahunt jam ſemiruptos & ab arce Regnorum Reginæ ſedem fugarunt, Regni commodo ſtudere vos dicitis. Sub quo Symbolo partes ambæ Regni ruinam contexitis, quia multá jam eunt in prædam loca. Itinera tutiſſima hactenus, minime tuta rapinis & prædis: facinoroſos ac ſceleſtos homines ditatis; bonos premitis. Ad ſicariorum manus jam res deducitur. Conſulite veſtris, qui ſuperſunt collegis, & meo annuite hortatui. meum erit exſequi, quod polliceor. placuiſſe dixerunt quæ propoſuerim. *Collegis id ſe ſuaſuros totis viribus* promiſerunt. diſcedunt à me bene perſuaſi. Collegas accerſunt, rem propoſuerunt. Vix fieri potuit ut venirent in eam ſententiam, quia illorum pars major eſt inepta, nec ſanæ mentis, in re jam tandem per ſuffragia ventum eſt ad ſenſum. Fernandum Rodericum meum à teneris juvenem, qualem noſti callidum magnarum rerum artificem, ad Rivumſiccum ad Cardinalem & Nuncium, qui adhuc morantur in eo municipio, miſi. fuit gratiſſima Cardinali negotiatio, fuit & Comiti Beneventano, qui forte fortuna eo die ex Turdeſillis ad ſuum Beneventum proficiſcebatur. Nuncio Apoſtolico ſuadent, ut rem aggrediatur, fore ut gloriam aſſequatur ingentem, ſi ſuo ductu res effectum ſortietur. Annuit Vianeſeus Albergatus nuncius. regreſſus eſt Fernandus meus cum literis Nuncii, quibus ſeſe offert venturum. Legi ego Juncteris quia Latine ſcripſit literas. nil ſtatuunt, deliberant, conſulunt, arguunt invicem, utiliuſne an deterius futurum ſit, portam hanc aperire. dum ita Juncteri ambigunt, Cardinalis & Nuncius ad Proceres & Regnorum arcem, Juncteris ereptam, Turdeſillas profecti ſunt. Sic ſtamus exſpectantes Juncterorum ſapientem promulgationem, de ſuo medico Pontificis halitu & Vianeſii opera. Ex oppido Simancas ad milliaria quinque à Valdoleto infeſtatur interea ſingulis horis acribus incurſionibus Valdoletum. audet exire nemo. vineæ culturæque deſeruntur. trucidantur in agris ruricolæ. nil tutum eſt. ad arma conclamatur quotidie. caput è portis exſerere audet nemo. apprenhenſam tamen pervicaciam ſervant indemnem, ſed neque Generalis Junctæ procuratoribus parent, jam populus hic inſoleſcit. nil aſſentiuntur fieri, ipſis inconſultis: onera tributorum miſeris oppidanis ad libitum imponunt ad militaria ſtipendia. Sunt pauperum lachrymæ, ſunt gemitus inauditi. Don Petrus Giron publicis vocibus *Proditor* ab eis appellatur, quod Vilalpandum, Rivoſicco derelicto, tetenderit, quo locus daretur Proceribus impetendi Turdeſillas. Is videns Juncteros jam eſſe in particularis opidi poteſtate, ſineque conſilio atque viribus regi, ſeceſſit ab eis; atque ſic paulatim deſeruntur. Juncteri ſuperſtites, qui ajunt cum ingentibus copiis adventare Numen ſuum Padillam ex urbe Toleto. Hoc in ſtatu res ſunt. do longas, quia longa nobis præbent ſpacia curſores rari. Vale. ex Valleoleto. VI. Calendas Januarii, MDXX.



PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS.

Epist. DCCX.

Quam insane fuerit susceptus Padilla. quid vulgus ignarum. Cur jam contra Gironem & Lassum populus sæviat. Prognosticon de Padillæ lapsu. de Apostolico nuncio. It Fernandus ad Proceres. Quid Proceres petant.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

PRoh! quibus contumeliis & colaphis, quibus tempora hæc nostra fortuna fatigat? Padilla ille Toletanus juvenis, ab inepto vulgo ad sui, & populi perniciem elatus, ab hoc oppido more triumphantis susceptus est. Vellent oppidani illius arbitrio cuncta gubernari Juncta generalis aliter sentit. Rhythmice cantando pueri, agmine facto, transeuntem, quacunque tendat, Padillam salutant, *patriæ* ajunt esse *liberatorem.* Don Petrum vero Gironem & Don Petrum Lassum, solos in hoc vasto gurgite viros graves, jam *proditores* appellant, quod ineptos esse Junctæ cogitatus ambo intelligant. Misereor ego Padillæ, quem ominor cito lapsurum præcipitem. Jam nescit & ipse quo tendat. Licet parum sapiens, incipit intelligere, quam vanæ sint populares auræ, collegarum exemplis edoctus. quos paulo ante non observabant modo aut colebant, sed adorabant, nunc per vulgi fœtidas buccas *Proditorum* titulis decorati ruminantur. De Apostolico nuncio statutum jam tandem, ut veniat, non tamen intra oppidum patiuntur Valdelotani timentes, ne spargat Anathema in Episcopum Zamorensem, aut è sacerdotibus loci aliquem. Ad D. Hieronymi trans pontem cœnobium dictum *de Prato* ferunt. It Fernandus idem meus ex Cardinalis & Procerum, pacem amantium, consilio. Nuncium ducit. designati à Juncta generali Nuncium salutant, ut Pontificis simulachrum. quid velit, interrogant. *Nil se aliud cupere*, inquit, *quam Pontificem velle scire, an Pacem optent.* Optare respondent. *Quid velint Proceres qui sunt in Turdesillis oppositi*, *à quibus ipse venit*, percunctantur. *Quid vos ad rem tantam moveat*, vellet sanctissimus Dominus noster cognoscere, quo, re tanti momenti habita, queat aptius me medio Regni commodo consulere. Inquiunt, *ut Regni leges serventur.* Itidem proceribus dici debere ajunt. It cum literis tutelaribus Fernandus idem meus ad Turdesillas. Vianesius interea nuncius nolle se ullo pacto huic negocio ulterius intendere, nisi admittatur intra oppidum, inquit. Audivi ego singulos, Medicum, non vulneratorem se habituros in Nuncio, profiteor. duriuscule sum ab eis consecutus postulata. En ingreditur. Sequitur illum Mausignus quidam Portugalensis, qui se Portugaliæ Regis dixit esse Oratorem. Utrumque domi admitto. est atrium ingens, ubi hospitor. adeunt Vianesium. Regis sui nomine multa profitetur Mausignus. Nuncium salutant denuo. *Qua fretus Pontificia potestate velle se nomine Pontificis inter eos & Proceres tractare* percunctantur. literas se habere à Cardinali Medices, qui Pontificatum gubernat, mentitur. eas enim ex meo consilio confinxit, ostenditque. *placere*, inquiunt Juncteri. Veræne sint, an fictæ, nil curant. Ad Proceres Fernandus remittitur, de Juncterorum animo Proceribus significatum. petunt per eum Proceres rerum, quas Juncteri postulant, capita. redit ad nos, cum quaterno postulatorum Nuncio præbito, & Junctæ literis quibus Proceres hortantur ac rogant, *ut capitibus illis postulatorum examussim consideratis*, *velint una secum dare operam*, *ut illa serventur*, *quæ ad Regni commodum facere videantur*, *tollendaque ac toleranda designent*, addentes, *Pacem optare se.* Reddit cum postulatis Fernandus, lapidatur miser à pueris, deprædatur à custodibus. mille modis perturbatur. patiebamur æquo animo casus omnes, quia res tanta sicco pede perfici non poterat. Ajunt, Cardinalem velle se cursorem ad vos destinare ex Turdesillis. claudo propterea epistolam, si distulerit, quæ succedent, scribemus. Vale interea. ex Valleoleto. XVI. Calendas Februarii, MDXXI.

Epist.

EPIST. DCCXI.

Gravis in Valdoletanos sententia. Tollitur Cancelleria. De Cæsaris epistolio ad sororem. de novo caduco morbo Romæ. Almirantis stratagemata. de duplici matrimonio.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

PAuca tibi nunc significabo, quia forensia. Est Cæsar in Valleoletanos vehementer iratus. oculum jussit dextrum illis erui. Mandatum edicto venit, ut Senatus, qui dicitur Canzellaria, hinc tollatur. Senatoribus imperat, ut hinc tanquam à morboso læsæ Majestatis crimine infecto loco discedant confestim. Id si recusaverint, per gubernatores alius eligatur Senatus, præsentibusque potestas omnis dematur. *Regio se mandato parituros* ajunt. egressum tentant. ab oppidanis detinentur. regredi sunt coacti. vim inferri conquesti sunt. Apparuit & epistola, quam propria Cæsaris dextera exaratam ad Donnam Catharinam Illustrissimam Infantem sororem esse dixerunt, cujus Data erat ex Bruxellis, priusquam de capto Turdesillarum oppido, Reginaque liberata, fuerit certior factus Cæsar. qua sororem hortabatur, ut viribus totis niteretur, inde Juncteros propellere, *Proditores* illos appellans, & *læsæ Majestatis reos*. Fictam ab Almirante arbitramur, quem noscimus ad hujuscemodi confingenda aptum stratagemata, & quia scimus ipsum spargi jussisse plures, ad odium contra Juncteros concitandum, per plateas templaque hujus oppidi literas quibus alienis recitabat nominibus Padillam cæterosque Junctæ primarios, sibi, non Regno consulentes, trahere populos in eam vertiginem, secretoque agere cum Proceribus de Pace, quia populi se reperiant irretitos, & suo Regi odiosos. Hæc tamen frustra. per levissimos & nullius pensi vulgares homines res agitur quos hujuscemodi tempestas alit. de his satis. Romam ajunt inaudito quodam morbo vexari. cadunt in plateis & discumbentes multi ex insperato mortui. Ad Cæsarem redeo, cursorem habemus ab eo. Per Gursensem & Salisburgensem Episcopum Cardinalem in Germanis curiis habita est nomine Cæsaris oratio die Januarii XXVII. captata est à Germanis benevolentia ex argumento quo ait, *se coactum esse res Germanas prosequi amore vehementi, tum quod Germanus ipse sit Archidux Austriæ, tum ut ex eorum beneficentia per electionem Imperii ultro tam amice delati*, cætera quæ intexuit, eos continent sensus, quos apud nos in curiis Valdoletanis & Aragonicis ac Laletanis, ea vidisse vos credendum est; propterea laborem hunc vitare intendo, ut alia vobis significem. literæ Cæsaris ad gubernatores sunt excusativæ; *quod nequiverit ad nos citius venire; coactum se fuisse*, ait, *tantum sibi moræ sumere ad res Germaniæ componendas; fuisse quoque*, ait, *opus non parvo tempore ad fratris Fernandi ac sororis Donnæ Mariæ nuptias tractandas, accepta Ungari Regis filia uxore pro Fernando fratre, dataque sorore in uxorem ipsi Ungaro Regi. Se his actis ilico paraturum classem qua trajiciat ad nos pollicetur.* Est aliud quo neque Toletani particulatim neque Hispania in genere collachrymabuntur. Obiit Croyus puer, Capri Onocrotali nepos Toletanus Archiepiscopus. De sorore tua Donna Maria Pachieca hujus tumultuarii Padillæ uxore nescio quid fertur, quod mariti sit ipsa maritus. Toletum dicitur ipsa in hanc pervicaciam sustinere. male de illa sentitur. quid tu sentias, quandoquidem diverse à Toleto se habeat Granata tibi credita, hæsitamus. Illius consiliis te non assentiri arbitramur. Quid animi habeas, opus est, ut mihi significes, ad murmura infringenda. Jam vale. nimis evagatus sum. Ex Valleoleto. VI. Idus Februarii, MDXXI.

EPIST. DCCXII.

De varietate postulatorum à Iuncta. tractatur de conferentia inter Proceres & Iunctam. de captura Nuncii & ejus levitate. de Mausigno turbatore. Levia Vianesii verba. Burgos arma capit. Copiæ ad Iuncteros.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

REgressum ad proceres Fernandum meum cum postulatis à Juncta, scripsi ad te superioribus diebus, & duplicato introclusum illarum exemplar do, quia non ab hostibus Gallis intercipiuntur solum nostri cursores, sed à Juncteris multo diligentius. ad præsentia veniamus. Tres Fernandum meum dies Proceres detinuerunt, Junctæ postulata cribrantes, deliberantes, examinantes. centum decem novem erant petitorum capita. Justa quædam, Regi auctoritatem dementia plæraque, tolerabilia multa, vana etiam nonnulla. His ita pertractatis & discussis ipso Juvene Fernando admisso in conventu, remittitur cum mandatis in hanc sententiam: *Postulata*, inquiunt Proceres, *ob petitorum multitudinem esse confusa, per internuncios nullo pacto discuti posse, ut alterne designatis Procuratoribus in intermedio loco aliquo fiat conferentia* efflagitatur.

Per

Per Vianesium Nuncium ista referuntur. Placuit Juncteris propositio. Suos ilico ad conventum ituros designant Procuratores. Petunt una supplices à nuntio, ut medius assit. Nequire discordes inde discedere, ut Proceribus de suis Deputatis deligendis persuadeat, orant. Ad discessum rem compositurus, se præparat Nuncius ad Cardinalem, apud quem ex præcepto Pontificis morabatur semper. Dixi Mausignum quendam Portugallicum fuisse secutum ad nos Vianesium nuncium, licet non vocatum. Is fontes nostros perturbavit. tum ex innata illis levitate, tum quod in Vianesio summam reperit inconstantiam, & nunquam fuerit sui Regis Portugalliæ nomine auditus à quoquam. Pontificis optabant solum nomen, & Pontificia volebant autoritate rem tractari. Mausignus hic cum Vianesio discedens sumpsit onus educendi jumenta duo sarcinaria cum facultatibus alienis. Ad portas, ut exirent applicati, per custodes, qui vident addita suis alia duo jumenta onusta, retrocedere Nuncium cogunt, quia præcipue Vianesius noster se ferre ad Almirantem pecuniarum summam non contemnendam quatuor millium ducatorum, præconatus fuerat. Moræ ac ignominiæ impatiens noster Vianesius, non librans, quanti sit momenti res quam tractabat, concitus ira excandescenti, quicquid lactis emunxerat, calcibus in catinum discussis, in mille partes guttatim dispersit. detentus biduo fuit. dimissus tandem ad Cardinalem & Proceres profectus, cum spumosa rabie Proceribus persuasit, ne ullo pacto de Pace loquantur. Se venditurum rochetos & comparaturum coselettos in Juncteros elatis insanis vocibus blaterat; primam se in eos hastam jacturum crocitat, *sceleratos*, *Poltronos*, *Gagliofos & Ribaldos* appellat, excepto nemine, suspendendos patibulis, de hinc in frusta secandos Juncteros omnes dementer inclamitat. Taliter se gessit bonus Vianesius. hæc fuit Vianesii opera, ut instrumenta pacis jam parata discerpserit. de Vianesio jam satis. Aliud audi gratum Cæsari futurum. Valdoletani, Junctæ generalis opifices, torvis inspectant oculis. susurros jactant in eos, nec Juncteri se tutos fore posthac, in eorum potestate, arbitrantur, post epistolam præcipue unam à gubernatoribus Cardinali & Almirante ad Valdoletanos missam per Fecialem, dicit vulgus *Reidarmas*, qua Valdoletanos hortabantur & monebant, *ut Iuncteros & quoscunque autoritati regiæ suspectos ejicerent, armaque deponerent, & Regiæ obtemperarent Majestati, uti fideles decet subditos.* Id ni propere exsequerentur, se ruituros in Valleoletanos fines, ignique ac ferro vastaturos obvia quæque, tanquam in rebelles & læsæ Majestatis reos. Fecialem detinent Valdoletani Deputati, de generali Juncta nulla facta mentione. *se responsuros per suum nuncium* dixerunt. Burgenses vero x. Calendas Januarii ceperunt arma in Comestabilem, eo quod de impetrandis à Cæsare suis postulatis fuerunt frustrati. Zamorensis Episcopus à fronte, Salvaterræ Comes cum Merindatibus à tergo Burgenses excitarunt quadrillas. defecit uterque. rem sunt aggressi, quam itinere in medio deseruerunt. quia impar erat eorum sapientiæ ac fortitudini animi talis pervicacia cum se deceptos ab inanibus cucurbitis viderunt Burgenses, subdunt in diem tertium colla jugo. promissis ab ipso Comestabili paucis postulatis, & urbem & arcem dediderunt: Senatum regium & à Senatu electum urbis gubernatorem quem *Correctorem* dicunt, admiserunt. Padilla vero & Zamorensis jam Ampudia oppido Comitis illius Salvaterræ recuperato, quam Procerum nomine ceperat Don Francesius de Viamonte. ad hujus oppidi vicina rura duxerunt copias hyematum. quibus sic stantibus, relatum est ex Abula, Segovia & Salmantica, esse in Medina Campi copias ingentes coactas, quæ ob Turdesillana Simancheaque præsidia non audebant ad Juncteros venire. tetendit ad eos colligendos Padilla. inertes se ac desides ostenderunt Proceres. qui salvis omnibus locum dedere Padillæ ut transiret, quem facillime discerpsissent, si prodire fuissent ausi. Quid rei fuerit, non intelligo. duriorem forte jam reperient ad quietem viam. Coactis in unum copiis, quæ Methinnæ illum exspectabant, cum summa oppidanorum lætitia Padilla susceptus est, & in circumvicinis villis stativas illi assignarunt. Inter tot amaras escas unam accipito sapidulam. Andaluzia, Juncterorum cernens insanas actiones, suas in eos offert vires. Non plura impræsentiarum. ajunt nuncium discessurum. claudo igitur rivum. Vale. ex Valleoleto. Idus Februarii, MDXXI.

EPIST. DCCXIII.

Admonitio Cardinalis ad Cæsarem, quod viam gubernandi mutet & præclara consilia. De Iuncteris & Proceribus multa. Taxantur Proceres. Quid Comes Beneventanus. quid Almirantus. quid Proceres cum Cardinali. Don Francesius. de lupis acribus. Fortunæ ludibrium. Padillam putat populus Alexandrum. de vulgi inconstantia. Padilla erigitur in Ducem. de triumviratu. de Gervensibus.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

CAsus accidit tibi significandus, quo possis felicissimo Cæsari esse utilis, sed ad aurem

aurem ista recensenda, quia pulsat ad intima voraces istos, & honoris & facultatum suæ Majestatis absorptores. Juncteri quacunque datur, multo strictius itinera custodiunt, ne quid scribatur in eos, quam hostes Galli. Cardinalis literas deprehenderunt ad Serenissimum Cæsarem longissimas, quibus libere suam hortatur & monet Majestatem, ut à vetere via gubernandi deviet, docetque modum qui servari deberet. hæ interceptæ literæ in publico Valdoletanorum conventu lectæ sunt, propterea liceat mihi facere te certiorem de primariis in literis capitibus contentis, quandoquidem illas non habuistis. Primo capite dicit aperte, tot tantorumque malorum causam à suæ Majestatis lateribus emanasse, inde, inquit, se non magnopere criminari hæc Regna: quia præcipue nullam videant tanto vulneri medelam parari, quod hisdem regatur consultoribus, qui sua vel incuria vel voracitate adeo crudis vulneribus hæc Regna confecerunt. Abjecta mox omni formidine protestatur aperte, seditiones has finem habituras nunquam, nisi senserit Hispania Cæsarem à seipso agere, non per lupos sui gregis dilaceratores, uti hactenus. Monet demum, uti Regna hæc statuant privare suam Majestatem Regio nomine matre vivente, nisi prudentius se gesserit, quam ait ac forti animo refert in uno capite, sapientiorem esse, quod nil velit subscribere aut elargiri, quam sua Majestas in negando nihil, quia illinc nihil de Regno tollitur, hinc omne patrimonium. Prodigalitatem esse Cardinalis insinuat eam, quæ ab collateralibus ad sui commodum *Liberalitas* appellatur, quæ trahat & ipsum Cæsarem in præceps & sua Regna. Alio capite taxat Proceres, quod sui sint commodi, non de Cæsaris observantia soliciti, quodque si viderint Juncterorum ignem crescere, potius ligna quam latices sint parati projicere, facileque sint partes eorum secuturi. Nolle se, inquiunt, habita perdere patrimonia, & licet suam videant perniciem ad oculum: cum nihil magis optare se Juncteri dicant quam Procerum ruinam. Neque ad id Proceres unum ex propria crumena obolum expendunt, sed è censu regio non pro militibus solum, quos alunt toto anno, verum & pro stabulariis & coquinarum ministris exigunt ad unguem stipendia, ac si nihil eorum interesset, quum tremere fere videantur, ne ipsorummet populi ab eis deficiant sub spe adipiscendæ Libertatis. Nec mirere, Magne Cancellarie, quod hæc verba in his Cardinalitiis literis reperta sunt. dico enim ego qui vitam ago in mediis prunis ardentibus, id fore facillimum, si Juncteri sese prudentius haberent; sed in fumum evanescet hæc flamma, ut ominor, quia rerum carent experientia Junctæ insanæ capita, sentiunturque à Regno, non ad Regni commodum, sed ad propriam jactantiam alendam in his versari nugis. Hæc de rerum genere; particulariter autem ait uno capite, Beniventanum Comitem esse protestatum, se vires oblaturum suas Juncteris, nisi aliter à Rege provideatur, ne Juncteri sæviant in sua municipia villasque quas dissipant uti vineam hostilem. Parte alia Almirantum conquestum esse inquit Cardinalis, quod Rex pravorum consiliis motus, potestatem ignoscendi gubernatoribus abstulerit, quod est trahere multorum animos in eorum contemptum, alios in desperationem. Non servaturum se inquit Almirantus id regium mandatum, si à Toleto veniunt, uti dicitur, quatuor procuratores veniam petituri præteritorum, statusque suos oblaturum ait, ac in vadimonium & servandæ fidei firmamentum arces se suas illis dediturum. Nolle se qui in Juncterorum sit faucibus, ultimam suarum rerum ruinam exspectare. Alio capite fremere videtur contra eos qui causa fuerunt, quod correctores urbium & oppidorum prece vel precio eligerentur à Rege, & cum acrimonia verborum ineptas has electiones taxat, inquiens, ejusmodi perversas operationes dedisse causas primarias his tot tantisque malis. Scribit etiam qui sint apud se Almirantumque gubernatores, Comestabili satis afflicto in rebus Burgensibus, equites aurati Proceresque in Turdesillanis præsidiis contra Juncteros parati. Marchiones nominat Asturicæ ac Deniæ, Navarrum etiam dictum *de Fales*, Comites autem de Haro Mirandæ, Albelistæ, Sirvelæ, Cisonteum, Don Beltranum Cuevam Alburcherchi Ducatus hæredem, Commendatorem majorem Castellæ Fernandum à Vega, Vice-Comitem Valduernæ, Don Joannem de Oglloa Fernandi de Oglloa morionis vel morioni similis, qui est unus è navi Junctera nauclerus frater, unde cito naufragaturam sperandum est, quum à talibus gubernetur. nominat & Jacobum de Roias Monconi Castellani dominum. laudat & summopere Don Petrum de la Cueva Alburcherchi Ducis fratrem, Regique commendat super cæteros, quod adeo se strenue gesserit, ut venientia ad Juncteros auxilia Segoviana, Salamantina, quod bis ex insperato illos adoriens, noctu imparatos profligaverit, peremeritque ac spoliaverit semel septingentos ex illis, apud villam nomine *Zarcam*. Ait alio capite, Beneventi & Lunæ ac Osorni Comites paratos esse in suis terris, venturosque

rosque cum ingentibus copiis, quandocunque vocabuntur. Ognati Comitem scribit paulo inferius ex ipsius & Almirantis mandato esse in oppido Simancas cum validis præsidiis, quibus singulis diebus crebris incursionibus Valleoletanos infestat. Laudat una Don Franciscum Viamontesium Navarrum, quod Ampudiæ Comitis rebellis Salvaterræ patrimoniale oppidum validum ceperit, futurum Juncteris incommodissimum, quod à tergo commeatus illis sit ablaturum. Longo post hoc oratione Cardinalis Regi suadet, ne captum illud oppidum cuiquam petenti præbeat, sed in regiam illud inserat coronam; quia si eam aperuerit portam, gravissimis erit ab aliis obsequentibus molestiis lacessitus, sed frustra hoc. fuit enim post paucos dies, uti supra memoravi, à Juncteris per duces Episcopum Zamoræ & Joannem Padillam expugnatum. In hos sensus Cardinalis epistola vagabatur, & negociativos plures, sed interjectis ignotis characteribus passim multis in locis, quos dicitis *cyfras*. E multis hæc pauca fuit consilium tibi significare, ne tanti viri deperdantur monitus, tanquam à vero patre emanantes, in luporum rabidorum culpam, qui non gregis modo, sed gregum pastorem ipsum deglutire conantur, neque putes ab Hispanis excipi Hispanorum aliquos, qui apud vos sunt. Si forte duplicato scripserit ad vos Cardinalis, operam me fatebor & impensam amisisse. de Cardinalis volumine satis. Aliud accipe fortunæ ludibrium in ejus jocos nuper elapsum. Don Petrum Lassum equitem Toletanum nobilem, scis hujus citati leporis primum fuisse motorem, quod minime fuerit, à Regiæ navis gubernatoribus auditus, in oppido Magazii suæ civitatis nomine, super quibusdam quæstibus, apud Turrim Crematam ex itinere ad Valleoletum, quando ex Laletania regrediebamur, super quibusdam mutationibus Alcavallarum & plærisque mandatis aliis de Legum inversione; Quodque fuerit explosus in Cluniis curiis una cum Don Alfonso à Silva, jussique abire, Lassus ad Gibraltarum, cujus arcis erat præfectus, & Silva Neapolim ad suam centuriam. Is Don Petrus Lassus ab universa Juncta fuit dux generalis electus, post Don Petri Gironis discessum, quod sit illo Padilla, quem furens populus Alexandro comparat, prudentior, ac inter suos cives nobilior, licet Padilla nulla sit rerum experientia pollens, præclarumque nihil gesserit unquam, quia nullis adhuc fuit obvius copiis hostilibus. re ad vulgi aures delata, tumultus exoritur ardens. non viri solum ac leprosa plebs ad arma capienda concurrunt. fœminæ visæ sunt captatis hastis minabundæ domo exire, Padillam se velle Junctæ militum ducem, non Lassum, quem *patriæ servatorem* paulo ante blaterabant, & nunc *proditorem* appellant. Vici ac plateæ nomine proditorio de Don Petro Lasso ac Don Petro Girone rebombarunt vocibus elatis, quod munus imperatorium velit Lassus de Padillæ manibus eripere, trucidandos esse Junctæ generalis opifices, qui talia sint machinati. Padillæ domum adeunt, seminudum, neque bene pexum, ac sine pileo extrahunt. in plateam fere pensilem raptant. Padillæ symbolum per universum oppidum audiebatur: *Padilla vivat, vivat Padilla.* inclamitatur: *Dux exercitus erit Padilla.* Populo jactat dexteram Padilla ex alta fenestra plateæ imminente, silentium innuit, se id cupere, ut Lasso provincia demandetur. Aptiorem ad id Lassum civem suum fatetur. suis humeris esse impar id onus. Toletanis copiis se contentum esse prædicat. frustra omnia. Neutrum tamen Juncta tunc admisit. Trium sibi viratum elegit: Episcopum Zamorensem, Don Gonzalum Guzmanum primarium civem Legionensem, magni Commendatoris Calatravæ Petri Nunii nepotem ex fratre, juvenem alias cordatum, & levem tertium Salamantinum, nomine Jacobum & ipsum Guzmanum. Quibus electis bellica jubent instrumenta parari, tormenta, scalasque ac vineas ad muros applicandas. ex Valleoleto & stativis prodeunt irati, quod à Proceribus se derisos arbitrantur, cum suos non elegerint ipsi intra diem jam quartum & vigesimum procuratores, ad conferentiam mittendos, uti Juncta suos ilico destinarat, in argumentum desiderii Concordiæ. pacem nolle Proceres autumant. Inde in campum castra locaturi. amœnum & fortunatum gleba, vinetisque oppidum de Cigales Beneventani Comitis locum, exeuntes male tractarunt. Comitis ipsius egregium atrium antiquum cum supellectilibus & frumenti omne genus, magnis acervis igne consumpserunt universum, oppidanis, quicquid auferre nequibant, reliquerunt. Ita fit quacunque itur. Comes dentibus frendens præ tanta jactura se Juncterum fore prædicat, nisi aliter provideritis. Vos videritis. phana sacraque violantur. E cœnobiis despectis res depositas per vim extrahunt. Gervenses equites se nolle sequi Juncteros inquiunt, quod ad plenum non sint eis promissa stipendia soluta. Salmanticæ multisque aliis in locis eadem Tyrannica in eos, qui opinioni Juncterorum adversantur, phane ac profane vis exercetur. Vale. ex Valleoleto. VII. nonas Martii, M D XXI.

EPIST.

EPIST. DCCXIV.

De direptione Turris Lovatoni. de Comestabili.

P.M. A.M. Eidem Magno Cancellario.

EN dum hæc ita moraretur epiſtola, curſore non diſcedente, pauca emergunt. A vobis habemus ſublatam eſſe gubernatoribus ignoſcendi erratis facultatem. Turbulas potius quam quietem excitaturum id mandatum Cæſaris putant Hiſpani. forte melius conſuluiſtis. eventus erit judex. Aliud habeto, Almiranto male gratum futurum. ſtrepitus crepituſque ac fremitus Junćterorum in oppidum Almiranti avitum antiquum ac nobile, quod dicitur *Turris Lobaton*, expleti ſunt acriter, tormentis omnifariam oppugnarunt expugnaruntque, ac datum in prædam diruerunt, & arcem una quæ inexpugnabilis videbatur, & quæ dicitur irato Regi Caſtellæ Joanni reſtitiſſe aliquando, ne illam aſſequeretur, quum diu obſeſſam tenuerit, ac tormentis concuſſerit. hac via putant Junćteri ſe commeatuum commoditatem Turdeſillanis Proceribus & Simancheis intercepturos, quo ad extremam eſuriem tracti, ſecum de Regni rebus ad ſui libitum conveniant, aut ea quæ ipſi duxerint eſſe Regia, ſolvant è manibus. in duro res Procerum eſt. quando illius oppidi quatiebantur mœnia, venit Almirantus ipſe cum præſidiis Turdeſillanis ad oppugnantium proſpectum. Clivum, ubi ſacellum eſſe dicitur S. Pelai, occupavit. obviam exivit Padilla cum exercitus parte. conquerens ac gemens ſui oppidi calamitatem Almirantus, non audens conferre manum, retroceſſit. ibi fixerunt pedem Junćteri, vias occupantes omnes, à quibus poſſent ad Procerum auxilium, commeatus comportari. de impetendo jam Turdeſillarum oppido fabulantur: ſed ſi tentaverint, duram arbitror fore illis provinciam. Ineſt multa nobilitas, quam pudor & timor, ne ad ruſticorum arbitrium deveniant, ſtrenuam efficiet. Audi tamen inter tot acria unum ſuave. Comeſtabilem audimus, Burgenſibus rebus tum pollicitis, tum aſtu compoſitis, coactiſque Navarrenſibus veteranis peditibus, à duce Nageræ Prorege Navarræ mutuatis, ac Gervenſibus equitibus cito venturum ajunt. Si venerit, cito fumare deſinent Junćterorum fornaces, neſcio quid ultra. Cogor epiſtolarem excedere modum, quia rari jam ſunt curſores. Jam vale. ex Valleoleto, una cum priore. IV. nonas Martii, MDXXI.

EPIST. DCCXV.

De confictis tributis imponendis impreſſis à Toletanis ad populos concitandos. de Orbe novo & gente politica.

P.M. A.M. Magno Cancellario.

NEc ſatis protenta eſt epiſtola, dormitant nimium jam noſtræ literæ. dum hæc morantur, ad manus habui à Chalcographorum officina emiſſam à facinoroſis Toletanis hujus Junćteræ dementiæ fotoribus longam ac verboſam paginam, ſub ſpe concitandorum populorum contra vos, quæ quanto major eſt tanto minus efficax. quia facile potuit populo perſuaderi falſo fuiſſe confictam, & à re valde alienam eſſe, neque vos unquam de hujuſmodi tributis imponendis cogitaſſe. ea eſt animus tibi ſignificare, quo intelligas, quam peſtifera ſit iſta contagio, quæ tolli non poterit niſi veneritis. Eſt carnium & piſcium aliarumque rerum ponderibus ſubjectarum, pondus *Arreldum* appellatum, id quadraginta conſtat unciis. pro ſingulo arreldo rerum ſi vendantur, in Regno ajunt duos provinciales nummulos dictos *Marapetinos* aſſignaſſe ſolvendos. pro rebus vero per deſignatos miniſtros ponderandis pro ſingulo rubo, eſt rubus librarum ſex deunciarium quinque ac viginti, quinque nummos provinciales, ex cera aut abdomine, pro conficiendis candelis, è lana, è ſerico, è tabulis, tignis, trabibus, è pannis variis, è telis, è coriis, ex oleo, vino, aceto, metallis, amygdalis, nucibus, acruminibus, ſardelis, & ſalitis piſcibus ac recentibus, è panſis, è ficubus ac mercibus quibuscumque aliis certam tributi portionem, ſi vendantur in Regno, ſed ſi deportanda, in duplo. De gregibus etiam & armentis, cæteriſque rebus aliis omnibus, quæ vel permutando, vel pecuniis ſolvendis tractantur, per ſpecies quaſque ſuas, pretia nominant imponenda, quæ prætermiſi, quia faſtidio ſunt apta gignendo. Figmenta hæc arbitror in frontes eorum fabam concuſſura. quo namque latius fallax mendacium protendunt, eo ſe apertius decipi ſentiunt populi, qui cæci, relictis artibus, lucri expertes impelluntur vagari, ſibi familiæque perniciem hac dementia conſtruentes. Facinus infandum hoc, clauſula concludunt horrenda falſaque dicentes: *Exemplar hoc ab Originali compoſito à Burgenſibus traductum eſt. Segovianum vero nuſquam apparuit, quia demerſum eſt.* Quum neque Burgenſes unquam, aut Segoviani tale facinus cogitaverint. Ajo igitur ſic; Ne his nugis perturbemini, cito

cadent omnia, si veneritis, uti pollicemini præcipue. Claudat ingentem tabellam de Indiis Oceanis nostris fama recens. Venisse naves Hispalim dicitur ab Occidenti meridionali Cubæ insulæ, quæ dicitur *Fernandina*. Reperisse ajunt urbes munitas, & vestitas ac ornatas gentes, quarum templa ingentia domusque calce ac lapidibus magnifice constructæ sunt. quando venerint, particulariter habebis. Vale. ex Valleoleto cum superioribus ex defectu cursorum. pridie nonas Martii, MDXXI.

EPIST. DCCXVI.

Super epistola Cardinalis & Almirantis ad Valdoletanos exhortativa & minativa quali pacto responsum sit. de Procerum consiliis. de Portugalensibus. Gravamina Procerum. Petita populorum. Determinatio contra Proceres.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

PAucis ante diebus tibi significavi literas ab Cardinale & Almirante missas nomine gubernatorio ad Valleoletanos per fecialem tubicinem, nec dimissum, donec vocatis in conventum designatis consultoribus, quid respondendum esset, constituissent. ex hoc responso intelligetis, quibus de seditionibus exortis culpa sit impingenda. Forte utrisque adjudicabitis. Epistolæ sensa verbis tantum ex vulgari mutatis in Latinum sermonem, suscipito. A supra scripto incipiamus titulo.

Illustres Domini.

§. EPistolam ad nos vestram tulit à vobis tubicen fecialis. Titulo caret superiore. Propterea sitne ad nos directa, hæsitamus. Respondemus tamen vobis, à quibus ait nuncius esse delatam ad nos. Duas res continet hæc epistola, ut ad Catholicorum Reginæ matris ac Regis filii observantiam ac fidem reducamur, nec auxilium aut favorem præstemus cuiquam communitatis nomine agenti, ait. Minatorium caput est alterum & belli atrocis indictivum, ni vobis paruerimus. Quod ad primum attinet; Nobile hoc oppidum ac fidele inquit, se suosque municipales omnes fuisse ab æterno, futurosque suis Majestatibus obsequentissimos ac obtemperantes eorum Imperiis, adeo ut majores imitati, statuerint vitam & facultates pro Regiis obsequiis amittere. quare cernentes provinciam hanc sumptam sui commodum & Regum autoritatem & obsequium conducere, statuere se ajunt, velle illam sequi, non autem Procerum consilia, quæ nobis constant, inquiunt, esse Regiis obsequiis aversa; quod si posthabita perturbatione animi, ponderare rem volueritis, Regna hæc fatebimini servasse ad unguem semper duo illa, quæ Regibus sunt debita, *Fidem* scilicet, & *redditum*, quibus autoritas regia sustineatur, *exhibitionem*. E contra Proceres infidos Regibus semper fuisse, longo constat experimento. Quisnam *Ioannem* hujus nominis *secundum*, Regem irreverenter præhendit & ex Rege captivum effecit? Proceres quidem. Quis illum ab eorum manibus liberavit, in regiamque restituit auctoritatem? nonne Communitates? Sed Valleoletana hæc nostra præcipue, quando in Portillo municipio impudenter illum captum detinebant. Si quis eorum temporum historiam legerit, ista discet. Successit Joanni mox Enrrichus ejus hæres filius. Quis illum cum ignominia horrenda sceptro privavit? Quis Regem alium fratrem ejus abjecti loco suffecit? nonne Proceres? Communitates vero nonne illi regiam potestatem, Regiumque nomen & diadema restituerunt? ex Abula proditores & autores tanti sceleris propulsantes? Et qui Portugalenses, ne Catholici Fernandus & Elisabetha Reges regno avito potirentur, intromisit? nonne Proceres? hostes autem hos quis pepulit armis? quis profligavit? nonne Communitates? unde reperietis unquam inobservatos à Communitatibus Reges fuisse? à Proceribus autem semper. De ablata Regibus autoritate à Proceribus, & à Communitatibus restituta, jam satis. Ad facultates veniamus. Luce clarius constat, populos esse, qui Regibus necessaria subministrant, ac ditefaciunt suo sudore Reges; Proceres è contra nulli alteri rei magis intendunt quam depauperare Reges ac expilare. Quid rei hoc est? pauci jam populi, pauca oppida Coronæ regiæ restant, quæ Proceres non rapuerint. Ex innumeris, quæ abhinc ad Compostellam usque centum lequarum spacio jacent oppida media, tria solum retinent regium nomen. Reliqua omnia sublata de Regio diademate sunt à Proceribus. Unde venit, ut jam Regibus desint necessaria, non nisi à Proceribus, qui redditus Regios retinent usurpatos, quæ res cogit Reges, ut vexationibus perturbent populos, nova ab illis tributa exigentes, quo Regia sustineatur autoritas. Quare ut obsequantur & regiam coronam dilaceratam resarciant, hanc se provinciam sumpsisse, inquiunt, non ut à suis Regibus deficiant. propediem intelliget Rex, quæ sint Procerum consilia in hoc simulato capiendorum armorum obsequio. Arma dicunt, se contra communitates in Coronæ

Regiæ

Regiæ accepisse favorem. quando ad rationem devenietur, multo majorem postulabunt pecuniarum summam quam persolvi queat à Rege, populos vero nil aliud quærere reperient, quam ut fides & observantia redditusque Regibus augeatur, de seipsis nulla facta mentione. Audiat, audiat sua Majestas suorum populorum querelas, & intelliget, populos Regi optare potentiam, Proceres autem exinanitionem: non modo pauperiem; quo facilius queant, si quid restat, exsorbere. Non capiat, non abjiciat populorum nuncios ex malorum consultorum opera, si justa petierint & ipsi commoda, cur non admittentur? si forte injusta, pedem referent ilico, & patientur æquo animo, quæcunque imperaverit. Quod ad alterum epistolæ vestræ caput attinet, ubi dicitis, à vobis, suas Catholicas Majestates, ut nobis crudele bellum igni ac ferro inferatis, imperaturas. Accidere poterit, ut vos Illustrissim. Almirante cum reliquis Proceribus, nostris fidelibus obsequiis non admissis, bellum nobis inferre tentetis. quod si acciderit contra suarum Majestatum voluntatem, in magnam Dei omnipotentis injuriam, & summam Regnorum perturbationem & jacturam fore arbitramur. Id si eveniet, injuste actum judicabitur. Ex nostra vero parte, cum nil quæramus præterquam Regis & patriæ libertatem & commodum, juste vobiscum certabimus. unde speramus nos non solum rem nostram tutaturos, sed vestros exercitus quoscunque contra nos coëgeritis, profligaturos. Arbitramur etiam fore, ut nostra manu, quos possidetis Regiæ Coronæ status usurpatos, antiquis dominis relinquatis, quandoquidem si verum excudatur, alieni estis à regiis obsequiis, & protestamur, nos totis viribus adhæsuros his quos Regnum ad id oneris destinavit. Quare vestræ Dominationi, Domine Almirante, supplicamus, in Dei, Regis ac nostro nomine, ut armis depositis, Regni postulatis adhæreat, ut scandala & pericula innumera evitentur, quæ solent ex bellis evenire; detque operam, ut Catholicus Rex dominus noster justa intelligat nostra postulata, & una nobiscum Regi domino nostro supplicet de Regni gravaminibus tollendis. Sed si Dominatio vestra suo incœpto perseveraverit, sciat nos cum exercitibus suæ Majestatis, quos cogimus in vos processuros tanquam contra rebelles & infidos, innixurosque totis viribus, ut vos & quicunque arma ceperint in adversum, ad debitam observantiam vi armorum reducamini.

Hæc & hujusmodi, Magne Cancellarie, *ventilantur*. Utiliora faxit Deus ut eligatis. quid ego amplectendum consulerem, ne quinque cogar solidos, ut est in proverbio, persolvere, conticebo. Vale. ex Valleoleto. XIV. Calendas Aprilis, MDXXI.

§. *Inter Historiales.*

EPIST. DCCXVII.

De lacuna salsa. Tenustitam. Muteczuma Rex. Ordo civitatis. Arbor monetalis. Utilitas nuculæ. litant humano sanguine.

P. M. A. M. Marchionibus.

AB Indis vos quæ habeantur, scitote. Scribit Cardinalis gubernator ad Regem ista. Ad vos ego, propterea devenient ilico ad magni Cancellarii manus. Hispani ex insula Cuba, quæ *Fernandina* dicitur, Occidentem secuti meridionalius aliquantulum, per Jucatana littora, prius tractata, in interna ejus terræ salsum reperere pelagus, à mari distans lequas sexaginta amplius, more Caspii sive Hircani, sed majus multo; lequas enim ajunt continere in gyrum lacunam ipsam septuaginta circiter. fluit ac refluit ibi ad Oceani vices, nec qua regrediatur aqua, intelligitur. multa flumina in eam labuntur. *Piscium* ajunt *lacunam esse volucribusque aquaticis refertam.* Civitas est in ejus lacunæ medio fundata, nomine suo dicta *Tenustitam*, alias *Mexico* à nostris novo nomine *Venetia dives* appellata, cujus Rex potentissimus est nomine *Muteczuma*, ultima producta. Numero domorum quinquaginta millium inquiunt constare civitatem illam; addunt multi dimidium ab hoc numero. sunt incredibilia quæ de hujus urbis & circumvicinarum ædificiis, commerciis & hominum frequentia referuntur. domus sunt lapideæ omnes. atria Principum in ea sunt multa, quod huic Muteczumæ Regi pareat Procerum ingens multitudo, qui certis anni temporibus ex debito Regi assident filiosque omnes à pueris mittunt erudiendos in ejus Regis palatio. terrarum est vasta intercapedo, quæ huic Regi pareat. Circumeunt lacunam sex aliæ civitates munitæ lapideis & ipsæ domibus constructæ, in aqua partim, in sicco partim, quinque aut sex millium domorum, à quibus circumcursitant perpetuo tractu naviculæ uniligneæ ad urbem ipsam primariam, suos ad eam vehentes proventus, & ex urbe in patriam peregrinum aliquid revehentes, uti apud nos passim fieri videmus è villis & ruribus ad vicinas civitates & oppida. plateas habent ingentes, porticibus circumseptas, ubi mercatoriæ sunt pulchræ constructæ tabernæ.

Fora & nundinas exercent, ad quas ajunt sexaginta septuagintaque millia hominum concurrere negociorum causa ter in hebdomada. Quas tractent merces, longum esset narratu. plæraque tamen audite. Vestes illorum & suppellectilia domorum, aulæa ornatusque sunt ex gosampio, quod Italum vulgus *bombasum*, Hispanus *algodon* appellat. serico lanaque carent, quod oves non assequantur, neque boves aut capras habent, venatu & volucribus ac piscibus vescuntur. Miris fucant gosampium coloribus, & pulchre telas intexunt. Fructus provinciales sunt innumeri, herbæque hortenses variæ, à nostris dissimiles. Moneta utuntur non è metallo, sed ex quarundam arborum nuculis amygdalæ similibus, quæ paucis in locis aluntur, apricis puta aquosisque. est in his arboribus nutriendis summa opus diligentia, paucosque durant annos. plantatur hæc arbor sub alterius altæ arboris umbra, ne dum tenera est, sole siccetur æstivo, aut atrocibus nimbis concutiatur. uti nutricis in gremio fovetur infans: ita sub alterius arboris tutela coalescit hæc. ubi vero jam induruit, nutrix arbor evellitur aut scinditur, quo illa frui jam queat aëreo spiritu ac solari, & radices ejus in tellure vicina sese protendere possint. preciosiores tamen merces vicissitudinaria tractantur permutatione. Sed hujus nuculæ nummalis audite quæ sit utilitas. non est comestibilis, licet nucleosa sit, quia gustu est amariuscula, & quoniam tenera est, uti amygdala spoliata conteritur, & ex eo pulvere vinum efficitur nobile, Principibus tantum usuale solis; plebs autem populusque vino utitur ex maicii granis & fructibus confecto. per caupones edulia venduntur assa elixaque. cervos, lepores, cuniculos, apros, aliorum etiam quadrupedum nobis ignotorum armenta pascit illa tellus. De templorum magnitudine cultuque ac ornatu mira referuntur. In his habent simulachra, quibus humana carne litant, uti alias diximus terras facere, variis Deorum statuis vario immolant effectu. huic pro frugibus, pro incolumitate illi, alii pro victoria, si ad manus veniendum sit cum hostibus in re bellica, sed cui pro frugibus certis anni temporibus immolant, sationis præcipue tempore, mox maturationis ob grandinum formidinem, demum paulo ante sectionem. De his inventis particulares cudo libellos *Decadibus* quas vidistis de *Orbo Novo* postligandos, tunc hæc latius intelligetis. Nunc valete. ex Valleoleto. nonis Martii, MDXXI.

EPIST. DCCXVIII.

Mobilitas vulgi. Quid petat Autor. Minæ Iunsterorum. Polanci sententia. Conclusio inanis. Pecuniæ caritas. Odia in Caprum. Præparat ludum Fortuna.

P. M. A. M. Magno Cancellario & Episcopo Tudetensi fidis Cæsaris animabus.

IN quo turbine verser, quamque sit mobile vulgus, intelligite. Quod salutem ejus quærens Fernandum Rodericum familiarem meum, quem vos nostis, à Nuncio Pacem nomine Pontificis agitante, passus quater fuerim ire ad gubernatores, cum Juncterorum non modo venia & literis tutelaribus, sed rogatu. Hujus oppidi ægroti consultores lictorem cum notario ac testibus ad me imperatum, ut priusquam sol occidat, exeam ex oppido, miserunt. Jam *proditorem* appellant *Fernandum Rodericum*; ajunt meo ductu eorum consilia proceribus sub umbra pacis agitandæ, detexisse. Ad majus templum, in quo conveniebant, sum profectus. Quid peccaverim, interrogo, si pro meritis ex pacis desiderio persolvunt odium, fore qui judicet. discessum admittere me, inquio, sed ut tempus præbeant commodius peto, utque unum è Deputatis destinent, qui sarcinulas videat colligere meas, & in tutum locet, ne perturber à portarum custodibus sub occasione quod exportem opes alienas, uti multis accidit. Nuncio ipsi præcipue quem irreverenter tractarunt, quod aliena quædam educeret. efflagito chirographum, postquam exivi, ad eos id potens mitto. Quæ sit mobilitas populi, colligite. Chirographo quod adhuc est apud me, eritque in testem actionum mearum, subscripserunt in hunc sensum: *Neque tuis neque alienis pedibus audebis exire. id si tentaveris, in quascunque possideas facultates, multaberis, temporalibusque bonis si qua habes in Castella, privaberis.* una portarum imperant custodibus, ne me patiantur è portis caput exserere. Fuit & hic populus in præbendis octo dierum induciis, à Proceribus petitis durissimus, neque paucos annuissent illos ad Concordiam tractandam, nisi ex Turrilobatonis, ubi pedem fixerant, Joannes Padilla primarius è ducibus ad eos illa se dierum intercapedine ad præparanda exercitui movendo impedimenta, indigere scripsisset. his igitur induciis ab utraque Juncta concessis, Junctæ generalis Procuratores Don Petrus Lassus & juris peritus bachallarius Guada-

Guadalaiara ad S. Thomæ cœnobium designatum, quod in Doriæ fluminis ripa situm, pontis ipsius Turdesillani fauces tenet, proficiscuntur. Mittitur ad eos nomine gubernatorum Licentiatus Polancus, veteranus Regius Senator, vir integer. Affuerunt alternatis colloquiis Laodicensis Episcopus & Dominicæ regulæ generalis Garsias Loaisa, fraterque tertius *Ordinis Francisci* dictus *Angelorum*. Quid egerint, accipito. In grave crimen incidisse Juncteros arguit Polancus, quod Senatores Regios & Justitiæ prætores ubique deturbaverint, redditus regios confuderint usurpaverintque: præfectosque arcium & alterius modi ministros regios ejecerint, quod Rege aut Regina matre non annuentibus, conventus & curias convocaverint, quod sumptis armis de tollendo regio nomine, ausi fuerint os aperire per universum Regnum invalidæ matris loco, Cæsari præbito, Polancus taxavit. Juncteri autem procuratores, his auditis, fecisse juxta Regni leges, collegas suos seque dixerunt. quia supplicantibus pro Regni gravaminibus fuerint aures conclusæ, quod nullum repererint in supplicatu remedium, responderunt. Dum hæc ita gererentur, eundo ad gubernatores Cardinalem & Almirantem, tertius namque Comestabilis aberat in rebus Burgensibus implicitus, octo dierum induciis elapsis, à Proceribus, quo ista queant per celeres nuncios Comestabili ad firmiora Concordiæ fundamenta, significari, dilatio petitur induciarum. Renuit vulgus ignarum, & si qui sint, sunt quidem non pauci, è primariis emutire audent minime. saliunt petulantes in eos & jurgiis lacessunt, si consulere in adversum tentant. Conclusum tamen est, ut demptis quibusdam Junctæ postulatis, Regiam penitus autoritatem tollentibus, cætera quæ ad Regni commodum facere videbantur, gubernatores annuerent, Proceresque omnes sese jurejurando adstringerent fore Regni legibus fautores una cum ipsis, si Cæsar Rex, malis consultoribus aliter persuadentibus, assentiri quæ petierint recusaverit. his contenti fœderibus Lassus & collega rem ad Juncterorum duces referunt, qui adhuc in Turrilobatono morabantur. placuit Padillæ duci primario; recusarunt plærique insani, rerum novarum cupidi, ne ab imperio dejiciantur, veriti. Ita res dissoluta est. male sana collegarum consilia cernentes Lassus & collega, tutius iter elegerunt. Juncteris derelictis, alia via tetenderunt. Laborant interea Proceres in Turdesillis omni rerum penuria & à militibus, quod stipendia deficerent, paulatim deserebantur. A Januensibus in his angustiis Augustino & Nicolao Grimaldis quindecim assecuti sunt aureorum millia, quibus recrearunt parumper milites. Veneruntque mutuo à Rege Portugalliæ millia quinquaginta, sed ex bellorum diuturnitate consumptis omnibus, ad Reginæ monilia Procerumque abacos & universa toreumata deventum est, quæ in frusta secta dividebant viritim pecuniarum loco. In hoc statu sunt res. distulit abscessum cursor. Unum addam, quoniam an rite factum, & an vestro consilio provisum fuerit ambigo. E seditiosis cucullatis Dominicæ professionis unum, Paulum Legionensem Juncta miserat ad Cæsarem, addito illi comite equestris ordinis viro nobili cujus nomen ignoro. Iniquo tulerunt animo Juncteri, quod non fuerint admissi. sunt in casu hoc, in vestrum Caprum & à Capro fomites horrenda murmura. *Quænam sit ægroto gregi curando spes, lupis adhuc pastorem gubernantibus*, interrogant. *Quid nocere Cæsari potuisset suarum ovium arietes admittere?* Ex itinere moniti ajunt, se ab urbe Cameracensi retrocessisse, quoniam è Curia nunciatum illis fuit, tetros carceres esse paratos, in quos essent conjiciendi, Cæsare non viso. spargit ob id cucullatus hic semina pacis valde dissona. Nullum à Cæsare exspectandum suadet esse remedium, donec isdem collateralibus regatur, à quorum inexhausta fuit avaritia, malorum hic fons defossus. Qui autem sani vivunt erga Cæsarem animo suamque vident præsentaneam ruinam, sero vos venturos dicunt, ac timent, quia vos implicitos Wormatiensibus audiunt conventibus in Germania. Nisi fursur aliquod in Juncterorum oculos aliquis projecerit, quo cæcutiant, actum & de se putant & de Cæsarea autoritate in his Regnis. Quacunque Junctæ ducibus iter capere libuerit, ea patebunt undique portarum cardines. spes tamen salutis emergit, quia desides effectos video illos in præda Lovatonia. famaque summurmuratur tacita, Comestabilem rebus Burgensibus compositis & arce habita in deditionem, jam accingi, ut suas cum Turdesillanis copiis conjungat. Hic Fortuna suam præparat tabulam lusoriam, ut vel hæc Regna sint ampla, excusso jugo regio, libertatem consecutura, vel servitutem multo graviorem in Procerum manus subitura; donec talo è manibus dimisso, quinam sint caniculam & qui senionem projecturi, cognovero, nullam habebis meam. Ergo vale. ex Valleoleto. Idibus Martii, MDXXI.

EPIST. DCCXIX.

Quærunt pacem gubernatores. Alterna injuria. Quid statuerit Andaluzia. Prior Episcopum profligavit. Casus inopinatus.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

MUltas cogor jam epistolas una concludere, quia rari sunt cursores. Cardinalis & Almirantus, præsentaneam cernentes suam sortem infelicem, de Pace iterum tentant Junċteros. Responsum est, se nolle sub nomine gubernatorum rei quicquam habere cum eis, uti cum particularibus personis placere. his ita stantibus, allatum est, Salvaterræ Comitem cepisse quædam vasa tormentaria cum suis curribus, quæ ad Comestabilem ex Bilbao trahebantur, & Padilla dux alia ex parte præparans exercitus motum, vetustate venerandam & invictam hactenus Turrislobatoni arcem, ne sit apta receptui Procerum diruit, multasque ipsius oppidi domos combussit. Valdoletani vero quoniam in urbe Burgensi, ut alias scripsi, promulgatæ fuerunt urbes & viri Communitati faventes proditorioque nomine taxatæ; Tabulatum & ipsi in suæ plateæ medio erexerunt, Proceresque ac omnem Senatum & cæteros ministros fecisse contra Regiam Majestatem per præcones adjudicarunt, quod recusare inquiant Regni & Coronæ Regiæ commodum suis artibus. Ita se alterne crudis famæ jaculis conficiunt, eritque hic Fortunæ lusus varius, donec, quod facto proximum est, Regio Symbolo proclamato Leonis & Castellæ vexilla utrimque protenta, dimicatura concurrant. Duo tamen interim audi non ingrata vobis futura. Ex Vandalia, dico *Andaluziam*, nuncium habemus. in oppido uberrimo dicto *Rambla* concurrerat universa provincia, ut de rebus his dubiis deliberarent. Ut contra nomen hoc *Communitatis* eatur, statutum est. singulæ urbes cum suis pendicibus singulos designant exercitus. Hispalis, Corduba, Granata, Gienniumque ac Ubeda & Bayzia unanimes apparant se, ut præsto sint, si vocentur. Nobilis illa Bethi abluta Hispalis civitas duos habet intra se nutritos feros leones factionarios in diversa tendentes, Methinnæ Sidoniæ unum, Archensem alterum, Duces valde potentes. Ejecit ambos generosa civitas, ne sua contagione populum inficiant, quia tentarunt Archensis populum seducere, Sidonius retinere in fide Regia. cum *Sidonium Ducem* dico, intelligo uxorem ejus Catholici Fernandi Regis neptem, ex Archiepiscopo Cæsar-Augustano filio, ergo Cæsaris amitam, quæ Regium animum redolet, mariti est illa maritus, quod inter egregios queat moriones ille Dux numerari. Alterum non minoris faciendum accipito. Est juris Toletani oppidum *Romerale* dictum. Concurrerunt Antonius Zunniga, quem S. Joannis Priorem fecistis, in ejus oppidi campo, & Zamorensis Episcopus, contra Toletanos ille, pro Toletanis hic. qui Toletum, hac provincia relicta, sub spe illius Antisteæ fuerat profectus, ut ajunt multi. fuit à Priore profligatus Episcopus, sed uti conqueritur, non legitimo Marte, quod ejus dici essent pactæ inter eos induciæ. Prior autem suos milites injussu suo solutos Episcopi terga infestasse fatetur; actum esset penitus de Toletano Regno, ni Prior hic arma contra Toletum sumpsisset. Episcopus autem hic uti fanaticus vagatur inscius quid velit, quem non suscepta injuria movit à Rege ulla, sed in eam rabiem adversæ factionis odium contra Albelistæ Comitem ejectorem suum traxit. Miserabile tamen facinus inopinatum inter has rixas evenit. Mora est oppidum insigne in Toletana ditione. Oppidani Toletanorum insaniam secuti, Communitatis nomen induerant, neque ab eo sumpto consilio dejici à suo Commendatario domino potuerant. est enim juri Spatensi subjectum oppidum. Prior ipse suo monitu admixtis minis, oppidanos ad Regiam traxit fidem; & eam servaturos se jurejurando sunt polliciti. Abeunte Priore recidivarunt. Itur ad eos, in templum majus pueros senesque ac muliebre genus omne cum suppellectilibus universis includunt. tentant milites expugnationem. Una permanserat aperta tantum porta, eaque trabibus & vectibus constricta erat, ita ut difficilis esset introitus, ex alto inclusimet tormentarii pulveris cadum in oppugnantes milites tentant dejicere accensum, furore pulveris impulsus cadus, ad interna templi decidit. Incenduntur omnia imposita, & templum ipsum comburitur universum. Evadere nemo potuit quia portam prius ignis occupavit; proh impium & horrendum casum! in cinerem illius oppidi facultates universæ cum familiis omnibus conversa sunt. quinque millium ajunt amplius puerorum ac fœminarum senumque jam gravescentium fuisse numerum combustorum. Dum hæc ita moraretur epistola, ecce nuncium qui rei bene gerendæ spem attulit. Comestabilis pacatis Burgensibus rebus ad nos veniens, Bezerrillum oppidum, quod hospitio suum exercitum suscipere recusaverit, dedit in prædam. Don Joannem Figuæroam Archensis Ducis fratrem & è Junctæ ducibus unum, cujus fomento

fomento Bezerrillum insoleverat, præhendit. quid futurum sit, exspecto. hoc oppidum à Simancheis præsidiis incursionibus infestatur quotidianis, ad portas usque; neque resipiscere tamen incipit, induruerunt ad saxi usque duritiem. Sunt in facinorosorum potestate, bonis ejectis, redacti. Vale jam. ex Valleoleto. XII. Calendas Maii, M D XXI.

EPIST. DCCXX.

De dispersione Communitatum. Salvaterra Comes. Laus Licentiati Aguirri. Laus Comestabilis. de agrestibus Palentinis. Fernandus à Vega. Stratagema. Consilium de confligendo. Symbolum confligendi. de felicitate Cæsaris. Morale.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

POst prioris tabellarii discessum acciderunt quæ nunc referam. Populorum hæc ardens flamma suas paulatim exstinguit faces. Est inter Pyrenæorum vastos montes planities uberrima, quam dicunt *Alabam*. In ejus medio est civitas egregia super eminenti colle structa nomine *Victoria*. planitiem infestabat manu militari Comes Salvaterræ, cujus oppidum titulare ad lequas inde quatuor jacet in montium angustiis, qua itur Pompelonem in Navarram. Is à Victoriensibus fuit profligatus & penitus deletus, cujus audita strage fugaque, Ordunna civitas Bizcayæ in montibus Cantabris caput, arcem diruit funditus, quod præfectura esset Comitis ejus, à qua mille molestiis cives infestabat. captusque in pugna primarius ejus petulantiæ dux Gonzalus Barahona vir nobili sanguine ortus, per Justitiæ prætores jugulatus est. Comes autem ipse nusquam apparuit ultra. Licentiatus Aguirrus è veteribus regiis Senatoribus ejus urbis civis, cum propinquis familiaribusque suis & clientibus in fide regia eam urbem sustinuit armatus. strenue prudenterque se gessit eo tempore. neque offuit armorum agitationi, quod literis ac animi bonitate polleat. Comestabilis autem animo invicto Princeps, refecto impensa rebellium Bezerrillensium exercitu, medium se locavit, longis itineribus veniens, inter Valdoletum & Juncteros, in Turrilobatono adhuc morantes, in Pegnaflore Valdoletani Juris oppido. Eo nuncio Valdoletanæ infelicis cymbæ naucleri contremuerunt. Uti fanatici per oppidum proclamando vagantur; pœnis gravibus propositis, ut quisque aptus ad arma exeat, edicunt per præcones. exeunt pauci. Insanias esse illorum turbas, jam sentit populus. duo cucullati fratres dementes Dominicus unus, Mercedis alter, & Licentiati Villenæ filii duo magis instabant, quos fama est Inquisitionis hæreseos formidinem traxisse ad hanc voraginem. populi derisum cernentes, qui quo magis illi vociferando debacchabantur, tanto segnius prodibat. ad unum properant remedium infelices, extrahunt vexillum. In agro esse vexillum per præcones nunciant; pudeat vexillum relinquere desertum, rabide clamant. *produtores*, elatis vocibus exire renitentes appellant. ut in prædam dentur domus eorum, fuit tumultuantium sententia. obstiterunt sanioris consilii cives. mansit ea nocte vexillum paucis mechanicis custodientibus, in agro trans pontem, qua itur ad eorum hostes. die postero sævitum est à bonis, si qui permanserunt, in stolidos consultores, qui vexillum ausi fuerint, sine ulla majestate, tractare. Vexillo reportato in oppidum, sentiunt procaces hi, Regii sceptri usurpatores, à populo se nihili fieri. Convenerant ex Pallentia & oppido Duegnas mille ducentum pedites, sed agrestes vomeribus & marris magis apti quam armis, Duce Saravia Valdoletano cive egeno, sine sapientia eloquente. Non licuit his militibus cum reliquis in Turrilobatono conjungi, ob Comestabilem qui medium iter servabat. Ad gubernatores & proceres, qui se Comestabili conjunxerant, veniamus. Ex Pegna flore statutum est, ut Juncteri sepiantur in Turrilobatono quo illis commeatus tollantur. Quod facile factu judicarunt, quia esset Proceribus equitum nobilium copia ingens, Juncteris fere nulla, & ea bellorum expers. Per Fernandum à Vega Castellæ majorem Commendatarium, locandorum castrorum explorant sedem. It cum equitibus delectis quindecim. Juncterorum stationes circuit, non licuit universas, quia multi ad paucos ilico exierunt. Altera die quæ fuit Aprilis vigesima regressus, elucescente crepusculo, Juncteros sentit per tympanorum & tubarum strepitus invitare milites ad discessum. Certiores per celeres nuntios facit de re gubernatores; ut properent, suadet. Vafro interea usus est bellico stratagemate. bellicos habebat secum tubicines, clangere illos imperat, existimans, ut evenit, Juncteros universum adesse hostilem exercitum suspicantes pedem fixuros. Ita factum est, qui ad noctem intempestam prodituri erant, exspectare lucem statuerunt, ne per noctis tenebras in hostium insidias caderent imparati. Quæ in divina Providentia sunt pensitata, diverti minime queunt. Ex ea mora gubernatoribus & ducibus reliquis, datum est posse consequi Juncteros, qui sub clara luce suas instruunt acies & compositis ordinibus

gradiuntur. Proceres vero cum equitibus, qui totam noctem egerant percurrendo, ne oblatam pugnæ occasionem amitterent, insomnem: Juncterorum prospectum attingunt. Paulatim, licet fessi, eorum inhærent vestigiis, peditatum à tergo reliquerant universum, nequiverunt enim pedites sequi properantes equos. Adeo jam equites cum Proceribus, Juncteris appropinquarunt, ut alterne tormentariis globis se infestarent, nec in vacuum quidem, perempti namque plærique fuerunt, sed è procerum globis, globus unus Juncterorum cuneum ultimum perturbavit, parumper ea globi salutatione, cuneus titubare cœpit. Senserunt Proceres hastarum ventilatione, cunei formidinem. tunc stringendos esse omni mora sublata, licet peditatus abesset statuerunt, quia præcipue prima Juncterorum acies jam reliquas deseruerat, villam nomine *Villalarum* proximam ingressa. inde sperarunt Proceres reliquos Juncteros desiderio applicandi se ad socios, ordines disturbaturos, ac si res acta jam fuisset; ita evenit. *Ad illos, ad illos*, proclamatum est. una omnes equitum acies Juncteros per diversa congrediuntur. Nullius fuit hastæ, gladii nullius facultas exercendi. Sine vi, sine sanguine victoriam sunt adepti equites. Prætoria cohors cujus est pro fratre Don Alvaro, Don Jan à Luna præfectus, eo die prima in hostes irrupit, secutæ cæteræ forti animo. Arma dejiciunt Juncteri, strati pansis manibus veniam petunt. A cæde abstinuerunt, quia cum Nobilibus res acta est & regnicolis. Veh si peditatus interfuisset. ut ad colendos agros revertantur, permissum est. Quam fauste Cæsaris procedant res, videto. si solo Cæsaris audito nomine tot concreta nubila tam facile dissolvantur, quid eo præsente fiet? Altero post eam dimicationem die per Curiæ prætores sub proditorum nomine promulgatis sententiis Padilla Toletanarum copiarum, Joannes Bravus Segoviensium, Salmantinarum Franciscus Maldonatus duces jugulati sunt. Don Petrus autem à patre Maldonatus, à matre Pigmentellus, Salmantinarum dux alter, sub avunculi Comitis Beneventani umbra servatus est, ne sociorum & ipse pœnam subiret. sub fida tamen servatur custodia. in Simancheum missus est Castellum. Sed vide quam mira sit artifex Fortuna, studia cujus sunt nil beatum offerre, quin adversi aliquid immisceat. Vix hæc nobis obtulit mella, quando ex adverso fella horrida supervenire nunciatum est. Rumor est Gallos transisse Pyrenæos cum validis copiis. quid sit, nondum intelligimus. Hispanorum motuum novitate fretos, non amissuros occasionem arbitramur, quin, uti solent, insiliant in occupatos. sed spero fore ut & ipsi suas sint relaturi ex his agris urticas, desideratæ lactucæ loco. Jam vale. ex Valleoleto. v. Calendas Maii, M D XXI.

EPIST. DCCXXI.

Galli vocati à Iuncteris veniunt. Iter ducum Procerum. Pompelon capitur à Gallis. filius Mareschalli fugit. Capitur Zamora. Quatiunt Lucronium Galli.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

QUandoquidem Galli nos habent inclusos terra, opus est ut crebros mari credamus, quo aliquis è multis evadat. Accipe quid acciderit, ex quo meas non habuisti. Galli à Juncteris plærisque impulsi Toletanis præcipue ac particulatim ab uxore Padillæ processurum hunc ignem arbitrati, Pyrenæos transierunt. Casu audito, Naiaræ Dux Prorex Navarram deseruit; regnicolarum veritus proditionem, quod inermis esset, Comestabili namque veteranos, quos habebat ad Regni præsidium, jam milites mutuo dederat. Quibus auxiliaris res acta est in Juncteros. Is ad gubernatores venit Segoviam, quo post Juncterorum disjecta nubila, per Metimnam Campi se contulerant, ut turbatos civium animos pacarent, facerentque obnoxios Regio nomini. Paucis exceptis turbarum excitatoribus, in singulis locis, à quibus ipsimet, judicium veriti, cum Junctæ primariis evasis exilio se ipsos fugiendo mulctarunt, ignotum est. de desertione conqueritur bonus Prorex Dux Naiaræ, ut ilico provideatur, expostulat. Regnum interea universum occupant Galli & una Pompelonem Regni caput, urbem unicam. Neque his contentos Hybero esse vicinos, ut flumine per vada transito, Castellam impetant, & cursu furenti suas se vires cum Juncteris commixturos, de Hispanorum fide erga suos Reges male gnari, blaterant. Gubernatores populorum poscunt vires, Segovia, Abula, Salmantica & Soria, nec minus Valdoletum & Madritum pro cujusque loci auctoritate ac populorum frequentia, mittunt in Gallos auxilia. Cito Gallos ad arma stimulâsse Hispanos pœnitebit. Ego autem ex gubernatorum & Reverendissimi Cardinalis præcipue mandato hic morabor, interea ocio literali vacans. Morantur & una mecum sacræ Inquisitionis hæreseos Doctor Mansus, & alterius Senatus magistratuum Spatensis, Alcantaræ, Calatravæ, Licentiatus Varrentus: donec quo in portu sit Regia classis fluctuans, anchoras projectura

projectura intellexerimus. Particularia nunc accipe pauca. Mareschalli Navarræ Agramontesiæ factionis principis qui Simancheum incolit carcerem filius, audito Gallorum ingressu aufugit è Curia gubernatorum, dum itinera illius causa viæque servantur, ecce major cephalus, non quæsitus ea in parte in custodum retia incidit. Zamoræ tumultuarius ille Episcopus aufugiens deprehensus est, in cujusdam villæ meritoria taberna apud Lucronium. ad Ducissæ Naiaræ potestatem ductus est. non ingrata fuit gubernatoribus ea præda, Gallos acrius adegisset evasus, quam ipsimet cogitent. Audi & aliud. Ferrera ille, qui quondam, suæ Reginæ creditas ad genitorem ferendas literas, marito Regi Philippo tradidit, magni dissidii causam inter virum & uxorem ferens, aliam cistam dicitur contexuisse. facile dicitur Pompelonensem arcem, cujus erat præfectus, Gallis poscentibus, sine vi illata dedidisse. Excusationes tamen illius gubernatores videntur admittere. *Arcem fuisse non bene munitam, neque paribus præsidiis fultam, debilemque non perfectis mœnibus* dicitur per fide dignos testes probasse. fuit illi & aliud incommodum. absens erat Gallis impetentibus Regnum, quia ministerio alteri erat implicitus. præfectus enim erat impedimentorum. utcunque sit, arx dedita Gallis est, ita ut nil in Regno Navarræ jam restet, quin ad Gallorum potestatem sit deductum. Em, Em, dum hæc ita moraretur epistola, nuncium habemus, qui refert, Gallos trajecisse Hibero flumine copias omnes, gravique impetu Lucronii mœnia quatere tormentis; intra Castellæ fines. Veremur vehementer, nec sperare desinimus. præmissa enim sunt veteranorum illa præsidia quæ ad Juncteros delendos Comestabilis ex Navarra detraxerat. forte obsistent oppugnantibus ad accessum usque gubernatorum, qui propediem cum populorum quam maximis copiis ad eos proficiscentur. quæ succedent, habebis. nunc vale. ex Valleoleto. III. nonas Maii, MDXXI.

EPIST. DCCXXII.

Tumultus Italiæ. Xeures obiit. Helvetios vocat Papa. De examinatione Lutheri ejusque doctrina ex epistola Valdesii.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

MUltos uno canistro tibi fructus, licet non sapidos, ab alienis terris condono. Tumultuaria pestis hæc popularis generaliter serpit. Mediolanum, Ferraria Mantuaque urbes student & illæ seditionibus. Roma signa dat, suo Pontifice non esse contentam, post petitum Pauli Bajoni Perusini Tyranni sanguinarii sororisque publice fœdati concubitu, jugulum. Colonnenses qui fidejusserant, ne à Pontifice detrimenti quicquam Bajonus reciperet, vivunt adverso in Pontificem animo. Ex Germania tres habemus paucorum dierum intercapedine cursores, peste urgentur gravi. Cæsarei palatii rodit intima. Cæsaris ipsius semianima Ludovicus Marlianus Tudetensis Episcopus, ætatis nostræ Philosophorum maximus, mihi affinis ex Marlianis fœminis matrimonio in meam familiam de Angleria transmissis peste obiit. Nec Capro illi pepercit, cujus animus tetendit semper ad sui commodum, de pupilli sui ad orbis Imperium nati salute parum curanti. Cæsarem jam tandem ab immani educatione liberavit. Exuit & ipse gentibus non bene gratam animam. Comitati sunt illos Doctor Parræ Hispanus Medicus, cum Illustrissimo Infante, ad Boream profectus, quia Infantem semper à cunabulis curaverat, noveratque illius naturam. Almeriæ hunc Cæsar nominaverat Episcopum. Podalirii aut Æsculapii dogmatibus incubuisse nil profuit homini. secutus est illos Don Petrus à Toleto magnus hastilusor, Ducis Albæ nepos ex fratre; functi vita sunt & plures alii. Plena formidine Cæsarea vivit curia. Ab Urbe scribitur, Pontificem accersiri jubere Elvetiorum copias octo millium ob metum Hispanorum peditum, qui ex insula Gervensi dimissi vagantur egeni. Prædis assueti erant, sub Francisco Maria Roboreto Urbini Duce, prædis gaudent. Audi majus aliud: Tutelares dedit Cæsar Luthero hæretico literas. Ad Curiam venit large comitatus. Nunquam, si fautores assint Principes rerum novarum, desunt excitatoribus sequaces, modo cibi aut ambitionis spes refulserit. Quæ apud Cæsarem in hoc negocio acta sunt, à Valdesio accipe.

Alfonsus Valdesius Petro Martyri suo Salutem.

§. LUtheranæ factionis & ortum & ad eum usque diem progressum ex Bruxellis ad te scripsi. Nunc quæ deinde sequuta sunt, accipe. Cæsar convocatis in hanc Wormatiensem civitatem Rom. Imperii Electoribus, cæterisque ordinibus, ante omnia Lutheri causam tractandam proposuit, cupiens, ut totius Rom. Imperii autoritate, hominis insania cohiberetur, cæterique ab ea arcerentur. quod tametsi sedulo curaverit, nihil tamen efficere potuit, nisi ut Lutherus sub fide publica

publica Cæſaris vocatus audiretur, antequam adverſus eum quicquam ſtatueretur. Ajebant enim iniquum eſſe, hominem inauditum condemnare, atque ad Cæſaris dignitatem, pietatemque pertinere, ut ſi Lutherus ſuos errores revocaret, cætera omnia quæ tum docte, tum Chriſtiane ſcripſiſſet excuterentur, atque Cæſaris autoritate Germania ab Apoſtolicæ Sedis gravaminibus oppreſſionibuſque ſublevaretur. Cæſar videns, ſe nihil aliud imperare poſſe, ſub fide publica Lutherum ad ſe venire, in ſuaque & omnium Ordinum Imperii præſentia hominem ſiſti jubet. qui interrogatus, *An qui paſſim ſub ejus nomine circumferuntur libri, ſui eſſent, & quæ in his ſcripſiſſet, revocare vellet, nec ne.* Reſpondit, *omnes libros* (quorum tituli ad hominis petitionem legebantur) *ſuos eſſe, nec hoc velle negare, nec unquam negaturum.* Quoad ſecundam vero partem ſibi factæ interrogationis, videlicet *an quæ ſcripſerat, revocare vellet*, petiit, *ut Cæſar deliberandi tempus ſibi concederet*, quod illi à Cæſare uſque in ſequentem diem conceſſum eſt. Eo ipſo die, Cæſare atque Romani Imperii Electoribus, aliiſque Ordinibus præſentibus Martinus Lutherus juſſus, ut ad ſecundam partem heſternæ interrogationis reſponderet, poſt longam diffuſamque orationem, quam tum Latine, tum Germanice habuit, dixit, *ſe non poſſe quicquam in libris ſuis contentum revocare, niſi doctrina Euangelica, & veteris inſtrumenti teſtimonio ſibi comprobaretur, eum erraſſe impieque ſcripſiſſe.* Et quum denuo urgeretur, ut omiſſis aliis, per negativam aut affirmativam reſponderet, *an vellet ſtare decretis, & conſtitutionibus Conciliorum, necne.* Reſpondit, *ſe nihil velle revocare, nec poſſe etiam ſtare decretis Conciliorum, quum ipſa Concilia aliquando ſibi ipſis contraria fuerint.* Tunc Cæſar hominem abire jubet, ſolutoque pro eo die conventu, ſequenti die Principibus Electoribus ad ſe venire juſſis, ſchedulam manu propria ſcriptam exhibet, in qua declarabat, quid ſibi in ea re faciendum eſſe videretur, ab eiſque petebat, ut omnes pedibus in eam ſententiam irent; videlicet, ut ſæviſſima edicta in Lutherum, Lutheranoſque emitterentur, hominiſque inſani libri comburerentur. Electores vero aliique Imperii ordines, quorum aliqui Lutheri venenum hauſerant, alii autem nequaquam Lutherum damnandum eſſe contendebant, niſi Germani prius à Romanenſium (ut ajebant) gravaminibus & oppreſſionibus liberarentur, apud Cæſarem ſummis precibus effecerunt, *ut ſaltem ſecreto Lutherus admoneretur, ut quæ adverſus Eccleſiæ conſtitutiones ab eo ſcripta ſunt, revocaret.* Quod quum Cæſar illis conceſſiſſet, illique per triduum Lutherum induratum fruſtra monuiſſent, videntes, ſe nihil proficere, Cæſaris decreto ſubſcripſerunt. Quibus peractis, Cæſar nolens publicæ fidei, quam Luthero conceſſerat, contravenire, per publicum inſtrumentum hominem admonere juſſit, *ut ex urbe hac Wormatienſi per diem ſequentem diſcederet, atque intra viginti dierum ſpacium in locum ſibi tutum ſe reciperet.* Paruit Lutherus. Tunc Cæſar tum ſua, tum Principum Electorum, atque omnium Romani Imperii Ordinum autoritate, graviſſimo edicto in Lutherum Lutheranoſque, & in eorum ſcripta emiſſo, quotquot hic reperti ſunt, Lutheri libros cum maxima pompa comburi juſſit, ut ejus exemplo idem per alias Germaniæ civitates fieret. Habes hujus Tragœdiæ, ut quidam volunt, finem, &, ut egomet mihi perſuadeo, non finem, ſed initium. Nam video Germanorum animos graviter in ſedem Romanam concitatos, nec video Cæſaris edicta magni ponderis apud eos futura, quum poſt editionem Lutheri libri paſſim per vicos & plateas impune vendantur. Hinc facile conjectare poteris, quid abſente Cæſare futurum ſit. Poterat hoc malum cum maxima Chriſtianæ Reip. utilitate profligari, ſi Pontifex à generali Synodo non abhorreret, ſi publicam ſalutem privatis commodis anteponeret. Sed dum Jus ſuum mordicus tenet, dum obturatis auribus, pio fortaſſis affectu, Lutherum damnatum & flammis devoratum cupit, univerſam Remp. Chriſtianam perditum iri video, ni Deus ipſe rebus noſtris ſuccurrat. Vale. *Wormatiæ.* III. *Idus Maii*, M D XXI.

Habes rem fideliſſime deſcriptam. Sed, uti video, ſcire velles quænam hæc ſint mala ſemina hujus hæretici, quæ ingens pelagus complectuntur. Ad hæc reſpondeo, nolle meos hortos talibus ſorbis, aut alias acribus & venenoſis fructibus inficere, vel meis lactucis talem cicutam commiſcere. Vide multas in ejus figmenta per Theologos editiones jam è Chalcographorum prelis emiſſas. Illi argumenta ejus infringunt ad unguem. Habeto alicujus exemplar, ſi perquiſiveris, facile invenies. Inde ſumes Lutheri vomicas ac leproſa ulcera cum medicaminibus. Valde alienum à bono fore arbitrarer, ſi vulnera patefacerem, medela non præſentanea. hoc unum addo; paucos fuiſſe *Leones* Pontifices, quorum temporibus Eccleſia non fuerit aut ab infidelibus, aut ab hæreticis infeſtata, ut alias per exempla innumera tibi tuoque condiſcipulo enarravi. Jam vale. ex Valleoleto. VII. Idus Junii, M D XXI.

EPIST.

EPIST. DCCXXIII.

Consolatio pro Marliano. de Adelantati jactura cum ignominia. Exosa Deo superbia.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

PRoh dolor! vita functum esse Marlianum nostrum Tudetensem Episcopum, qui tuæ dimidium erat animæ, dolore confectus gravi sum, quod orbata sit mundi facies tanto viro. Arbitror etiam, non tibi solum & è Curialibus multis, sed & ipsi Cæsari mortem illius jacturæ fore. Attamen cum ad id natus esset, ut reverteretur, ferendum est æquo animo. sequemur & nos. His ergo omissis, ad nostra veniamus. Galli civitatem Lucronii obsident, ut ajunt, & quatiunt tormentis. graviter hoc patiuntur gubernatores cæterique Castellani. Dum hæc ita fluctuant, bonus Villenæ Marchio suæ fidens factioni Toletum tetendit. Ivisse pœnituit. ejectus fuit à prædominantibus in populo. *nolle se potentes*, inquiunt, *in urbe sua.* Ejecta & fuerat prius progenies omnis à Sylva, cujus ipse fautor erat, eo quod & illi à Portugallensibus descendant, uti & Marchionis ipsius genus omne Pachiecorum, qui jam in Castella coaluerunt, ut in sylvis fluvialibus cuniculi. Tentavit post id Don Jacobus Cardenas, *Granata*, ut vulgo loquar, *Adelantatus*, inter Toletanos concordiam. Toletum ingressus est sub nomine Toletani civis, cum magna tamen equitum levis armaturæ caterva. fuit à pueris & insolenti populo disjectus, & spoliati ad unum; equis etiam raptatis, comites ejus. Ita misera civitas in rapacium potestatem redacta it in præceps. Magni alicujus mali prognosticon est, ubi sapientibus explosis, insipientes regunt. Scripsisti propediem conventibus Germanicis peractis, in Flandriam rediturum Cæsarem, & classem paraturum qua trajiciat ad nos. Quanto citius id evenerit, eo melius fore credito. Ex mora quippe nequeunt nisi crescere scandala pullulantia. Licet ex prostratu communitatum pacata omnia videntur, & quæque civitas ad gubernatores contra Gallos mittat sua impensa suppetias, animi tamen adhuc fervent ad novos motus, oblata qualicunque occasione prompti. Gubernatores jam Gallorum sequuntur vestigia. Differri non potest, quin hæc tonitrua suos pariant effectus. Non exspectaturos, neque Lucronium expugnaturos arbitramur. sunt valida peditum præsidia ejus mœnia tuentia. donec applicent se gubernatores, bene speramus. Sunt nostri equites ad millia tria, Gallis multo pauciores. peditatum habent Galli numerosiorem, sed nostro imparem; quia gregarii sunt sui, bellis exercitatissimi nostri & Hispani, qui Gallos, nisi Helvetios aut Germanos assequantur, superant virtute bellica. in his qui à Communitatibus sunt, non est tanta fiducia, Deus est autor pugnarum. Gallorum superbiam esse illi exosam, credendum est. Nostri autem Cæsaris humilitas & reverentia sacri, superum omnium in se favorem habet conciliatum. Est & alia ratio quæ spem salutis ostendit. Noscunt aperte Navarri, Gallorum Regem sibi, non pristini sui Regis filiis studere, uti promiserat. Re intellecta, labra mordent, hostilibus vivunt in Gallos animis. quod illis paulo ante placebat, nunc est odiosum. Vale. ex Valleoleto quo singulis horis ad nos cursores veniunt. Hem! exspecta parumper. Lucronii deseruerunt obsidionem Galli, è mœnibus fuerunt à scopetariis nostris male tractati. nostri gubernatores eorum sequuntur vestigia. Idibus Junii, MDXXI.

EPIST. DCCXXIV.

Litera à Rhodiis. Litera à magno Cancellario. Papa contra Gallum.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

A Nobis tuus, quem hic habes, familiaris scribet, ab exteris ego. Est Lorenzana vir egregius D. Joannis Rhodii Commendator Bambæ, Rhodii conventus in Hispania procurator, duas hic mihi Rhodias ostendit literas: à Vice-Magno magistro unas; ab ejus Senatus Cancellario alteras. omissis quæ ad particularia Ordinis pecuniaria negocia pertinent, quæ in rotante Fortunæ rota emergunt, hæc sunt. Scripsi ad te alias in Syria, Principem Mamalucorum quendam nomine *Gazellum*, ignavia novi Turcarum Principis fretum, audita genitoris ejus morte; quinque ac viginti bellatorum tum equitum, tum peditum millia, in eum à Peribassano, reliquis etiam veteranis ducibus, missa fuerunt. Is Gazellus à suismet derelictus, audito exercitus Turcarum adventu, veluti tetra nubes adventante Borea dissipatus est Gazelli exercitus. Ipse autem cum paucis ad Sophium Persam aufugit. Aperient ergo mentis oculos Christiani Principes. Irruent in nos, qua non putemus, nostræ Legis hostes immanes, impatientes ocii. Post hæc habui à Bruxellis literas à magno Cancellario: Cæsar in Flandriam regressus est. Properanter intendit negotiis rerum Flandricarum,

carum, quo expeditius ad nos tendere queat: posse tamen id nullo pacto fieri hoc anno, quod Rex Gallus totis viribus innitatur Cæsareæ Majestatis adventum in Hispaniam intercidere. *Magnos*, inquit, *esse Gallorum apparatus bellicos, sed Cæsaris majores auxiliantibus & Germanis & hæreditariis suis civitatibus.* De futura victoria contra Gallos, ita loquuntur, ac si eam jam in manu haberent, quia præsertim arbitrentur, Regem Anglum non defuturum Cæsari, si opus fuerit. Additur, Pontificem vertisse folium in Gallum Regem, quod insolentem sentiat esse maleque pacatum, non minus contra Pontificis ipsius res quam contra Cæsarem. Placuit etiam Pontifici favor præstitus Ecclesiæ contra hæreticum *Lutherum*, quem in Gallo Rege, licet nomine *Christianissimo*, non reperit. Venit ad Cæsarem una Rex Daccarum & Gottorum Orcadumque insularum, quem vulgus dicit *Dinamarcam*, properato cursu, cum intellexerit, Regem Gallum esse Cæsari sororio suo inimicum. suas offert ad unguem vires. Ducem exercitus Cæsarei se futurum offert, comitaturosque suam Majestatem quacunque ierit, equites traduxit non multos, peditum offert numerum quinquaginta millium. Virum ajunt esse procerum & decorum, vultuque miti & una Martiali, animo, sub benignitatis velamine, ingenti, præ se ferre Regis egregii autoritatem scribit. Ait una conventuros in Calesio Christianorum Principum oratores, quo deliberetur, an modus aliquis Concordiæ reperiri queat inter Cæsarem & Regem Christianissimum. Puto frustra. neque enim datur Christiano gregi posse frui pace Gallis incolumibus. Tanta est illorum superbia, ut quiescere vicinum quenquam nunquam sinant. Vale. ex Valleoleto. XVIII. Calendas Junii, MDXXI.

EPIST. DCCXXV.

Familiaris & amica Beltrani laus tam à dotibus naturæ & artis. quam à peritia linguæ Italicæ & Iurisprudentiæ, aliisque qualitatibus. Contra invidos.

P. M. A. M. Doctori Beltrano amico, Regio Senatori.

MUlta mihi dictant, ut amare observareque debeam personam tuam. Es à natura mitis & urbanus, ab arte ac vigiliis eruditus. Quis præterea in orbe Hispano elegantior te? quis aptior ad pertractanda magna negotia? Additur rationi ratio altera, quod Bononiæ meo natali vicinæ, tuæ præstantis juventutis annos in Legum ænigmatibus resolvendis, contriveris, quas ita imbibisti tibi, ut ex *Platonis* sententia in te sint *anima civitatis*: sicuti sunt gladius excorians in his, qui ut mechanicis artibus causa quæstus illis utuntur. Nec parum facit ad ingenii mei captandi laqueum, quod Italam ita scias linguam proferre, ac si apud Italos natus, nusquamque alibi vel mensem unum consumpseris. Missa tandem ista de te faciamus, quæ per se constant. Scripsit ad me jam binas literas Martinus Luppus Aguiniga meus à teneris, nunc jam vir meo supplicatu regius continuus, ut vulgo loquar, quem ilthic habeo ad negocia quædam, reperisse tuum erga me animum integerrimum, & mei visendi cupidum. Velles me vobiscum, quandoquidem contrita sunt jam vana vulgi cogitata. Dico nec potuisse, nec voluisse vos fugientes sequi. Apud vos furore populi concitatos nil profuissem, mihi autem incommodus impune fuissem & gratuito. Ingens atrium auratum Commendatoris Riberæ temporibus his procellosis inhabitavi; passerculis nutriendis & hortensibus oleribus ac odoratis herbis florentibus colendis, ex Reverendiss. Cardinalis imperio, intentus. Quantumque ex adventu Apostolici Nuncii, mea industria huc vocati, commodi evenerit, Triumviratus gubernatorum testificatur confessio. & per nuntios & per literas plures, utilem fuisse moram hanc meam fatentur. Hinc sedandi animum causam apprehendo. Morabor hic, quoad Gallica vos insolentia terruerit ancipites. Spero tamen cito fore ut transisse ad nostra pœniteat. Sed super hac mea sententia morandi inter delicias hortenses hoc tempore, rodant invidi, susurrent maledici, murmurent ociosi ad libitum quisque suum, & suæ naturæ succos amaros absorbeant ad saturitatem. Quo rabidius mordaces in me torquere sagittas intellexero, eo suavius ego mei conscius dormitabo. Tu vale. Valeant & illi, diversa tamen lance. Ex Valleoleto. X. Calendas Julii, MDXXI.

EPIST.

EPIST. DCCXXVI.

De prælio & victoria contra Gallos. Persequuntur Gallos nostri. Don Giron & Beltranus adoriuntur hostes. Quid pudor faciat. Prognosticon de belli eventu. Gubernatorum oratio consultrix contra hostes. Laus Hispanorum. decepti hostes. Magna dexteritas nostrorum. Oratio Almirantis. Oratio Comestabilis. OEconomus Comestabilis percussus. de Quixada decidente. de Duce Naiara. Capiuntur duces hostis. Litera Regis Galli. Promissa Regis.

P. M. A. M. Marchionibus Belleceensi & Mondeiaris.

SCio gubernatores ad Cæsarem, quæ acta sunt in Regno Navarræ scripsisse: propterea nunc ea vos habetote. Illico namque ad magni Cancellarii manus devenient. Condiscipulus vester Don Petrus Giron Urveniæ Comitatus & Don Beltranus à Cueva sororius ejus Alburcherchi Ducatus futuri hæredes, ne laude sua defraudentur, particularia quædam in hac messe accipiant. dum Galli tormentis Lucronium concuterent, scopetarii nostri præsidiarii è mœnibus Lucronii, multos in horas perimebant. ea de causa, quodque sentirent gubernatorum triumviratum, paulatim ad eos applicare se, provinciam inceptam Galli, hujus mensis die primo ac vigesimo deseruerunt, castraque ad sylvam Viennæ ad milliaria sex è Lucronio traduxerunt. hac re intellecta, gubernatores Lucronium se conferunt. Ad aliam dehinc sylvam, quæ dicitur *Regis hortus nostri*, Gallorum vestigia secuti sunt. mutato ex ea sylva Gallorum exercitu, nostri castra sua ibi locarunt. Eum locum repererunt fœtore cadaverum infectissimum. perierant ea in sylva multi ex hostibus, tum rerum egestate defecti, tum vulneribus acceptis in obsidione Lucronii, neque nostris copia suppetebat commeatuum. Quare coacti sunt milites afficere regnicolas mille molestiis, ex stipendiorum & rerum necessariarum carentia. Signis relictis vagabantur. in prædam omnia, nullo habito discrimine, trahebantur. neque templis, agrorum jam gregibus & armentis raptatis, ignoscebatur. Clamoribus æthera vicini replebant. Quid providere quirent, gubernatores nesciebant. neque stipendiis, neque frumentaria re militibus succurrebatur; cùm auxiliares civitatum & provinciarum copiæ nondum advenissent. In quartum inde diem Gallis retrocedentibus Pompelonem versus: & in campo dicto *Tevas* castrametantibus, nostri sylvam occuparunt Mendaviam, hostibus vicinam. conserere tamen neutri audebant. Dum in ea sylva morarentur, ecce ad nostros è civitatibus Bizcaja ac Lipuzca regionibus Cantabris, uti nostis, commeatuum & pecuniarum copia quædam, militum etiam novem millium numerus advenit: Cataphractorum & levis armaturæ equitum ad numerum duorum millium. die XXVI. itur ad sylvam, quæ dicitur *S. Maria regadio*. Inde ad aliam propius nomine *Segnora*. Inde jam statutum est ut egregii mittantur equites aliqui castra hostium exploratum. Hanc sibi provinciam dari petunt, quos dixi, vestri condiscipuli, Don Petrus Giron & Don Beltranus à Cueva sororius ejus, magnanimi juvenes ambo, cum parva manu equitum familiarium & clientum, peditum minore, ad hostium fere prospectum applicati, oculos Stellam oppidum versus dirigentes, ex oppido vident Gallorum cataphractorum cuneum exeuntem, ut suis ad exercitum conjungerentur. Uti ad visos tauros feræ tigres, ita ruunt in Gallos hi duo. Beltranus prior, commilitones suos secuturos putans, pauci accurrunt. circumsepitur Beltranus, in auxilium sororii Giron in medios hostes se conjicit. Inerme caput habebat Giron umbratili tantum pileo tectus, de cætero armatus, quia nil tale fuerant suspicati emersurum. circundatur & ipse. præ pudore desertores prorumpunt, servantur ambo: sed percussi ab hostibus, non acriter vulnerati tamen. hostes ad suos evaserunt, è suppellectilibus amissa parte. peremptum ajunt eo fuisse certamine levi primarium è Gallis quem exploratorum relatu ajunt ab exercitu fuisse deploratum. Hæc dederunt, hæc damus. Ad massam generalem revertamur. In campo Tevæ Galli (is locus est à Pompelone milliaria sex, dicunt leguas Hispani duas) ad Pontem Reginæ oppidum aliud nostri ab hostibus milliaria totidem, sistunt. Clanget Alecto feralis Tartari tubicina propere ad pugnam. partium alterutra cito languescet, deflebitque, utinam hostilis. stare nequeunt. laboratur egestate utrimque. Post hæc scripta, differente nuncio ituro ad vos, qui nullum habetis nunc apud gubernatores familiarem, uti solebatis vestrum: ecce nuncium de pugna, reque peracta cum Gallis ad unum prostratis. Quo acciderit ordine, accipite. Pridie Calendas Julii vocantur à gubernatoribus in consilium copiarum duces, quanta sit in exercitu rerum penuria quamve in deterius res labatur, quod Galli ex universo Regno in urbem Pompelonem rem frumentariam omnem cum præsidio valido congesserint, edicunt, alienum esse à ratione morari diutius, quoniam

quoniam vel tumultu militari confundentur omnia, vel pereant egestate milites proponunt. Nullo pacto manendum esse decernitur. Sed qualis futurus sit motus, tenditur in diversa consilia. Retrocedendum non esse, conventum est. Ad urbis ipsius Pompelonis obsidionem ajebant aliqui, quo lacessiti hostes ad pugnam prodire cogerentur è castris, quæ munierant itinere in medio. unde timendum esse ajebant alii; nec locandam esse rerum summam in tanto discrimine. Post longam suffragiorum exagitationem, statutum est, ut quid latura sit sors, experiantur. certamen esse quærendum sanxerunt. hac audita sententia milites, qui egestate pressi, tumultuarie passim stipendia & victui necessaria flagitabant, castra vocibus elatis replentes ajunt: *Nolumus stipendia, duces, nolumus, modo ad pugnam nos educatis. Ad pugnam, ad pugnam nos educite. Ibi vel stipendia inveniemus, aut pulchre pugnando vitam ærumnosam hanc finiemus. Satius est emori quam hic præ inedia tabescere.* Solent namque Hispani vestri parvifacere vitam, ubi aut prædæ, aut honoris adipiscendi refulserit spes. Castra igitur movent, non recta via tamen gradiendum statuunt, sed alia quæ duplo longior erat, ast lenior propter medii montis asperitatem, qui dicitur *de Reniega*, cujus fauces Galli angustas occupabant à Septentrione; patere nostris iter aliud nullum arbitrabantur hostes, inde læti se victoriam in manu habere credebant. votorum quippe, si Regula Martis valeret, compotes fuissent, si per eas angustias duxissent exercitum. per varios igitur anfractus, calonum lacertis, adjuvantibus etiam militibus, non exercitui solum, sed & impedimentis & machinis omnibus strata sunt itinera. passuum bene gnaros magistros secum habebant nostri. Traducunt tandem & hostibus nil tale suspicantibus, hora postmeridiana quarta, castra locare incipiunt nostri, in campo qui dicitur *Squiros*, qui locus est à Pompelone milliaria tria medius, ab hostibus totidem. ita quod jam magis obsessos nostri se reperirent quam obsidentes, cum à fronte exercitum hostium haberent, à tergo Pompelonem, ubi valida posita erant præsidia non contemnenda. Intellecto nostrorum stratagemate Galli, priusquam ab itineris languore & inedia sese reficiant adoriendos esse nostros censuerunt, prudenter quidem & à belli regula non alienum, sed aliter, uti video, statutum erat in divina providentia. Exeunt è castris hostes. Ad lassos quieti veniunt, saturi ad esurientes, ad fere inermes armati. Ex insperato apparent. Conclamatur à nostris ad arma. Nulla fuit cibi aut potus capiendi facultas. O mira dexteritas! O inaudita certandi cupiditas, & animorum magnitudo! Nullius egestatis memores, in ictu oculi ad sua quisque signa prosilierunt. Equites etiam lassos resumunt equos, vix effrenatos. Levis armaturæ præcedit agmen unum, cataphracti Galli ruunt animis paratis in illud. discerpitur nostrum, aufugitque. tormenta utrimque in adversos diriguntur. Potuisse nostros ea via, qua venerant, traduxisse machinas, arbitrati sunt nunquam hostes. Inde audito nostrorum tormentorum tonitru diffidere cœperunt, licet illis parum nostra offuerint tormenta. sua vero nostris intulerunt damna graviora, quia è loco aptiore. manipulum è nostris peditibus vis globorum hostilium deturbavit, retroque cedere coëgit. ordine tamen composito pedem retro ferebat. Ad trepidantem manipulum Almirantus cohorte regia relicta, cui, discurrens per ordines, Comestabilis ejus collega reliquerat curam, solutis habenis procurrit: *Quo tenditis milites*, inquit? *Hem pudor! Hem patria vestra perniciem! Nonne hi sunt Galli, quos Hispani prostrant quandocunque illos habent obvios? ubi vestrorum majorum animus? ubi vestrorum provincialium præclare gestorum memoria? faciem ad hostes, faciem, viri nobiles, non terga vertite. Pedes ego ipse vobiscum, ego pedes ero.* His dictis, calcaria tolli jubet, & ex equo velle descendere significavit. Vetuerunt ejus cunei duces, responderuntque se à pugna non discedere, ut deserant, sed ut retrorelicta sua tormenta & ipsi reducant ad pugnam, ne ita ignominiose ab hostium machinis dilacerentur. *Tormentis non opus esse*, inquit Almirantus, *ad manus jam devenisse negocium* ait. *manibus promptis jam, non tormentis rem indigere* conclamat. Fulmine velocius regrediuntur nostri. Ruunt ferocius in hostes quam terga verterant, furentium territi globorum sclopis, obvium hostilem manipulum discerpunt. Comestabilis interea per apertum discurrens campum, ex ordine in ordinem furore raptatus Martiali, sese validius Hectore gessit eo die, cum delectis equitibus vix quatuor & viginti, modo à dextris, à sinistris modo currens hos hortabatur, illos monebat, *Se Hispanos esse reminiscerentur, qui hac tempestate bellica gloria culmen sint assecuti, quam fœdum sit à vicinis & majoribus degenerare* prædicat. Hæc dicens inter confertos hostes se projicit. In magno discrimine, socii circumseptum viderunt. OEconomo suo ante oculos & lateri ejus proximo, tormenti hostilis globi ventus furens, femur percussit & equi illius partem anteriorem per aëra raptavit, decidit œconomus equo discerpto. Herus ejus Comestabilis & consocii

consocii extremum Vale dixerunt illi, mortuum arbitrantes. Surrexit attonitus. Equi sanguine ac cerebri minutis tota facies Comestabilis velut crasso imbre verno, irrorata deformis effecta est. partem & sordis illius Petrus Giron ex sorore Comestabilis nepos, suscepit, qui acriter & ipse pugnavit, ac vulneratus fuit. Nec ob id destitere à pugna, donec funditus hostes fuere strati. Duo Comestabilem cataphracti hostes percusserunt hastis in latus dextrum, ita lividum ad noctem cubicularii repererunt illi lacertum & è costis plærasque, ut carbone intinctas potuissent credere. OEconomo nomen est *Petrus Porres* proceræ staturæ juvenis facie decorus, mihi familiaris. Fuerunt & plærique alii ex eo comitatu vulnerati. nullus trucidatus. percussores autem in frusta secti, suæ magnanimæ temeritatis pœnas luerunt. Secundus vero cuneus peditum, qui à Communitatibus fuerat missus, sive quod adhuc labes illa vigeat in animis eorum, sive quod minime hostium facies alias viderint, ad hostium prospectum aufugit partim, perstiterunt tamen immobiles ejus cunei duces, cum paucis delectis, quorum dux erat Don Jacobus Enrriquez Almirantis affinis vir bello egregius. disjecit & hic objectum sibi cuneum. Tertio peditum ordini præerat validus ille hastilusor Gutterius Quixada nobilis eques, Villæ Garciæ dominus. Certamine singulari concurrunt præeuntes agmina gradientia ordinis hostilis objecti ductor Germanus quidam & noster Quixada. Transfixo gutture, primo ictu peremit hostem Quixada. A Germani ducis commilitonibus cum hastis longis raptatus Quixada, tollitur in altum sublimis. Inter suos decidit Quixada semianimis. Thoracis tegmen in mille frusta pertusum, dilaceratum est. Thorax autem ejus tali erat arte temperatus, ut nullis ictibus transverberari potuerit. Surgit ilico, semiattonitus tamen, animum præstat suis. *Victoriam, victoriam in manu esse*, proclamat. stringunt nostri hostium pectoribus pectora. fit cædes inaudita. terga dat hostilis ille cuneus. parvo in spacio circiter septingenti trucidantur. Cataphracti vero Galli, solito gentis impetu, nostros adoriuntur. primo obvios perturbant. Erat aciei primæ ductor Dux Naiaræ, una cum Comestabili Navarræ sororio suo Viamontesiæ factionis capite, cum cataphractis ducentum, in eam aciem globi hostiles dirigebantur. propterea latuerunt aliquandiu sub præsentis collis latere. vim tormentorum vitantes, sed cum incolis ejusdem alio declivo generosa Gallorum acies animosa, regiam insidere cohortem conspexerunt, cataphractorum circiter sexcentum, veluti rupem immobilem exspectantem, obstupuere omnes, stetereque parumper. dehinc cohorte ad illos movente rapuerunt fugam. circumsepiuntur undique miseri, qui vix numero erant centum octoginta. veluti aquæ cyathus in magnum aliquod pelagus projectus, absorpti sunt. Disperguntur, trucidantur vel capiuntur ad unum. Peditatus vero illorum, nostro numerosior tripartitus, à tripartito nostro dissipatus est ab omni parte. Totius Gallorum exercitus imperator dominus Asparrosus & proprætor ab illo primus dominus Tornoy capiuntur. Cæteris neci superstitibus, quibus fortuna belli pepercit, ignotum est. nulli hostium qui disjectis armis veniam petierit, vim intulere victores. immo & præter primarios paucos, libere soluti sunt omnes, dataque opera est ut vulnerati curentur. tanta est in vestris Hispanis Romana illa magnanimitas insita, ut nesciant in victos sævire, cum sunt ipsi victoriæ cupidiores cæteris gentibus. Almirantis gubernatoris vidi literas, quibus testatur, eo congressu fuisse trucidatos ad millia quinque hostium, nostris autem vix quinquaginta, & vi tormentorum, non virtute virili discerptos majori ex parte. Ex eorum ducis primarii Asparrosi scriniis literæ repertæ, manifeste fatentur, *Christianissimum Regem ipsum herum suum, à quo missi sunt, suo, non Regis Ioannis filiorum nomine, rem gerere; placuisseque sibi*, Christianissimus Rex in literis ait, *impetum factum intra Castellæ fines, supplementaque se propediem cum pecuniarum ingenti copia missurum* pollicetur. laudatque summopere *oppugnationem Lucronii*, fore ut expugnarent existimans. Valete jam. conqueri solebatis, quod brevis essem in scribendo; nunc quod nimium prolixus fuerim, dicturos vos arbitror. Illa si brevia cum his longis compensaveritis, nil reperitis, cur mihi succensere debeatis. Iterum valete. tertio die post victoriam, id est. VI. nonarum Julii, M D XXI.

EPIST. DCCXXVII.

Redimitur Navarræ Regnum à Gallis occupatum. In Toletanos provisio.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

SCio, gubernatores vobis enunciasse successus Navarrenses, & quid animi Christianissimus Rex habuerit in ea expeditione, per suas literas in scriniis domini Asparrosi generalis ejus ducis repertas. propterea ne laborem sumam irritum, conticebo. quæ demum successerunt, accipito. In quintum à

prostratu Gallorum diem, Triumviratus hic noster gubernatorius Pompelonem ingressus est. Inclusi nulla spésuppetiarum relicta, Castellum dediderunt. Præsidiarii vero ea nocte, qua socios intellexerunt debellatos, fugam rapuerunt: exspectare lucem non sunt ausi, ne obsiderentur. Deditur & Regnum universum, duabus arcibus exceptis, quarum una, quæ *Maia* dicitur, in Pyrenæorum verticibus sita est, in radice alterius lateris Septentrionalis à Gallia spectat, altera *S. Ioannis Peda portus* nomine. Gubernatores autem per Petrum Saocolam Regium à secretis, cujus opera solius ad res bellicas pertractandas utuntur, ad populos totius Regni literas exaratas dederunt, quibus universa rei series exponitur, hortantes, ut Deo, qui est victoriarum dominus, gratiæ agantur. Sed mella hæc & sacchareos panes deturbat nobis una fœmina. Donna Maria Pachiecha, nostri Marchionis Mondeiaris, qui Granatense Regnum in fide retinet, soror in sua perstat pervicacia; famam quærit sua dementia. Toletum sustinet in priore proposito, nec mariti jugulo, nec Juncterorum aliorum exilio, aut Gallorum profligatu, perterrita, desistit ab incepto. Sicariorum & procacium petulantium multitudine fulta persistit. In Asparrosi etiam scriniis ajunt repertas esse ab ea & consortibus seditiosis epistolas suasivas, ad adventum Gallorum. Marchioni fratri displicet hæc sororis opinio. Incusare illam per nuncios, perque crebras literas nunquam destitit, profuit nihil. demersa est. neque ut emergere unquam possit vita superstite speratur. per amatam cubicularem ejus ancillam patefactum ajunt, *dæmonem* illam habere *familiarem*, quem consulat. Don Antonio Zuniga S. Joannis Priori à vobis facto imperatur, ut obsidionem stringat in Toletanos, tollatque inclusis commeatuum vias, ut inedia consumpti sese dedant, luantque tanti facinoris pœnas debitas. Est à mœnibus ejus urbis parum distans cœnobium *de la Sisla* dictum, in eo castrametatur Prior, indeque cives incursionibus perpetuis & commerciorum interceptu fatigat. Ad gubernatores tamen scripsit, Toletanorum animos esse dispositos ad eorum jussa capessenda. Valeat excellentia tua ex Valdoleto. VI. Calendas Augusti, MDXXI.

EPIST. DCCXXVIII.

Negat Cardinalis autori accessum ad Curiam.

P. M. A. M. Adriano Trajectino Romano Cardinali, Dertosensi gubernatori.

DOnec habui Doctorem Mansum inquisitionis hæreseos judicem, Metrapolitanæ Granatensis Ecclesiæ Decanum, cujus & ego sum Prior, harum popularium procellarum consocium, æquo tuli animo solitudinem hanc. Nunc autem, quandoquidem tua Reverendiss. Dom. jussit illum accersiri, quid me jam diutius hic patitur morari? Revocer & ego jam tandem, cui esse in oppido amplissimo & auratis atriis est par solitudini sylvestri, abesse à curia. Scripsi crebro alias, sed paucis ante diebus unas per Luppum familiarem meum, cui anno superiore uti puero plaudebat tua Reverendiss. Dom. ut parentes isti civitati Lucronii vicinos viseret, illi fueram impartitus veniam: hoc mandato præbito, ut regrediens sacras ejus manus oscularetur meo nomine. Responsum attulit benignissimum, revocativum minime. quod mihi molestum fuit, quia grave mihi est carere tanto tempore hilari commercio tuæ Reverendiss. Dom. cui me totum tradidi, ex quo Loaniæ tantum Decanus se contulit in Hispaniam, Cæsaris, adhuc solum Principis, Orator. Hac me suspensione liberet, oro. Valeat feliciter Vestra Reverendissima Dominatio, cui me commendo. ex Valleoleto, ubi moror invitus. XII. Calendas Augusti, MDXXI.

§. Inter Morales.

EPIST. DCCXXIX.

Expugnatum oppidum S. Ioannis Pede portus. Conquestus Cardinalis de curis jocatur. pulchra comparatio. Iocatur cum Martyre.

P. M. A. M. Doctori Augrediensi Reverendissimi Dertosensis Medico & Consiliario.

HAbui per Luppum meum familiarem tuas una cum literis Reverendissimi: cujus jussu, ut ait, ad me scribis, virili nostrorum fortitudine scalis appositis expugnatum *S. Ioannis Pede portus* Castellum, quod præsidio tenebat Janicotus quidam Vascus Cantaber, Regio nostro stipendio altus diu; sed audito Gallorum adventu cum sicariis plærisque

plærisque ad Gallos transfugisse, quod proditionis tantæ suspendio, dehinc dimembratione luerit pœnas, est dedisse meritum suo facinori præmium, & deterruisse alios sui generis vagos milites eo exemplo. Tanta tamen est Gallorum insolentia, & perturbandi vicinos omnes cupiditas, ut supervacaneum sit, quietem exspectare, nisi domi quærantur, nisi uti Romani Carthaginem, ita nos Galliam impetierimus; de Pace desperandum est. In epistolæ tuæ calce, ut me soleris, ais arbitrari te, quod à Reverendiss. revocer per literas quas ad me dedit, per meum familiarem. ejus epistolæ capito exemplar, ut videas quam fallaris, & suæ Reverendiss. Dominationi persuadeto, ut me vocet, quandoquidem socium mihi abstulit Doct. Mansum, qui solitudinem hanc meam solabatur. & vale capeque de verbo ad verbum Reverendiss. heri nostri literas, quo intelligas, quam eleganter & quam à proposito nostro dissonum scripserit. in Calend. Augusti, M D XXI.

Petro Martyri Cardinalis Dertosensis.

§. VEnerande Dn. Martyr amice, Binas literas tuas his diebus elapsis accepi, quarum priores Luppulus iste tuus, seu, ut tu dicis, Luppus integer, quia barbatus, attulit, Doct. Mansus alteras. Utrisque vero satis indicas, tibi molestam esse à curia nostra absentiam: proindeque petis, ut vel ad tuum viridarium ipse me conferam, vel te ad nos accersam. utinam mihi liceret vel has meas spinas, quæ animum meum perpetuo sic pungunt, ut quiescere nunquam sinant, cum tuis suavissimis oleribus commutare. idque hac lege, ut si unquam commutationis me pœniteret, non solum in asperiora spineta, sed etiam in pistrinum, aut, nescio quid deterius conjiceret: vel daretur ab his absoluto molestiis, pro curialibus lautitiis, cum eo Martyre ab eo satis holeribus vesci. Sed quantum video, neutrum horum meo Martyri placuerit, sed ita me secum aut se mecum esse desiderat, ut tamen crucem hanc meam seu Martyrium nequaquam ego deponam, immo ut rem, cujus ipse nomen possidet, ego sentiam atque teneam. Quod an satis amici sit animi, Martyr ipse judicet. quandoquidem tamen ita Deo placet, ut hæc moles & is fascis humeris insideat meis, necesse est patienter feram, ne alioqui mihi martyrium duplicetur. Quod vero ad tuum huc adventum attinet, meo judicio consulte facies, si perstes isthic, quoad vel istuc accedamus, vel istis regionibus magis appropinquamus. quorum alterum brevi credo fiet. Luppulum istum tuum Luppum esse factum, quid mirum, cum Martyres adeo facile in confessores & è confessoribus rursus in Martyres, immo quod majus est, Agni in Lupos & quidem rapacissimos, quotidie transmutantur, quanquam è Lupis in agnos non perinde facilis est reditus, nisi operante illo Agno immaculato. Vale, felix mi Martyr, cujus hortensibus deliciis & passerculorum concentibus magis invideo, quam miserear solitudine. holera sic fovere ac rigare cura, ne nobis istuc euntibus emarcuerint. ex Lucronio. XXVIII. Julii. in calce vero subscripsit: *V. Pater, Amicus. A. Cardinalis Dertosensis.*

En habes, Doctor Agredensis, quæ modo rescripserit. An sit revocatio ad vos, aut Imperium ut sistam, tu videto. Scripseram alias multo prius, ne me ultra pateretur ocio marcescere, licet nunquam deest, quid aut legam aut scribam; ocium tamen est mihi male tolerabile sine vobis & reliquis curialibus, licet hortenses delitiæ concinentiumque passerculorum harmoniæ nescio quid suave pariant; nauseam tamen nimium familiaria inducunt: quid autem mihi responderit, & quam alienum à meis postulatis, intelligito. Accipe una responsum superioris ejus epistolæ, quod illi porriges meo nomine. Unde Mercurius eris inter Jovem summum & mortalium, non Deorum, imum. & vale. ex Valleoleto, M D XXI.

Epist. DCCXXX.

Respondens Autor sibi gratulatur de Cardinalis Hadriani literis. Comparatio. Argumenta. Divinatio.

P. M. A. M. Cardinali Dertosensi.

QUa fuerim delectatione repletus, quando per Luppulum, jam Luppum vidi Reverendissimæ Dominationis tuæ literas, nequeo promere, quod in talibus tantisque rerum angustiis tempus repererit confessor Pontifex ad exiguum simplicem confessorem nomine *Martyrem* scribendi. Intimi est amoris ac veri argumentum. Innatæ suæ benignitati adscribendum humanos applausus, quibus mecum utebantur passim. Nunc aperte cognosco calorem istum amorosum eundem esse, qui jacet in præcordiis, quem vultus professus est. Ærumnas mihi describit suas. Ærumnas quippe judico esse, noscoque. Inter scopulos & ambesas rupes fluctuare miserum est. Sed hi sunt rotæ rotantis Fortunæ fructus. Altam arborem quatiunt venti ac sternunt, eruuntque radicitus tiphones, humiles juncos prætereunt. Magnis

magna creduntur, magna quæ sunt, ponderant. omne pondus est humeris grave. quodcunque grave querulum est. quod igitur conqueratur V. Reverendiss. Dominatio, non miror. A natura tamen & immensa Dei beneficentia Reverendissimæ Dominationi tuæ in rebus magnis, si quæ sunt in humanis res magnæ, præstitam video tantam animi fortitudinem, ut facile didicerit, per undosas istas procellas, suam navim dirigere, ne dehiscat. Velim meis postulatis aliter responderi, licet sui reditus ad nos spem præbeat; languesco tamen, veritus, ne Gallica pervicacia, tot calamitatum susceptarum memor, quærendo vindictam in partem aliquam transiliat, quare detineamini. Non audeo longius scribere. Ergo valeat feliciter tua Reverendissima Dominatio, cui me humiliter commendo. ex Valleoleto. nonis Augusti, MDXXI.

EPIST. DCCXXXI.

Suasiva. De studiis senectutis. Ad fascias eunt senes.

P. M. A. M. Georgio Varacaldo Regio à Secretis.

DAtum est mihi tuum ex Turdesillis epistolium, placuit. puerascere te, inquis Græce, quod jam senescas. Infantesco ego vergens ad decrepitam, si tu puerascis. quo enim quisque declinatius ad metam tendit ultimam, eo pronior ad fascias, id est, ad nuper nascentium turmas. Perbelle præteritam egimus æstatem, in qua plusquam civilibus simultatibus omnia ferbuerunt. Tu Græcis ænigmatibus ad linguæ Latinæ ornatum enodandis & colligendis; ego nostrorum temporum Fortunæ ludibriis & Principum cruentis nugis, & una delitiis hortensibus ac coloquintidarum cavillis ad umbracula texenda complicandis, molestiarum senectutis levamen, intentus. Beatam ergo nos ambo viximus vitam, hoc pusillo temporis, ab avaritia & ambitione, peculiaribus regiarum pestibus semoti. Amemus nos igitur alterne, & aliquando revisamus, quandoquidem satis vicini sumus. nulla est amoris vinculo Libertas liberior, neque suavius, quam eorum, qui literas amant, commercium. Vale. strenuo isti genitori tuo Reginalis Prætorii cohortis præfecto da salutes meo nomine. ex Valleoleto. VIII. Idus Augusti, MDXXI.

EPIST. DCCXXXII.

Copia Cæsaris quanta. unde causa belli. Transfugium Roberti. Conquestus Cæsaris. Excusatio Galli. Proditio Roberti contra fratrem. Pœna proditoris. Copia Gallica.

P. M. A. M. Marchionibus.

EX Flandria literas habemus, particulares ego à Jeronymo Cabanilla prætoriæ cohortis præfecto amico intimo. Magnos scribit esse utrimque paratos exercitus, ad agros horride cruentandos. propterea oppidum hoc solennes instituit supplicationes, pro pace, si paci locus est cum Gallis. Ad equorum millia decem, peditum vero triginta millium amplius constare ait Cæsareum exercitum, Germanorumque majori ex parte. Belgicæ urbes & oppida, injuriarum in suum Principem illatarum à Gallis, memores, pecuniis juvant. Nec Germania crumenas claudit. Unde initium hæc nova simultas sumpserit, cognoscite. Sunt in Germania & Ducatu Lucemburgensi fratres duo, Liegiensis episcopus unus, Robertus de la Marchia dominus alter, stipendiis se censuit Gallicis uterque diu. Ad se traxit utrumque Cæsar. usus in eos est ampla beneficentia. Episcopo namque Valentinum Hispanum tribuit Archiepiscopatum. Alteri non defuit, quid condonaretur. postea vero quam in Aquisgrania Cæsar coronatus Wormatiam concessit Robertus de la Marchia veniam petiit à Cæsare visendi patriam. Paucos post inde dies, renunciatum est, Robertum ad Gallos transfugisse. Mox in ipsamet Parisiensi civitate Galliæ capite non contemnendum comparavit exercitum. An id Christianissimi Regis Gallorum voluntate ac pecuniis, necne, locus ipse & agentis potentia citentur: locus Parisius, potestas Roberto nulla vel exigua. Movit exercitum, tubis ac tympanis vocantibus publice milites. Se iturum in dominum de Triverios adversarium præconatus est, cum quo lis fuerat super uno oppido, in Senatu Cæsareo tractata, lataque fuerat sententia contra Robertum, domino de Triverios relicto, sævivit lepus cum lepore certans, in leonis septa, consocio lepore relicto. Repentino saltu salivit Robertus in Ducatum Lucemburgensem & insperata obsidione circumsepsit oppidum Cæsareum nomine *Vericon*, cum summa Cæsaris inobservantia, & deditiorum ejus jactura, circumvicina depopulando. Fuit inde cum ignominia & damno rejectus, tria ibi tormentaria vasa fugiens reli-

quit

quit amissa. His intellectis, Cæsar servandorum fœderum cum Christianissimo Rege cupidus, Oratores misit ad Christianissimum & Illustrissimum etiam Anglum Reges. conquestus est, quod ruptis fœderibus favorem & auxilium Roberto Christianissimus Rex præstiterit. Christianissimum Regem hortatur ac monet, ut Robertum deserat reduceréque jubeat copias in sui contumeliam & subditorum suorum incommoda perductas, sin minus, violata putat esse per eum fœdera. Et Cæsari & Anglo Regi respondit Gallus; Roberto se nulla præstitisse auxilia. Robertum in dominum de Triverios audivit arma captasse, quod ei oppidum *Hierses* detineat usurpatum. imperaturum tamen se Roberto sub Regiæ suæ benevolentiæ perdendæ pœna, ut provinciam deserat. fecitque Rex Christianissimus edici per fines suos, ne subditorum suorum quisquam Roberto faveat aut illius stipendio censeatur. In arcanis aliter cogitasse suspicatum est. Roberti frater Liegiensis Episcopus de Cæsare bene meritus, & suæ M. obæratus, in fratrem Robertum insultantem arma miserat, in Cæsaris favorem. Vericoni obsidione relicta, se obtemperare velle Christianissimo Regi dissimulans Robertus retrocessit: & una noctium Liegiam, fratris civitatem cum civium quorundam assensu & consilio adortus est. proditione detecta è conjuratis in decem animadversum est, ex alto ponte in flumen saxis in collum alligatis, triginta vero truncato capite pœnas luerunt. tercentum sunt exilio perpetuo mulctati. In Robertum insolentem Comes Nasauti, vir egregius bello, cum armatorum ingenti copia, mittitur. tria illius oppida hæreditaria demolivit, in quorum uno, *Florangies* dicto, Roberti filium, una cum castello, habuit Nasautus in deditionem. his actis, in Lucemburgensi Ducatu fixit pedem Nasautus, cum peditibus decem millibus, equitibus tribus millibus. opposuit Christianissimus Gallus exercitum triginta millium bellatorum, tum ut Roberto faveret, tum ut fines Gallicos defenderet, intra tamen suos fines continebatur. his intellectis Cæsar adauxit exercitum ad eum, quem supra diximus, numerum. væ alterutris! utinam hostibus Cæsaris, id væ, quandoquidem sunt inquieti atque ita bellorum cupidi. Valete interea & pro victoria, quandoquidem Concordiæ non est locus. vestras cogite Virgines, ut orationibus fatigent Superos. ex Valleoleto. III. Idus Augusti, MDXXI.

EPIST. DCCXXXIII.

Mediolani fulgur. Mira ruina.

P. M. A. M. Marchionibus.

VIx domo abierat superior epistola, quando ad nos perlatum est, licet sero, portentum accidisse Mediolani, quale raro legimus contigisse. III. Calendas Julii, Beatorum Petri & Pauli profesto, Galli arcis ejus ingentis præsidiarii, tormentarii pulveris ex armamentario eduxerant cados octoginta mittendos ad suos milites, à nostro exercitu intra Parmam obsessos. In arcis vestibulo cadi jacebant, currum quo deveherentur, exspectantes. ecce de cælo tonantis iram adventantem! ex insperato sub aëre fere sereno fulgur demittitur horrendum. eo fragore crepituque, turris Homagia, cui suberant, à fundamentis exilivit & discerpta est ac in mille minuta per aëra rotando deportata. Universum eo reverberatu concussum est Castellum. Duo arcis arcanæ præfecti una cum primi aditus Castelli præfecto aderant. primo noctis crepusculo obruit omnes atque una milites octingentos ea strages; horologica Campana, militum appellatrix ad conventum, in ejus turris vertice posita erat. ad milliaria quinque raptatam à fulguris impetu repererunt. In Castelli prima fronte marmorea erant Francisci Sfortiæ primi Ducis Mediolani stemmata, portæ infixa, cui adhærebat B. Ambrosii, ejus urbis patroni, marmorea & ipsa ingens imago; labe illa cessante, reperta sunt indemnia integraque, utraque jacentia in platea ipsa opposita Castello, quæ jam erat herbida. quid sibi velint hæc prodigia, Gallis, ut arbitror, minitantia boni judicent. pridie Idus Augusti, MDXXI.

EPIST. DCCXXXIV.

Fœdus cum Anglo. Quis pro Gallo. Querela Cæsaris. Laus Cæsaris.

P. M. A. M. Marchionibus.

AB exteris originales habetote meas; habemus datas Bruxellis literas à Cæsare die decima mensis hujus. Arma parantur in Gallum perturbatorem. Fœdus cum Anglo Rege quæritur per Oratores, à Leone Pontifice Cæsareque petit idem Gallus Rex. In oppidum Calesium conveniant. Adstat pro suo Rege Cardinalis Anglus, auditurus Pontificis ac Cæsaris & Christianissimi alternatas querelas, quo illas posthæc suo Regi referat,

cuinam suppetias ferre debeat ex fœdere icto, ut Rex Anglus ei parti adhæreat, quæ pactis steterit, si altera fœdus ictum violaverit. Nomina nunc Oratorum habetote, donec quid egerint, ad me scribatur. An pacis modus aliquis inter Cæsarem & Gallum Regem possit reperiri, tractabitur. A Leone Pontifice maximo erit Calesii *Hieronymus Ginutius* Senensis, Episcopus Asculanus, Rotæ auditor, nuncius Apostolicus; pro Cæsare *Mercurinus à Gatinera*, Juris utriusque Doctor, eques ex dominis Arborii, Baro Ozani & Terriculæ, Cæsareus magnus Cancellarius: pro Christianissimo Rege Francorum *Antonius de Prato* Juris utriusque Doctor, Eques, Comes Vallistolinæ. In eo conventu uti ad me scripsit Magnus Cancellarius, Cæsar conqueritur, Gallum Regem ruptis fœderibus undique sine ulla præbita causa Cæsarem infestasse. rationesque dicet; cur Rex Anglus debeat contra Gallum ferre suppetias. è contra Gallus priorem inquiet Cæsarem rupisse, petetque suppetias illas sibi deberi. quid concludetur, suo loco habebitis. Ex Italia vero scribitur, triremes quasdam Papales nostrasque defectionem Genuæ tentasse, sed frustra. Fragosa namque factio nunc ejus urbis domina ejectis Adornis re intellecta obstitit. Ajunt etiam Cardinalem Sedunensem Helvetium & Barri Ducem Maximiliani Ducis Mediolani fratrem, qui sese Gallis dedidit, Mediolanum versus tendere. est Civitas ipsa jugo jam Gallorum satura ob imposita petitaque nova tributa. revolutio hinc aliqua nascetur; quia præcipue Pontifex jam insolentia Gallorum fastiditus, qui omne genus hominum despiciunt, nostri Cæsaris benignitatem & mansuetudinem fovere jam statuit. De Rege vero Cæsare ajunt, qui ab eo veniunt, *barbatum jam esse*, *virilemque ac decentem vultum cum majestate gravissima præ se ferre.* Nec mirum quidem, cum à quarto & vigesimo Februarii die quo natus est, annum agat primum & vigesimum. licet Austriæ illa familia sero soleat maturescere, *virilem* tamen *animum in ætate juvenili* nostro *Cæsari inesse* prædicant, qui apud eum versantur in internis. Valete. longius alias ad vos scribam. nunc satis ex Valleoleto, ubi adhuc ex gubernatorum consilio, sed præcipue Cardinalis, invitus moror. Idibus Augusti, M D XXI.

EPIST. DCCXXXV.

De hostilibus Gallorum cœptis. Oratio Galli oratoris ad Electores. Oratio Cæsaris. Maguntini oratio. Laus Infantis. Libere jam imperat Cæsar. Papa contra Gallum. Copia tormentorum Hispanici exercitus.

P. M. A. M. Marchionibus.

LIcet Rex Gallus interceperit itinera, publiceque jam indixerit inimicitias, evadunt aliqui tamen: paucorum dierum intervallo duos habemus tabellarios. Ne Cæsar in Italiam proficiscatur, totis viribus innititur Rex Gallus, subornare pro viribus etiam cum pecuniarum summa conatur Electores, ut infensos Cæsari reddat. Misisse ajunt illum ad Electores primo *Credentiales* literas. Mox ad aurem per Oratores allocutus singulos, publice autem apud eos hæc tractari jussit per Oratorem. quos ita compellavit: Christianissimo hero meo renunciatum est, Serenissimum Romanorum Regem apud vos fuisse conquestum, quod Robertum de la Marchia Ducemque Gueldriæ contra suam Majestatem excitaverit, quodque in Regno Navarræ miserit exercitum. Se Roberto aut Duci Gueldriæ suppetias tulisse negat; quod exercitum in Navarra miserit, sed id jure fecisse ex pacto cum voluntate Cæsaris contractis fœderibus cum domino de Xevres magno Cæsaris Camerario & cum Magno Cancellario Cæsaris nomine. Ait herum suum Christianissimum, Cæsari præbiturum, quascunque suppetias velit, modo in Italiam proficiscatur inermis, uti Sigismundum & Federicum ejus prædecessores fecisse constat: si autem armatus Italiam ingredi curaverit, obstiturum se, quia id fieri non possit sine totius Italiæ suaque perturbatione & incommodo particulari ob Ducatum Mediolani cæterosque sibi amicos. His ad Cæsarem delatis, Electores convocat, quæcunque Orator Gallus dixerit, falsa esse proponit, in testes ipsosmet citat, quod nil horum Cæsar apud eos egerit; eosdem esse prioribus similes dolos Gallorum ait. non licuisse Navarram impetere per contracta fœdera ostendit, pauperesque illos Gueldrensem & Robertum sua sponte quæ fecerint, facere non potuisse. addit injurias veteres in suam Austriæ familiam per Gallorum Reges illatas esse innumeras ab æterno; itinera rupta, suosque nobiles deprehensos infra Galliarum terminos, priusquam essent moniti, esse captos. persuasos reliquit Cæsar Electores, & statutum est, ut

illæ

illæ peditum viginti millium copiæ Cæsari ad tertiam coronationem Romam ituro præbendæ, in Gallum Regem dentur. vocatusque fuit ab Electoribus in concilium orator Gallus, qui jam commeatum à Cæsare postulaverat; & per Archiepiscopum Maguntinum eorum nomine, his verbis egerunt cum oratore Gallo: *Nos magnopere piget ac tadet, vestrum Regem Christianissimum ita pervicaci animo persistere in antiqua suorum majorum sententia, ut perturbare perpetuo publice ac latenter nostri Cæsaris res velit: pacem inter eos cuperemus; sed quandoquidem pacis estis inimici, vestro Regi renunciate, Germanos suo Regi deesse non posse.* His actis, Gallus orator discessit, jussitque Cæsar oratorem suum, qui erat apud Christianissimum Regem, accepta bona venia, regredi ad se. Restant igitur apertæ inimicitiæ. De Infante nostro Fernando, qui Austriæ relictus est gubernator, mira referuntur, quod prudens & magnanimitate clarus, indies exspectatur in Cæsarea curia. Austria quæ fervebat & ipsa popularibus seditionibus, ejus industria & studio pacata est. Pullulántia inter hortenses utiles herbas nociva papavera, superbos dico potentes, dicitur abscidisse, restituisseque veteres ab eis ejectos Senatores, novosque ab his electos ejecisse. Magnum est Cæsari curarum levamen frater is, ad Regnorum molestias tolerandas. Rocandolfus primarius quidam erat Infanti gratissimus. solent ex Principum sæpe benignitate insolescere domestici necessarii. persuadentem sibi magis quam familiari conveniat, abjecit Rocandolfum ab se. Fuit exemplo cæteris ne sibi plus arrogent autoritatis quam Principi placeat velle tribuere. Cæsarem una inquiunt post Capri obitum esse alium ab eo qui tunc erat. videbatur sub ejus ferula (ut ipsemet Cæsar aliquando fassus est) fascinatus. dormitabat in Cæsare vis naturæ, neque vel cogitare quicquam audebat illo inconsulto. Nunc vero liber imperat, neque potis est quisquam divertere à voluntate sua, si aliquid emergit, priores abjicit à se arcanorum participes, à seipso audit respondetque graviter ac prudentissime. *Hispanam intelligere* Cæsarem ajunt *linguam, & promere ac si natus altusque esset in Hispania.* Compellat & Germanos, magnam de se spem præbet. Magni cubicularii locum à Capri obitu nemini adhuc assignavit. Ierunt ex Lucemburgo ad Cæsarem exercituum duces per equos dispositos properanter Comes Nausati, & dominus de Isselstain ac dominus de Usanera, accepto à Cæsare mandato quid agendum sit, redituri. Sequetur illos Cæsar & generalis imperatoris Imperator ipse officio fungetur, uti scribitur. per diversa Christianissimum Regem adorientur. hæc de Cæsare. Ab Italia scribitur, Neapolitanum nostrum exercitum Pontificio annexum, movisse in Gallos ad Mediolani Ducatum, ab annis triginta infortunatissimum, quod perpetuis fuerit exercitibus concussus. Hispanorum ajunt esse millia sex. Helvetiorum totidem quos Pontifex stipendiarios habebat, præ timore Hispanorum vagantium ex insula Gervensi dimissorum. Parvo se putant negocio pulsuros Gallos, quod peditatu careant, coactusque sit Rex Christianissimus ex cataphractis præsidiariis educere Mediolano tercentum ob urgentes necessitates in suis confinibus contra Cæsarem. Non est exigua in Hispanis atque Italis militibus qui Cæsarem sequuntur spes. Missa & sunt ad me ducum exercitus Cæsarei nomina, & quot quisque sit præfectus equorum, sed quum præter Albæ Ducem futurum Hispanorum sub Imperatore imperatorem, & Fonsecam ejus subprætorem ac Don Ugum à Moncada, Comitemque Cariati Italorum ductores futuros, neminem noscatis, irritum hunc laborem à me tollam. De impedimentis autem & vasis tormentariis incredibilis est quæ scribitur copia, quinque ac viginti supra centum vasa majora ex his quæ *Canones* & *Colubrinas* appellant. Minora vero centum quinquaginta. Vidi literas alias quibus peditatus numerus augetur. Millium ajunt bellatorum quinquaginta quinque è Germanis urbibus ac Belgicis oppidis præter Italos ac Hispanos stipendiarios quorum numerus non asseritur. Hæc ita fervent. stant jam castris opposita castra. alterne se remordent. Igne ferroque ac prædis undique laboratur ægerrime. gravida hæc tetra nubila, cum horrendis arbitror grandinibus, suos effectus exonerabunt. Jam saturos vos tanta prolixitate arbitror fore, quando hanc epistolam legeritis. Famelicos aliquando reddam, cum nullam dedero. Valete. ex Valleoleto. XVI. Calendas Septembris, M D XXI.

EPIST. DCCXXXVI.

Conquestus Cæsaris. Laborant Genua. De Venetis & Gallis. Litera Cæsaris ad gubernatores.

P. M. A. M. Marchionibus.

MAri ac terris imperat Cæsar, ut in Gallos eatur, publiceque per præcones edictum est. Conqueritur Rex Cæsar, quod Gallus pullulantia foverit scandala in Hispania, quod ab omni parte insperato in Cæsaris regnis turbas excitaverit. Scabiem hanc à Gallis tantopere quæsitam, arbitror Hispanos

nos Gallo ſcalpturos ad acrimoniam uſque, Oceano præcipue Cantabrico, cui ſunt montani finitimi adeo familiares ac miti lacunæ. In Urbe vero pro victoria in Gallos lætitiæ ſigna excitata ſunt. Ab ea ruber galerus, Cæſaris rogatu miſſus eſt ad Legienſem Epiſcopum. Habemus etiam Genuenſibus eſſe ſublatam commeatuum copiam per noſtras & Pontificias triremes, laborareque urbem illam inedia. Sunt & Neapolitanæ noſtræ copiæ in Parmenſi agro à Mediolano millia ſexaginta. Proregem taxat Pontifex, quod inerter ac deſidioſe conjunxerit ſe. qua mora putatur datam eſſe Gallis materiam reficiendi ſuas vires. Pontifex, quo pecunias ad bellum alendum cogeret, atrium ingens & magiſtratum S. Georgii vendidit. Is obiit Neapoli. Venetis minatur Pontifex in eos ruiturum ſe, ſi Gallis adhæſerint. Galli è contra inſtant, ut faveant cauſæ Gallicæ, idem in Helvetiis. ab utriſque ſtimulantur magnis promiſſis. ſunt volubiles. putamus illis adhæſuros qui apertiore manu prodierint. Veneti, loco Leonardi Loredani principis eorum vita functi, Hieronymum Grimanum Grimani Cardinalis genitorem, nonagenario majorem, ſuffecerunt. Ferrariæ Ducem & Mantuæ Marchionem noſtrarum eſſe partium ajunt. Turci in Ungarum inſiliunt cum potenti exercitu. Cardinalis Anglus eſt apud Cæſarem, quid tractet, neſcimus. Rex Gallus Cardinalibus abſtulit quoſcúnque cenſus Gallicos & Mediolanenſes. Gallus Rex mercatores Italos omnes qui Legionenſes nundinas frequentabant, ſpoliavit. Idem in Gallos Romæ Pontifex. Scripſit Cæſar alias literas ad gubernatores ac Naiaræ Ducem Proregem Navarræ, bellicam eorum virtutem & felicitatem contra Gallos laudans imperatque, ut captis redditibus Regiis exercitus ſuſtineatur, & nullo pacto ſolvatur, utque Galliam impetant, quacunque fieri poterit. Valete. XII. Calendas Septembris, MDXXI.

EPIST. DCCXXXVII.

Toletum ægrotat. De rabie Gallorum. De rebus Valentiæ. Copiæ Marchionis. Oriola in prædam data. Miſeranda ſtrages.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

PAucis ante diebus gubernatores ex urbe Pompelone & Lucronio Burgos conceſſerunt, huc venturi, uti ad me ſcribit Reverendiſſimus Purpuratus Dertoſenſis, ſuadens, ut exſpectem. Madritum ajunt profecturos ad res Toletanas, quæ non minus ægrotant quam die primo. Seditionem fovente Donna Maria Pachieca Padillæ jugulati uxore. pedem figunt Burgis impræſentiarum, ſuper hoſpitiorum ſolutione avare graviterque tractantur. ſed vereor ne potius cogantur referre pedem ad fines Gallorum quam ulterius procedere. Rumores namque deferuntur, inniti in oppidum Fontis rabidæ noſtrum, in Gallia tamen ultra Pyrenæos ſitum, explere ſuam rabiem optant, de ſtrage illata in regno Navarræ, regnoque de faucibus eorum eruto. vereor ne tempus anni & montium horridorum interjacentium anguſtiæ ſint noſtris impedimento, ne ſubſidium ferre queant obſeſſis, ſi tentaverint obſidionem Galli. licet Lipuzcani, quorum res agitur, ſperent ſe obſtituros. ambigimus tamen, ſi ſtrinxerint negotium, eventus loquetur. Ex Valentia vero miſeranda referuntur. Procerum terras popularis furor invadit ac ſternit. Gandiam oppidum Ducale validum, plæraque etiam alia dederunt in prædam. Crudelius atque petulantius quam Turcæ quirent, in potentes vulgus armatum ſævit. Marchio Bellecenſis contra Valentinos eſt in campo, cum equitibus ſexcentis, peditibus quater mille. Eſt illi comes affinis ejus novus Marchio Helchienſis Adelantati Granatæ filius, magni Comeſtabilis gener, juvenis & ipſe pollens animo. ſui Marchionatus tituli oppidum Helchie adierunt, quia & ipſum una cum Valentia calces in dominum concuſſerit. ſuburbium ejus oppidi denudatum eſt ſupellectilibus. domibus eſt ignotum. ſeditioſi ſunt exilio mulctati, ſupplicio paucis affectis. Inde compoſitis ordinibus Oriolam urbem regni Valentiæ ditionariam in temporalibus, Pontificiis ac Regiis edictis parere recuſantem, ut in ſpiritualibus Carthaginenſi ſubderentur Epiſcopatui, adierunt. Atroci pugna, nobilibus faventibus, & Don Petro Maza illorum gubernatore disjectis & inobſervanter tractatis, certatum eſt. ceciderunt ex Orioleſibus non pauci, victi ſunt. data eſt urbs florentiſſima in prædam, à vicinis & affinibus. quæ in ſummum magnæ Caſtellæ dedecus minitari audebat aliquando Carthagini ſuæ altrici, ac Murciæ regni capiti. Miſerando raptu deleta eſt. neque in pariete clavum, neque in ſolo ſcabellum, illis Murciani reliquere. ita infelix civitas inſolentia populari labefactata, ruinam perpeſſa eſt. Audio te iturum propediem Caleſium, ut ſi qua inveniatur ad Concordiam via, experiamini. ſi quæ agentur, mihi renunciaveris, placebit. Ex Valleoleto. Calendis Septembris, MDXXI.

EPIST. DCCXXXVIII.

De Magni Cancellarii literis. Luit pœnas Gallus. Copia Cæsaris. Veneti cum Gallo.

P. M. A. M. ad Fernandum à Vega magnum Castellæ commendatarium.

EST magnus Cæsaris Cancellarius tibi amicus, mihi vero conterraneus. Inde quas ad me scripserit ex Calesio, navis Caleto, literas habeto, quam elegantes & succo plenæ sint, cognosce. sunt in responsum mearum, quas ad illum post exstinctas populares faces miseram. Ipsum audi resonantem.

§. *TAmetsi multorum literis ad nos perlatum sit de parta adversus rebelles Hispanos victoria, quamque præsens numen rebus istis assulserit, tamen neque ingratum fuit per literas tuas idem cognoscere, tum quod non dubium judicium, erga Cæsarem nostrum, de constanti & nihil ejusmodi aura populari labefactato animo tuo, dedere: tum quod de tua salute ac statu (quod nobis semper audire gratum est) intelleximus. Cæterum, postquam tantopere Cæsaris nostri genium extollis, felicitatemque admiraris, quod sola nominis umbra seditiosos subditos perdiderit, miror quod non & hoc ad tantum felicitatis cumulum addideris, quod Cæsar noster eo maxime tempore illius insperata victoria, compos fuerit, quo multo majus imminens & jam præsens periculum è cervicibus Hispaniæ depellendum fuit, ut Gallus potentissimus alioquin hostis, qui tanquam ex insidiis fortissimos Hispanos civili & periculosissimo bello occupatos invaserat, tantumque tam repente profecerat, tam audacis & perfidiosi facti pœnas luerit meritas. Quamobrem ætas, mihi crede, nulla erit, quæ tanta rei memoriam obliturare possit. Referrem & quam in his partibus prospero cursu Cæsaris res processerint, nisi vererer epistolæ modum excedere. Hoc tamen habeto, Gallum qui brevissimo tempore crediderat hunc adolescentem ad Monarchiam natum contundere, eo nunc statu esse, ut semidesperatis rebus nihil aliud quam pacem imploret. eam demum concedemus, cum talem nancisci pacem poterimus, ut sine molestia in pace vivamus. Nos hic in Belgis sub signis habemus ad triginta millia peditum, equitum autem decem. In Italia quoque communibus Rom. Pontificis auspiciis, opulentissimum habemus exercitum, qui jam intra fines Ducatus erant Mediolanensis in Parma obsidione. Helvetios quorum fœdere potissimum hostes exultabant, ab eis non solum magna parte distraximus, sed majorem eorum numerum nobis conjunximus. Et dum hæc scribo, res jam ad belli fervorem spectabat, ut vel Galli cederent Italia, vel cum nostris acie congrederentur. Gallis se Venetorum copia junxerunt, nescimus quo consilio, si præsertim pugna decertandum erit. Nam si vicerimus, quemadmodum belli regula pene promittere videtur, uno tempore de Gallis & Venetis actum erit. Hæc sunt in causa, quare Cæsar non tantum ad vos suum adventum maturaverit. dabitur opera, ut rebus quoquomodo in his partibus stabilitis, primo tempore Cæsar vobiscum sit, quem torquet optatæ provinciæ desiderium, ex qua velut ex certa officina, vera sua gloria ac amplitudinis instrumenta depromturus est. Tu vale, sciasque nos quocunque tempore fore tui memores. Hæc ad te scripsi, quo magis attestatam facerem meam apud te benevolentiam. quid hic agamus, Philippus noster à Secretis tibi deditissimus, ut me implicitum liberet ab eo labore, meo jussu tibi late significabit.* Vale. datis Calesii. xx. Septembris, MDXXI.

EPIST. DCCXXXIX.

Nomina Oratorum Caleti. Oratio legati Apostolici. Oratio Magni Cancellarii. Oratio Galli Oratoris. Valida rationes. Verba Galli Oratoris impudica. Quid Anglus Cardinalis. Vira rationes contra Gallum. Derisio in Gallum. Occasio quæsita. Quantum servent promissa Galli.

P. M. A. M. Marchionibus.

MIsi ad vos literarum exemplar quas habui à Magno Cancellario ex Calesio, mavultis Caleto. Quæ acta sunt in eo conventu, nunc habetote. Pro Pontifice Leone X. affuit Hieronymus Ginutius rotæ auditor Apostolicæ, Senensis vir eruditus, Episcopus Asculanus. Pro Cæsare Mercurinus noster à Gattinera Magnus Cancellarius Cæsaris. Pro Christianissimo Gallorum Rege Antonius de Prato, Magnus & ipse Galliarum Cancellarius. Adstitit Cardinalis Anglus pro Serenissimo Rege Angliæ hero suo, auditurus, quid partes velint. Petunt namque Pontifex & Cæsar, ut Anglus Rex auxilio sit ipsis contra Gallum, quod fœderum fuerit violator; idem Gallus in Cæsarem, aitque primo Cæsarem contraivisse. Referet Cardinalis, quæ quisque postulet, & quibus rationibus utrique innixi id petant. Quinque sessionibus rem pertractarunt. suppetiæ nondum sunt cuiquam aperte promissæ. Particulariter nunc auditæ, quæ ipsorum quisque in medium produxerit. Requisitus à Cardinali ejus conventus principe pro suo Rege, nuncius Apostolicus, ut judicium dicat suum de Pace tractanda sic disseruit: *Scio sanctissimum D.N. Leonem Pontificem admissurum quascunque Pacis conditiones quæ admitti possint: Nulla est mihi præbita potestas alia. Vos videritis, quid*

agendum sit. Illo tacente, Cæsareus sic exorsus est: *Serenißimus Imperator herus meus, licet juvenis, cum gravitate senili à bellorum motibus inter Christianos abhorret; cuperet maternorum avorum exemplo in hostes fidei arma exercere. Angitur vehementer intercidi à Christianißimo Gallorum Rege sua cogitata. primo Roberto de la Marchia favente Cæsareo Vasallo, & auxiliis talibus adjuvante, ut ausus fuerit Cæsareos fines impetere, uti latro nocturnus, luit ille pœnas tanti facinoris, Castellis ejus per Cæsarea præsidia demolitis. Abstinuit Cæsar à bello in Christianißimum gerendo, licet aperte constaret, exercitum eum, ejus voluntate coactum, immo & pecuniis, ne occasionem idem Rex Gallus sumeret conquerendi, quod Cæsar non staret promißis.* Ad conquestus Cæsaris Christianissimus Rex, excusationes innectens negativas, *se id non patrasse contra Cæsarem, neque Roberto tulisse auxilia*; noluit annuere, quod Senerissimus Rex Angliæ de Pace componenda judex esset, neque ut illius autoritate controversiæ componerentur. Quid vero Rex Christianissimus in subornando Hispanorum animos & subditos in suam Majestatem concitando egerit, in regnum Navarræ irruens ex insperato per suos exercitus & Castellæ fines aggrediendo, notissimum est. quid rei successisset, nisi virtus & sana fides Hispanorum erga suum Regem ivisset obviam, & Gallorum exercitum ad meritas suæ infidæ temeritatis pœnas luendas adegisset. erat equidem Gallus exercitus ad interniciem tractus, si placuisset Hispanorum nobilium magnanimitati, qua moti pepercerunt omnibus, quibus fortuna belli ignovit. Hac strage intellecta, depressus animo Rex Gallus, quod prius præ superbia recusaverat, optare se significavit, ut scilicet Serenissimi Regis Angli manu ageretur de Pace. Cæsar vero solitam Christianissimi Regis insidiam noscens, qui præter ea, quæ diximus, Neapolim Siciliamque, contractis quacunque via potuit Principum fœderibus, seducere conatus est. per deprehensas literas patent ejus adversa cogitata. His igitur ponderatis, Cæsareæ dignitati nequaquam convenit aures ad concordiam aperire, nisi prius de tot injuriis vindictam sumat. Est & alius huic rei obex fortissimus, ne quicquam agi queat. Est Cæsar summa devinctus Pontifici observantia. inconsulto igitur Pontifice nil potest annuere. In mandatis nil afferimus collegæ mei & ego à Cæsare aliud, quam de violatis fœderibus mentionem facere, petereque à Serenissimo Rege Angliæ, ut nobis in Gallos violatores promissas suppetias ferat. Ad hæc Orator Gallus ait: *Supervacaneum igitur erit de Concordia tractare, si à Pontifice hic, à Cæsare ille, nullum habent annuendi de Concordia mandatum.* dixitque fronte perfricata; *Esse alienum à vero, quæcunque nomine Cæsaris dicta sint.* Arguit è converso, *Cæsarem*, inquiens, *primo fœdera violasse, quod neque matrimonii cum Christianißimi Regis filia pacta servaverit, neque debita centum millium ducatorum pro Regno Neapolitano persolverit, neque fidejußiones de illis persolvendis præstiterit; quod hostibus Christianißimi faverit, quod ejus dominia invaserit*, & hinc multa. de illatis autem in Cæsarem injuriis à Magno Cancellario recitatis; neque Roberto favisse, neque auxilia præstitisse, aut alteri cuiquam. Si Regi Navarræ præstiterit suppetias, id jure fecisse, quod ita fuerit in Noviodunensi fœdere à Magno Cæsaris Camerario Dn. de Xeures & ejus collega Magno Cancellario assensum, unde ait, *Serenißimum Regem Angliæ suppetias jure merito debere Christianißimo suo Regi contra Cæsarem præbere.* Ad hæc Cæsareus: *Quæ nota sunt, probatione non indigent. A documentis, à deprehensis literis, à rebus gestis, ab ipsius demum Christianißimi Regis verbis, viva voce prolatis, palam patent, quæ diximus, ostendemusque, rebus exigentibus.* Cardinalis Anglus Concordiæ viam quæritans, ne Rex ejus quietissimus in suo Regno, bellorum perturbationibus se implicet, *artes quæri ad Pacem debere* hortatus est. ut brevibus absolvam, nil est actum, in illis multorum dierum conventibus & colloquiis. Cæsareus Galli Oratoris propositiones confutavit omnes, quod Roberto non sint auxilia lata, bonorum remittit judicio, qui noscant Roberti facultates, an potens ille fuerit per se exercitum integrum cogere, quo tanta temeritate stimulatus, ea auderet quæ ausus est; locus etiam ubi copias illas convocavit, loquatur. Parisiis namque cerebro, medulla & vertice totius Galliæ, cum tympanorum & tubarum reboatu, Magnificus Orator Gallus, qui à vero dicit, nostra esse aliena, interrogetur, an ea fieri possent ignorante Rege suo. De Gueldriæ Duce insolenter & ipso calces excutiente idem, qui à seipso neque panem assequitur ad rem familiarem. De centum autem millibus ducatis pro Regno Neapolitano, fuisse Cæsarem defraudatum: pecunias, quæcunque superioribus annis expositæ fuerunt, jure merito debere restitui argumentatus est, cum liberum ei Regnum avus Catholicus Rex reliquerit, fueritque à Summo Pontifice omni jure, si quod jus habebat Rex Christianissimus, privatus. præterea nonne quando Germanam affinem suam Catholico Regi Fernando dedit uxorem se omni jure, si quod erat, spoliavit? renunciavitque Juri, liti & causæ, quid in hoc petat

petat Orator Gallus, percunctatur. Cancellarius de Regno Navarræ minime licuisse id facere probavit, quia in disceptatione Montis-Pesulani conclusum fuit, potuisse Regem Catholicum illud Regnum adipisci, illoque successorem ejus libere potiri. adduxit præterea rationes evidentes super querela superioritatis & Resorti Flandriæ ac Arthesii, dicens, quod jam diu Cæsaris prædecessores detraxerant à Gallica potentia illorum statuum observantiam, ob legitimas causas. Mirari se, inquit Magnus Cæsaris Cancellarius, cur audeat Orator Gallus de re hujusmodi facere de Cæsare mentionem, quum res hæc neque fuerit à solis Flandriæ Comitibus assensa, quanto minus ab ipso jam Imperatore, cui Principes debent omnes obtemperantiam, nullique statuum, quos assequatur quomodolibet superioritatem fateri oportere. De matrimonio autem deridendo, sic respondit Oratori Gallo; *verum esse*, ait, *Dominum de Xevres & Magnum Cancellarium vita functos promisisse pro Cæsare adhuc puero matrimonii vinculum cum Ludovica Christianissimi Regis filia, sed quod post obitum illius quæ obiit, quænam fabula sit dicere, quod illa deficiente, nubat Carolus cum ea, quæ adhuc erat in utero*, percunctatur. *quid rei si marem peperisset? an debebat Cæsar marem ducere?* Arguebat etiam Orator Gallus Cæsarem, quem dicebat fœdera violasse, quod Roberto debacchante per Cæsareas terras, dixerit iratus Cæsar; *Quid rei hoc est?* ergo hac via fœdera rupta intelliguntur. Cæsar ait; *Se ea verba non propterea protulisse, ut sibi animo sederet velle fœdera violare. Regem vero Gallum*, ait Cæsar, *occasionem inde libenter sumpsisse, cum esset cupidus belligerandi*, Regemque ipsum insiliisse, tanquam eum qui victoriam se in manu habere arbitrabatur, in hæc verba prorumpens: *bellum mihi Cæsar indicit & inimicitias; eja ergo admitto illius belli indictionem. ad arma veniendum est igitur*, & super hoc fundamento levi, sumpsisse causas invadendi quascunque Cæsaris pacem optantis terras ab omni parte. Ita cum se alterne diu Oratores incusaverint, minatique sunt ruinam alterne, conticuerunt, discessuri infecta re. Pontificis vero nuncius, licet pauca interseverit colloquia, prono suffragio tamen in habendo Angli Regis favore erga Cæsarem visus est pendere. Multa sunt media quæ in illis conventibus quinque intercesserunt. hæc est tamen medulla rerum. Ad suos quisque Principes nil magis onustus negociis regressus est, quam ad rem venerit. utram sit partem Rex Anglus suo subsidio secuturus, in divina latet providentia. Allegata partium ad suum Regem retulit Cardinalis. arbitramur, Cæsareas partes amplexurum multis de causis, quod sint sanguine ita conjuncti, per Angliæ Reginam Cæsaris materteram, quod ipsorum uterque cogitet, se suosque majores à Gallis fuisse deceptos, & injuriis affectos sæpenumero, quodque Rex Anglus magis speret à Cæsare gratitudinem animi fidemque recepturum, quam à Gallis quos experti sunt vicini omnes esse præbitæ fidei ac fœderum observatores, quanto tempore videant sibi expedire. Vos valete. jam longo nimis arbitror vos meo sermone fatigasse. nonis Octobris, M D XXI.

EPIST. DCCXL.

Male Gallis succedit. Tres exercitus contra Gallos.

P. M. A. M. Marchionibus.

DE rebus bellicis in Insubria & Mediolani Ducatu alias vobis aperui. procedit res in Gallorum jacturam. Parma relicta, ne hyems adventans urgeat, exercitum ex consilio & favore Cardinalis Medices, Pontificis patruelis, qui adest exercitui, instatque progressum Laudensem, à Mediolano distantem milliaria viginti, civitatem adorti sunt nostri. Federicum Gonzagam Bozani dominum, Venetarum copiarum, quorundam peditum præcipue præfectum, qui præsidio tenebat civitatem illam, profligarunt nostri, dederuntque miseram innocentem civitatem militibus in prædam. Mediolanum versus his actis tendit exercitus noster, non imparatos reperient nostri Gallos, quod jam diu intellexerint, Papales & Imperiales ac Florentinas vires uno fœdere movisse ad se, Leutrechus Galliæ primas Mediolani est pro suo Rege gubernator. Spem rei bene gerendæ nostri susceperunt, quod Leutrechum sentiant odio haberi à civibus ob superbiam. hoc ferunt. hoc refero. quæ succedent, alias. Idibus Octobris, M D XXI.

EPIST. DCCXLI.

Quatitur Fons Rabia. Latinastri. Quomodo exierint nostri præsidiarii. Dedunt se Valentini. Corpora Catholicorum Regum transportantur. De pluviis. de Mirandulano. A Motu & Lumine an regantur sublunaria. Argumenta valida.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

A Nobis quæ fata metantur, habetote. Circiter Calendas Octobris Galli præ rabie ob acceptam in regno Navarræ profligati

exercitus jacturam, quatere tormentis nostram cœpere urbeculam in Pyrenæorum sitam radicibus, qua Galliam spectant, *Fontem Rabiam* accentu longo in penultima, taxant Latinastri, dicique debere *Fontem Rabidum* argumentantur. Volo intelligi reipsa, volunt illi Latinari, de re nil curantes. in hoc ergo discursu *Fontem Rabiam* semper nuncupabo. nec raro arbitror ad calamum veniet, quia hæc ignominia non relinquetur inulta. magno constabit utrisque; capta enim est, sed quo pacto, referamus. Audita illius obsidione, gubernatores quo propiores essent, Victoriam intra Pyrenæos montes, in uberi valle *Allaba* nuncupata, super edito jugo positam urbem, concesserunt, non ausuros exspectare Gallos arbitrati sunt, sed quum exercitum post profligatos Gallos in Navarra nervis belli pecuniis deficientibus, dissolvissent, quodque hyems ingrueret, transitum vetante montium asperitate, auxilia ferre nequiverunt. Dedita est tandem urbecula ab æterno furoris Gallici, ne intra fines Hispanos ruerent, ager invictus. Rabiei fontem, ab effectu sui nominis, per universam sparsit Hispaniam. Militibus est data libertas, ut armati ac protentis vexillis agmine composito per hostium castra exeant. oppidanis vero manendi vel abeundi relictum est arbitrium. Provinciales Lipuzcani (Lipuzca namque vulgo Cantabrica sic appellatur ea provincia, cujus erat membrum Fons Rabia) contra oppidi præfectum Diecum à Vera dentibus frendent; oppidani ad gubernatores graves tulerunt de illo conquestus. quod sese dediderit, neque strenui militis neque ducis egregii virtutem exercuisse, vocibus in cælum elatis, nec sine lachrymis, reboant, vicinorum ac propinquorum præsentem, & generalem illius provinciæ ac suam calamitatem futuram, quam habent ante oculos, ingemiscunt. Inde namque jure merito perpetuas formidant Gallorum incursiones. E contra præfectus, in eos desidiose necessarias ac promissas tulisse suppetias arguit, queriturque victui necessaria ac pulverem tormentarium ac globos in hostes jaculandos, ac multa præterea, quæ ad tantam vim repellendam faciebant, defuisse; quibus culpa sit impingenda, dijudicent alii. hoc unum scio, præfectum ipsum, qui mihi notus est intus & in cute, Terentiano milite glorioso gloriosiorem esse, nec ad militum animos alliciendos satis prudens. Ad Sancti Sebastiani oppidum portuosum se contulerunt milites evasi. sub Don Beltrano à Cueva Ducis Alburcherchi è filiis pluribus, Ducatus hæres præfecto militabit, præsidia ibi valida locabuntur, quæ fines ab incursionibus tueantur. pax ultra cum Gallis non est exspectanda. De hac rabie satis. Ad sapidas transeamus escas. Procaces Valentini qui Regnum illud exagitabant, subdidere colla jugo. Tormentaria vasa, cæteraque armorum ac telorum genera, Prorege Don Dieco Mendocio tradiderunt. Ex urbe Granata quali decuit pompa, Concapitulares mei & urbis ipsius magistratus Catholicorum Regum ex arce Alhambra, ubi deposita jacebant corpora, illa deportarunt ad Regium eorum tumulum die Novembris decimo. Metropolitano contiguum est illud regale sacellum, in perpetuam eorum sedem structum magnifice. Ad cælos parumper adscendamus à terrestribus. Quid ego sentiam de pluviis in initio anni quarti & vigesimi prædictis ab Astronomis interrogas. veras fore conjunctiones illas omnium planetarum & iisdem locis scio, in materiis præcipue dispositis & particularibus regionibus aliquid magni parituras arbitror. Sed neque ausim eorum sententias approbare, qui ore aperto absolute fore alluvies ita generales vaticinantur, ut neque mari aut ulli terrarum parti sit ignoscendum, quin horrenda sint incommoda perpessuræ, uti plærique adstipulantur. Saturnus, Jupiter, Venus, & Mercurius, Lunaque superveniens, sunt ad has perturbationes aquosas excitandas apti. nonne Sol, Luna & Mars siccitatis & caloris autores aderunt? huic additur rationi præterea, quod quum Saturnus tunc in sui epicycli auge: Jupiter autem in sui epicycli opposito augis, sint futuri, ob distantiam altitudinis, & si non longitudinis, minorem habebunt ad eos effectus commovendos potestatem, sed neque viro etiam illi heroi nostræ tempestatis principi literatorum, Joanni Pico Mirandulano penitus assentio, qui astrorum penitus negat potestatem in elementis, multis innixus autoritatibus, multaque adducens in medium exempla, de nostrorum temporum Astronomis judiciariis, in mendacibus nugis sæpe deprehensis ingentes pluvias prædicendo, cum eo tempore serenos cælum vultus ostenderit, & è converso tranquillam aëris regionem promittendo, quando gravibus nimbis & procellosis turbinibus postea cœlum & terra quatiebantur: concluditque *à Motu & Lumine cuncta hæc inferiora gubernari.* Id ego non inficior; unde tamen Motus & Lumen proveniant, ab eo velim intelligere. Motus & Luminis autores dare necesse est, & à primis rerum primordiis naturæ oportet à prima causa hæc ministeria, uti cætera quæ ad corruptionem & generationem rerum omnium faciunt, naturæ præscripta fuisse. per

se

se Motus & Lumen, sine peregrino fomento, meo judicio parvo negocio deperirent. Magnam ergo syderibus ego potestatem effectivam tribuo, in Conjunctionibus hujusmodi præcipue. Astronomis vero, quod eorum arcana possint adeo ad unguem, uti sibi posse persuadent, intelligere, tolli posse dijudico. Sit satis evagatum per cælorum semitas ignotas hominibus. Et vale. ex Valleoleto. Idibus Novembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLII.

Autoris cupido eundi ad Cardinalem.

P.M.A.M. Vianesio Albergato Nuncio Apostolico apud gubernatores.

PEr plures nuncios & literas, ut Reverendissimus noster Purpuratus gubernatorii Triumviratus princeps, ad vos me revocet, oravi. Respondit, quoties meas habuit, *expedire ut maneam.* Inter hos plebejos fluctus in magno discrimine versor, licet alas confractas habeant, dentibus tamen frendent in eos, qui suis consiliis adversabantur. Operam dato, ut liceat venire ad vos. Sunt mihi auratæ aulæ, magalibus incultis persimiles, extra Principum & magnorum virorum commercia. Per incertam præterea famam audio habuisse te nescio quid ab Italia de rebus Mediolanensibus & Gallicis, erit gratissimum intelligere abs te, quid rei sit. Vale ac me filiali solito amore prosequere. Ex Valledoleto. Idibus Novembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLIII.

Facetum responsum. Nova ab Italia.

Vianesius Protonotario Petro Martyri Regio Senatori.

OPtime Martyr, quæ te Fortuna quietum solicitat? suadetque, ut tuis relictis studiis, quibus nostra illustras tempora, quæ apud nos gerantur, curares? quid fiat, percunctaris. *Estur, potatur, luditur, dormitur, mentitur; publica oblivioni traduntur.* En septem verbis, quid agatur, expressi, & satis abunde quidem: de te vero quoties mentio fit, ridet ac delectatur, qui te amat, noster Dertosensis Cardinalis. idem & Ovettensis antistes, qui regii Senatus habenas moderatur, tibi amicus. Delector & ego, tibique, quod optimo in loco, ornatissimo in atrio quiescas, invidemus, procul ab annonæ caritate, ab horrendisque montanis frigoribus, quibus urgemur, fere obsessi, ob itinera corrupta propter alluvies, adeo ut nulla commeatuum copia ad nos queat importari. obruuntur cœno venire ad nos tentantia sarcinaria jumenta, quorum jam sunt referti cadaveribus campi. Tu ergo si cupis insanire, ad nos venito. Videbis quam cito tui te pœnitebit consilii. Ego vero me cum Livio delector, & cum nostri me tædet seculi, legendo in illius quasi vivo temporibus. Sic honesto in ocio meum prætervolat ævum. De rebus Italicis hoc est referendum. Tabellarium in horas exspectamus & soliciti vivimus, quid Fortuna statuerit, audire cupientes. Carbonellus cursorum magister ex urbe appulsus est Barchinonam. Is ad me longam dedit epistolam. Quæ ad negocia pertinent, prætermitto. De rebus Mediolanensibus caput insertum habeto. Audi loquentem ipsum. *Cum adscendere navim curarem, secundos exspectans ventos, in civitate veteri, perlatum est, rumore sparso per oppidum,* Mediolanum, *Gallis profligatis, in nostrorum esse potestate.* hæc ille idiomate Hispano, tu à me Latine: Quando quid particularius habuerimus, id habebis. Vale & in me amando te tui similem præsta. Ex urbe Victoria. v. nonas Novembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLIV.

Autoris obsequium. Fortuna aucupium.

P. M. A. M. Eidem Vianesio Nuncio.

HAbui tuas literas, quibus ut maneam, suades. licet moleste feram, quod absim à vobis, tuo tamen consilio, & purpurati nostri Dertosensis jussui parebo, quoad ex placida genitrice in novercam conversa, res nostras in melius Fortuna converterit. Quæ post concessam nobis de Gallis victoriam, in Navarra quo cæna illa mellita in fellitum & cicuteum desineret marginem, amissa urbecula nostra Fonterabia, vafrum id fuit Fortunæ aucupium, ne unquam sub ejus capturæ occasione, Gallus & Hispanus de pace queant cogitare. Proh! quot vulnera? proh! quot internicies parantur? Nitetur Hispanus suum recuperare vetus municipium, ad impetus Gallorum reprimendos antemurale validissimum. Sustinere Gallus raptatum conabitur. Concurretur utrimque frendentibus populis. Galli jacturæ ingentis acceptæ in regno Navarræ obliti, hanc nostram alapam exiguam magnifacient, quod festuca nobis in oculis se putant hac via servaturos.

Deus bene vertat. Vale. ex Valledoleto. IV. Calendas Decembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLV.

Ubi moretur Autor. Comparatio.

P.M.A.M. Fernando à Vega Magno Castellæ Commendatario.

QUæ apud vos agantur in Fortunæ rota rotante, vellem per tuas intelligere: uti per alienas mihi significantur. De me autem hæc habeto, in insigni oppido & auratis Commendatarii Riberæ atriis, nostro Dertosensi Cardinali jubente, vobis errantibus, pedem fixi. Videor tamen in incultis mapalibus & horrendo secessu vitam agere. Quam difficile ac durum sit in curiis educato & senefacto, sine Curialium commercio vivere, à te ipso conjecturam facito, qui ad suaves Creusam ac natos, illis etiam dulciores filias plures, inter grata vireta ædesque magnificas ac tuas, ex Divorum favore diverteras, blandimenta isthæc omnia vitamque tranquillam rejecisti, vocatus à Marte ad infestos labores & urgentes ærumnas, per casas humiles alienas, vagus pererrans. Sentio quæ scribam. Vobiscum mallem deserto in nemore versari, quam solitudinem hanc ferre. Jussit Dertosensis noster, per plures suas, ne de motu cogitem, donec vestra classis procellosis agitata ventis portum capiat. Pareo, licet invitus, saluti & commodo meo consulentibus. Tu vale interea, & me solito debitoque amore prosequere. Ex Valleoleto. IV. Calendas Decembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLVI.

De abbatia Aronæ. Quanta sit vis patriæ. de Onocrotalis. Ferrerii crudeles. Cardinalis Himbrea. Invectiva in Ferrerios. Cardinalis Eticus.

P. M. A. M. Joanni Ruffo Archiepiscopo Cusentino.

TE meas habuisse, sed raras, inquis, crebras ego scripsi. vel temporum injuria fuerunt interceptæ aut vagantur. Quod abbatiæ S. Gratiani illustris oppidi Aronæ Verbani lacus portus & specularіæ turris, tantopere titulum cupiam, ne mireris. quanta sit soli natalis vis, non te latet. In eo sum oppido, utero gestatus aliunde, natus & altus à teneris, ubi avitum genus meum Anglerienſe possessiones & domos habebat ac prædia. Dum puer essem, vidi locum illum, divino cultu splendentem. A legatione mea Veneta, mox Babylonica, patriam visens, illius templi jacentis ruinam, & divini cultus explosi calamitatem deploravi, exsecratusque sum tantæ impietatis voraces autores onocrotalos, qui neglectis Deo & cœlitibus omnibus, templum jacere dirutum & divinum locum porcorum cortem factum patiantur. In cujus crudelitatis avaræ vindictam, è multis ejus familiæ Ferreriæ, Mediolani inquilinæ, fratribus jam quatuor intempestiva morte obierunt, peribuntque citra senectam superstites, Cardinalis Hipporrigensis, vulgo Himbrea per ambitum evectus, & frater ejus Vercellensis episcopus, qui direptionis ejus remedio non magis consulunt quam priores eorum fratres vita functi. census illos Deo dicatos, ad profanos usus raptat impræsentiarum, spectat in fratris obitum alter, habens regressum, ut nefarie rem devoret, quando frater reviserit antra tartarea. Nec immunes tamen audio ab ira cælitum Gratiani, Filini, Carpophori & Fidelis Martyrum in abbatiæ angulo jacentium, evasos ambos, quod Cardinalis ipse jam in ethicam inciderit non Aristotelicam, labaturque paulatim ad interitum. Episcopus vero regressarius frater nephario hæres, infami pustularum morbo gravatur. hæc volui ad animi mei tam Cerberea ingluvie turbati, lenimen referre. Vale. ex Valleoleto. III. nonis Decembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLVII.

De Terra munda. Franciscus Sichinus. Vertit terga Cæsar. Fallitur Rex Gallus. Obcæcavit Gallum Deus. Tornacum capitur. Mediolano pellitur Gallus. Franciscus Sfortia Dux. Suppetiæ contra Gallum. Qui capti Mediolani. qui perempti.

P. M. A. M. Marchionibus Bellecensi & Mondeiaris.

QUæ à Belgis & Cæsare nostro afferantur, accipite. Uti vestrum bellicos apparatus dederim, decidit è memoria, ambobus arbitror. Successus per infausta media fuere felices. cum exercitu per Gallicas terras Cæsar gradiebatur. Oppida subegerat obiter plæraque. Masiera occurrit municipium. Illius expugnationi fuit consilium intendere. Sero tormenta sunt devecta, quorum erat credita cura cuidam Belgæ *Terramunda* dicto, Cæsareæ domus veteri familiari. tempus labitur. November boreales illas regiones fatigans adest. tum rerum penuria, tum frigore multi perierunt. debilis factus est

est exercitus. Neque minus hebetatur ex Francisci Sichini cujusdam peditatus prætoris insidia, qui dicitur quotidiana fuisse suffuratus stipendia ad millia quindecim. Impunitum tamen illum, licet in facinore deprehensum, reliquit clementia Cæsaris. Ut brevibus absolvam, res Cæsaris ad id extremi deducta est, ut è militum quadraginta millium numero amplius facto censu, Gallo Rege ipso ipso cum exercitu numeroso adventante, vix millia sex reperta fuerint, quæ arma caperent, Valentiana oppidum Cæsar incolebat. fuit coactus, neque sine rubore terga vertere, Valentianamque deserere. Sed audi, quam fallax, quamque incertus bellorum sit eventus. Galli fluvium insciis nostris * ad milliaria tantum * distantem trajiciunt. Valentianam versus tendunt. It obviam cum paucis, Cæsare jam absente, Comes Nasauti unus è proceribus Belgicis, prætor exercitus, hostibus ostentat sese, tormentis invicem, neque sine nostrorum damno majore, se percusserunt. Palus vadosa tamen occurrit: nebula erigitur, quæ prospectum abstulit. In dextram Nasautus movet acies, quo non tetendit ut certet, sed in tutum se recipiat. rei novitate deceptus est Gallus. Cæsareas copias esse integras, quod ausæ fuerint occurrere, arbitratus est. Nec credidit exploratoribus de diminutione hostilis exercitus. ex suorum ducum sententia regressus est, frendens dentibus. Non defuerunt è Gallicis ductoribus, qui Regi persuadere niterentur, victoriam fore in manu positam, si procederet. timidorum valuit consilium. occasionem ex Divorum nutu opportunam Gallus Rex amisit. de universa Cæsaris autoritate, deque suis statibus actum erat, nisi Gallos Deus obcæcasset. eo puncto præterlapso, in deterius ruere res Gallicæ cœperunt. Tornacum Nerviorum civitas illustris, quæ suppetias exspectabat à suo Rege, diffisa & spe sua frustrata, parva vi pressa, sese dedit. Octoginta tormentorum vasa, cum suis Liliorum stemmatibus conflata ex ære Corinthiaco lucidissima, præter cæteras munitiones, ad civitatis illius tutelam impositas, Cæsar adeptus est. arcis præfectus & ipse de suppetiis amissa spe, idem intra diem quindecimum facturum se, quod ipsa civitas pepigerit. Eodem fere tempore, Mediolano Prospero Columna Romano principe duce, Gallicos expellunt peditatus, ductore Marchione Pescariæ Neapolitano Procere, Hispano à majoribus. nec præteribo Cardinalem Medicem Leonis Papæ patruelem, fuisse tam præclari facinoris partem non exiguam, & consilio & virtute bellica valere ajunt, patruelisque sui Pontificis copias, & Florentinas contra Gallos missas, in favore Cæsaris gubernabat. Ducem statuunt fore Mediolani Franciscum Sfortiam Ludovici Ducis ab Helvetiis proditi filium. fuit & Protonotarius Caraciolus apud Cæsarem in Flandria nuncius Apostolicus non parvo adjumento, qui Cæsari jam cedenti suis Belgis de pace vel saltem de induciis annuendis cum Rege Gallorum consulentibus animum præstitit, ne id fieret. deditque operam, ut peditum quidam numerus cogeretur & mitteretur in Italiam, ad augendum illum exercitum. est opinio non vulgaris, rebus nostris fuisse provisum, cum exiguis illis vix quatuor millium peditum suppetiis recentibus, quæ alias forte deperissent. De Cæsaris vero necessariis Mercurinus à Gattinera Magnus Cancellarius fixo semper stomacho fuit, ne Cæsar ullo pacto Gallo Regi fidat, nisi vires ejus straverit; hic & primus fuit qui Capri ejus, de quo satis alias, artes avaras fuit ausus infringere, Cæsari suam ostendens digito perniciem, si Capro crederet ultra. In Mediolani captura, quam alias vobis latius significabo, Theodorus Trivultius, Magni Trivultii vita functi frater cum Venetorum copiis fuit profligatus & captus. Capti & Gallorum alii plærique. Marcus vero Antonius Columna Gallicorum & ipse ductor cataphractorum ictu globi ex fossis Mediolanensibus jaculati, sectus est in frusta. Valete. ex Valleoleto. Idibus Decembris, MDXXI.

EPIST. DCCXLVIII.

De somniatoribus. Perniciosa Gallis captura. Semper Hispani sternunt Gallos. Pulchræ comparationes.

P. M. A. M. Mercurino à Gattinera Magno Cancellario.

Ex oppido Calesio, mavis Caleto, à quo *fretum* illud *Calesium* nuncupatur, habui ab Excellentia tua literas, meo spiritui jucundissimas, quod elegantes, quod latum chartæ campum impleverint, & vestrarum rerum, quas ego scire cupiebam, rationem amplam mihi præbuerint, magnifaciendique amoris tui perseverantiæ fuerint indices. Sunt literæ Septembris vigesima datæ, in responsum mearum, quæ præter præcedentes multas, florentis Maii calcem tulerunt secum. Venerunt autem mihi ad manus, quo tempore glacies rigentes sub caminis nos constringebant inclusos. Scripsi plures alias, de quibus nulla mentio. Procellosæ temporum varietati adscribendum est. Laudas quod de

inter-

intercepta leviter populari eruptione, sub faustis Cæsaris auspiciis, cujus audito solum nomine, tot concreta nubila facile sunt dissoluta, fecerim te certiorem. Taxas vero quod de prostata Gallorum insolentia tacuerim. Tuam ego in hoc incuriam accusarem, nisi negociorum ingentes moles ab hominum memoria tollere res hujuscemodi solere animadverterem. Si mense Majo fateris meas esse datas quo pacto licuit rem nominate Calendas Julii peractam significare? Somniatorem Danielem aut Josephum Jacobitam vel è Prophetis aliquem efficias me oportet. Detinuit & mihi calamum, ab hacque liberabit cura Cardinalis Dertosensis & gubernatorum collegarum ejus diligentia qui ad Cæsarem, ubi primum casus evenit, celeres miserunt cum literis cursores. Præterita sunt ea, ex alea præsenti abeant. Audio multos apud vos perturbari animis, quod suæ stragis rabiem, in Fontis Rabiæ capturam, Hispaniarum terminum trans aquas in Galliam cadentes Galli expleverint. Quod illi esse tenebras arbitrantur & pallent. ego lucem existimo, putoque fore perniciosum Gallis, quod ipsi honorificum & utile futurum credunt. Fontem Rabiam vi tormentorum, virtute virorum haudquaquam, quia patuit ejus campus apertus, nobis accessum prohibentibus posse ferre suppetias, horridorum montium anfractibus, rapuerunt. Qui forte desides effecti protento crure dormitassent Hispani, ex hac alapa tenui expergiscerentur in Gallorum latam perniciem. Quando namque sobrietas Hispana saturitati Gallicæ fuit obvia, quin Hispani, veluti pulverem tiphonibus agitatum Gallos contriverint? Exspecta parumper. Ad hujus feralis tubæ clangorem, quod Gallica temeritas ausa fuerit Castellæ fines commaculare, universa concurrebat Hispania. Imperatum est à gubernatoribus, ut hyeme durante, servarent se. ad novum ver præsto sint. Acuunt in cote veluti apri, Venere impellente, novaculas, Hispani labra mordent ac sub caminis mandunt spumas, tauris iratis torviores mugiunt. Regnum integrum Gallis abstulimus, & opprobrium illud cum ingenti jactura parvi faciunt. quod autem nobis in ipsa Gallia oppidulum salvis nostris omnibus & signis protentis per eorum acies agmine composito exeuntibus rapuerint gloriantur. Neque Hispani quidem contenti vivunt, quod Regnum sint adepti, *oppidulum* autem amiserint. His omissis, quo vultu à Castellanis bellorum nervos ad vindictam prædæ à Gallorum unguibus redimendæ postularetis? nisi occasionem hanc præparatam haberetis. Spero ex hoc saltu, Gallos talem sibi calamitatem reportaturos, qualem debet Christianum genus omne desiderare. Est namque Gallis arma tenentibus impossibile, Christianorum quenquam posse quiescere. Jam vale. Ex Valleoleto. pridie Calendas Decembris, M D XXI.



PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.


EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS QUINTUS.

Epist. DCCXLIX.

Moritur Leo Papa. Laus Medices. Appetitus Cardinalis. Papa fit Dertosensis. Epistola ad Papam.

P. M. A. M. Marchionibus.



Eo Pontifex, audito Gallorum profligatu, & Mediolani Ducatus ab eorum faucibus raptura, præ lætitia dicitur in febrim concidisse. Brevibus ajo, mortuus est. Sitne hac an illac, desino judicare. diversi diversa sentiunt ac loquuntur. Obiit Leo Papa. Sparsi erant per diversa Pontificatus purpurati electores. Spe conflictati concurrunt, conclavantur. Diu dissident. alternis se jurgiis conficiunt. Julium Cardinalem Medicem Leonis patruelem admitti ad suffragia non debere, quod spurium esse dicat Volateranus Cardinalis genere Soderinus ejus concivis, sed ob diversam factionem inimicus, in publico Consistorio concionatus est. E contra qui Julio Medici favent, contendunt Soderini Volaterani de inimico jurgia & contumelias non esse audiendas. de Medice multa proponunt, laudantque, ingenio pollentem ac rerum experientia clarum prædicant, quodque dives ad exhaustum Pontificatum redimendum aptus, & Florentinam Remp. in manu habeat in præsentiarum, & in Ecclesiæ vinculum illam sustineat, in medium adducunt. Legitimum præterea, non spurium esse arguunt, quod Julianus pater ejus, priusquam moreretur, Julii Medices genitricem, nobili genere ortam. in uxorem admiserit, cum liber esset. Ita Soderini affectatam accusationem fecere irritam. Parte alia Bernardinus genere, uti nostis, Carvaialus, collegii decanus ebullit, spe raptatus fervida, sperans quod non assequetur unquam Columna, quod Romanus sit, non desperat. Cæteri tum hypocritæ, tum corruptores, diversis itineribus legem ambitus strictis adorant amplexibus, & suffragia sibi pallentes aucupantur. Ita per dies multos Petri naviculam exagitarunt, alter in alterum spumosis labiis jacula torquentes. Spiritus tandem Sanctus ab ipsis, per Missarum celebrationem verbis invocatus, voces eorum, de animo nihil curans, dicitur audivisse. Per nuncium ad hoc missum perlatum est, Cardinalem hunc nostrum Dertosensem, à Cæsare abeunte gubernatorem relictum, fuisse ab eis, quod raro accidit, absentem electum. nil certi adhuc. nisi tamen ego per dispositos equos è meis familiaribus Lopicum Samanecum adolescentulum, cui dum puer esset Cardinalis ipse applaudebat. dedi ad eum epistolium hujuscemodi.

§. *Cardinali Dertosensi* Adriano *Trajectino*, *electo Pontifici.*

§. Manus hactenus, pedes, vetante Leone, minime deosculabar. pedes nunc lambo, Leone ad superos conscendente. tu quod sis in illius sede suffectus, Petri naviculæ fluctuanti gratulor aperte. An tuæ Beatitudini debeam, ambiguo vagor studio. labor est labori additus, non laboranti tranquillitas. Multos arbitror ad suæ famæ vitæque cælestis jacturam, culmen id rerum assecutos fuisse quod artibus à recto distantibus egerint. Beatitudini tuæ, uti arbitror, servatum est ad salutem. quandoquidem per caligatum Simonem illi, postergato Petro, nudis pedibus ambulante, scalæ illius summos gradus adepti sunt. Tuam vero Beatitudinem, Petrus ipse, non pollicitis, non largitionibus, nec licuit quidem, cum absens fueris, sua sponte delegit. prior locus, in horum Regnorum gubernatione cum collegis occupatus breves expetebat meas. Nova ista moles brevissimas exoptat. *Valeat feliciter tua Beatitudo ante cujus pedes postratus humilem commendationem duco.*

Hæc sunt quæ impræsentiarum rotant in vario Fortunæ curru. quando nuncius regredietur, habebitis plura. Nunc valete. ex Valleoleto. VI. Calendas Februari, MDXXII.

Epist. DCCL.

Conquestiva faceta.

P. M. A. M. Fernando à Vega Castello Magno Commendatario.

Edi ad te multas, ex quo Victoriam Urbem incolitis, accepi nullas, nullas

 posthac

posthac habebis. Sive te incuria premat, sive desidia occupet, vel Pontificia necessitudo extollat adeo, ut si hactenus rationem de me habueris tenuem, nunc nullam, à culpa te non abluerit Ægeum Ionio mixtum pelagus, quin incideris in læsi polliciti crimen. promisisti namque sæpenumero te, si abessemus, fore mei memorem per crebras epistolas, caperem raras, quod nullas iniquo esse animo ferendum, vetus jubet consuetudo, ea præcipue Monzonensis, in quam dum trium Regnorum Aragonicorum curiæ agitarentur, decem Ciceronis Orationum ænigmata tibi enodavi. Ex Valleoleto. VI. Calendas Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLI.

Congratulatoria & excusatoria.

P. M. A. M. Magistro Theodorico electi Pontificis à Secretis.

Ostendet tibi arbitror electus noster epistolium, quid ultra id feram, nescio. Vobis familiaribus gratulor, quos ille facili nutu evehet ad summos titulos. Qui à vobis veniunt, invia esse itinera percrebris imbribus, obruique cœno sarcinaria jumenta conqueruntur. Misi propterea, non ivi ad vos. Tanti nuncii afflatus primum raptare me præcipitem debuissent, inquis, non inficior quidem: sed quid utilitatis meæ vitæ discrimina sub tali ætate plusquam sexagenaria nec bene valida potuisset afferre? quia præcipue de Pontificatu nihil certi vos habuisse refertur, sed per incertum quendam nuncium sine Cardinalium literis fuisse id deportatum. Lupulum cui dum puer esset, sua Beatitudo sæpius est eblandita, exspectabo. Sequar imperata. Vale interea. ex Valleoleto. IV. Calendas Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLII.

De literis Cæsaris. Arx Tornaci capitur. Promissio adventus Cæsaris. Laus Regis Portugalliæ defuncti.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Cæsare literas habemus ad Senatum, rationem illis præbet universi discursus cum Gallis, quæ omnia jam vobis ego significaveram per præmissum nuncium allata. Restat scire tantum Tornacensis arcis præfectum, deficientibus, intra pactum terminum suppetiis Gallicis, arcem dedidisse. De munitionibus & tormentis habitis & quantum suis Flandriæ statibus, habuisse civitatem illam insignem conducat, multa refert, quod sit earum omnium uterus & viscera. circundant enim illam undique, veluti fœtam pulli gallinam, earum terrarum oppida villæque. Capite alio narratur, uti præteriti mensis die decimo nono Galli fuerint expulsi Mediolano: pollicetur autem sua Majestas, fore se circiter hujus Februarii mensis calcem in Anglia ex itinere ad nos, quod se vehementer optare significat. hortatur ut interea cura diligens habeatur de Regnorum quiete ac Justitiæ observantia. De novo Pontifice nil adhuc certi habemus. Dies agitur quindecimus à mei familiaris discessu, qui, uti relatum est, per equos dispositos Victoriam, ubi morantur gubernatores, petiit intra horas quatuor & viginti. Detinetur ab electo, ut arbitror, cui est gratus, donec ab collegio Cardinalium literas habeat. Interea scito allatum esse nobis, Emmanuelem Portugalliæ Regem obiisse. Leonem secutus est Pontificem, quo cœlorum portas, à tergo cælos aperientis, patentiores assequatur. Mira semper de Rege illo dicta fuerunt, quod justi & recti amator esset, quod bonus & integer ac religionis observantissimus. Valete. ex Valleoleto. IV. non. Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLIII.

Literæ Consistoriales. Titulus literarum. Comparatio de Pardo & Leone. Laus Hemanuelis. Papæ epistola ad Autorem. Deridet affectus avaros. Non vivit qui pendet à futuris. Qui multa possidet, affligitur.

P. M. A. M. Eisdem Marchionibus.

Ecce, quæ vos suspensos liberet, epistolam. Familiaris meus ab electo Pontifice regressus est. octodecim illum dies, ne vacuus rediret, electus detinuit. Consistoriales literas affert de Electione. cujus hæc sunt sensa titulo præeunte hujusmodi:

§. *Reverendissimo in Christo P. Domino Adriano titulo Sanctorum Ioannis & Pauli S. R. E. Presbytero Cardinali Dertosensi, confratri & collegæ nostro charissimo in Romanum Pontificem nominato.*

§. Circuitionibus prætermissis, epistola continet: Cardinalium collegium, attenta hujus nostri Dertosensis ætate, doctrina, rerum experientia & morum sanctimonia, in Romanum Pontificem unanimes elegisse. An ex animo id fecerint, ille Sanctus, quem ipsi se invocasse ajunt Spiritus, dijudicet. Ego autem, qui ex vario relatu procellosos eorum affectus intelligo, an unanimes, ambigo, & an

& an sibi quisque maluisset, scio quid credam ego, qui decennio versatus Romæ, de moribus illorum didici portiunculam. Illis hoc loco accidit, quid in fabulis de Pardo & Leone super agno raptando scribitur. fortibus illis alterne se dilacerantibus, ex transverso quodcunque quadrupes iners aliud prædæ se dominum facit. Tres ajunt se missuros Cardinales, qui eum ad Urbem comitentur. ad quam ut quam celerrime properet, hortantur. Romam Italiamque totam alias ruituras scribunt. Invitus discedet, Cæsare non viso, qui scripsit, ut eat ad Urbem, sub cujus nominis umbra intelligit rem adeo novam, ut absens eligeretur, emanasse. Joannem Hemanuëlem, Cæsareum Oratorem, jure credendum est, huic electioni non defuisse. ex longa cum Principibus rerum experientia, discordibus præcipue, novit, quibus artibus sit agendum. De his satis. Quid ad me Pontifex ipse rescripserit, accipite.

§. *Domine Martyr*, literas vestras congratulatorias de nostra in Summum Pontificem electione ante aliquot dies accepimus. Sacri Collegii literas Lopicus vester voluit exspectare, propterea non fuit prius responsum. De gaudio vestro circa ea quæ, Deo disponente, facta sunt, nihil dubitamus, utpote quibus jam inde à multo tempore compertus sit amor vester erga nos. Sed ut vos de honore summo, nobis ultro oblato, lætamini; ita nos onus annexum exborrescimus, atque utinam illud à nostris infirmis, in alios robustiores humeros, Deo inoffenso rejicere possemus. Qui onus imposuit, vires ad ferendum suppetat. Martyris nostri semper erimus memores. Ætate vestra gravibusque imbribus cadentibus consideratis, vobis consulimus, ut à labore veniendi nos salutatum, abstineatis, quia speramus fore, ut nos in Castellam vobis propius recipiamus. Valeat interea feliciter noster Martyr, & pro nobis Deum orare memineritis. Ex Victoria urbe XII. Februarii, MDXXII.

In calce epistolæ manu propria subditum: *Vester amicus ut ante.* A. Cardinalis Dertosensis, *electus Pontifex Romanus.*

§. En ergo, qualem Pontificem habeamus, quamque sit de novitate admirandum, jam intelligitis. Scripserunt ad me una quotquot Pontifici adhærent, ut properem suadentes. *Priores partes & honoratiora loca primis accedentibus esse parata. Sero autem seris*, inquiunt. *Qui tarde seminat, tarde messurum* ajunt. Hæc illi uno tenore. Ego vero, qui jam extremos vitæ margines sexagenario major, perambulo; affectus illorum derideo, laqueum Fortunæ porrigo & medium Aquinate unguem ostendo. *Dies hominis esse breves nunc nascentis, brevissimos fore meos* dico. *Vivere neminem, qui à futuro pendeat*, respondeo. Bene illis prosint susceptæ spes, fauste Pontifici superadditi labores & curæ. Iturum me polliceor, tantum ut salutem, quando per temporis infensi commodum licuerit. quo vero mihi Pontifex ambitionis fumum adaugeat, neque pedem moturum. quod satis est ad eam quæ potest in humanis optari felicitatem, Fernandus & Helisabetha Catholici Reges mihi reliquerunt, quæ mediocrem ultra statum hunc meum, Fortuna elargitur, ad possidentis jacturam & animi procellas magis quam ad quietem impartitur. Ergo vos qui gallinarum estis albarum filii, arbitramurque, vos felicioribus ovis esse natos, si rite consideraveritis, nihil magis vos, neque Pontifex ipse, de vestris fluminibus exsorbebitis, quam ego vel alius quivis, modo contenti vivamus de nostris fonticulis. Jam epistolæ modum excessi. Abscindam alias & epistolio vos contentos efficiam. Valete. ex Valleoleto. Idibus Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLIV.

Adagia in Cardinales. De Archiepiscopo Barri. Donna Maria Pachieca. Spoliatio templi Toletani. Don Ramanus periit. Laus Lanuza.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

QUod Spiritus Sanctus, istorum purpuratorum precio, vel alias retortis itineribus evectorum preces audierit, ab Simonisque unguibus assuetis, illos in electione ista liberaverit, lætamur. Visi ego nondum hominem, visam quando imbres defuerint, qui graviter perruperunt itinera. Nec accessum differre displicet, quo figam hac mora, in avarorum & ambitiosorum animis, quæ quisque de se cognoscens, in alios conjecturas torquent, à meo esse aliena judicio: ut scilicet à Pontifice sperem addi meæ tranquillitati vel pusillum posse. De cætero, quia tibi Gabriel Merinus Bari Archiepiscopus, Legionis episcopus una, est amicus, rem præclaram ab eo gestam referre intendo. Quod turbidam Donna Maria Pachieca, jugulati Padillæ uxor, miseram Toletum urbem, in summam Cæsaris jacturam & dedecus cum primoribus quibusdam retinuerit hactenus, intellexisti arbitror. Ex Pontificis & collegarum gubernatorum rogatu, is Toleti paci studens agebat. Per vagos & facinorosos sicarios, habenas ejus urbis regentes in vitæ discrimine diu versatus est. Ambagibus post-

habitis, quo die Beati Blasii solenne celebratur, quid fortuna esset latura, statuit experiri. Toletanus clerus à perditorum hominum jam premebatur insolentia. dite illorum templum semispoliaverant. Necessitate stimulati sacerdotes Archiepiscopum eligunt in ducem. prodit armatus, boni sequuntur. Pugnatum est acriter. Dominæ Mariæ domum & viarum angusta tormentis fulcierant. victi tandem fuerunt ac discerpti. aufugiunt. qua Domina Maria cum ejus sorore Montis acuti Comitissa perfugerint, nescitur. in Portugalliam arbitrantur. Quiescit jam tandem tui amici opera infelix illa civitas. Ad alia. Pontifex se accingit ad iter. Idem Cæsar suadet: *Se magis isthic sua opera quam in Hispania indigere* scripsit. æquum est ut ejus accessum ad vos desideres. Speramus fore, ut sui pectoris tibi sit fibras aperturus, quandoquidem, dum apud nos fuisti, eras ejus anima, tuum discessum ægerrime tulit, libentissime receptum suscipiet. Secuturus sim nec ne, adhuc sum dubius. Quod Don Ramon à Cardona Prorex perierit, regula est generalis, quæ nullam patitur exceptionem. quod inglorius nulliusque præclari facinoris in tanto magistratu fuerit autor, unde possit ab oblivionis injuria præservari, sui affines collachrymentur. A nobis. Plebejus quidam mechanicus Vicentius Perez miseram Valentiæ civitatem cum facinorosorum sequela, trahebat præcipitem. Captus jam tandem fuit, & meritas per mille suppliciorum genera pœnas luit. Nec propterea sopitur adhuc contagio illa popularis. Immo & Aragoniæ Regnum fere infectum ea peste prolabebatur, ni sua prudentia Don Joannes Lanuza Prorex isset obviam, facinorosos ejus tanti mali excitatores, tum astu tum forti manu prosternens. Jam vale. Ex Valleoleto sarcinulas colligens ad Pontificem iturus. XIV. Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLV.

Occupata Xativa. Pupus Regulus. Quid Prorex fecerit. Boadillæ classis. Exclamatio. Vaticinium.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

HÆc ad vos attinent. Hispania, ut stetis jam tandem promissis, de adventu desiderat. De rebus Italiæ nihil ad vos ego, quia propiores estis. De nostris in Fortunæ tabella, Valentinum excutitur Regnum. facinorosos quosdam depræhensos Prorex punivit. qui sociorum exemplo judicium timentes aufugerunt, occupato Xativæ municipio, ubi Castellum est illud ingens, afflictorum Principum receptivum, & in præsentiarum Ducis Fernandi Calabri domicilium non electum conciliabula celebrat prædonica fex illa, Regem sibi elegit, audetque circumvicina omnia infestare. Pupus electus gregi male composito persuasit, suis se carminibus effecturum, ut Proregis exercitui, solo suo prospectu, si veniret, arma de manibus caderent. Credit populus oppidanus, tributaque sibi ad milites alendos imponi passus est. Hæc sunt opprobria & ludibria quæ crebrescunt deterentque, nisi Cæsarem adduxeritis. Integros profligarunt duos jam exercitus nobilium facinorosi. Dum hæc in pluteo apud me adhuc moraretur epistola, perlatum est Don Diecum Mendocium Proregem ad milliare tertium ab Xativa, in alveo fluminis unius, apud oppidum *Canales* nuncupatum, ripa latentem, ex insidiis cursores equites levis armaturæ misisse, qui Xativanos vagos ad certamen lacesserent. Decepti sicarii exeunt. sequuntur provocatores. cadunt in insidiis. arma non decidunt nostris è manibus, uti Pupus ille præstigiator dixerat. Primus ipse aufugit è sexcentum peditibus & equitibus quadringentis circiter, tercentum à tergo in nostrorum potestate mortuos & captos reliquerunt. portis jam clausis se continent. cito labentur. Perempti & ex Proregianis plærique, uti Prorex ipse ad nos scripsit. Jam se deceptos oppidani sentiunt, & pervicaciæ pœnitet. erigere tamen adhuc non audent caput, à profugis hospitibus pressi. Est aliud dolendum, Patientiæ thoracem induito. Ex Hispaniola unionibus & auro sacchareisque massis & cassia fistula navis una nostris litoribus jam appropinquabat onusta. Pirata Gallus nomine *Florinus* in prospectu navim adortus, expugnavit, accepit. Ea præda sapidissima pellecti, nil tutum à nobis relinquent, quia præcipue Don Petrum Boadillam, qui sua classe credita è S. Sebastiano evecta, terrore Gallica omnia litora replebant, naufragio cum cæteris comitibus periisse intelligant. uti cochlea sua cornua, vi aliqua succedente contrahit, ita suos animos suasque facultates à litoralibus locis ad interna cuncti, Britanni præcipue, remittebant. proh quantum incommodi ac molestiæ nobis est illius classis naufragium pariturum, qui hostes, ea favente, premebamus, prememur propediem ab hostibus, quando senserint, se nullos objices obviam habituros. Neque enim nobis facultas est impræsentiarum classem alteram parandi. Libentius dulcia, si dulcia emergerent quam hæc fellita tibi significarem. quæ tempus affert, ea capimus. Ex Valleoleto

Valleoleto ut ad Pontificem proficiscar petasatus. XIV. Februarii, MDXXII.

EPIST. DCCLVI.

Familiaris & faceta. De festinatione Autoris ad Pontificem abiturum ad Urbem.

P. M. A. M. Electo Pontifici.

A Reditu Lupuli quondam, nunc ob lanuginem jam pullulantem, integri Lupi, à Beatitudine vestra nulla est hora quæ non sit mihi longior anno. Accessit ille cum felicissimis literis idibus Februarii. Postero die licet aliter imperatum attulerit, iter cepi fluminum alluvionibus & tempestuosis nimbis interclusus, moror in via. vestra interea Beatitudo præsentis epistolii latorem, sui heri Archiepiscopi Cusentini nomine, læta fronte suscipiat. Pontificatum vir ille, veluti aureo in torque gemma lucida exornabit. Maturo namque consilio ac prudentia vix agnosco virum, cui cedere debeat. In sacro vestræ Beatitudinis pectore arbitror de illo rationem esse à longa experientia conceptam, qualem ejus excellentia promeretur. Claudo propterea rivum labi exoptantem. Burgis ob crepitantium imbrium rabiem, veluti tetro carcere inclusus moror, mitem horam aliquam exspectans. III. nonas Martii, MDXXII.

EPIST. DCCLVII.

Autoris amicitia vetus cum Papa. Descriptio Mundi. Felices menses Autoris. Verba Papæ. Autoris verba. Confusa Italia.

P. M. A. M. Marchionibus.

POst Pontificis electionem, qui me à suis Fortunæ cunabulis, id est, ab Oratorio munere à Cæsare puero ad avum ejus Catholicum dilexit, adstiti semper, ob linguarum carentiam. nesciebat enim præter Latine proferre quicquam, aut aliam intelligebat è nostris, comes & interpres ac negociorum director. Quid ego egerim, percunctamini. Cæteris omissis partibus, audite: ut verum fatear, observabam virum dum liber erat, & virtuti ejus invidebam. Servus effectus est, uti servum minoris facio. estque in miserationem invidia commutata. Si est ita ut mundus hic ærumnosus, laboribus plenus & lachrymarum sit vallis, si mille discriminibus in horis farcitus, qui de suis his ferculis plura consequetur. Calamitosior erit, licet populo prodeat phaleratus, beatumque esse inclamitent vociferatores adulandi causa. Majore igitur miseratione dignus, quandoquidem in hac lusoria tabula senionem integrum est assecutus. Hoc uno poterit gaudere ornamento, quod non per luxum aut largitiones, non per iniqua promissa vel ambitus alios, precum aut preciorum evectus est. Missa hæc omnia faciamus. ad eum sero accessi, nec libens quidem id fero, ne vani, ne avari, ne tandem amici, fuco ambitionis aut flammatum avaritiæ studio trahi animum meum arbitrentur. Pudor tandem & Pontificis familiarium & amicorum literæ me impulerunt. Die quarto decimo Februarii sarcinulis collectis movi ex Valdoleto, ubi felices & tranquillos egeram in aurato, sub turbidis insanientis plebeculæ motibus, menses sexdecim, hortensibus deliciis & fluctibus temporum describendis intentus. Non ante undecimum Martii conspectum Pontificis adivi, & id quidem hora noctis tertia. properavi namque cum propior essem, quia discessurum Pontificem altero die viatores obvii mihi retulerant. Ante lucem atrium in eo, id erat Beati Francisci cœnobium. exoriente aurora prodiit è cubiculo, uti est moris à juventute, rem divinam celebravit. his peractis, pedes illi osculaturus sterno me, pedem porrexit cruce fulctum. Sublevato veteris amicitiæ memor eblanditur. quid Martyri suo imperet, percunctor. Lucronii, quo erat iturus, ex itinere se dicturum, quæ mihi expedirent, edixit. Biduo Lucronii moratus est. Bis illum allocutus sum. Uti ex verbis ejus colligi potuit, comitem ad Urbem me voluisset. In Castellæ regnis, ubi ætatis meæ vim omnem consumpsi, ubique mihi ex novis orbibus ab Hispanis repertis, vivendi apud posteros est præbita materia, me obsecuturum obtuli. Mutare nunc terras, urgente senio, durum mihi fore proposui. Se cogitaturum ait. me non iturum tacui. discessit ille cunctis obviis à fronte benedicens. regressus ego sum illi terga vertens. nil ultra salutato, aut venia petita, ipsi soli benedicens, ac miserans ab occipite. Victoriam urbem apud gubernatores inhabito. Si quid agendum in re aliqua vestra emerget, amantis præceptoris & in rota Fortunæ obsequentis ministri officio fungar. De me ac Pontifice satis. Ab Italia fertur, omnia esse in confuso, Gallorum reliquiæ Mediolano ejectæ Cremonam se receperunt. Ab Helvetiis auxilia poscentes, ut reintegrato exercitu revertantur ad suscepta damna resarcienda. sunt nostræ vires interea separatæ. Prosper namque Columna nostri exercitus prætor intra Mediolanum se continet. Franciscus Maria Sforcia Dux à Cæsari destinatus, Ludovici,

dovici, quem Helvetii, vendiderunt, filius, Papiam, ea est Ticinus, cum quatuor Germanorum millibus cataphractis quibusdam tenet, & Galli Binascum oppidum & vicina nunc ex Alexandria profecti occupant, medii adeo, ut neque possint ex urbe Mediolani ferre opem Duci, neque audet cum tam parva manu Dux ad suos in patriam penetrare. Valete. ex urbe Victoria Alabensi. x. Calendas Aprilis, MDXXII.

EPIST. DCCLVIII.

Quomodo susceptus Papa in Cæsar-Augusta. de adventu Cæsaris. de Prorege Neapolitano. de crudo bello Italiæ. Futura pugna. Laus novi Regis Portugalliæ. Fascinatio Leonoræ.

P. M. A. M. Marchionibus.

MEmoriæ scrinium aperite. multa sum vobis uno spiritu elargiturus. De Pontifice primum. In Cæsarea fuit Augusta cum solenni pompa susceptus. Sub aureo tegmine sellam humeris nobiliores deportarunt. Attonitus gestatum populus inspectabat, in extasim præ admiratione raptari videbatur. Sexdecim Episcopi, è Castellanis Regnis majori ex parte, comitantur eum. Barchinona Laletaniæ caput nuncios ad Pontificem legavit, peste fameque populum laborare significans; ne ad se Pontifex eat, suadet. E Cæsaris familiaribus à Cubiculo, Dominus de Laxao ad Pontificem à Cæsare missus hac transivit. Reliquisse ait Cæsarem in oppido Calesio, ut in Britanniam ex itinere ad nos trajiciat. Cuperet Pontifex Cæsarem videre, priusquam ex Hispania proficiscatur, paterno namque illum amore prosequitur. Cæsar vero instat ut eat ad Urbem. Mingovallum audistis equorum Cæsaris fuisse magistrum. A Belgarum imperio Cæsar illum ad Regni Neapolitani Proreginatum traduxit. Vir Cæsari fidissimus est. sed à natura parum patiens, iracunde audit ac respondet. honor forte tantus mutabit in eo ingenium. Ab Italia Fortunæ ajunt ollam nihil benignius solito fervere. Galli reintegrato exercitu Helvetiorum copiis, duorum & triginta millium peditum, cataphractorum vero Gallorum lanceis, ut ipsi nuncupant, septingentis & auxiliariis Venetis quingentis. Insubriam iterum infestant, nostrum vero exercitum octo & triginta peditum millibus, Cataphractorum vix mille ajunt constare. In villa quæ *Biccocha* dicitur, à Mediolano milliaria tria distante, nostri, in Binascho, quod oppidum est medium inter Papiam & Mediolanum, Galli castrametantur. Alterne se mordent & levibus lacessunt præliis propediem tubarum & lituorum clangoribus excitabitur horrida pugna. stare diu nequeunt, quin insaniant, & pro paucorum ambitione inter se invicem digladientur. Apertis faucibus maligna numina congressum hunc operiuntur. Ab his lacrymandis discedamus. Est de concionatoribus Regis Dominicæ professionis magister Ramirez Michaël Salamantinus, vir quippe prudens & eruditus. Cæsar audita suæ sororis Portugalliæ Reginæ viduitate, fratrem hunc solatum eam à se dimisit. De novo Rege futuro in Regni habenis gubernandis, alium ab eo esse qui sub virga fuerit paterna, quia excelsi Principis indicia præ se ferre illum ait. genitoris acta nititur imitari. E familiaribus tamen paternis multos à suo liberat obsequio, quo suis veteribus locus detur in magistratibus. Reginam vero ait præ dolore amissi viri fere insanisse, quem in ultimis diebus ardenter amabat, à quo in primordiis abhorrebat. Credit magister ipse, Reginam ad virum applicatam à fœmina quadam Portugallica fuisse fascinatam, quo Regem virum despiceret, medicaminibus mox incolumem effectam. A privigno Rege dicitur observari haberique loco veræ matris. Ab æde, ubi tumulatus est Rex vir, Reginam eruere vix potuerunt, *se ibi velle virum comitari ad vita sua finem* ajebat. eduxerunt eam tandem & in regia vitam agit qualem pudicam & sanctam decet viduam. Victoriæ. III. nonas Maii, MDXXII.

EPIST. DCCLIX.

Laus Magni Cancellarii. Excusativa. de divino furore multa. Philosophice jocatur Cancellarius. De fato Cæsaris in Pontifice. De Turcis. Responsiva Philosophica. Spoliatio templorum. Quoties strati Galli. Inimicus quietis Gallus. Quare captum Belgradum. Quare Autor non scripserit de Papa.

P. M. A. M. Marchionibus.

PAulo post superiorem epistolam à Magno Cancellario subsequens allata est, ut intelligatis, qua doctrina vir ille polleat, & inde commodas vestris ingeniis excerpatis opes, meis respondentem, ipsum audite.

Mercurinus à Gattinaria Cæsareus Cancellarius Conterraneo Petro Martyri Cæsaris à Consilio.

§. TUas nuper accepi binas. nec præterea plures, post meas ad te datas ex Calesio,

lesio, licet misisse te multas scripseris. Profecto sum gavisus usque adeo te meis literis oblectatum fuisse, ut nihil supra. Nam eo animo scripsi, ut te conterraneum absentem emergentiumque rerum cupidum oblectarem, sed ut intelligere possis, quantum ego vicissim tuis literis afficiar, ex eo cognosces, quod respondens tuis non animadverteram, cujus diei datæ, incideramque in eum errorem insimulandi tui, quod nostrorum victoriam apud Pyrenæos per literas tuas gratulatus non fuisses, nec audeam tamen affirmare, an esset in eis scriptus dies, de qua re sententiis literarum ruminatis, nil aliquando curamus. Utcunque tamen fuit, forte potuit de acumine tuo, animus aliquid facile præsagire. Nam etsi Josephus ille somniator aut Prophetarum aliquis è præteritis, quando id esse non potes, non es: quis negaverit tamen, cum sis vates, posse te aliquando futura prædicere? Sunt enim & multi tempestate nostra, quos divinus ille furor tantum à Platone laudatus, tangit. Mensque ipsa nonnunquam sensus nostros decipit ac tanquam his corporeis soluta compedibus, sese ad suum centrum tollit, Deum Optimum Maximum. Quæ tametsi tibi homini peritissimo non ignota credam, præterire tamen nolui, ne me usque adeo imprudenter scripsisse crederes. Sed quid dices, si justius te carpam, quod in literis tuis de tertia Februarii nulla sit facta mentio de Romano Pontifice: quo judicio cunctorum, cumulum gratiarum perficere videtur, Deus omnipotens in Cæsare nostro, ut eum sui gregis pastorem dederit, quæ nemo ipsi Cæsari fide, probitate, studio conjunctior esse potuerit. Quis dicere audebit non omnia currere in sententiam Cæsaris? Ut is sit, per quem Christiani orbis decus ad Superos tollatur, omnique barbarorum perfidia & impietate sublata, universus demum orbis sanctissimum Crucis vexillum sequatur. Quod autem ad Gallos attinet, ego nihil in ea parte à te dissentio, ut necesse sit per eos, tanquam per durissimas rupes, hanc ad Christianæ pietatis gloriam sterni viam, quibus stantibus mœreat semper, & tanquam intra claustra Christi grex à luporum rabie truculentissime dilanietur. Nova siquidem habemus quotidie de Turcarum motibus, quorum autores aliquando Deus perdet. Persuaderi enim vix nobis potest, quin nostrorum opera fuerint barbarorum illæ temeritates excitatæ. Deus vivit, forte pœnas luent. Nos propediem ad vos proficiscemur. Tu vero interim vale. Bruxellis. nonis Martiis, MDXXII.

Vos autem hoc literarum exemplum una cum responsiva nonis Maii habetote. ex Victoria, MDXXII.

Petrus Martyr Magno Cæsaris Cancellario Conterraneo.

§. Datas Bruxellis in Belgis nonis Martii literas tuas nuncius quidam ignotus circiter Calendas Maii mihi porrexit. licet seræ raræque, gratæ tamen. colligo ex illis, allatas fuisse meas, quandoquidem de meæ epistolæ somniatoribus & Prophetis tuæ sunt refertæ. Solent quippe, ut ais, aliquando è corporibus animæ suis partem à se dimittere, licet corporibus illaqueatæ quo ad originem suam elevatæ de futuris queant aliquid præsentire. Defuit illo tempore mihi Spiritus ille, quo agitante calescimus & vaticinamur. Sed ad Gallorum insolentiam veniamus. Estne alicui dubium, quin sit impossibile Gallis incolumibus quiescere quenquam? Nemini quidem, uti perpetuo constat experimento; ergo quid exspectamus. Regiones omnes non expilavit modo, sed excoriavit suas. Templa omnia aureis & argenteis ornatibus, dicitur Rex ipse spoliasse, ut exercitu coacto, nostra desidia fretus, tendat in Italiam, perturbetque more solito Christianum genus, omnes fines reliquit imparatos. Virium quicquid assequitur trans Alpes non mittit solum, sed impellit ac trudit invitos milites, qui majorum exemplo, quater jam & quadragies à quadringentis annis profligatorum in Italia, sanguine Gallico pinguefecerunt agros. Quid occasionem nacti talem obdormimus? currere cupientibus in Gallorum jugulum & acceptæ injuriæ vindictam, Hispanis ut frenis impositis detineantur, imperastis, ut audio. Erimusne in propriis laribus tuti, si Mediolanensibus copiis profligatis, Pœno leone ferocior se totum in nos converterit? Ubi sunt bellici apparatus, forte percunctaberis? Non modo quibus impetere fines eorum vires suppetant, modo velitis, verum quibus ad eorum intima præcordia penetrare valeamus, si verum fatemur, habemus, hoc tempore præsertim, quo rebus Italis impliciti hebetantur eorum nervi. Quæ copiæ, quinque peditum exercitatissimorum millibus præ rabie quod detineantur, labra mordentium, sub Don Antonio à Cunniga Divi Joannis Priore merentium poterunt obsistere? additis præcipue duobus millibus veteranis ad Navarræ custodiam deputatis, totidemque in Sancti Sebastiani oppido præsidiariis, crura scalpentibus præ desidia, quin Gallorum feces in confinium præsidiis relictæ, trucidentur. Suppetias nostris præbentibus

tibus delectorum nobilium equitum quatuor millium copiis, quos omnes suis alit stipendiis Castella, cur talem exercitum tali tempore ocio marcescere permittis? *Carthaginem*, *Carthaginem* Hannibale Italiam infestante, proclamabat quidam, in Senatu Romano *esse quaerendam*, donec Scipioni de Carthagine impetenda fuit cura demandata. Domi, domi quærendus est hic hostis, Christianæ tranquillitatis inimicus. Commeatus illi hac via pecuniasque ad resarciendum exercitum rapiemus, quum primum Hispanus miles fines eorum calcaverit, cuncta patebunt: si præcipue ad prædam solvantur habenæ. Capillatam occasionem hanc per immortalem Deum ne prætereamus, si calvum occiput averterit, pœnitentia torquebimur inexpiabili. Non ego Gallos odi, neque hominum quenquam pacis amatorem. Gallorum perniciem ob hanc desidero causam, quod dum suis affectibus raptati, Christianos bellis acribus urgent reliquos. Turcarum Princeps insultat. fretus namque nostris dissidiis, quibus Rex ipse fomentum præbet æternum, alas audet tam libere protendere, si non suasu, uti existimant plærique, & vos suspicamini, causa tamen ejus Pannoniam, tam secunda fortuna, Belgrado invincibili oppido ipsius Regni aggere validissimo debellato, infestavit, quod ferre suppetias Christianorum Principum nemo potuerit, cum Gallus implicitos omnes teneret. Impellit & alia ratio, cur odisse Gallos oporteat, quod ab annis jam triginta circiter meum tuumque natale solum quiescere nunquam sint passi, sed assiduis bellis & collachrymandis depopulationibus regionem universam aut vastarint, aut contra venientibus vastandam objecerint. Quod vero de Pontifice ad votum Cæsaris electo non scripserim, ne cartam, ne atramentum, ne tempus tererem incassum, id effeci. En quid? à vobis & à vestra curia id nuncium primum delatum est ad nos, & me taxat Ebusanus, à quo sal omne Genuam devehitur, cur ego Genuensis è Genua in Ebusum sal non reportaverim. Jam vale. ex Victoria urbe quo Pontifice discedente, ad gubernatores me contuli, vos exspectaturus. VII. Idus Maii, MDXXII.

EPIST. DCCLX.

Pestis affligit Victoriam. Discordes Cardinales. Dux Urbini admissus. Quid ex Gallia. Lutherus conjugatus. Ingressus Italorum Hispanorumque in Mediolanum. Gallorum fuga. Modus pugnæ.

P. M. A. M. Marchionibus.

HÆc nostra urbs Victoria quadam aëris intemperie laborat. Pereunt solito plures, propterea de loco mutando loquuntur, facerentque, nisi audirent Cæsarem esse in Britannia, ubi susceptum ajunt fuisse, quali amore ab avunculo & matertera Regibus talem nepotem, qualique pompa tantum decuit suscipi hospitem. Ab Urbe habemus, factionarios illos purpuratos rubro galero cristatos, dissidiis & perturbationibus intendere. Medicem oderunt Columna Romanus & Soderinus alias Volaterra Florentinus, in Senensem obsidionem binos miserunt exercitus, per Urbini Ducem unum, per Renzium quendam alterum: Medici putantes adstruere lapsum hac via, si Senenses exules admittantur possidentibus ejectis. obstitit utrique cum viribus Florentinis Medices. Ita pacata urbs Roma, quæ ob illorum ambitiosos & invidos affectus, quibus Petri naviculam subvertere nituntur, fluctuabat. his itaque compositis opera Medicis, Urbini Dux in reconciliationem & statum admittitur, quem ex Augusta-Cæsarea Pontifex hortatu collegii Cardinalium confirmavit. Prudenter actum fuisse judicatur. est namque is Dux ad nitidos fontes perturbandos aptissimus, quum sit vagorum & sicariorum omnium ac rerum novarum studiosorum refugium portuosum. In Germaniam transiliamus. *Lutherum* ajunt *hæreticum suæ perfidæ institutionis habenas adeo solvisse, ut suæ professionis Augustinæ cucullatis det uxores. Abbatissæ cuidam publice*, ut ajunt, *nupsit ipse.* Ex Gallia vero nunciatur, Gallorum Regem ad hoc venisse necessitatis, ob impensas alendorum exercituum, ut viritim è domo in domum ferme supplex pecunias poscat, ejus exercitus in Italia labi dicitur indies magis ac magis, tum Italorum & Hispanorum virtute, tum egestate rerum languidus. nil certi tamen habemus, tempus erit particularium narrator. Quo vero pacto Gallos Mediolano ejecerint, audite. Laudæ urbe à Mediolano milliaria viginti distante dissipatisque præsidiis sub Federico Gonzago Bozani domino militantibus, paulatim versus Mediolanum tetenderunt nostri, una noctium, quæ fuit x. Decembris subsequens, per portam

tam à cive proditam, ut ajunt plærique, licet alii aliter ferant, ingressi sunt urbem cum paucis. Primo Hispanis Pescariæ Marchio, peditatus ductor, mox Cardinalis Medices, ancipiti fortunæ se crediderunt. Galli audito ingressu hostium cum imperiali symbolo per urbem proclamato, deciderunt animis & rapuere fugam. civibus quibus erant non bene grati, male fidentes, in viridarium, quod est Castello contiguum, se primo receperunt. mox Papiam, quo tempore necdum Franciscus Sfortia Dux designatus descenderat ex Alpibus. ex Papia urbe ipsi Binascum, uti jam dixi, habitis Helvetiorum quindecim millibus profecti sunt. Dux autem Papiam venit cum Germanis & cataphractis, quos supra memoravi. Stratagemate dehinc à Prospero Columna & Pescariæ Marchione adstructo servatus est, qui dato Duci adventus die, Gallos ex adversa parte castrorum, qua Dux erat à Gallorum manibus evasurus, ad pugnam se provocaturos hospites confinxere. Ab eo latere Galli suas acies instruxerunt. evasit eo modo Dux electus ad suos in patriam, relicto Mantuæ Marchione Papiæ, quam expugnare post Ducis discessum Galli tentarunt. sed sua spe frustrati à Marchione defensore rejecti fuerunt. Ita conjunctæ nostrorum vires rem perfecerunt ad votum suum. Ad manus autem hoc pacto venerunt. Galli suo milite confisi, statuerunt nostros adoriri, qui se apud Biccocam villam à Mediolano parum distante munierant in castris. Helvetii duobus cuneis potentibus effectis, ordine suo gradiuntur ad castrorum oppugnationem. ex iniquo manus conserunt loco. E repagulis & aggeribus juvenum Mediolanensium electorum duorum millium manus, & Hispanorum quatuor millium dexterrimorum, stragem Helvetiis indidere talem, cum scopetis aliisque omnis generis tormentorum & missilibus ac strictis telis, ut in ictu oculi quinque millia transfixerint ac trucidaverint è validioribus. Primarii namque ac nobiliores eorum, agmina præcedunt in pugnis. Cæteri quid de se facerent inscii, veluti oves sine ductoribus terga verterunt. ita paulatim contracto peditatu, discerptus est universus Gallorum exercitus. Nullibi susceptæ illorum reliquiæ fuerunt, præterquam Cremonæ. Ibi nunc agunt sub Domino de Scuto fere obsessi. quæ sequentur, in aliam servo epistolam. eam credo dicturam, Gallos amissa nobilitate impedimentisque omnibus trans Alpes evolasse. Ex his rebus plæraque extra ordinem scribo, quia sæpe desunt suo tempore veri recitatores. vos ea capite, quando præbentur, & valete. Victoriæ non incolumi. XIV. Calendas Junii, MDXXII.

Epist. DCCLXI.

Ruina Valentiæ. de Regulo Larva. de Duce Calabriæ. direptio Gandiæ. Trucidatur Pupus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

Ais te delectari meis epistolis, quando præcipue de horum nobilium amoris perseverantia erga tuam prudentiam, te facio certiorem; Te non minus colunt absentes, quam admirabantur præsentes. Impræsentiarum nil habemus significari dignum, præterquam de lachrymanda regni Valentini ruina. De Pontifice namque, qui adhuc in Augusta-Cæsarea moratur, nihil ad me. Cursores namque frequentes à vobis & ad illum eunt ac redeunt. Ad Valentinos igitur calamitosos labores veniamus. Scripsisse me arbitror, quonam pacto reductis ad sensum his, qui pensi aliquid habebant, cum præsentaneam cernerent suam perniciem, sicarios & vagos Xativam profugisse, una & Algeziram oppidum aliud munitum, Xativæ vicinum. illius Regni membra non infirmiora, in Regem sibi electo præstigiatore quodam, quo larva Reguli duce ingentia in Regno illo damna sunt admissa. Marchionem Zeneti Don Rodericum Mendociam, quem tu nosti, primo tempore dementiæ pullulantis colebant, ut est fluctu mobilius ignobile vulgus, prehenderunt eundem: posthæc & ni Dux Fernandus Calaber, ejus castelli Xativani Regio jussu incola, sua prudentia Marchionis iram temperasset, secuissent in frusta. direxerunt namque gladios in illum sæpenumero. Ducis tandem astuto suasu, solutus fuit. Sed spicatum illum remiserunt. Quoniam Albericum & Alcozellum illius oppida, à quibus victum & sui status ac familiæ commoda exhauriebat, dedere in prædam, spoliaveruntque ad cutem usque; fecereque itidem in multis aliorum Procerum villis & municipiis. sed direptionis Gandiæ, reliquorum etiam locorum illius Ducis, nil unquam par evenit. è finitimis namque locis, non ita munitis, opes congesserant in municipium illud, quicunque facultates amplas assequebantur, tum avitas, tum recenter acquisitas, ad prædonum amplexus omnia devenerunt, dominis, per devia montium aut per undosum pelagus, præ vitæ metu, fugientibus attonitis, Dux autem ipse Calaber, vix

ab eorum manibus vivus evasit. Astu vario ac blanditiis interdum opus fuit, ad impiorum cogitata, ne in eum ruerent infringenda. E Xativano carcere raptatum suæ dementiæ cupiissent habere imperatorem. Id non modo renuit, quæ futura forent prævidens, verum etiam furores eorum fœde nec sine vitæ periculo redarguit. Jam tandem Pupus ille larva Reguli trucidatus fuit, sed casu quo, auscultato. Intra urbem ipsam Valentiam, exploratores habebat. Plebeculæ quædam capita, noctu illos apud se domi admittebant, reique fomentum ministrabant. Monitus larva Reguli Valentiam noctu adit, res detegitur. qui Pupum operiebantur, capti fuerunt. proditione intellecta, nunciorum loco ad Pupum eunt armati cives. præsensit Pupus dolum, vertit equi candidi lora cui insidebat. In ejus comitatu non deerant, qui Pupum jam nausearent. erat enim vilis quidam neophytus Toletanus præstigiator. terga vertentes suimet comites, gladiis transfixerunt, admissorum veniam inde sperantes. Hæc mihi Almirantus Castellæ per Valentinorum literas se habuisse retulit. Hæc do. Jam valete. Victoriæ. IV. nonas Junii, MDXXII.

EPIST. DCCLXII.

Discedunt omnes Galli ex Italia. Obsessio Genuæ. Protractio Ducis Genuæ noxia. quid spes lucri faciat. Adorni admissi. Iratus Papa contra quæstores anathematizat. Cæsar & Anglus contra Gallum.

P. M. A. M. Marchionibus.

OB Pontificem in Hispania morantem, crebros habemus cursores. De Galliarum reliquiis Cremonæ receptis è prælio, hæc habentur. obsessos nostri ad has angustias traxerunt, ut civitate relicta liceret abire incolumes. Data est venia. dati & viæ comites, ne detrimenti quicquam paterentur eodem tempore, suppetias illis laturas Galliarum Almirantus gradiebatur; audita eorum deditione, regressus est, non psallens at tripudians. Ita miseram relinquunt Italiam, tribus sibi servatis castellis, Mediolani, Cremonæ ac Novariæ. His absoluti curis nostri, cum integro exercitu Genuam petierunt. Applicati ad muros circiter Idus Maii, ternas per Pescharia Marchionem, peditatus præfectum literas ex castris positis Dux & populus obsessi habuerunt, quarum mihi exemplaria venerunt ad manus. Ejus mensis decima nona primas, vigesima quinta alteras, octava & vigesima postremas, ut sese dederent imperatori, suasivas, hortativas & monitivas misit, ne vim paratam exspectarent. diem ex die Octavianus Fragosus dux eorum protrahebat, ægre ferens, quod Imperio privaretur, & quod adversæ factionis Adornianæ jugum esset subiturus, aut extorris à patria per alienas terras vagaturus. Peditatus Genuensium dux erat Comes Petrus Navarrus, multis trophæis contra Mauros præcipue ornatus. Urbis direptionem minatus est Marchio, ne ut peditatus solvatur, exspectent, iterum atque iterum monet. verba dabant. verbis non opus esse ultra repetit. distulerunt parumper. peditatum solvit. de spolio civitatis spem præbet. Audito prædæ symbolo, veluti famelici leones ad ovium septa muros conscendunt. parvo negocio, Hispani primo, quod sint agiliores, ubi spes lucri monstretur, rem perficiunt. cæterique sequuntur Itali Germanique. spoliatur discerpiturque misera civitas, quondam fere universi maris domina, sed sua mole pressa, intra se discors effecta, cujuscunque illam adeuntis, pellex & subjecta meretrix. quod est calamitosius auditu ab innocentibus & insontibus civibus non abstinuerunt, quin mille infelices tormentis afficerent, uti accidere solet in tanta bellorum fortuna, ut ab afflictis abditos extorquerent thesauros. Capti ambo duces fuerunt, Octavianus Fragosus urbis caput, & Comes ipse Navarrus militum, pro Rege Gallorum Prætor, ductique Neapolim, ubi sub tuta custodia servantur. Admissique sunt ad urbis imperium Adorni, quorum primas est Antonius Adornus. Is Dux est creatus, & sedet in eorum Ducali atrio. Sic rotat rota rotans, cui nihil stabile pullulat in sinu. De rebus Italis jam satis. Pontifex in Augusta-Cæsarea quarta hujus mensis Iduum, Cardinalem Cæsarinum, ad se sua sponte ac Cardinalis Medicis suasu venientem, suscepit. Collegium duas misit commeatibus variis onustas naves ad Pontificem, cum duobus annulis piscatoriis, & è moneta ipsius Papæ stigmate decussa, duplos aureos nummos bis centum. postero ab illius Cardinalis amplexu, Cæsar-Augustanis insalutatis, per Hyberum, Dertosam suæ fortunæ cunabulum secunda Junii adnavigavit, iratus exivit, ob quæstorum voracitatem, qui sub portuariorum specie aperte deprædantur, & mille afficiunt injuriis peregrinos & adeuntes quosque. Clerus Salamantinus Pontifici dono misit preciosum aureum magni ponderis calicem. quæstores quod non eis calicem manifestaverint, quo vectigal eis præberetur statutum, rapuerunt à nunciis calicem.

cem. Iratus in eos Papa civitatem ira concitatus anathematizavit. Calicem Pontifici attulerunt; excussa manu eos rejecit, ut suis dominis calicem restituerent, si voluntas assit, imperavit. A Cæsare Rege vir familiaris & regius metatus ex Anglia cum literis missus est ad gubernatores. quo pacto fuerit ab avunculo & matertera Regibus susceptus, gaudens scribit, in Dobram Angliæ municipium se descendisse Maii mensis die vigesima octava; nobiscum se fore ait, quando non arbitrabimur. Altero epistolæ capite narrat, fecialem à se ac avunculo Rege ad Gallorum Regem missum, inimicitiarum indictivum rediisse. Qua significatione intelligendum est concordes fore contra Gallum Regem, ambobus infensum. Instat alia parte, ut quater mille pedites ad augendum Britanni, Angli dico Regis exercitum, qui jam cœpit, uti ajunt, in Galliam trajicere, paratis in Flandria decem millibus aliis qui præsto sint, ut traducto exercitui jungantur. statuit & ex Hispania, quum primum venerit, idem efficere, quo Rex Gallus undique stimulatus, intra suos fines de se tuendo cogitet, cæteris in tranquillo relictis. Valete. Victoriæ Idibus Junii, MDXXII.

EPIST. DCCLXIII.

Beovia capitur. Irruptio in Germanos. Ingens jactura. Benignitas in captivos. Præda vini nostri. Præda intra Galliam. De Comite Miranda Prorege. Oppugnatio Maiæ arcis. Deditur Maia. de potentia Muteczuma.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

UNo halitu accipe multa. In horas Cæsarem exspectamus, uti ex Britannia suismet literis est pollicitus. A nobis interea de Fontis Rabiæ captu jam nosti. Beovia est arx in parvi cujusdam fluminis ripa, qua vadosus est, sita. Ceperunt eam Galli, quod itineris esset custos ad commeatus & suppetias Fontis Rabiæ ferendas. En de Gallorum potestate erepta est. Sed audi, quali jactura hostium res acta sit & sustentata. Duce Don Ludovico à Cueva Ducis Alburquerchi filio parvo negocio primum est debellata. quum vero Galli, per ejus capturam fore viderent, ut non sine magno discrimine & impensa traducere, quicquid ad auxilia ferenda Fontis Rabiæ præsidiarii possent, magna vi comparata Beoviam adierunt. præter finium & Baionæ Gallicæ copias, ex ipso Fontis Rabiæ oppido Germanorum circiter mille à præsidiis exierunt pedites. tribus tormentariis vasis quatere arcem cœperunt. Uno grandi Canono, præcipue sub Divi Jacobi Hispaniarum patroni nomine conflato, simul cum Fonte Rabia perdito. dum quaterent arcem hostes, supereminentem arci occupant collem Lipuzcani, quorum res agitur, duce uno è municipalibus Fontis Rabiæ primario, ejecto à patria domo. Germani obsidentes, de colle redimendo cogitarunt, adscenderunt serptim: è margine ac labro collis ruit in Germanos dux ille cum sociis vix centum. Saxis derotatis aut dejectis partim, vi telorum partim, Germanos omnes aut trucidarunt aut ceperunt. evasit nullus. Visa Germanorum strage, deserunt obsidionem oppugnantes & fugiunt. A latere salit cum equitatu Don Beltranus in fugientes. fuit jactura ingens. In flumine obruti sunt multi, vadorum ignari. è Germanis superstitibus ad gubernatores duxere captos tercentum. Ex illis centum ad Pontificem missi sunt, ut eorum opera utatur ad rem maritimam; reliquis bene depastis, data est libertas. Mites in victos Hispani nobiles sunt, uti nosti. De recuperato Canono veteri nostro, cum D. Jacobi simulachro, fuit lætitia summa inter primarios. deosculati sunt & amplexi vas illud millies Don Beltranus, prætor & reliqui militum Centuriones. Eodem quo anno superiore fatali die profligati sunt in Navarra Galli, servata est Beovia. sed quid? ne lætum quicquam offeratur in ebria Fortunæ taberna, quin mœroris tantundem porrigat. eodem tempore rapta nobis fuerunt à piratis Gallicis cadorum vini quod ad S. Sebastianum vehebatur millia duodecim. Re Beoviæ felicibus auspiciis peracta, fines Gallicos, cum valida manu Don Beltranus adortus est. S. Joannis Luci vicum vastavit, ac naves multas, quæ ibi erant in anchoris aut combussit, aut disrupit submersitque, mox ad Bajonæ Gallicæ usque prospectum, obvia cuncta devastans, perrexit. gregum & armentorum ex vicinis locis copiam ingentem ad suos reportavit. Captæ sunt à Lipuzcanis per idem tempus naves plures. Æmulatus aliorum præclara facinora, tibi amicus Mirandæ Comes, Navarræ Prorex, debellandæ arcis Maiæ in quodam Pyrenæorum culmine sitæ, provinciam cepit, quam præsidio tenebat Don Jacobus Vèlez Navarrus Agramontesiæ factionis eques, nobis aversus, cum decem aliis nobilibus exulibus. cum summis difficultatibus tormenta subvexit, obsedit. primo impetu sex è nostris

ſcopetarum jactu peremerunt. directis in obſeſſos gravioribus noſtris tormentis, murorum pars ingens diruitur. Adſcendere tentantes fortibus animis, diu obſtiterunt obſeſſi. plures nobilium juvenes, qui honoris & nominis adipiſcendi gratia, à gubernatorum curia ierant ad Comitem, ſaxorum ictibus dejecti, percuſſique graviter fuerunt. nec evaſit immunis Comes ipſe Prorex. Inſtantem oppugnationi fere peremerunt. excuſſis tribus dentibus vi ſaxorum è murorum ruina deportatus fuit. Quum tandem ſe diutius non obſtare poſſe intelligerent obſeſſi, Comiti ſeſe dediderunt; nullo pacto alio à Comite conceſſo præterquam de vitæ ſolius incolumitate. Diruta eſt arx illa, ne ultra poſſet eſſe prædonum aut Gallorum receptaculum. A Maia Atlantis filia hanc & duas arces alias hiſtoriæ quædam Hiſpaniæ veteres volunt eſſe nuncupatas. Ad Indos parumper navigemus; claſſicula eſt advecta. Munera illa precioſa Cæſari allata miris modis laborata in Valdoleto vidiſti, & hominum illorum acumen admiratus es. Intellexiſti etiam de magna illa civitate lacunari Tenuſtitana, deque illius Rege Muteczuma potentiſſimo multorum Regnorum ac Procerum domino, quem Fernandus Corteſius illarum terrarum perluſtrator invitum tenebat in ſuo contubernio. Demum uti fuerint noſtri à Barbaris male tractati & ejecti, majorique ex parte trucidati (ea eſt provincia nuper vi armorum, cum auxilio tamen vicinorum populorum, Muteczumæ Regis inimicorum recuperata) particularem condo de his rebus Decadem, quæ veteres meas ſubſequatur. De hoc ſatis. Hac hora qua hæc ſcribo, nuncius anhelans ad gubernatores cucurrit: Cæſaris claſſem è maritimis promontoriis eſſe viſam inquit. cito pariet hæc prægnans fama. Pontifex vero ſeſe apparat, ut ad vos proficiſcatur. Vale. Victoriæ. pridie Idus Julii, M D XXII.

EPIST. DCCLXIV.

Appulſus Cæſar. Munera ad Cancellarium. De literis gubernatorum.

P. M. A. M. Magno Cancellario.

BEatos nos effeciſtis, quod Cæſarem Regem ad orbis imperium, uti conjecturæ oſtendunt multæ, natum ad nos perduxeritis. quando vero illum nobis præſenti numine digito ſignantes, *en illum* dicendo, beatiores erimus. Cætera Martinus Lupus à Guigniga Ordunienſis familiaris meus, quem ad te cum munuſculis in obſervantiæ argumentum mitto. Thuris unciola, vel ceræ virginis libella contenti ſunt Superi. Tu à Martyre conterraneo modico veteri contentus eſto ſucco vitali, quo inter Pyrenæorum rigentes anguſtias carebitis. Si quid ultra comeſtibilis præbebitur, læta ſuſcipies fronte, dantis animum præponderans. Si quatuor iſtis mulis ſarcinariis ad exportanda ſupellectilia indigebis, utere ad libitum. Vulgares epiſtolas quas binas affert ad te à Comeſtabili & Almiranto, gubernatoribus, de meis & fidis & magnis obſequiis erga Cæſarem abſentem, teſtes, Cæſari legendas monſtrabis, quibus intelliget, neminem unquam ſub hoc habitu meo, Principi cuiquam fuiſſe magis utilem atque ego, in hac tumultuaria inſania populari à paucis ambitioſis excitata, quæ univerſam Hiſpaniam fere contudit in deteriuſque traxiſſet, ni Cæſarem advexiſſetis. ut benevolum mihi Cæſaris animum reddas, ea narratione opto. De Fortunæ quidem bonis, quorum ingens eſt Cæſari coactus & officiorum & beneficiorum acervus, ad ipſius arbitrium diſtribuendus, nil moveor. quod ſatis eſt, habeo mihi, à Catholicis ejus avis relictum. humanæ fragilitatis quippe memor, quamque mihi breves ſuperſint vitæ dies, qui ſum ſexagenario major, cupiditati rabidæ finem impoſui. Vale. Victoriæ, ubi Mulorum & Martini Lupi familiaris mei reditum exſpectabo, quibus comitibus queam & ego me ab his montibus exſolvere, ut ad vos properem, data illorum copia. XVIII. Julii, M D XXII.

EPIST. DCCLXV.

Secunda navigatio Regis. Furit Rex Gallus per Regna ſua. Gratus Cæſari autor.

Mercurinus à Gatinera Magnus Cancellarius Petro Martyri conterraneo Cæſaris à conſilio.

ANtequam huc trajiceremus, plures à te literas acceperam, & tuarum & mearum plures video deperditas, in quibus alterne multa ſignificabamus, præterea ego tibi referebam, auctas fuiſſe res noſtras acceſſu potentis Angli Regis. Scripſeram itidem de profligatis jam Gallis ex Italia, & excuſſo illorum acri jugo, Inſubriæ Regnum omne liberum. Nunc libet mihi gratulari noſtram hanc in Hiſpaniam profectionem, quæ tanto inſignior fuit, quod nihil unquam ſecundius acciderit hac tempeſtate navigantibus. Quis enim crederet per ſummos ſolis ardores media æſtate, potuiſſe tantum Oceani & hujus

Oceani

Oceani ſpacium, ſola decem dierum intercapedine tranſmeare? Vidimus profecto præſens Dei numen Cæſaris noſtri conſiliis adeſſe, quæ quum nondum ad portum appuliſſemus, nunciatum nobis eſt ea nuper contra Gallos parta victoria prope locum Fontis Rabiæ, de direpto S. Joannis Luci vico tot captis ibidem aut ſubmerſis navibus. De deſcenſu præterea claſſis Anglicæ in Minorem Britanniam, ac devaſtatis in Gallia multis oppidis. De Gallo Rege mox per totam Galliam debacchante, ac jam res Italicas deſperante, atque ut reciſis fumis lugente, proxime vero de recepta Maria. Quæ omnia neceſſe eſt divinis accepta conſiliis referamus. quibus huic noſtro conſummatæ prudentiæ Principi conſummatum orbis regimen demandatum eſt. Cæterum dum tantum in publicis efferor, oblivisci tamen privata nollem. Supereſt enim, neque in ultimis quidem erat, ut tibi gratias agam, & non vulgares, quod tam opportuno tempore tuum hominem miſeris ad me rebus omnibus inſtructum. Nam jumenta, quibus indigebam maxime, & ea nec vacua quidem, vidi libens. Nec minus gratus nuncius ipſe tuus, cui optime nota eſt hæc regio Cantabrica. utemur eo duce, donec ab his montanis latebris eximamur. literas à gubernatoribus ad me directas Cæſari pateſeci, grata ſuæ Majeſtati tua reddidi obſequia. Quando apud vos erimus, noſces me operam navaſſe debitam. Hoc tibi perſuadeto, neminem unquam te habiturum, quem ſtudio, gratia & autoritate mihi præferri velim: & ſi tua munera gratioſum fuit accipere, multo mihi jucundius repenſando fore. Interea vale. ex oppido S. Andreæ. xx. Julii, M D XXII.

Infra vero:

Tuus, uti ſolet, Conterraneus

MERCURINUS A GATTINERA.

EPIST. DCCLXVI.

Quo die in portu Rex. ejus comitatus. de Petris Girone & Laſſo. Laus Caracioli apud Cæſarem. Orator Venetus.

P. M. A. M. Marchionibus.

ACcipite jam tandem Regem Cæſarem. præteriti menſis die decimo ſeptimo portum cepit. Cætera per literarum Magni Cancellarii exemplar cognoſcite, quæ ad vos mitto una cum Originali hoc, gubernatores ilico diſceſſerunt. Morabor ego dies pauculos, mulos exſpectaturus, quos ad Cancellarium onuſtos miſi. Ad Regem nunc. peditum Germanorum ſecum adduxit millia quatuor. In S. Sebaſtiani præſidio contra Fontis Rabiæ raptores Gallos, locabuntur. Don Petrus Giron & Don Petrus Laſſus, audito Regis deſcenſu in Hiſpaniam, nuſquam apparent. quo tetenderint, ignoratur. Intellexerunt namque Cæſarem magis ſeverum quam mitem venire in eos, qui ſeditionibus popularibus præteritis fomentum præſtiterunt. Septimo Calendas Auguſti movit è portu Cæſar, per invias rupes & aſpera Cantabrorum in Pyrenæis juga atque Aquilarem Campoam Hibero fonti proximum. Palentiam urbem in hujus menſis nonis pervenit. A Pontifice legatum ducit comitem protonotarium Caraciolum, Neapolitanum nobilem, virum à cunabulis primis apud Cardinalem Aſcanium in earum magnarum actionum vigilem, mox perpetuo tractu apud Pontifices exercitatum, hinc prudentem. experientia namque rerum ea eſt quæ ſapientes homines reddit. hujus vivaci conſilio, in ſuis rebus afflictis Cæſar ſibi devinxit Leonem Pontificem, & à petitis induciis cum Gallis abſtinuit. Unde Galli Mediolanum & Tornacum amiſerunt, & à centum millium ducatorum tributo ſuper Regno Neapolitano ſe Cæſar liberavit, Flandriæque ac Artoſii reſorto: de quibus late ſcripſi in conventu Caleſio. Venit & à Rep. Veneta orator, licet inimica, nobilis Gaſpar Contarinus, vir omni genere literarum illuſtris, & moribus egregiis ornatus. Ab his ego habebo, quæ ab exteris afferentur regionibus. Voſque à me valete. ex urbe Victoria. VII. Idus Auguſti, M D XXII.

EPIST. DCCLXVII.

Rhodum it Turcus. Papa verſus Romam. jugulati Iunctæ procuratores.

P. M. A. M. Archiepiſcopo Cuſentino.

FOrte miraberis, cur à duodecima Calendarum Auguſti nullas ad te dederim. rara profecto ſunt quæ à me optantur magis quam tibi ſatisfacere. Abiit inſcio me curſor unus, ab eo tempore. uno igitur faſciculo plura ligabo. Turcarum Principem ais Rhodon cum exercitu, quali ſolet in hoſtes, petiiſſe. Ad medullam uſque læſit tibi amicos omnes id nuncium. Optatos inde non exſpectamus ſucceſſus, ob Chriſtianorum Principum diſſidia & ſævam ambitionis & avaritiæ illos excitantium rabiem. Deus faxit ut aliter eveniat quam ſuſpicemur. De Pontificis vero motu ex Deturſia Terraconem,

nulla est mihi scribendi cura. Illum jam forte Romæ habetis, quandoquidem ad nos jam pervenit, qui Genuæ illum nuncius reliquerit. A nobis arbitror, me alias scripsisse, Gallicos fines fuisse graviter ab Hispanis infestatos, direptosque fuisse vicos plurimos, cum ex Baiona Gallica non audeant eorum præsidia caput exserere, ne illis accidat, quod sæpe in re bellica solet evenire, ut victis admixti profligatores patentes una portas ingrediantur. Horrendum audi aliud exemplum. Junctæ popularis procuratores, in oppido Turdesillarum deprehensi, quando Proceres oppidum de Juncterorum potestate vi armorum exceperunt, popularis levitatis fotæ ab eis pœnas luerunt. In municipio Methinæ Campi jugulati sunt numero septem. Don Petrus vero Maldonatus à genitore, à matre Pigmentellus, Beneventani Comitis nepos ex sorore, in arce Simanchea detruncatus est. Is ad Juncteros Salamantina duxerat auxilia. propius accedamus. Nudius quartus qui fuit à Calendis Septembris dies septimus, Cæsar Valdoletum ingressus est. post paucos inde dies ab Indis & Orbe Novo, immo & Novissimo literas habemus. Meminisse te oportet Barchinonæ in nostro Senatu rerum Indicarum fuisse statutum, ut quinque naves ad Insulas aromatum altrices quærendas, sub Prætore Portugallico Fernando Magallanes destinarentur, quod is Magallanes quinquennio versatus fuisset in Collucuteis, Cochineis & Canenoreis nundinis, ad quas ex illis Insulis a quatori vicinis aromata per Insularum commercia vehebantur. Ierunt Magagliano ab Insularibus quibusdam bello exagitatis interfecto quatuorque reliquis è classicula quinque navium deperditis, una tantum regressa est, dicta *Victoria* cribro terebratior. triennium in ea consumpsit navigatione. Particularem videbis de hac re ac diffusam & admirabilem narrationem, quia universum ambivit orbem, solem semper secuta cadentem. Nunc vale. ex Valdoleto. III. Calendas Septembris, MDXXII.

EPIST. DCCLXVIII.

Ivit ad matrem Cæsar. in Vaticano Papa. Paparum graves curæ. de Rege Hungariæ. Mors Palentini Episcopi.

P. M. A. M. Marchionibus.

EX Victoria Palentiam urbem concessimus; inde ad Valdoletum Cæsar Curiam traxit. Reginam matrem in Turdesillis manentem, æternumque mansuram, adivit quarto nonas Septembris. In diem quartum ad nos regressus est. Sed paulo post iterum rediit, ad funeralia sui genitoris Philippi Regis celebranda, cujus adhuc restat ibi corpus inhumatum, Regina id volente. in pheretro tamen & divinis sacris comitatus regali more. Pontificem ex Terracone vela fecisse intellexistis per exemplaria earum ad Archiepiscopum Cusentinum, ad quem à vobis aliquando diverto sermonem. neque enim amicorum sum adeo expers, ut vos habeam solos intra mei pectoris domicilia inclusos. A Pontifice vero nuncium habemus ex Genua. Dux Mediolani & Prosperus Columna, Marchio etiam Pescharìæ cum nobilibus quibusdam, Genuam, audito Pontificis accessu, per equos dispositos evolarunt. pedes illi in observantiæ ac adorationis argumentum sunt de more deosculati. Ab Genuensibus Pontifex fuit cum incredibili gaudio susceptus, præbitis illius Reip. nomine impensis & multiplicibus donis. per Tibridis alveum cum triremibus IV. Calendas hujus mensis in Vaticanum clivum, Pontificum atrium in Urbe nullo comitatu exspectato, se inclusit. In tertium inde diem, qui Dominicus fuit, ad Lateranense palatium cum solita Cardinalium comitiva, uti moris est ductus, triplici fuit Tiara coronatus. Ecce qui paulo ante Lovaniæ tantum Decanus erat, nunc in excelso rerum throno sedens gravibus jam curis pessundatus est. Qui prius felicissimus & sine solicitudine vivebat, ex parvo bibens fonticulo, non minus ad oblectationem & saturitatem, quam ex illo vasto flumine Gange atque Histro majore saturabatur. Misereor jam illius oneri. quia vir bonus est à natura, sed rerum ea experientia nudus, qua esse oporteret earum rectorem habenarum, nostra præcipue tempestate, qua ex Principum turbatis animis ruunt omnia. A vafris suis Cardinibus, aut agitabitur uti pila, vel nihili fiet. est quippe mos eorum vel odisse Pontifices, quod eos viderunt sibi paulo ante pares, vel deridere cum vehementi cruciatu, desiderantes ut ad Superos brevi proficiscantur. A longioribus trahamus Historiæ filum. Pannoniæ Regem ajunt cum aliorum Borealium Principum auxiliis profligasse ter copias Turcarum, innitique, ut Belgradum restituant. id sero futurum arbitror. Non sunt ejus leonis fauces hebetes adeo, ut facili tractu queat raptatus Agnus evelli ab eis. Immo à Superis petendum est, ut satis illi factum videatur amisisse Belgradum. De Rhodo quippe magis timemus quam de Belgrado speremus. Ad nos pedem trahamus. Episcopus ille Palentinus magister Mota, concionator egregius,

egregius, Cæsari ad aurem acceptissimus, veniens à solo suo natali Burgensi, æger tamen, in itinere recidivavit & naturæ concessit, invitus aut libens, vos judicate. Liber jam est effectus à rerum humanarum cruciatibus; his præcipue quibus in Fortunæ rota rotante sedentibus majorem assequuntur. Valete ac discite, vana esse omnia quæ sub orbe lunæ jacent. Ex Valleoleto. XI. Calendas Octobris, M D XXII.

EPIST. DCCLXIX.

De terræ motu Almeriæ. miseranda ruina 80. locorum. Capella Regis. mira de Azorum insulis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

Dimidiam fere istius Romanæ curiæ partem ais, non mediocri delectatione affici, quando meis illis literas idiomate qualicunque ab his extremis orbis regionibus ostendis. Jejunos alias victuros, inquis, & harum rerum occidentalium expertes, quia nemo sub hoc Hespero curam hanc sumere studet. Inpræsentiarum ergo quid astrorum ira, terræ motuum & fulgurum, cœlorum armamentariis exhaustis, in his partibus excusserit, accipito. Almeriam, volunt aliqui *Abderam* dici, esse maritimam urbem insignem in regno Granatensi, nosti. Et arcem & illustre templum Antisteum ac cænobia cuncta terræ motus discussit, & lapidibus in frusta confectis funditus evertit. Proh rem horrendam! proh casum inauditum! E sacerdotibus divinis ministeriis incumbentibus lapsa moles obruit multos, & una cum parentibus natos, cum dominis servos, domorum ruina vivos in propriis natalibus sepelivit. quid magis miserandum accidit unquam? è domibus unius integræ civitatis, vix evaserunt duæ, unam tantum ajunt alii, quia concussa restiterit altera. quo major quoque validior erat donorum structura, eo facilius tremiscens cadebat. Qui fletus superstitum? qui gemitus? qui puerorum & fœminarum ejulatus in tanta esse potuerit calamitate, conjectator. Neque his contenta rabies illa fuit. Ab ejus infelicis urbis vicinis montibus in vallibus, qui vulgo *Alpuxarenses* dicuntur, fluvius labitur fere toto anno citra alluvies vadosus. Erant ejus ripæ vicis, municipiis & urbeculis refertæ, propter soli ubertatem, & aëris temperatam gratiam, amœnis adeo, ut perpetuo illic fruerentur autumno. Omnia in pulverem vis illa contrivit. è populis evaserunt pauci, si qui superfuerunt, cœlo teguntur pro domibus, attoniti tanto malo Octoginta loca collapsa feruntur in eo tractu. Granata & ipsa Regni caput, non evasit immunis ab ea labe. Alhambra regia sedes miris modis constructa contremuit. Primariis illius turribus hiatu vasto apertis. Ædes magnifica illa templo majori contigua, Catholicorum Regum sepulchrum, si non cecidit, à casu tamen vix evasit. decidere in ea ex concussu saxa plæraque, rimisque nunc alicubi patet ingentibus. passa est ea civitas jacturam in domibus aliquibus. De Bacia illius Regni urbe alia, idem referunt. Campanarum turres adeo fuisse furore illo exagitatas, ut per se campanæ ipsæ, ac sine ministrorum dextris concussæ, insonuerint. Audi aliud non minus, si non ita perniciosum, admirandum tamen. Est ab urbe Guadixio Granatensis regni & ipsa, qua itur Almeriam, iter vastas inter rupes & montanas scabredines: Ex montium concussu junctæ sunt rupes, unde quærenda est aliunde via. Alibi ajunt in hisdem montibus Alpuxarensibus fontem pice nigriorem è rupe quadam scaturisse, apud quam nullæ unquam aquæ visæ fuerant hactenus, lacerto virili crassiorem. De Vera ejusdem Regni urbe, quæ anno superiore, fragorem est eundem passa, quid dicam? horrent ista narrando viscera neque domus ulla, neque munitissimæ illius arcis signum relictum est in ea, ac si nunquam ibi structum quicquam fuisset, deserta facta sunt omnia. Mersa & sunt alibi, de quibus nullum exstat vestigium, uti de plærisque summersis insulis Autores egregii scriptum tradiderunt. In Cassiteridibus insulis, quas Portugalensis earum possessor, *Azorum insulas* nuncupat, quæ acciderunt, audito. Unam ex eis eodem actam terræ motu, ajunt exiliisse in altum, partemque illius voratam ajunt pelago, partem aliam cum sylvis & arboriferis montibus projectam ad stadia multa. In alia ex eis montem inquiunt è loco suo serptim delapsum, obruisse oppidum celebre nomine *Villaregale*, neque ultra vestigium apparuisse. Cæteræ contremuerunt tantum, domorum & habitatorum jacturam perpessæ aliquam. In Africa etiam & in promontoriis & scopulis, cum horrendo pelagi mugitu, eadem est operata cælorum sævitia. Mauritania & ipsa in internis damna passa est ingentia. Acciderunt hæc paulo post idus Septembris. quid nobis hæc prægnantia portenta sint paritura, judicato. de re tam infensa jam satis. Vale. ex Valdoleto, ubi tu paulo plus annis duodecim vitam egisti non inglōriam. III. Calend. Octobris, M D XXII.

EPIST.

EPIST. DCCLXX.

Papa inclusus. Obsessio Rhodi. Belli vices. Contentio de Malachis. de orbe ambito.

P. M. A. M. Marchionibus.

VArias accipite, quibus labra confricetis, acridulas dapes. Roma gravi peste urgetur, Pontifex ob id in Vaticano palatio inclusus. Papa Cardinalium efflagitationi non cedit, de loco mutando ab ea contagione libero. A paucis visitur. Turcarum Princeps, qui Rhodon contundit obsidetque, ad terram ierat in Græciæ continentem, quod bis suæ acies oppugnatrices à propugnatoribus Rhodianis, licet cum ingenti jactura, rejecti fuerint: vehementer excanduit, inflammatus ira, regressus est in insulam, & trans collem ab ipsa urbe obsessa parum distantem, tutus à tormentorum jactibus, sua locavit tentoria castrensia, inde non discessurus, ut ait, re infecta, vel exercitu Christianorum, qui eum inde propellat, accedente validiore. Per leves biremes dictos *Bergantinos*, quæ per hostium classem facile noctu dilabuntur, solicite auxilia poscunt obsessi. satis de Rhodiis afflictis. Fons Rabia nos propius urget. paucis ante diebus Galli, frumentariæ rei quædam nobis mari vecta rapuerunt heminas qui vehebantur ad nostros: è contra nostri quicquid Galli ad suos jam, præ rerum caritate lugentes, multo majora interceperunt. Sunt rei bellicæ vices, ut qui hodie psallit, cras uno scalpat digito caput. Aliud habetote. Audivisse vos succincte arbitror, de repertis insulis aromatum altricibus à Castellanis. Rex hæc Portugallicum Regem remordet ad intima. Suburbana esse Malachæ, quam plærique putant auream esse Chersonesum, rura dicit Portugallicus, quod vicinæ sint, indeque per insularum commercia deferantur ad Malacheas nundinas. possessæ rei manutentionem Cæsar producet in medium. Intra suos limites assignatos ab Alexandro Pontifice, Rex Portugalliæ arguet, contentio exorietur: uti graduum latitudo est facilis, ita longitudo difficilis disceptabitur. concludetur sero. Legulejorum argutiis & contra positorum pelago, in re tanta non stabitur. Sunt eorum cavillationes aranearum telæ. Quonam vero pacto triennio consumpto classicula, de qua puto vos non ignorare, paralellum circuierit integrum, proras ad occidentem solem vertens semper, donec ad Orientem illarum una garyophyllis onusta redierit, & in eo discursu diem unum sibi defuisse repererit, quæ duo stomachis exilibus impossibilia videbuntur, per ejus rei ad unguem discussam narrationem, aliquando videbitis. Decadem namque formo quartam tribus meis de Orbe Novo jamdudum Chalcographorum opera in vulgus emissis, successivam; de hisce rebus novis ad Pontificem dirigendam nunc satis. Valete. ex Valleoleto. pridie nonas Novembris, MDXXII.

EPIST. DCCLXXI.

Edictum Cæsaris de Iuncteris. Qui & quot damnati. Naves à Cortesio remissæ. rapta navis precii magni. de tigribus. de pellectis præda piratis.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

HÆc tua sunt quæ in Hispania eveniunt. In Calendis Novembris è tabulato in ingentis plateæ centro erecto, Cæsar per præcones & scribas edictum super insanis motibus popularibus protulit hujusmodi: *Quoniam populi suo contenti, vitam agerent quietam, suis quique artibus, aut agriculturæ seductoribus deficientibus intenti, ex innata sua clementia, Rex noster electus Imperator, populis omnibus errores in eo casu commissos remittit. Seditionum vero autores in læsæ Majestatis crimen incidisse promulgat.* Ad numerum usque ducentum septuaginta suis nominibus nuncupati, ei sententiæ subjecti sunt. Salvaterræ Comes, & Zamorensis Episcopus, ac Don Petrus Giron, cum Don Petro Lasso à Vega, Garci Lassi filio & Ramiro Nunio Guzmano, cum universa ejus domo ac filiis, uno excepto, primos assecuti sunt tantæ labis ictus. Cæteri ex Salmantica, Abula, Toleto, cum Donna Maria Pachieca Joannis Padillæ jugulati uxore, suisque sectatoribus, ac Valdoleto, cæterisque hujus dementiæ receptoribus locis, quod humilioris sint conditionis, tum procuratores, tum ductores copiarum, & in ipsis urbibus ac municipiis ad populum in ea insania sustinendum, censusque ad alendum exercitum exigendos, prætermittuntur, quodque tibi minime sint noti. Horum facultates fisco, capita vero nobilium gladio, popularium ligno triplici adjudicavit. Ad alia jam. post Regis Portugalliæ obitum, ilico Cæsar Caprensem Comitem & Episcopum Cordubensem Don Alfonsum Manrrichum, ad sororem relictam viduam Donnam Leonoram ad se reducendam destinavit. Addidit illis Comitem Doctorem Caprerum Aragonicum è Senatoribus unum, quo si opus fuerit agere quicquam

quam juridicum, assit qui Leges noverit. Ad hunc usque diem in urbe Pacensi, quæ vulgo dicitur *Badaiozum*, Portugallicos fines tangente morantur, ab Rege novo non admissi, ut prætereant in suos terminos. nescitur adhuc, quid causæ insit. Doctorem tamen illum solum accersivit. quæ concludentur, ab illius novi Regis Oratore qui ad Cæsarem venit, & proximus jam est, ad unius iter diei sentiemus. Ajunt multi juvenem Regem amore intimo affici erga novercam, cupereque uxorem. hæc vulgo feruntur. Sapido jam ferculo aures demulce. Ad Portugallensium insulas Cassiterides vulgo *Azores* tres appulsæ sunt ab Fernando Cortesio Jucatanarum & novissimorum aliorum orbium subactore naves. De thesauris illarum, sed de ornatibus præcipue ac vestibus Diis eorum dicatis, quam variæ sint ab illis, quas ab eodem missas in Valdoleto vidisti, affectibus intimis referunt, & precio & decore ab illis in immensum differre ajunt, qui una ex tribus advecti sunt. duæ namque reliquæ præ metu Gallorum piratarum in dictis insulis pedem fixerunt: octingentorum millium ducatorum valorem in illis afferri audent dicere. sistunt ergo donec ad eas advehendas alia classis ex Hispali mittatur, quæ jussa est parari. edocti namque sumus exemplo molestissimo, quod nos vigilantiores efficiet, nisi nos Fortuna obcæcaverit. Anno quippe superiore Florinus quidam Gallus pirata navim unam ab Hispaniola venientem, auro ad summam octoginta millium dragmarum, unionum vero libris octuncialibus sexcentis & ruborum saccari duobus millibus rapuit. Trium navium harum princeps venit Joannes Ribera Fernandi Cortesii mittentis à secretis, qui Fernandi Cortesii heri sui nomine dimidiam illorum munerum partem est Cæsari donaturus, reliquam Cæsari donabunt duo alii procuratores magistratuum & militum terrarum illarum nomine. hi duo cum navibus restant. Joannes Ribera tentare cum illarum trium una Fortunam statuit & evasit. quæ hic afferat, alias habebis. nondum exolvit quas affert capsas, suas tamen, ad Regem nihil ipse. In tribus illis navibus tres afferebant à parvulis, in sua quamque cavea tigres enutritas. Vi tempestatum in vasto Oceano una è caveis noctu aperitur parumper. Summo conatu tigris tabulas discussit, exivit in homines nil minus sæviens, ac si nunquam hominem vidisset quenquam. obvios affecit uno ictu vulneribus crudis quinque. experrecti Comites quadrupedem feriunt hastis, persecutam in mare dejiciunt: ne idem accidat, in ipsa cavea secundam telis transfixerunt. unam ergo tantum devehunt, quam faxit Deus; ut cum rebus aliis, piratarum evadat fauces. sunt namque jam nimium illa præda pellecti, cum qua vires collegerunt validissimas adeo, ut jam nequeamus nostrum Oceanum tuto pernavigare. de his aliquando latius, quandoquidem Romanæ Curiæ gratas esse meas de Novis Orbibus enatantibus, qui latuerunt hactenus Oceano mersi, narrationibus. Jam vale. ex Valdoleto XIII. Calendas Decembris, M D XXII.

EPIST. DCCLXXII.

Cæsaris fides in fratrem. Conventus in Germania. Causa periculi Cæsaris.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

De Archiducis Austriæ Infantis Fernandi, vestrorum Regnorum hæredis, Cæsaris germani rebus gestis, optas intelligere. Id jure quidem. observasti à cunabulis illum tu, & ab adolescentia ille tua non vulgari te amore dilexit. Ab ejus curia literas habemus. Eas mihi familiaris ejus, nomine *Salinas*, qui agit apud Cæsarem fratrem ejus negocia, semper ostendit. Hoc primum scito, quo delecteris. Cæsar fratris genium noscens, fidenti erga suam Serenitatem usus est magnanimitate. præter Austriæ Ducatum & Tirolis amplissimum Comitatum dominatus avitos, plures alios impartitus est, & in Regno Neapolitano ducatorum octoginta millium annuos condonavit redditus, uti Catholicus Rex Fernandus eorum avus testamento reliquerat. Post fratris Cæsaris discessum ad nos, Germanorum conventibus intentus in Nuremberga, Principes & Rerump. magistratus, de communibus commodis consulturus, accersivit, urgentibus necessitatibus propositis, de Turcarum insolenti rabie in Christianos, deque latronum & vias ac itinera intersecantium grassatorum, qui nil tutum relinquunt, rapinis, unde commercia nundinæque cessant, suppetias ab eis petit. & militum & pecuniarum auxilia præstiterunt. Quibus habitis intra paucos dies facinorosorum omnium Principem *Franciscum Sichinum*, qui vicinos omnes cum sicariorum & vagantium manu collecta perturbabat, & plaustra nundinaria mercatorum Empertiam, quæ vulgo dicitur *Anvers*, merces vehentia suis incursionibus deprædabatur, ad manus habuit: fecitque meritorum pœnas subire. Is Franciscus Sichinus vagus & omni scelere imbutus, Lutherianæ dementiæ fautor. isque fuit qui Cæsare bellum contra Regem Gallum

gerente, quotidiana dicitur multa millia stipendiorum militarium suffuratus, quod peditatus universi Germanici ductor esset, unde Gallo Rege postmodum urgente Cæsarem, in Valentiana morantem è quadraginta peditum millibus, habito censu, millia vix sex reperta fuisse dicuntur. quæ res ad extremæ ruinæ calcem, immo & vitæ discrimen traxit Cæsarem, actumque de Cæsaris autoritate penitus fuisset, nisi Gallorum Regem Deus in congressu obcæcasset. miraculo id adscribunt quotquot interfuerunt. Præclara & alia gesta non pauca de sua Serenitate referuntur, inter quæ duo notanda. Turcarum copiæ ingentes sub ejus umbra cum parva manu profligatæ fuerunt, in Transylvania & Valachia, deditque operam, ut Lutheri sectatores quidam comburerentur, librariis, qui venum tenebant Lutheranos libros, eliminatis. Jam satis, ne te longa fatigem epistola. ex Valledoleto. XII. Calendas Decembris, MDXXII.

EPIST. DCCLXXIII.

Molestia Fontis Rabiæ. Paratur exercitus in Gallia. De Bætica penuria. Oratores ad Helvetios. Dux Calaber liberatur.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

Crebra significatio tua, quod meis epistolis viri egregii delectentur, cogit, ne à te divertam. hoc primum. Fons Rabia, non fons rabidus, uti nec sine vultu flammato, dici debere Latinatores censent, in Oceano Cantabrico municipium raptatum à Gallis, nos urget maxime. propterea frequenter ad eos labores tendit sermo noster. Variis classibus Galli tentarunt sæpe ad inclusa eorum præsidia supplementa importare. rejecti semper à montanis incolis fuerunt, qui, uti nosti, bellis maritimis sunt aptissimi. A profligatis ampla spolia sæpe retulerunt. Novum addam. Habitatores eorum litorum genus navium habent non magnarum, nuncupatum *Zabras*, remis & velis aptum. Audent quoscunque navium moles impetere, quod spondas habeant Zabræ non altas, grandium tamen tormentorum capaces, ita ut Zabræ Gallicarum ab imo quatiant latera, Gallicæ vero ab alto non ita colligere Zabras queant. Don Beltranus, nostrorum prætor præsidiorum, sentit in Gallia parari magnum exercitum, ut suis obsessis ac summa rerum egestate laborantibus, dominus de la Paliza, Gallorum finium tutor succurrat, propterea petit anxie suppetias. timeo magis quam sperem, quia nostri licet animo polleant, sunt numero paucis & jam præ vigiliis & hyeme rigida fessi, & tepide nos providemus illorum postulatis. Ad alia. In universa Bethica intellexisse arbitror te, neque herbulam præ ariditate anno superiore pullulasse, unde quadrupes fere ad unum interiit omne. de hominibus quoque non parva copia præ fame exhalavit animam. hoc anno fœta est ubertate fœcundata. Cæsar vero sentiens Gallorum Regem nequire validas vires absque Helvetiis comparare, duos mittit Oratores, ad eos vel ad se trahendos, vel saltem retinendos in fide, Raphaëlem Medicem Leonis Papæ affinem, & doctorem Brandum Germanum literis & egregiis moribus ornatum virum. provisum & est, ut Hieronymus Adornus ad Venetos idem acturus eat, ut à Gallis Veneti, priusquam in Italiam Galli trajiciant, divertantur. Clari esse ac sublimis ingenii ajunt hunc virum. Aliud accipite, quo magis delectabimini Romani Curiales. Dux Fernandus Calaber, à Xativano carcere liberari jubetur. Ad Cæsarem veniet. In feris Valentini Regni motibus prudentissime fortique animo sese gessit. Nonne & hoc referam? fuit juveni carcer avito Regno, meo judicio, utilior. In eo secessu non electo, effectus est Theologice ac Philosophice doctissimus, in fluctuanti autem Regno, agno pingui, à lupis, ursis & leonibus carnificinisque animantibus omnibus, tantopere concupito, ne unam quidem vixisset vivens tranquillam horam, & jam tædio vitæ confectus subterraneas habitaret cavernas. Jam vale, de hujus anni gestis nil habiturus ultra. quæ rabidus & prægnans tertius & vigesimus pepererit, si vixero, intelliges. ex Valdoleto pridie Idus Decembris, MDXXII.

PETRI

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS, SEXTUS.

Epist. DCCLXXIV.

Romana pestis. De adagiis satyricis de Venetorum moribus.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

QUæ fata sparserint astrorum influxus anno superiore de manibus elapso, per meas ad te, perque multarum exemplaria intellexisti. gravidus est hic volitans tertius & vigesimus, quos fœtus emittet, embryones aut maturos, eos habebis. De anni præteriti calce erunt excerpta, quæ nunc referam, cum fronte præsentis allata. Roma peste urgetur adhuc. Pontifex inclusus latet. raro caput exserit, raro hinc conspicitur. Ardentiorem mallent Romani. vir quippe bonus est & si quem nostra tempestate *Sanctum* optaverimus, is erit eo nomine dignus. Sed nostra hæc tempora mores alios expostulant in Summo Pontifice. Audent propterea ingenia libera publica infigere postibus adagia in illum, purpuratosque illius collaterales, in dirigenda Petri navicula naucleros. Quos fere omnes sub magistri Pasquini prætextu, per Epigrammata & Rhythmos ac versus hic, per solutas orationes alius, mille maculis intingunt. Tantane labe contacti sint, ut perruptis habenis ita calami solvantur, judicent alii. nolo ego mea scripta nigris adeo Thetis inficere. Jubebat Pontifex ut Pasquini simulachrum illud marmoreum, cujus collo libelli appendebant, in Tibrim mergeretur. sequenti prima luce repertum est carmen infixum inquiens, *Multo plura sub aquis locuturum, quandoquidem & sub aquis rana coaxat.* Repertus fuit hastatus ad duellum provocans dicere audentes, *Urbem habere Pontificem, quod se paucis ostendat, parumque negocietur.* De Pasquino, qui nemini parcit, satis. Veneti post Leonardi Loredani Ducis obitum, Antonium Grimanum Grimani Cardinalis patrem elegerant. Annum agebat quintum & nonagesimum, concessit & is naturæ, cujus loco suffectus est Andreas Gritus. suspicamur hunc, Galli Regis partes suscepturum, quod sit in eum Regem proclivior. Novimus tamen Venetorum mores, eam amplectentur partem, quæ suis rebus magis conducet, nec in hujusmodi casibus suo Duci adhærent, aut ejus admittitur suffragium. Hieronymus Adornus novi Ducis Genuensium frater ad eos missus orator, quid animi habeant, propediem extorquebit. A nobis Galli obsessis in Fonterabia succurrere nituntur. magnas comparant vires. nostri obstare conabuntur. quid Fortuna construat, quæ res humanas ita concutit, cito evomet. Valdoleto nonis Januarii, MDXXIII.

Epist. DCCLXXV.

Mutatio Senatorum. Classis Gallica strata. Raphaëlis naufragium. Peschariæ laus & accessus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

A Nobis quæ in anni tertii ac vigesimi vestibulo scatent, accipito. Cæsar noster domum regiam reformavit. Mutavit in Senatu Justitiæ quosdam de Secretariis. Lictoribus metatis per ambitum corruptorum tempore evectis, abstulit plures. Scripsi alias, Raphaëlem Medicem & doctorem Brandum ad Helvetios fuisse destinatos Oratores. Infelix Raphaël naufragio periit. Brandus quia natator erat, evasit. obruti & multi alii. Ex Fontis Rabiæ loco, qui nos cruciat, litorales nostræ venientem classem aliam Gallicam, in obsessorum auxilium, qui jam extrema laborant omnium rerum penuria profligarunt. Præhenderunt Zabras quatuor, & Galleonem unum cum opimis commeatibus & munitionibus; classis illius præfectus captus à nostris, de Paliza prætore, summopere conqueritur, quod suas terrestres copias, promisso tempore non adduxerit. Convenerant namque de congressu una hora committendo. pauci è quibusdam aliis Zabris Gallicis in littus projectis, farinæ parumper humeris allatæ, in peris ad obsessos serptim deportarunt. Hæc circiter idus Januarii. pridie Calendas Februarii ad nostros ab obsessis duo centuriones de deditione locuturi, exierunt &

ab alto mari naves quædam sese ostentantes, tribus tormentorum sclopis obsessos salutarunt, in signum dati promissi, quod intra diem tertium succurreretur, duobus tantum ictibus responsum est. arbitramur à conjecturis, se nil ultra biduum exspectare posse. qui primus discedet, rei exitum significabit. Hac fere hora qua hæc scripsi allatum est in Laletano litore, Pescariæ Marchionem egregium bellorum ducem, ac Don Joannem Hemanuëlem, & una Thomam genere Maium Mediolanensem nobilem, à Mediolani Duce Oratorem è navibus descendisse. quando ad nos venerint, si quid novi afferent, id novi habebis. Vale. ex Valleoleto. III. Calendas Februarii, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXVI.

Rhodus laborat. de Gabriële Martinengo. Pannoniæ infestatio. de novo Turco.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

SI non dulcia, quæ nunc scribam, vera tamen sunt. Rhodon esse in summo discrimine, fertur. In Siciliam appulsus est nobilis quidam vir S. Joannis Rhodii commendatarius, nomine *Gabriël Martinengus* Venetus, qui sua industria dicitur pluribus diebus rem sustinuisse, cuniculis hostium contraeundo, & novas belli machinas fabricando. Ait is *non posse diutius collegas suos obsessos ferre Turcarum impetum, & perpetuas excussiones tormentorum.* inquit una *constructum fuisse terreum montem, qui supereminet urbi. Unde interna omnia ab alto infestantur, captamque jam esse urbis partem.* Nostra vero classis, ad auxilia parata, diem protrahit ex die. Ventos exspectare ajunt plærique; non esse adhuc coactam ferunt alii. nec desunt qui pecunias & commeatus commodos deesse arbitrentur. Ita sero sapiemus, uti suspicor. E Neapoli fertur, Mingovallum Proregem virum effectum esse alium à seipso vetere; justi amatorem & integrum esse ajunt. Prædonum conventicula viarumque grassationes, quæ in Calabria vigebant infense, discussit, pœnasque latrones ipsos primarios luere coëgit. Ex Pannonia scribitur, habito Belgrado Turcas Budam usque Regni caput incursionibus labefactare, quod plana sint omnia media, ex Belgrado valido aggere deprædato. Universo generi Christiano perniciosus erit ferus ille juvenis Turcarum Princeps, è fasciis exsiliens, veluti è cavea furibundus leo, si Rhodon exciderit, quia præcipue Lutherana pestis lacertos jam per fere totam Germaniam protendat, seque jam ea contagio cum Boëmianis hæreticis conjungat. Licet hoc intra vestros lares habitet, tuum tamen sit, quia tangit amicum tibi. Dux Fernandus Calaber, tui, dum adolescentuli eratis, amantissimus, tertio nonas hujus mensis Curiam ingressus est. fixerat pedem, dum hospitia pararentur, in villa *Lacuna* nuncupata, milliaria tantum tria distante à Curia, uti nosti. Cæsar videndi tanti viri consanguinei sui cupidus, venatus occasione sumpta, Lacunam adivit, Ducem visit, honorifice suscepit. sed in atrio venientem, multo dignius, coram Principibus aliis & nobilium fulta corona, jussit sellam regalem afferri, sedereque Ducem imperavit, stantibus cæteris. Aliud ab extra. Duos habemus à Florentina Rep. Oratores, Raphaëlem Hieronymum equitem auratum unum, Joannem Cursium alterum; hic utramque callet linguam, Græcam Latinamque. Oratorio est munere functus alias apud Catholicum Regem Fernandum Cursius, omni genere scientiarum imbutus & rerum experientia clarus. Vale. ex Valdoleto. V. Idus Februarii, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXVII.

Sero missæ suppetiæ. Cabanillæ lapsus. Epistola Rhuteni Imperatoris.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

AB amaro succo cogor initiari. petita duorum millium peditum supplementa, per nostros Fontem Rabiam obsidentes, sero misimus. Cum exercitu numeroso Paliza dux finium Gallicorum advenit. Ut brevibus absolvam, obsidione deserta nostri retrocesserunt. Munivit Paliza oppidum, rebus ad rem facientibus defendendam. dura jam nobis erit provincia hæc. Mala bellorum semina fata esse videmus. Hieronymus Cabanillas prætoriæ cohortis præfectus tibi amicus ad Pontificem mittebatur, quod audiamus eum dixisse patrem se fore generalem Christianorum Principum, nolleque se parti alterutri favere, Gallicæ aut Cæsareæ. Per equos dispositos incursitabat Cabanillas. decidit equus. eo casu confractus est ei lacertus. ejus loco suffectus est Belga quidam Cæsareus metatorum primus. habemus & ab Ruthenorum Sarmatarum aliorum Imperatore Oratorem, quid feret in mandatis, ejus epistola loquatur ab Originali transcripta.

§. *Magnus Dominus* Basilius *Dei gratia Imperator ac dominator totius Rußiæ, magnus Dux Volodimeriæ, Moscoviæ, Novogardiæ, Plescoviæ, Smo-*

Smolenschkę, Toferię, Iugorię, Permię, Betthechię, Volgarię, &c. *dominator & magnus Dux Novogradię inferioris terrę Tzernigovię, Rezanię, Volotschię, Resmię, Beleschię, Rostomę, Iaroslavię, Belozerię, Vdorię, Obderię, Condimerię,* &c. *Serenissimo & Potentissimo* Carolo *electo Imperatori Romanorum & Supremo Regi Vngarię, Dalmatię,* &c. *Salutem & omnis boni incrementum.*

Serenissime Rex, *misistis ad nos vestrum hominem* Bartholomæum *cum vestris literis, in literisque vestris nobis scripsistis in fraternitate & charitate, & vester nuncius* Bartholomæus *ex parte vestra idem dixit, quod vultis nobiscum esse in fraternitate & charitate. Misimusque nunc nostrum hominem* Jacobum Joannis, *& quando pervenerit ad nos* Jacobus Joannis, *si vultis nobiscum fieri in fraternitate & charitate, sicut eramus nos & avus vester* Maximilianus *Imperator, Tunc una cum nostro homine* Jacobo Joannis *mittere potestis ad nos vestrum bonum hominem, qui inter nos possit tractare de fraternitate & charitate, sicut fuit cum avo vestro in fraternitate & charitate. Datus in Columna mensis Iunii die* XXVI.

En habes Jacobi Joannis Oratoris Moschovii cultam Orationem, prout jacet: si non est Ciceroniana, id est causæ, quod ad eos Boreales flatus Cicero sua Roma contentus, nunquam accesserit. Vale. ex Valleoleto. III. Calendas Martii, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXVIII.

Rhodiorum deditio. Mediolani arx à Gallis erepta. Sensus literarum Turci. Turcarum strages magna. Portentum Novarię. Volaterranus in carcerem conjectus. Verba Cardinalis ad Regem. de prędonibus piratis. Conventus contra Gallum.

P. M. A. M. Marchionibus.

QUid opus est ambagibus, quod montem exstruxerint ad Rhodia mœnia terreum Turcæ, quod D. Joannis milites valide propugnaverint, quod nostra classis inerter se gesserit, vana est recitatio. xx. Decembris Turcarum Principi, Rhodiorum ea nostræ fidei antemuralis & agger invictus civitas, sese dedidit. deditum & est quicquid illi parebat, in ea ipsa insula tres arces munitæ cum suis oppidis Lindo, Femolo & Molisso. In continenti vero deditum est *S. Petri Castellum* nuncupatum. Magnus ipse magister, qui Gallus est, cum superstitibus in Cretam dicitur appulsus, cum sua magna navi Rhodia, & cæteris ejus triremibus, reliquis etiam quibusdam navigiolis. En quid pariant Christianorum Principum simultates! Elephantem amisimus, cuniculum cepimus. Mediolani castellum dico circiter idus Aprilis de Gallorum manibus ereptum est, præ inedia nequiverunt Gallica præsidia se diutius sustinere. Cremonense vero adhuc in Gallorum manet potestate. Pontifex qui mitissimus est columbus, de pace vel saltem induciis inter Cæsarem & Gallum avidissime tractat, dicitque parentem se generalem in Christiano grege esse velle. Pacem fieri posse ambigo. Fontem Rabiam veterem Castellæ possessionem in manibus hostium relinquere, ne Hispania excandescat, Cæsar non patietur. Tornacum vero Nerviorum caput, Mediolani Ducatum, Navarræ Regnum, Neapolitani Regni tributum, Artoxii & regionum quarundam aliarum resortum Gallo ablata, Gallum à pace divertent, Deus sese dedet medium. Post Rhodon captam magni Turcarum Principis literarum exemplar ad Venetos habemus, quarum hic est sensus: *Vt sua victoria Veneti amici gratulentur, latronum se speluncam debellasse,* inquit, *& liberam ipsis reliquisse, quacunque ire libuerit, facultatem. Rhodiis vero civibus eundi aut manendi arbitrium, liberosque* ait *se fecisse, morari volentes ab omni tributo per quinquennium.* Victoriam adeptus est Turcarum Princeps? Victoriam est adeptus: sed eam non incruentam. quinquaginta bellatorum amplius millia trucidata fuisse partim ea septimestri obsidione, partim incommoditate rerum & temporum molestiis afflicta reperiuntur. Abeunte præterea ingenti classe, perturbatum est adeo mare, ut classem ejus universam, cum superstitibus & facultatibus omnibus ad Hellesponti fauces naufragio disjecerit, obrueritque. Ad futuræ alicujus novæ cladis signa veniamus. In urbe Novaria Mediolani status membro vicino portentum enixum est: uno tantum corpore constans natus est puer biceps: quaternos habens lacertos, crura etiam quaterna. Ajunt & visas fuisse varias rerum imagines in ætherea regione. Deus eam provinciam ab exterorum incursibus jam tueatur. Dum hæc moraretur epistola, tabellarium habemus. Urbini Ducem accitum ad Urbem, Curia tota honorifice, ac Pontifex sereno vultu suscepit, in avitos status restituit. Prudenter actum, meo judicio, ne iterum cum vagorum collecta caterva tremere ut alias, Pontificiam faciat tiaram. E Gallia vero Borboni Ducem Galliarum magnum Comestabilem, è sanguine regio natum, & primarium è Proceribus, turbato vivere ajunt animo in suum Regem, qui ab ipsius Regis genitrice, quam *Regentem* vocant, filio consentiente, amaras quotidie cogatur sorbitiones ebibere. Borbonum ajunt gravem esse virum, & vitiorum inimicum. illos autem

tem fama est genitricem non esse sat pudicam, aut consilii acceptricem: filium luxui adeo immersum, ut nulli fœminarum generi parcat. De hoc satis. Ad Urbem redeamus. Est inter Cardineos Proceres unus Volateranus Episcopus, genere Soderinus, Florentinus, adversæ factionis à Medica familia. Is in carcerem à Pontifice conjectus est, quod impellentes Gallum Regem ad accessum in Italiam, literæ fuerint ejus interceptæ, quarum hæc est sententia: *Propera, Christianißime Rex, Pecunias & milites tibi paratos habemus. Si distuleris, & Venetos & eam quam Florentiæ habes partem, Mediolani mox Cremonæque castella, totam demum Italiam amittes.* Alio epistolæ capite Gallum incusat, quod minabunde ac inobservanter scripserit ad Pontificem, non esse tempus, inquiens, perturbandi ejus animi, qui licet generalem se esse dicat Christianorum Principum parentem, nequibit tamen Cæsarem deserere, quem educavit, à cujusque autoritatis halitu putat se esse Pontificem. Conqueritur una, quod se participem non fecerint Regis ministri earum literarum, quas ait se vetuisse, ne præberentur. Actorem vero suum apud Christianissimum Regem, acribus accusat jurgiis, quod hi tractatus, in curia Gallica vagentur per ora hominum. Arguitur & Cardinalis hic Soderinus, & Siculæ conjurationis, quæ nuper orta est, particeps. De Soderino satis. errati pœnas luet, si errasse invenietur. Scribis tu ex litore Malacensi, visam fuisse piratarum ingentem classem, & Maurorum & Turcarum mixtam, quæ sit more solito maritimas oras depopulatura, rapturaque in servitutem Christianorum multa corpora. mœstos nos tenet ea prædonum insolentia. proh pudorem! proh calamitatem horrendam! Ab impotentibus & miseris ignominiam talem patimur, nos potentes & imperiis Regnisque onusti ad summum? Gallo ego Regi tamen culpam esse impingendam judico, qui ab Afris cæterisque alienis à Lege nostra, nos sua hianti cupiditate super Italis & Mediolani Ducatus rebus, totos perpetuo tractu divertit. Accipe aliud. Cæsar & Anglus, in Gallum fœdera junxerunt, ut eorum exercitus Galliam ingrediantur potentes. Augusti vigesima conventum est. Ab Italia quoque ac Burgundia statutum est, ut idem fiat. Galliam ut Narbonensem Prosper Columna, Romanus Princeps, Prætor exercitus, qui est Mediolani, adoriatur. Burgundus vero in Galliam Lugdunensem ruat, quo stimulatus undique superbiam temperet. Quæ prægnantes hi montes, Gallo perniciem minitantes, parituri sint, tempus rerum index certissimus loquetur. Vale. ex Valdoleto. nonas Maii, M D XXIII.

EPIST. DCCLXXIX.

Hieronymus Adornus moritur. de fulguribus rapidis. Tumultus in Curia. Rapitur Thesaurus. Responsum Lebreti requisiti.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

SCribis, Hieronymum Adornum Venetiis obiisse; fuit Cæsari molestissimum id nuncium. bene de viro sentiebatur. Solator tamen animum. Ejus loco suffectus est protonotarius Caraciolus, quem nosti virum esse longa rerum experientia prudentem. Speramus ut quæ Adornus orsus fuerit, hujus industria rite perficiatur. quando præcipue Veneti videant, nullas esse in Italia vires Gallicas, quibus queant inhærere. A nobis scito, regionem hanc insolitis fulguribus & tonitruis infestatam his diebus ita fuisse, ut multi in agro & in propriis laribus percussi fuerint. stupent homines, timentque ne cælorum heminæ mali aliquid portendant. Embryonem jam pepererunt. Veteranorum mille militum cuneus, Perpinianum iturus, ad fines Gallicos perturbandos, hanc præteribat. Cum Prætorianis Belgis est orta seditio, curiam universam perturbarunt. Trucidarunt Hispani è Prætorianis quinque: ex Hispanis unus fuit confossus. non est ausus Cæsar inobservantiam ulcisci, ne deterius aliquid exoriretur. quantocyus fieri potuit, per suos centuriones educti sunt. Est veteranorum militum horum animi elatio tanta, ut se posse quorumcunque hostium copias triplicatas facile prosternere, sibi persuadeant. Hoc eodem die allatum est aliud infelix nuncium. Scripsi alias, è tribus navibus, quos ab extremis terris Fernandus Cortesius cum thesauris ingentibus mittebat, metu piratarum, in Cassiteridibus, Azorum insulis permansisse duas, donec classis nova ad eas perducendas mitteretur. trium caravellarum fuit missa in earum tutelam classicula. nil profuit, ad Joannis Florini prædonis Galli manus, expugnata è duabus prætoria ipsa, preciosis illis rebus onusta pervenit. evasit altera cum una tantum è duodecim magni capacibus capsis, & una tigrium, de quibus supra memoravi. Pauca hæc elapsa in immensum & pretio & vestium elegantia superant, ea quæ vidisti dona, priusquam Cæsar ad Galleciam ex Valdoleto, rediturus ad Belgas, discederet, nec mirum quidem. A provincialibus populis illa, hæc ab illius magni Regis Muteczumæ

teczumæ gazophylacio & reliquis proceribus atrii, ac illorum egregiis templis asportata, sexcentorum millium ducatorum amissa hoc saltu referunt valorem, qui res illas tractarunt, excedere. Granati auri copia inerat ingens, vestes vero, Diis eorum dicatæ, multo erant auro comptæ, ad quæ visenda Venetum Oratorem & nobiles plures duxi, ad eorum hospitia, qui capsæ illius curam habent, donec Cæsari offerantur. qualia fuerint cætera deperdita, præbent hæc intelligendi materiam. Admirati sunt decorem & pretium, & arte mira laboratas imagines, & contextas omnium florum, herbarum, animalium, laqueorum ac volucrum figuras; quod populi sint illi politici & ingenio acuti ac industrii, magno sunt argumento hæc. Aliud accipe, quo epistola claudatur. Enrricus dominus Lebreti, Regno Navarræ privatus, requisitus à Cæsare, ut suis partibus inhæreat, trajiciendique per suas terras exercitus in Galliam assentiatur, dicitur respondisse, *se id sine suarum rerum magno discrimine annuere non posse, nisi per vim cogatur, quod intra fines Gallicos universum habeat patrimonium.* Quicquid delirant Reges, miser plectetur, si à Charybdi cavere studuerit, decidit in Scyllam, sine magna ejus jactura, nubila hæc resolvi nequibunt. Ex Valdoleto. III. Idus Junii, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXX.

Ubique atra pestis bellorum. de Valachia Rege. Nota *nova genera sævitiæ. nunquam auditum facinus. Conjuratio in Vaivodam. Copia pactorum.*

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

A Serenissimo Infante habuit literas actor suus ille Salinas, de quo alias. De negociis nihil ad me. de Fortunæ sclopis accipe quid habeatur. Ab illis flatibus Borealibus, quibus est sua Serenitas vicina de profligatis Turcarum copiis in duabus regionibus jam scripsi, hisdem agitari procellosis fluctibus septentrionalium illarum regionum proceres, quibus & nostri principes conquassantur. ad ipsum Salinas scriptum est. Ad Tanaim ad Borysthenem, ad paludem Mœotidem, ad Tauricam insulam conflixisse trucidataque fuisse ubique multa hominum millia refertur. hoc in usu jam est adeo commune, ut nil miremur, secare ac secari; trucidare, trucidari: perimere, perimi; sternere, sterni: rapere, rapi domesticum jam est, & Tartareis numinibus gratum. Sed audi crudelitatis novum quoddam exemplum: quia novum, relatu dignum. Valachia est Sarmatarum regio. Valachiæ princeps dicitur *Vaviola*, uti apud nos Rex. Poloniæ convicina Valachiæ Vaviola filium hæredem habuit his temporibus, impium adeo, ut præter contemptum religionis novis delectaretur hominum cruciatibus, uti de Phalaride & Busiride multisque crudelibus Tyrannis historiæ inclamitant. Patre vivente, hic regni hæres, odio habebat quotquot erant patris familiares. canum delectabatur caterva. canibus patris familiarium nomina imponebat, *Camerarii*, *thesaurarii*, *dispensatoris*, *œconomi*, & his similia. donec pater vixit, in canes sævitiam exercebat. Secari canem illum coram se in frusta jubebat, ac sæpius manu propria interficiebat, cujus nomen erat ejus familiaris, quem oderat præter cæteros. Patre vita functo, & regni habenis susceptis, in eosmet frendens, iracundiam explebat, fere ad unum necavit, neque ut jugularentur tantum, animo suo satisfactum erat, ut sanguinis eorum rivus per aulam decurreret, delectabatur. Nullas, ut ajunt, sine sanguinis effusione dapes sumebat. Crudelia omnia erant ejus acta, sed crudelissimum audi unum nunquam alias auditum. Is præceptorem habuit, virum egregium, à patre illi ad educationem, ut Neroni Seneca, designatus fuit. præceptorem ante cænam, conscientiæ stimulo agitatus, accersit, coram mensa posita præceptorem trucidat. Ejus nondum bene mortui filium acciri jubet, cui ait: *Nostin' hunc jacentem? Novi Rex*, inquit, *genitorem meum.* Juveni infelici, neque tremor, neque in parentem pietas, profuit quicquam. super genitoris adhuc anhelantis, & sanguinem eructantis, corpus projecit ac jugulavit filium, infecitque morientis patris nati sanguine cadaver. ita cunctis formidolosus effectus, suum ad se jubet venire Magnum Cancellarium. Is aliorum exemplo edoctus, parere recusavit, in arcem se recepit munitam, & exercitu in dominum Vaivodam coacto, regnum seducit. putant hac hora Vaviolam regno dejectum, vel à suis trucidatum. Cum sapido calce claudatur epistola. Res Veneta est ad votum nostrum conclusa; nil minus ab autore protonotario Caraciolo, tibi minime noto, Neapolitano nobili oratore, ad id tractandum à Cæsare misso, exspectabatur. Est namque vir magni judicii, ac rerum experientia similium grandium negociorum mirus artifex. Icta sunt hac lege fœdera, ut eorum quisque Cæsar & Venetus habeant octingentorum ad Italiæ defensionem cataphractorum & levis armaturæ quingentorum equitum.

Peditum

Peditum vero ſex millium, cum impedimentis exercitui tali quadrantibus. Ut utriuſque ſubditi libere queant per cujuſque ipſorum terras commercari. Ut repræſaliæ per ſemeſtre ſuſpendantur. Ut pro locis ac terris poſſeſſis hactenus, quæ videbantur quondam fuiſſe Auſtriæ domus hæreditariæ, Veneti ſolvant,infra octennium millia ducatorum ducenta ſingulis annis quinque ac viginti, & hinc plæraque alia ad veram pacem facientia. Sero hæc ad nos aliquando veniunt, ſera tamen placent. ſtatuta hæc & ſancita fuerunt Junii XXVIII. Tu jam vale. ex Valdoleto III. nonas Auguſti, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXXI.

Oratio Curiarum ad Regem. Aurea ſecula. Laus Cæſaris. Rex anima populi. Cauſa tumultuum. contra conſultores. Cæſar reſpondens neceſſitates expoſuit. Cauſa quare petat Tributum. Hortatio ſuavis. Aſſenſus Tributi. Quid Regna petant obſervari debere. Quid Clerus ſuper Quarta. Quid Ordines ſuper Quarta. Promiſſio Regi Anglo. De Tamarono.

P. M. A. M. Archiepiſcopo Cuſentino.

SEro interdum ſeſe offerunt tabellarii ad vos, propterea ſeræ tibi noſtræ literæ videbuntur. Circiter præteriti menſis initium, Regnorum Caſtellæ conventus à Cæſare vocatus, acceſſit. Procuratoribus civitatum habentium ſuffragia,coactis ac benigne ſuſceptis, Cæſar Rex ſuas urgentes bellorum neceſſitates contra ſtimulantem Regem Gallum proponit. mox ſuaſit ut expedite de ferendis ſuppetiis velint deliberare. His habitis per Jureconſultum Licentiatum Joannem Rodoricum Piſam civem Granatenſem è procuratoribus unum oratio eſt vulgaris habita poſtero die in hunc ſenſum.

Sacratiſſime Cæſar, & Rex noſter Catholice, Nos horum Regnorum procuratores, qui adſumus, hoc primum à tua petimus Majeſtate, ut arbitretur & perſuaſum ſibi habeat, horum Regnorum fidem & obſervantiam erga tuam majeſtatem, talem eſſe ac ſemper erga ſuos majores fuiſſe, ut nulli è multis Regnis, quæ poſſidet, debere cedere videatur. qualem convenit à fidiſſimis ſubditis fidem exſpectare, talem offerimus, quando præcipue cernimus, quibus ſe laboribus, quibuſve periculis, veſtra majeſtas expoſuit, ut nos viſeret; ſed potius redimeret, formaret ac recenter crearet. Suo namque felici adventu calamitates & mala cuncta nos prementia, quibus in univerſo paria unquam viſa fuerunt, propulſata ſunt. Juſtitiaque ab his Regnis eliminata, cum tranquilla Pace non putata revocatur. Aurea nobis ſecula felicitatemque integram hic veſtræ Majeſtatis adventus nobis advexit, quod à Principe gubernatum iri hæc Regna ſentiamus, licet ſub ætate juvenili, prudentiſſimo, juſtiſſimo ac Deum timenti, primum vinculum ad rite gubernandum, qui & virtutum omnium culmen miraculo proximum ſit aſſecutus. Romani, quando in adoleſcentem futuræ probitatis aliqua ſigna conſpiciebant, alicujus magnæ felicitatis ſpem illum appellabant. Nobis altius adſcendere licet, qui jam ſpe depoſita, in Majeſtate veſtra fruimur illa felicitate, quæ in longævis & ſapientibus Regibus & Imperatoribus deſiderari poteſt. Eſt aliud Sacra Majeſtas non omittendum. Procuratores hi, ab urbibus & municipiis ſuffragandi poteſtatem habentibus, delecti, excepto nemine: ſunt veteres Regiæ domus familiares, in regiaque ipſa domo honoribus & magiſtratibus fulti, qui perturbationum temporibus ob debitam erga naturalem ſuum Regem obſervantiam, cum vitæ amittendæ periculo, damna paſſi ſunt innumera. A ſapientibus eſt memoria proditum, Reges eſſe Regnorum quæ poſſident animas. caput alii eſſe ſcriptum reliquerunt, populus vero corporis membra. Eſt ergo membrorum, ſui capitis incolumitatem optare, uti eſt corpori proprium, animæ ſuæ conſervationem quærere. Quæ cum vera ſint, æquum eſt, ut veſtra Majeſtas arbitretur Procuratores hos, urbeſque ac Regna mittentia, vigilanti ſtudio, quodnam conſilium ſint his temporibus, ad ſui noſtrique commodum veſtra Majeſtas amplexura, deliberaſſe. Nec minorem debet veſtra Majeſtas illis fidem præſtare, quam egregiis, qui ſuo lateri ſemper inhærent Senatoribus. Ex his forte nonnulli, rerum præteritarum cognitione ſunt expertes, diverſis alii negociis impliciti, rem hanc quæ tanti eſt momenti, à tergo relinquunt. Hoc quippe Sacra Majeſtas ſi præbitam præteritarum ſeditionum occaſionem penſitaverimus non adeo mirabimur. Si tributum quod *ſervitium* nuncupamus, in oppido Clunio tam abſolute petitum, ſi civitatum procuratores non auditi, ſi plærique alii de communi bono loqui tentantes, ex paucorum hominum qui ſibi, non veſtræ Majeſtati aut ſuis Regnis proſpiciebant, conſilio, rejecti, tanti mali cauſa fuerunt. Medicinis averſis morbus ille curandus erit. Audiri procuratores primo debebant, ſuaque poſtulata expedire Regnorum gravamina, uti veteris erat conſuetudinis

proſcindi,

proſcindi, immo & audemus hoc veſtræ Majeſtati proponere. Multo ſanius utiliuſque tunc fuiſſe ſub conſulendi, diſcutiendi ac deliberandi nomine Procuratores convocaſſe. Hoc ſi veſtræ Majeſtati collaterales conſultores ſuaſiſſent, minime dubium eſt, quin audita veſtræ Majeſtatis neceſſitate, multo plura quam in præſentiarum petentur, Regna ipſa obtuliſſent. En jam, Sacratiſſime Cæſar, præterita ſunt hæc, nec jam conſilio eſt opus in illis. ad rem præſentem veniamus. Ecce nos à veſtra Majeſtate ſuis literis vocatos, in quibus ſe de his, quæ ad Regnorum commoda faciant, conſulturam pollicetur. Ultimo vero loco imperat, ut annuendi tributi procuratores afferant à ſuis quique urbibus aut oppidis poteſtatem, ſervatur in hoc ordine vetus conſuetudo, placuit propterea cunctis. Regnorum poſtulata Veſtræ Majeſtati porrigentur noſque illorum nomine ſupplicabimus, ut ejuſmodi petitis pro veſtræ Majeſtatis ac Regnorum utilitate videatur expedire, reſpondeat. Nil hac beneficentia majus, his Regnis præſtari poterit, qua impetrata neque populi unquam de ſimultatibus excitandis cogitabunt, & obſervantes in veteri fide confirmabuntur. Nec obſtare debet vetus Curiarum conſuetudo, in qua prius de tributo agebatur. mox de Regnorum commodis: qui Regnum eſt, ſi quid novi emergat, juxta temporum exigentium novas condere Leges. Proſtrati ergo ante Veſtræ Majeſtatis ſacros pedes oramus, ut hic noſtro poſtulato dignetur annuere, quo liberius ſuper his quæ ad veſtræ Majeſtatis felicem ſtatum attinent, cogitare queamus. Dixi.

Eodem idiomate reſpondet Cæſar extempore. Non minore Regna hæc illorumque populos mihi ſubditos amore proſequor, quam me ipſum amem. hoc amore commotus, heſterna die quæ ſeſe hoc tempore offerebant, in veſtris Curiis, nunquam alias audita, vobis edixi. oblatas neceſſitates, quæ me ut vos convocarem, impulerunt, intellexiſtis. Ex quo in S. Andreæ portu terram captavi: hoc idem ut vos accerſerem animo geſſi. gravibus aliis negociis implicitus nequivi hactenus. A petendo tributo cuperem abſtinere, quia vellem non modo ab oneribus populos ſublevare, ſed quantum fieri poſſet, honoribus & novis prærogativis ornare. Verum, uti patet omnibus, cum ex malorum ſuaſu, qui populos ad ſeditiones induxerunt, intolerabiles impenſæ ſeſe mihi obtulerunt, nequeo tributi hujus exhortatum prætermittere. hoc heri actum eſt. Nunc autem, ut mihi conſulatis, hortor & ut ſanum commodumque præbeatis conſilium, poſco. Quid ſatius vobis videatur, interrogo. An ſit æquius, ut vos primo ad mea poſtulata deſcendatis, quandoquidem Curias me non dimiſſurum fui heri pollicitus, quin prius ad unguem in his, quæ juſte conducent, ſatisfaciam. Quicquid gratiæ, quicquidve beneficentiæ conferetur, à mea hoc pacto prodiiſſe liberalitate judicabitur. ſed ſi prius ſupplicationibus veſtris auſcultarem, quo tributum impenderetis, illa me conceſſiſſe putarent omnes. quia præcipue notum eſt omnibus, à meis majoribus hunc fuiſſe ordinem ſervatum, ut de tributo ageretur primo, quo gratioſe, non coacti, gratias impendere viderentur. A juſto ergo deviat, ut prætermittam ego, quam reperi ſervatam conſuetudinem. Non minor eſt meus quam prædeceſſorum meorum erga vos amor, in præbendiſque gratiis illos intendo ſuperare, de qua re nil dubitare debetis. Sin aliter effecero, veri Principis, ſuique promiſſi male ſervatoris nomine, me privabitis, cur à me rem adeo novam extorquere conamini? Si ejuſmodi fama, quod mihi veſtro Regi vos Leges novas præſcribatis, ad Turcarum Principis aut aliorum aures devenerit, de autoritate mea non exigua pars tolleretur, latratoribuſque non infirma contra nos præberetur occaſio. Ad hæc igitur ſcandala tollenda, veteri ordine ſuo quæ agenda ſunt, perficite, ut de Tributo primum ſermo fiat, & vos qui boni eſtis ac fideles, veſtro fungentes officio, neceſſitatibus emergentibus, uti à vobis ſperari debet, occurrite. quandoquidem præteritæ turbationes illarum cauſa fuerunt.

§. His auditis, repetito ſupplicarunt, idem arguentes, *de Cæſaris autoritate nil ex hac conceſſione iri demptum.* Cæſar vero, neque ſine excandeſcentia, levi tamen, eorum dicta refellit. Ut ordo ſervetur, imperavit. Ita actum eſt & concluſum. Quadringenta ducatorum millia eſt ſumma deſignata, triennio, uti moris eſt, perſolvenda. Suis autem promiſſis Cæſar, de juſtis eorum poſtulatis confirmandis, ſtetit. Nunc quæ fuerint *Regnorum poſtulata* intellige.

Memoriale Cæſari præbitum à Curiis hæc Capita continebat.

1. *QUod Hiſpani ad Regis admittantur obſequia ducentique nobiles qui præſto ſint armati, ubi opus fuerit, deligantur.*

2. *Ne judicibus terrarum, in errantium mulctis gratia vel ſtipendia in eorum judicatura deſignentur.*

3. *Ne priuſquam in rem judicatam, reorum*

causa transierint, pecuniæ cuiquam ex ea mulcta promittantur, neve priusquam ad Regiam cameram perverint. Ad litigiorum tollendas molestias in veteribus horum Regnorum Sanctionibus decretum est, ut controversia, quæ marapetinorum quadraginta millium summam non excedunt, ea est moneta tibi cognita, *à tribus cujusvis Cancellariæ Senatoribus discerni concludique posit; Si duorum suffragia concurrant, servetur.*

4. *In Granatensi Cancellaria duo augeantur Senatores.*

5. *Nec cœnobitæ aut alias Ecclesiastici, possessiones aut prædia secularia, queant emere, & si quæ jure assequamur hæreditario, vendere illa cogantur, quia paulatim vel morientium vel fratales cucullos induentium mandatis, quicquid hujusmodi facultatum seculares possident, ad cœnobia vel Ecclesias devolvuntur.*

6. *Ne quis frumenti genus ullum emat frugibus non collectis.*

7. *Ne cuiquam in Regnis vetitum sit ensem gestare.*

8. *Ne pauperes mendicent extra solum natale suum.*

9. *Ne larvæ ullo tempore permittantur.*

10. *Ut in Cancellariis assint viri boni, qui animadvertant acta judicum in procedendo.*

11. *Quod Lex hactenus decernens, ut ordinarii quique Iudices, in exortis litibus ad summam usque trium millium marapetinorum decernere queant, appellatione partis non admissa, protendatur ad millia sex, ne pro re tenui ad externum Iudicium per appellationem impotentes trahantur.*

12. *Ne officia vel beneficia dentur alienigenis.*

13. *Ne tituli eorum, qui literas profitentur Bacchalariatus, Licentiatus aut Doctoratus, admittantur, aut sub eorum titulorum occasione quisquam eorum gaudeat prærogativis; nisi per rigidum examen fuerint in aliqua promoti Academia.*

14. *Ut è Iureconsultis Regni, fama integri sex deligantur, qui è Curia stipendiati, ad litium arduarum in Regnis exorientium, vel ad rationes suæ gubernationis à prætoribus regionum perquirendas, mittantur pro temporum ac rerum exigentia, non ad reorum impensam, uti hactenus est actum, sed regia mittantur.*

§. Ex his postulatis majorem concessit partem, utcumque tandem ad patriam Procuratorum quisque contenti redierunt.

§. Per se autem Castellanus Clerus, Granatensibus ac Navarrensibus ecclesiis exceptis, à quibus vult Cæsar particulatim exigere, honesta quadam compositione conclusa, cum juberet Pontifex, peteretque Cæsar exigi debere quartam omnium eorum reddit
uum partem. Cæsari præbebit florenorum auri decem ac ducenta millia, triennio & ipsa persolvenda, uti seculare quadringentorum millium ducatorum tributum.

§. Ordinum vero tum D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ milites à quibus & ipsis quarta illa pars redditu
um propriorum petebatur, ne impositio hæc adeo nova in usum vertatur, personaliter se ituros, quacunque urgente bellorum necessitate Rex ierit, qui magistratum eorum, uti nosti, Dominus est & milites illi subjacent. His conventibus dimissis, ad cogendum exercitum omnis cura dirigitur, nec an suo tempore fieri possit, ut pacto stemus cum Britanno Rege icto, intelligo, cui promissa est irruptio in Galliam cum valida manu armatorum die Augusti vigesimo: nunc quippe serere nos incipimus, quando de collectis messibus ex horreis oportebat cumulos extrahere.

De his jam satis. ad te venio, tuis uno capite responsurus. Scribis parvo tuo suasu, Pontificem Archipresbyteratum Occaniæ celebris oppidi Toletanæ diœcesis, in Carpetania mihi condonasse, petisque à me, ut ejus dignitatis titulum fructibus mihi servatis, concedam Jurisperito Antonio Tamarono, meo procuratori, quod illius oppidi sit oriundus, ut lubet, facito vir bonus es. quod vero ejus glebæ uberis motor fueris, eas habeo quas debeo gratias. partem gratiarum, quæ Pontificem tangit, Pontifex habebit. Sum jam fessus. ergo vale. ex Valdoleto, idibus Augusti, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXXII.

De duobus Brevibus. Obsessio Procerum pressorum. De Orbe Novo. Restitutio Mexici.

P. M. A. M. Summo Pontifici Adriano VI.

UNo halitu post sacrorum oscula pedum, tres Charites, dico gratiarum actiones, accipiat Beatitudo Tua Occaniæ archiepresbyteratum mihi est impertita. Et de Pontificio more sub naviculæ sigillo breves accepi duas à Beatitudine tua membranas. Ad Serenissimum Cæsarem unam, qua suades, ut me summo prosequatur amore, fuisse me illius progenitoribus, parentique suæ Majestatis utrique gratissimum, significat. dehinc suæ Majestati utilem, quo tempore fuimet subditi tumultuantes Regna hæc omnia perturbabant, dicitque mea fuisse obsequia non contemnenda, quando vos gubernatores, cum octodecim Proceribus insania popularis inclusos & fere obsessos premebat in oppido Turdesillarum Regnorum arce, quod ibi moretur æternumque sit moratura Catholica Regina,

Regina, suæ Majestatis mater, fuistis à me de rebus, quæ gerebantur moniti, nec parum commodi ad emergentia tunc negocia, significationes meas Cæsareis rebus attulisse, vestra Beatitudo fatetur. Tale testimonium, Pater Beatissime, gratissimum mihi fuit, nec meæ famæ parum addidit incrementi apud Bonos, quibus non invitus, immo & gloriabundus Membranam ipsam legendam porrigo, additumque amorem Cæsaris sentio erga me. Membranatum altera imperat, ut prosequar de Orbe Novo quicquid post suæ Beatitudinis discessum ab his Regnis Oceanus ab utero suo prægnanti detegere Hispanos permittit. Non invitus laborem sumam. tres aliæ, ab impressis, meæ Decades propediem ex mea prodibunt officina, quæ Beatitudinis Tuæ nomen in fronte gestabunt. Circuierunt namque integrum Hispani paralellum, & insulas aromatum altrices repererunt. immensamque illam civitatem Lacunarem Thenustitanam cum amplissimis novis regionibus, nostro Cæsari restituimus. Cætera Cusentinus Archiepiscopus tui Pontificatus dexter oculos. Valeat Tua Beatitudo, ante cujus sacros pedes prostratus dico humilem commendationem. Valdoleto. idibus Augusti, M D XXIII.

Epist. DCCLXXXIII.

De monstris. De Luthero hæretico. Qui visa fuerunt in aëre. Male sentit Borbonus. Galli trajiciunt Alpes. Proditor Bonifacius.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

E Germania duo sunt allata monstrorum simulachra, juvencæ formam sub humana specie, diversis licet membrorum signis, referentia: pelliceum ambo, cum raso vertice, fraterno more, videntur habere cucullum, & pedibus stare duobus, cum lacertis manibusque fere virilibus, capite vero semileonino, plano à summo. Utraque imago bovinis constat, sed non ubique vilis, levigatis plærisque in locis cruribus ac pedibus, subnigro una, subflavo altera coloribus. Lutheri hæretici & commilitonum ejus referre speciem, populi summurmurant. Portenta etiam multorum testimonio, in aërea regione visa sunt, in Austria præcipue, ubi ajunt septemplicem hydram, æmulantem draconem; & arcus duos, ingentem unum, minorem alterum apparuisse. In majoris arcus verticibus cornuum singulos dicunt soles in summo dorso ipsius alium locant solem. In minoris arcus gibbosa curvatura dorsi, rota glauci coloris, cum sole medio crucem circumsepiebat, in brachiorum vero ipsius arcus porrecturis singulæ obscuræ lunæ arcu tertio circumdatæ. Visam & fuisse unius templi figuram, & alterius magni draconis caudam, arcamque ingentem, cometem etiam, flammas in fulgurum similitudinem, cum tonitrui strepitu ingenti fumum diu evomentem ajunt, per cæli metas evagantem apparuisse. Depicta hæc ad Regem Cæsarem allata, vidi ego. Prætoriani Cæsaris familiares Germani, cuncta sic accidisse testantur, & Lutheri majus aliquod malum, aut Turcarum ereptionem portendere illa dijudicant. Ea credere vel pro fabulis habere, tui est arbitrii. ego vero si quid putem interrogabis, dicam. Vel quæcunque Livius historicus, & Manilius Astronomus, multi præterea non vulgares autores, longis sermonibus de hisce portentis scripta reliquerunt, falsa esse omnia, vel & hæc accidere potuisse, arbitror. Ab Italia. Florentini Ducem sibi Mantuæ Marchionem elegerunt, misso ad eum suo Reip. vexillo. Fœderati, Papa, Florentini, Senenses, Genuenses, cum Duce ipso Mediolani, ad stipendia militibus in singulos menses persolvenda, pro suis quique facultatibus, ducatorum millia centum pacti sunt. Gallorum timent eruptionem. Ex Gallia fertur, Borboni Ducem, Galliarum Magnum Comestabilem & è Proceribus primarium, male pacato in Regem suum animo vivere. Ad eum concitandum dominus de Beurre Cæsaris à cubiculo vir nobilis, missus est. Paulo momento cum Cæsaris afflatu, cristas erecturum arbitramur. Ab Urbe scribitur, Pontificem ipsum in S. Maria majore, rem divinam in nonis Augusti audisse, quo die fit ab Ecclesia mentio nivis, eo die ac loco delapsæ. Regrediens apud tituli S. Crucis Cardinalem, cum purpuratorum ingenti caterva, pransus est. Ab Insubria, quæ *Lombardia* vulgo nuncupatur, Prosperum Columnam, Imperialis & Ducalis exercitus ducem, ex Mediolano scripsisse ajunt ad fœderatos omnes, ut eorum copiæ promissæ properent in auxilium. Gallos inquit ad Trajectum in Italiam, Alpibus proximos esse. argumentum præbet hæc animi cura, quod motus hostium exploraverit. Mediolani casus evenit, qui civitatem universam & una Cæsaris animum perturbavit. Bonifacius quidam Vice-Comes, proditorie in campo, ubi secure Dux deambulabat, Ducem adortus, ut perimeret pugione, vulneravit. Chirurgorum cura diligenter adhibita, extra vitæ periculum esse jam dicitur; equo insidens

agili percussor sicarius evasit, quo tetenderit aufugiens, nescitur. A nobis & Britannia Belgisque hæc habeto. Ad S. Sebastiani portum, ubi nostra sunt contra Fontem Rabiam præsidia, nova quater millium & quingentorum Germanorum manus appulsa est. Horum opera Cæsar cum cætaris, quos advexerat secum, contra Gallos inquietos utetur. Magnus mihi Cancellarius ex Anglia copias ingentes propediem in Galliam transfretaturas, & in Burgundiam peditum Germanorum millia decem cum cataphractis quingentis paratas esse retulit, ut uno tempore erumpant in Galliam, quo lacessitus undique Rex Gallus, res Italas deserere cogatur, & hebetatus aliquantisper, truncatis sui Regni membris aliquibus, impotens ad perturbandos aliorum Principum accessus, in barbaros infideles, efficiatur. De nobis autem, qui nos fore in campo armatos, hujus mensis Augusti die vigesimo sumus polliciti, nescio quid referam. Hebetes apparatus video. Quid Fortuna in tanta rerum mole cogitet, non intelligo. Cras tamen ad fines Gallorum Cæsar hinc discessurum se dixit. Vale. Valdoleto. VIII. Calendas Septembris, M D XXIII.

EPIST. DCCLXXXIV.

Conventus fiet Pompelone. Machina ex Castello Burgensi educta. Curruum & armorum copia. Consilia Procerum. Verba Galli jactabunda. De judicio in Gallum.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

AUdivisse vos, inquis, Cæsarem ex composito cum fœderatis promissas nondum contraxisse copias. Belli nervis deficientibus nequivit hactenus. quanto celerius potest, jam ad fines Gallicos proficiscitur una ex universis Regnis Castellæ vocati milites per diversa gradiuntur, in Pompelonensi agro Gallis finitimo convenient. Tormentorum jam vasa cum impedimentis omnibus, è castello Burgensi educta vehuntur. In campo jacentia, Curiales ad ea visenda multi convenimus. Imperiale visu est & stupendum. Ejus generis quos *Canones* & *Serpentinas* nuncupamus, ad murorum ruinas inventos, quatuor & viginti. Sacres octodecim, in suis vasis quodque curribus locatum conspeximus. In eis liliorum flores Gallorum stemmata conflata sunt. Globorum ferreorum, tormentariique pulveris & hastarum ac telorum omnis generis fomentorum, ad rem bellicam facientium. Rhedas ac plaustra, & jumenta ministeriis addicta quis referat? A numerandis fessi destitimus. His paratis Lucronium pervenimus, ubi nunc moramur. ut prætereant copiæ, Rex exspectat. Pompelonem, quo propius hostem perterreat, se iturum prædicat. Principes Hispani dissuadent. Neque tam valido esse appropinquandum hosti, neque Navarris fidendum, qui si adversi aliquid acciderit, rabidius in nostros Cæsaremque ipsum sævirent, quam hostes ipsi, qui familiari Regi assueti juga nostra duriuscule ferant, quod perpetuis nos præsidiariis militibus illos affligemus. Stat proposito Cæsar, nec ulla suasione movetur, magni est animi; quæ succedent, habebis. De Anglicis Burgundicisque copiis, & Borboni Duce turbato, nil ad vos ego, quia citius ad vos illa deferri arbitror, quod liberiora sint itinera, nobisque mari ac terris, tum à piratis, tum à Gallis inclusa. Sed unum audi, quod forte ignoratis. Venit ad nos, habita venia, nobilis quidam vir ex Gallia, cum à Gallorum Rege dimitteretur, hæc illi Rex ait: *Omnes in me conjurant Principes, ego autem illis satisfaciam. De Cæsare aut Anglo nihil mihi cura; scio namque Cæsarem pecunias non habere. In Anglum vero præsidia sunt in ejus fronte locata, quæ munita loca sustinebunt; ex Burgundia quicquid cogi potest flocci facio. In Italiam proficiscar. Mediolani Ducatum restituam, & revertar victor. Si quid mihi ablatum reperero, facile illis explosis cuncta resumam.* Hoc Regis Galli dictum, si fauste successerit, magnanimiter, si adverse, uti successurum arbitror, si Belli Regula ordine suo processerit, quum duros multosque sit hostes habiturus, insolenter temerarieque dictum judicabitur. Quid hoc rei sit, hæsitamus. In sui animi dictique argumentum, nullum contra nos, neque Regem Anglum, aut Burgundos motus, mittit exercitum, paratque uti dixerat, Alpium trajectum. Suæ potentiæ nimium fidit. exitus erit judex. Vale. Lucronii. V. Idus Septembris, M D XXIII.

EPIST. DCCLXXXV.

In hoc Epitomate sunt XII. historiæ. Copiæ Angli Regis in Gallum. Copiæ Flandricæ. Copiæ Burgundiæ. Borboni seductio detecta. de Cardinale Soderino. Portenta Romæ. Fornix Capellæ cecidit.

P. M. A. M. Marchionibus.

RAbidus Fortunæ cacabus in quo generis humani sub ambitione paucorum, perpetuæ decoquuntur ærumnæ, solitas evomit escas. In officina Tartarea bellica cuduntur ad immensi cruoris effusionem instrumenta.

menta. Rex Anglus, mavis Britannus, millia bellatorum sexdecim transmisit in Galliam, & sese cum copiis majoribus transiturum ubi opus fuerit, est pollicitus, modo reliqui fœderati stent promissis. Huic exercitui ex Flandria valida peditum & cataphractorum quingentorum manus jungetur. Et ex Burgundia Germanorum decem millium phalanx cum quingentis cataphractis, jam fines calcat hostiles, duce Comite *Felice* nuncupato. Ex Italia numerosum esse paratum exercitum scribitur, in Mediolani Ducatu, ad Italiæ tutelam, ob Regis Galli minatorias editiones. Hinc Cæsar quanto ferventius potest, suas impellit copias, ad Pyrenæorum transitum, sed vereor, ne sero nos efflagitantibus respondeamus. Gravis tamen ac levis armaturæ acies jam sunt transmissæ, non paucæ restant, & pleræque à Proceribus destinatæ. Borboni Ducis à domino de Beurre Cæsareo cubiculari Cæsaris nomine seducti consilium sui cubiculi adolescens detexit. Quid causæ illum ad casum adeo dubium impulerit, dicemus alias. Illius animo intellecto, Gallus Rex ejus & affinis Ducem accersit. Sui conscius Dux ad Burgundum exercitum abivit. Rex Daciæ Orcadumque insularum, vulgo *Rex Dinamarcha*, à suis explosus à Regno, quod crudeliter sese gereret, panem in Flandria cum uxore Regina Cæsaris germana mendicat. Rhodius magister, Rhodo profugus, ad Baiarum litus in Regno Neapolitano appulsus non fuit permissus, quod sit Gallus, descendere à navibus. In Urbe Cardinalis ille Volateranus, quem ob deprehensas ejus literas ad Regem Gallorum seductivas, captum fuisse alias memoravi, ad sui defensionem per procuratores admissus est, & Pontificem ajunt morbo gutturis laborare rheumatico. In rei divinæ capite detecto celebratæ putant id accidisse, aut si forte, uti medicorum aliqui arbitrantur, in sympofiali convivio à Cardinali S. Crucis præbito, nimium solvit habenas, in potu aut dapibus. In Calendis hujus mensis portentosis fuit excussa fulguribus Roma. Sacella, turres ac domos aliquas diruisse, hominesque percussisse viatores aliquot, ajunt, nec longe ab eo tempore Borgiam turrim validissimam à summo combustam, per quorundam juvenum Palatinorum incuriam id accidisse scribunt. Hi ut pernoctantes ibi columbas prehenderent, noctu cum accensa face turrim adscendisse dicuntur, & face relicta discessisse, quæ agitata vento trabes inussit. prodigio casum & hunc adscribit Roma, una cum tertio prius emerso. Ad rem divinam Pontifex ad Papæ *Sixti* sacellum, *capellam* dictum, proficiscebatur. Una dierum ipsius capellæ fornix fere in caput prætereuntis Pontificis decidit. Illæsus tamen transivit ipse, non autem qui sequebantur. Valete. Lucronii. IV. Calendas Octobris, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXXVI.

De conjuratione in Ducem. Quoties Galli strati. De Tiara. de Turcarum apparatu. Trucidatio Turcarum.

P. M. A. M. Marchionibus.

PAulo post priorem dimissam epistolam, en tabellarium ex Italia. Mala malis adduntur. Vorax ille Fortunæ uterus nunquam satiatur hominum angoribus. ob illius Bonifacii Vice-Comitis de Duce perimendo facinus alias significatum, multi è Vice-Comitibus, affinibus & propinquis ejus sub suspicione consensus capti sunt, affligentur miseri, qui forte insontes. E Genua Monachum esse, in Genuensi Tyrrheno litore municipium imminens pelago audistis, unde Sisypho more piratico loci possessor transeuntes cogit naves, quod angustum ibi sit mare, observantiæ signa velis demissis ostendere, ac tributa persolvere, scire vos arbitror, ex fratre nepos met loci tyrannum trucidavit. In parricidam imperium occupare nitentem furens populus excanduit, nepotem extrudit, demortuique loco fratrem alium suffecit. Prosper Columna nostri prætor exercitus ad fœderatos Papam, Venetos, Florentinos, Genuenses ac Senenses anxie soliciteque scripsit, ut properent ad promissum auxilium, urgens; Gallos Alpibus esse proximos ad transitum inquit. En paratam calamitosæ illius meæ patriæ perniciem ultimam. Vel Italia universa iterum concutietur, vel more solito Gallorum sanguine pinguescent Insubriæ campi. muscarum naturam sapiunt, quo plures trucidantur, eo plures concurrunt. Jam quater & quadragies ab annis quadringentis, Alpibus transitis, terram conculcarunt illam. Palantes & incautos, depræhendunt sæpe, vincunt, subjiciunt, sed locustarum exempla sequuti, post depastas segetes omnes intereunt. Jam satis collachrymatum est. Ad Urbem transiliamus. facetum admisit Pontifex adagium. Tiara Pontificia per Leonem X. Florentinis quibusdam pignorata, per Cardinalem Sanctorum quatuor ad Pontificem delata est. Tiaram primo præhendit Pontifex, pretium expositum petenti Cardinali dixisse fertur: *Tu qui Tiaram ausus fuisti abalienare, creditoribus satisfacito, à me neque obolum habiturus.* Susurrant in Urbe, *Mali posse nihil huic Purpurato*

accidere,

accidere, quin deterius promereatur. Cavillosum & avarum ajunt esse, ac per fas & nefas litigiorum motorem ad eruenda beneficia. Perturbantium sua cupiditate hominum animos, sum inimicus. Aliud audite mussitandum. Pontificem hac hora, sed per famam incertam per Galliarum sparsam terras, obiisse allatum est; neque id, ut alia multa, confictum credimus, qui ægrotare illum intellexeramus. A circiter septuagenario cadente in lectum, præcipue gutturali pituitæ defluentis morbo, quid exspectandum est? Mediolanenses exules, quos altera duarum pestium Guelforum, & Gibellinorum contagione infectos, extorres à patria pellit, exercitumque Gallorum præeunt, Valentinam Alexandriam, nostri Magni Cancellarii oppidum, dedere in prædam. Per Antonium Leviam Hispanum ad id negocii cum valida Hispanorum caterva missum, trucidatis autoribus restitutum est. Gaspar Contarinus Venetus Orator literas à sua Illustrissima Reip. mihi ostendit, quibus narratur, Turcarum equitum millia esse in Belgradi, Ungariæ quondam propugnaculi vicinia, in stativis septuaginta. magna strages Christiano gregi paratur, nisi Reges nostri convenerint animis in Barbarum illum Principem. Ungarus vero Rex, initurum se fœdus cum eo Tyranno, de præstando transitu gemens protestatur, nisi mittantur suppetiæ. Ostendit & literas ejus Reip. de Concordia cum Cæsare. Ajunt se sperare sub tam prudentis & justi amatoris Principis umbra, res Christianas aliquando suscitaturas. Eodem tamen tempore Salinas Archiducis actor, literas habuit ab hero, Polonos, Ungarosque scribitur coactis communibus viribus ad millia Turcarum quindecim trucidasse, qui fines depopulabantur Ungaros, à Belgrado incursitantes. Pescariæ Marchionem in Italia à Cæsare dimissum, navigantem classis Gallica in insularum angustiis, veluti è specula diu exspectavit, ut adversum eorum hostem ad manus haberent, strategemate Gallos fefellit, qua est angustus maris in Africam è Malaca nostra Hispana trajectus, vela fecit, & liber evasit. Valete. Lucronii. IV. Calendas Octobris, MDXXIII.

EPIST. DCCLXXXVII.

Strategemata Comestabilis. Provisio Gallorum. Vaticinatio.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

HÆc ad te cæterosque rerum apud nos emergentium cupidos. Ex insulis Hispaniola, Cuba, Jamaica, & putato continenti, cassiæ fistulæ, cujus proventus in Hispaniola sunt arborei fructus jam immensi, ac saccari, auri etiam, non contemnenda pervecta est copia. particularius aliquando hæc, ad propiora nunc. Magnus noster Comestabilis astu suo quosdam è Fontis Rabiæ portarum custodibus seduxit. Uno tantum è tribus filiis Joanne Tovaro secundogenito juvene magnanimo comitatus, sine lecto, sine jumentis ac famulis obsequiariis, blanditiarum omnium oblitus, per Lipuscæ, Biscaiæque Cantabrorum anfractuum regiones plebeio habitu montano contectus, pererravit ignotus. Exploratores, qui Fontem Rabiam noctu clam ingrediebantur, ubinam Comestabilis esset pernoctaturus, locum namque quotidie mutabat, soli sciebant. quando jam ad optatum finem rem perduxisse arbitrabatur, fortuna solitis est artibus usa, qua nocte conventum erat de porta nostris per vigiles aperienda, quingenti & quater mille Germani bellatores, acciti à Cæsare, præcedente vespera S Sebastiani portum captarunt. Re intellecta, Gallorum duces obsessi, de repentino congressu aliquo suspecti, prioribus mutatis custodibus recentes ac numero plures suffecerunt. Ita boni Comestabilis vigilias & labores novercali suo more Fortuna frustravit. Neque his contenta, similem casum adstruxit ilico. Moniti nostri per transfugas à Baiona, urbeculam eam, Gallorum finium propugnaculum validissimum ex inertia præsidiorum, sæpe protento crure secure dormientium, imparatam posse reperiri, de impetenda mari ac terris uno crepusculo, cogitarunt. tentatum est, sed quo tempore copiæ terrestres ad muros oppugnaturæ sese applicarunt, maritimæ classi cum instrumentis & ferris, proralibus carinis, ad oppositas cathenas disrumpendas paratæ, venti defecerunt. Ita desperatis animis, nec sine jactura, oblata occasione amissa, vulneratis è turritis mœnibus multis, & plærisque peremptis, re infecta redierunt. Classiarii vero, ne frustra penitus laborasse viderentur: & præ dolore tanti facinoris evasi, despumantes, in Gallica litora descenderunt. Bene munitum oppidum Cabretonum cum vicis & locis aliis circumvicinis pluribus dedere in prædam. Inter cætera opima spolia resinæ ad stipandarum navium rimas qua indigebant, aptæ copiam ingentem se reperisse jactant. sed vereor rerum vices. non dormitabunt in quærenda vindicta hostes qui nunc præda onusti psallunt: forte aliquando spolia lugebunt, aut eorum causa innocentes vicini. Jam vale. Lucronii

cronii unde propediem discedemus. nonis Octobris, M D XXIII.

Epist. DCCLXXXVIII.

De Adriani morte. Ejus laus. de fama Gallorum.

P. M. A. M. Marchioni Bellecensi.

A Magnis incipiamus, licet nil magnum in rebus humanis. quo namque majora melioraque vulgus inane, eo arbitratu meo minora deterioraque. fœtidus quippe fumus ambitionis, quo solo vexantur tumidi Fortunæ filii, mille secretis eos cruciatibus affligit. Pontifex obiit. parvo tempore frui Pontificatu datum est, si perpetuis conflictari negociis est gaudere, quid ultra? Vir bonus obiit, ad perferendos labores Pontificatus, non tam aptus, quam ad sanctos mores exercendos promptus. Salicem est imitatus, quæ cum cito coalescat, cito desinit. Cardineo galero, præter familiarem suum unicum Germanum hinc fortem contexit neminem. A Sicilia fertur conjurationis, ad te alias significatæ, autores, per Hectorem Pignatellum, te adolescente, Federici Regis apud Catholicos Regem & Reginam Oratorem, nunc Montis Leonis Comitem, & Regni Proregem, sui motus pœnas variis suppliciis affecti fuerunt. Camaratæ Comes Don Federicus Patella, & Zefallæ Baron, Franciscusque ac Federicus, de Imperatoria dicta prosapia Germani, nobilesque Panormitani plures, capitis truncati præmium sunt assequuti. Nicolaus Vicentius de Leofantis, Regni pro Cæsare thesaurarius, una & Joannes S. Philippi Jurisconsultus, Messanensis, ac plures alii mixtim nobiles ac ignobiles, vulgarium seditionum excitatores, diversis modis judicii subiere jugum. Ex Gallia, per exploratores & rumores inanes fertur, Gallos in Insubria esse profligatos. nil ultra in his, donec certiores habeamus nuncios. Lucronio venisse Curiam Pompelonem, Navarræ caput, audivisse te arbitror. Ergo Pompelone datis pridie Calendas Novembris, M D XXIII.

Epist. DCCLXXXIX.

Parum fidendum nuper victis. Laus Rocandolphi. Grandia verba Cæsaris. Bellum giganteum. Horrida nives. Vindicta in hospites.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

Idibus Octobris Cæsar nos ad Regni Navarræ, caput Pompelonem adduxit. Sed audi, quid ipsi Cæsari acciderit inter eundum. ex oppido *Arcos* nuncupato, ad *Reginæ Pontem* appellatum municipium iturus, venatus causa per montanas quasdam sylvas divertit, per saltus nemorum paucis comitatus, oblatum sequens aprum, qua redeundum esset ad rectam viam ignarus, diem totum consumpsit. Ad oppidum tandem à quo discesserat, ad multam noctem regressus est. Per diversa diversi per errantes anxie Regem quæritarunt, de aliquo discrimine suspicantes, quod vicinis nuper victis aperte inimicis, ob sui Regis prisci amorem, cum quo familiariter versabantur, parum fidendum sit. Postremo mane paulo post solis exortum ridens ad Curiam quæ præcesserat, rediit dehinc Pompelonem. Quo postquam pervenit Cæsar, summa cura & studio nititur suas copias trans Pyrenæos in Galliam impellere. Multi jam transierunt, & in Pyrenæorum radicibus, qua Galliam spectant, S. Joannis Pedeportus oppidum tenent. Ibi donec universus cogatur exercitus, & impedimenta vehantur, exspectabunt. Orangiæ Principem juvenem ebullientem, Cæsaris coætaneum: & carum præfecit Hispanis peditibus. Rocandolfus vero Germanis præerit, qui ad sex millia esse feruntur, convenient omnes propediem & per Nebritensis Principis statum vel inviti, ni libens patietur, iter facient. Rocandolfum Germanum Hispanimet laudibus extollunt. Prudentem & ad conciliandum sua gravitate militum animos aptum esse fatentur. Impedimentorum vero ductor est Belga quidam nomine *Terramunda*. Mallent Hispani, agricolæ præcipue, ad vehenda impedimenta cum suis bobus, & mulis destinati, mitiorem ac magis temperantem. Germana phalanx, constructum ad flumina Gallica trajicienda XXIV. navium pontem comitatur. in Sancto namque Sebastiano, per Antonium Bagarotum Patavinum, summæ industriæ virum, jussu Cæsaris, naves illæ connectendæ ad id ministerii fabrefactæ fuerunt. Generalis vero totius exercitus erit dux, Magnus Castellæ Comestabilis, tibi notus & amicus, fortunatus est in re bellica. Parvo

vo negocio populares exortas in his Regnis seditiones dispersit, nec multo majore Gallicas acies in Navarræ regno. Una tamen cum suo collega Almirante, propediem transmissas acies sequetur, una felicibus auspiciis. Est aliud majus; accitis Principibus, qui adsunt ad numerum octo & viginti, quibus in sumendis ferculis, aut potu fit prælibatio, *se nolle ab eis ullum consilium* protestatus est Cæsar: *sed ut se transiturum in Galliam comitentur*, edixit. Lucronii mihi sæpe adventum ad hanc urbem meum dissuasistis, si vobis credidero, multo ferventius ibitis contra sententiam hanc meam. sic stat animo fixum, *parate res vestras, castrensia transmittite tentoria. sic fieri necesse est. Et qui aliter senserit aut suadere nitetur, exiguam habebit de autoritatis meæ lapsu apud exteros Principes & Regna mihi credita rationem.* His auditis nemo est ausus emutire. Admirati ac stupidi abierunt, ob urgentem hyemem & horum culmina montium, quæ nivibus hoc tempore alte cadentibus solent esse volucribus inaccessa, non modo equis aut militibus, & quod est difficilius, curribus ac jumentis ad commeatus deferendos, & impedimentorum plaustra devehenda. Bellum hoc giganteo fore simile ajunt plærique historiarum periti, quia nitimur contra vim cælorum, & temporum statuta, montibus etiam horrendis obstantibus bella gerere. Juvenili ætati & animo infracto decretum hoc adscribunt multi, sed rerum experientia pollentiores, qui ex præteritis præsentia excerpunt, & ex utraque ratione futúra prævident, à conjecturis Cæsarem uti prudentem, quo ea fama per universum vagetur, ea publice protulisse arbitrantur; tempus loquetur. Dum hæc ita moraretur, ex nuncii defectu Comestabilis discessit, exercitum collecturus, subsequuntur & impedimenta. Sed audi dictu molestissimum. Horridæ nives hujus mensis diebus XII. XIII. XIV. & XV. inclusum tenuere Comestabilem in Burgueto villa, duobus millibus in latere montis à cœnobio Ronces-valles, in vertice montis ultimo distanti. Impedimenta vero post id, cum summo labore ac jumentorum jactura tandem sunt attracta in latus aliud Pyrenæorum, qua fluunt aquæ in Galliam. Germani vero, quibus est pontium cura demandata, quum per Vasconum Bearni regiunculæ oppidum nomine *Vezariz* iter facerent, hospitaliter suscepti, liberaliter ex Rocandolfi justa gubernatione, quod præbitum fuerat, persolverunt, abeunte illorum phalange, retro manserunt plærique, odii sui innati memores oppidani, postergatos trucidarunt ad unum. Re intellecta, regressus est magnus ad rei vindictam cuneus, oppidum in prædam datum combusserunt, ac majori ex parte trucidarunt oppidanos. epistolæ modum excessit epistola, quia raros habemus à vobis nuncios, rarique ad vos eunt à nobis. Ergo jam vale. Pompelone. VI. Calendas Decembris, M D XXII.

EPIST. DCCXC.

Quid de Pontificatu. de exercitu Burgundo. Fama varia de Gallis. Gallus exercitus vagatur.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris, & fratribus discipulis, cum apud nos condiscipulum vestrum Marchionem Bellecensem habeamus, qui virtute clarus bellica contra Gallos intererit lateri Cæsaris inhærens.

QUod adeo seras ad vos dem epistolas, mirabimini, ab Augusti mensis calce nullus ad nos ab exteris venit cursor. Rumoribus per Galliam sparsis contenti vivimus, & ob id afflicti animis, quibus res Italæ oneri sunt. Gabriel Merinus Bari Archiepiscopus, & sui natalis Gienii Episcopus, qui pro Adriano Pontifice vivente legatus erat apud Regem Gallum, post sui heri obitum, accersitus à Cæsare venit. A Rege Gallo affert mandata, eunt redeuntque frequentes ejus nuncii familiares, quid afferant in arcanis, nunc latet. tempus rerum præco loquetur, inquiunt per Galliæ aulicos ventilari. Post multa variaque scrutinia Reverendiss. Cardinales inclusos, ob illius Pontificalis throni appetitivam escam, despúmantes invicem & discordes, quid sibi quisque mallet in sinum illam colligere, quam alteri cuiquam assentiri, in Cardinalem Medicem Leonis patruelem inclinari rem dicunt. Ajunt etiam Borboni Ducem Genuam, ut ad Cæsarem trajiciat, fuisse profectum, quod Burgundus exercitus sit dissolutus, ob urgentem hyemem, inquit Germanus ille, peditatus Germanici sub Comite Fælice prætore ductor, ad sui excusationem. Nos vero pecuniaria Gallorum seductione actum judicamus. Ad Borbonum vir idem Dominus Beurre, qui eum ad Cæsarem traxerat, missus est, quo sub locum tenentis Imperialis titulo Ducem detineat, quove sit in exercitu nostro contra Gallos fomes non ineptus. Ferunt quoque, Anglos milites ob eandem frigorum causam, depopulationum & combustionum jacturis ingentibus intra fines Gallicos relictis, remeasse. Mediolanenses vero

res acriter laborare fama est, hac temporum intercapedine, qua nil habuimus ab Italia. perlatum sæpe fuit ab exploratoribus, Gallos esse profligatos, Gallos aufugisse, Gallum exercitum dissipatum, ad internecionem sectum, vana spe nos sæpe deluserunt. Magnæ illis civitatis Mediolani suburbium Galli oppugnarunt. Sed rejecti ad milliare ab urbe ipsa, ut tumultus aliquis exoriretur, exspectantes. exercitum detinuerunt. Neque defuit consilium penitus, per portæ unius custodes conventum fuit, ut una noctium per portam illis creditam Galli, exulibus tractantibus, admitterentur. Est enim Tartarea illa contagio Guelphorum & Gibellinorum adeo pestifera, ut in præceps trahat miseram patriam. Custodum intellecta perfidia, luerunt autores pœna, & sua spe frustrati Galli, castris amotis retrocessisse dicuntur. Circumvicina occupant omnia, quod nostri adhuc in apertum, suas minime copias eduxerint. Dux Urbinas Venetorum prætor exercitus, nondum extra fines Venetos traduxit copias, inquiens, *nolle certo discrimini se sibique creditos milites committere, donec esse videat in campo reliquorum fœderatorum acies*, quæ nondum accesserunt. Magnas intelligimus cogi vires. Cataphractorum ferunt futuros in exercitu nostros lanceas mille quingentas, levis autem armaturæ totidem. Peditatus, numerum attinget triginta millium, inter quos Hispanorum aderit manus octo millium. Neque hostes hebetiores esse fama est. Ita duobus exercitibus conflictata, ex occasione in occasionem, calamitosa mea illa patria dilacerabitur. Ubi jam quicquid rei frumentariæ collectum est, neque ut ferrent potuerint permissum. unum restat. Sesse, Latine Suessæ Ducem, qui Caprensis Comitis est hæres, Oratorem esse Cæsaris in Urbe nosti. Juvenem ipsius actorem in Curia nostra, nomine *Scudum*, sum percunctatus, quid causæ moverit uxorem ejus Magni Capitanei, ut vulgo loquar, Gonsali Fernandi filiam, cujus dotalia sunt omnia ipsorum loca in Regno Neapolitano, ut nunquam ad virum sit Romam profecta, *præ rubore*, inquit, *abstinuisse*, ne Romæ submurmuraretur, *tanti Principis heredem filiam, unius esse Oratoris uxorem.* contemptibile putat, præ animi magnitudine id nomen esse. Propterea *Oratoris* nomine sublato, posthæc in Cæsaris ad eum dirigendis literis, *nostro Vice-gerendo*, superscribetur, non ultra, *Oratori*. Valete. Pompelone. IV. Calendas Decembris, MDXXIII.

PETRI MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM

LIBER TRIGESIMUS SEPTIMUS.

EPIST. DCCXCI.

Moleon capitur. Responsum Lebritensis. Vulnerati nostri. Deditur Salvaterra. Suffragia Præfectorum. Verba Comestabilis miseranda. Præda commeatuum. Fames inaudita. Horrendum dictu. De grammaticastris nugantibus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.



VNo fasce plures habeto, quod injuria temporum adeo sumus inclusi, ut fere quatuor mensium intercapedine nullas à vobis, aut ab ulla Italiæ parte literas habuerimus. Si quid aliquando fuit allatum, id plenum mendaciis, per solos vulgares è Gallia rumores. A nobis, qui vetantibus syderibus, quo tempore ad stativas hyematum Romani rei bellicæ magistri confugiebant, per montanos anfractus devios & nivosos traducimus exercitum, quid fiat, habeto. Difficultatibus dictu tremebundis superatis, Comestabilis trans Pyrenæos, obiter Monleonem oppidum, & natura & præsidiis valde munitum expugnavit, Domino Lebritensi non annuente transitum, viam ferro aperire opus est. Mox ad oppidum aliud S. Pellai, ab Salvaterra Bearni primario, Lebritensi municipio milliaria sex profectus est. Id Monleonis exemplo perterritum, parum restitit. Lebritensem regionis dominum amice hortatur ac monet, ut cum sua venia Imperialem liceat exercitum in Gallum Regem hostem traducere. In sua potestate non esse respondet, quod Salvaterra sui status caput Gallica occupent præsidia,

quibus adventum prohibere nequivisse ait. Se tamen ægre ferre, quod infons ipse Navarræ erepto Regno, ita nunc in avito veteri patrimonio conflictetur. Sui Principis Imperatoris mandata exsequatur, prout sors dederit. Dum ita res hæc agitaretur, flumine Salvaterræ per vada seminatando trajecto, Princeps Orangiæ, Hispani peditatus ductor, cum ebullientibus quibusdam juvenibus, & plærisque peditibus, ad portas usque Salvaterræ incursitans, inclusos lacessivit. Ad leve prælium exeunt inclusi, tribus vulneratis; & uno è Cæsareis familiaribus, cui retrocedenti equus cecidit, in hostium potestate relicto, ad S. Pelai castra regressus est. Ad Salvaterræ igitur muros Comestabilis castra locat. Quatere tormentis incipit. xvi. hujus mensis deditur, præsidiariis cum suis quemque armis & facultatibus propriis abire permissum est oppidanis, vacuum reperere locum tormentorum, & commeatuum copiam habuere non mediocrem. Salvaterra jam occupata, Comestabilis prætor exercitus, bellorum ducibus accitis, de processu deliberat, quid eorum quisque faciendum sentiat, percunctatur: fere omnes iere pedibus in hanc sententiam, ne ulterius tali tempore progrederetur in Gallicam Tolosam, uti statutum erat, cuncta obstare dijudicarunt. Naves illas xxiv. ad fluminum trajectus constructas, cæteraque tormentorum, & apparatuum impedimenta trahi non posse, quod jumenta frigoribus & inedia consumpta deficiant, quodque sit per cænosos & paludosos adverso tempore campos transeundum, neque commeatuum copiam præterea, cum quo nobis jam solis res est habenda, Burgundis & Anglicis copiis dissolutis, & Italis suppeditaturam hostis satis intra se laborantibus, potentiam non esse contemnendam, qui si forte suos in Italia militantes copias revocaverit, facile nos poterit intra fines patrios deprehensos profligare. Cæsar de Prætoris & aliorum ducum sententia certior factus, bellicis addictos actionibus accersit Senatores, & consuluit, ut qua satius illis visum fuerit, exercitum ducant, censetur. Salvaterra relicta, Baionam Gallicam petituri, media omnia cœnosa repererunt, adeo ut jumenta nullo pacto ad impedimenta trahenda sufficerent, quin obruerentur. Est quid miserandum. Comestabilis ad actorem suum de illius itineris difficultatibus, scriptam epistolam legi. Is actor mihi est sæpe conviva, quicquid emergit, meum est intelligere. Quod Regi Cambysi per Tauri montis juga in Armeniam transire conanti, qui cum universo exercitu præ inedia dicitur interiisse, fere contigit. In dextram igitur vertere denuo copias, Fontem Rabiam versus, Baionæ obsidendæ provincia relicta, tetenderunt. Tanta se pressum calamitate scribit Comestabilis, ut pro delitiis, Fontis Rabiæ sit habiturus obsidionem, quamvis & præsidiis & repagulis aggeribusque ac tormentis munitissimum esse intelligat, nec minus animo tranquillo labores eos & pericula, tunc se amplexurum inquit, quam si apud charam uxorem & filios domi ociaretur, prima è jacturis oblatis fuit præda commeatuum, quæ totum exercitum languefecit. Quum namque ab S. Joannis Pedeportus oppido, ubi erant in horreis rei frumentarii ingentes cumuli coacti, longum jumentorum agmen sequeretur onustum, vagi quidam Vascones semiprædones insiliere ingredientes à tergo, substites, quibus postrema erat acies credita, male functi sunt officio suo, uti Comestabilis uno illius epistolæ capite conqueritur. tercentum circiter onusta rapuere nobis jumenta prædones. Ea rapina detrimenti tantum attulit exercitui tantaque fames invasit castra, ut diebus fere quinque neque panem milites, neque hordeum equi aut paleam vel fœnum sint assecuti. Corticibus arborum & deterioribus forte cibis equos eo tempore pabuli loco sustinuerunt. milites vero fame vexati, quacunque dabatur circumvicina percurrebant. armentorum gregumque, quicquid erat obvium, abigebant in castra. Fuit illis præda hæc, magno, ne penitus deficerent, adjumento. Napis crudis alii, quos in villarum vicinia satos reperiebant, contenti vitam agebant ærumnosam. periere debilitate non pauci. Ad Fontis Rabiæ prospectum tandem deventum est. *Fontem Rabiam* dicat penultima longa Hispana pronunciatione; non *Fontem Rabidum*, ut Grammaticastri dici debere contendunt. intelligi volo. obiter in oppidulum nomine *Vidaxar* inciderunt. ob inclusorum pervicaciam qui se tanto exercitui posse obsistere temerarie crediderunt, cum eorum internicie deletum fuit. Fontem ergo Rabiam, rabida rabie refertum locum, obsidebunt, & ad hanc ignominiam à suis cervicibus excutiendam, debellare conabuntur Hispani, Germanis tamen mixtis, quos supra memoravi. Ea sententia sumpta de Fontis Rabiæ oppugnatione, quo propior esset, Cæsar ad hanc montanam urbem Victoriam, ubi nunc moramur, pervenit. hinc nisi re illa rite peracta, se nunquam discessurum Cæsar publice protulit. Unum accipite posttergatum, & rivum claudamus, jam exundantem nimis, alveo superato. Ex Baiona in novissimum agmen progrediens irruerunt Baionæ præsidiarii.

diarii. adeuntibus nostris terga verterunt. desidiose actum à nostris plærique ajunt. ut abeuntes hostes insequerentur, nonnulli voluissent. In rejectu, satis actum, consilio maturiores arbitrati sunt. Jam vale nostri memor. Ex urbe Victoria provinciæ Alabæ moderatrice, quo hujus mensis die quinto pervenimus. III. Idus Januarii, MDXXIV.

EPIST. DCCXCII.

Electus Papa. Papæ novi laudes. Valetudo Prosperi Columnæ. Nuncius de Papatu. quid Don Fernandus à Toleto.

P. M. A. M. Marchioni Mondeiaris.

JAm tandem Petri naviculæ rectores galeratos, Pontificem elegisse, per literas habemus. Is est ad quem inclinari rem ferebat fama Cardinalis Medices, pro legitimo, non spurio, uti adversæ factionis Cardinalis Soderinus prædicabat, judicatus. vir est animo vividus, ingenio clarus, rerum experientia prudens, vita integer, præsentium in Christiana religione, turbationum, speramus egregium, ex Medice medicum futurum. Galli Cardinales & qui Gallicis partibus sunt affecti, diu obstiterunt, ne hic eligeretur. ierunt & ipsi pedibus tandem in suffragia. Pontifex effectus Medices, biduo conclusos detinuit electores, quo prodirent concordes, ne perturbati schismatum intra segetes Christianos vepres aliquas disseminarent, sub Clementis VII. nomine sine objectu. Medicem ergo ipsi post unum & quinquaginta dies exeuntes in Vaticano palatio reliquerunt. libentes, an inviti, qui stomachorum arcana cognoscit, ipse dijudicet. De Pontifice satis. Prosperum Columnam nostri exercitus prætorem, gravi morbo pressum & lecto jacentem fama est. timeo illi, quia est, ut arbitror, octogenario parum minor. A Pontifice in Ligustico littore venturum ad Cæsarem esse nuncium, breves de Pontificatu literas afferentem ajunt, *Bernardinum Barbam* nomine. præcessit interea leviore navigio vectus sacerdos quidam cum post scriptis, ab Oratore Cæsareo & pelagi discrimina & piratarum ungues evasit. Barba vero Pontificius, grandiorem exspectat discessuram navim, strenam & hic sacerdos adeptus est opimam à Cæsare, qui hujus Pontificis sorte delectatur. Hoc licet non externum, tibi tamen referam, quod condiscipuli tui natum tangat. Don Fernandus à Toleto, Don Garsiæ condiscipuli quondam tui filius, magnanimi adolescentis commisit saltum, avo Duce Albæ inscio, Cæsarem adivit, ut ad castra liceat cum bona venia proficisci, petit supplex. Avum esse consulendum prius, suasit Rex. *Venia, non consilio sibi opus esse*, inquit. Hæc dicens, avo insalutato, per equos dispositos, quos habebat, ad castra evolavit. Avus amans & Don Garsiæ, filii Fernandi patris excellentis exemplo, paulisper contatus, moleste rem primo auditu sensit. sedato mox animo cum familiaribus obsecuturis, quæ necessaria fore judicavit, ad nepotem misit. Vale. ex Alabensi Victoria. idibus Januariis, MDXXIV.

EPIST. DCCXCIII.

Capitur Fons Rabia. Mandata Comestabilis. Quid petant obsessi. Acris responsio. Auditi strepitus tormentarii Pompelone. Intumuit mare. Ubi Germani.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

QUod ab idibus Januarii tertiis à me literas non receperis, forte miraberis, miramur & nos Cæsarei Curiales, quod à vobis raras habeamus, sed mirari desinimus, quando piratarum esse copiam ingentem & mare procellosum adeo præter solitum consideramus, ut Genuenses grandes illas moles *carracas* nuncupatas, vorare jam didicerit, è quibus tres cum immensa virorum & facultatum jactura dicitur absorpsisse, sitque parte alia Regi Gallorum curæ nil magis, quam ut nostros intercipiat cursores, ne quid agatur in Italia, intelligamus. Quæ ab eo igitur tempore successerunt, audito. In Calendis hujus mensis Comestabilis, applicato ad Fontis Rabiæ prospectum exercitu, machinisque omnibus ad muros concutiendos cum internicie multorum, per jaculatos ab internis scopetarum & majorum tormentorum globos dispositos, fecialem tubicinem, uti moris est obsidentium, ad urbeculæ fossam, cum hujuscemodi mandatis jubet proficisci. *Castella Comestabilis, qui huic exercitui Cæsareo præest, Sacræ Majestatis nomine, vos Gallos hortatur & monet, ne paratam vim exspectetis. ut Cæsareæ Majestati locum istum, à vestro Rege contra jus fasque occupatum, reddatis. Id si facere renueritis, interniciem vobis omnibus esse statutam scitote.* Don Petro autem Navarro profugo, Mareschalli, qui sese in arce Simanchea vitæ confectus tædio jugulavit, filio, sub cujus ductu Navarri tercentum amplius exules, Gallico stipendio militabant, suasit tubicen fecialis, ut meminerit se à matre, quæ Ducis

Alburcherchi est filia, Castellanum esse, à Catholicoque Rege redditus & gratias recepisse, quas sua culpa ex repentino discessu ad Gallos, in Navarram prorumpentes amisit, restitutum iri cum paterno magistratu, cuncta majorum bona, & una ipsi ac commilitibus omnibus, qui cum eo sunt obsessi, commissorum veniam se Comestabilis à Cæsare per fida diplomata impetraturum pollicetur. Feciali responsum est ab utrisque, ut scripto manu Comestabilis signato, quæ tunc retulerit, afferat. se interea quid sit agendum inter sese deliberaturos. Chirographum exaratur, Comestabilis dextra signatum affertur ad eos, longe à sperato responsum est. Galli mitius. Don Petrus vero suo & commilitonum sibi creditorum nomine, acrius repetiisse dicitur in hunc sensum: *Urbeculam a Rege Christianißimo illam sibi sociisque, sub homagio de tutanda præstito, creditam fuisse; defensuros eam, vita superstite. Ut Comestabilis suo fungatur officio, suoque Regi pareat, & quid sors latura sit, experiatur. se idem facturos protestantur. Sed mirari se*, inquit, *ac miserere Comestabili, quod ejus loci debellandi provinciam sumpserit, in qua labores cunctos cum dedecore fore frustratos intelligat, quod robore militum sint & necessariis omnibus adeo fulti, ut nil timere expugnationem poßint aut debeant.* His à feciale repertatis altero à Calendis die quatere muros nostra tormenta cœperunt. E mœnibus qua percutiebantur, strata ingens pars fuit. è domibus autem in hostium capita per mortaria, globos in altum projicientia, dirutæ fuerunt multæ. furore tanto actum est, ut pars utraque obsidens, & obsessa fragores illos horrendos, auribus etiam clausis, vix ferre quirent. quibus & ipsa tellus à centro contremiscebat. quam atroces illi fuerint, similes tonitruis rugitus tormentorum, hinc colligito. A Fonte Rabia Pompelon milliaria distat octo & quadraginta, inquiunt enim leuqas sexdecim. Medii sunt montes ardui, altique in immensum. Mirandæ Comes regni Navarræ prorex scripsit ad Cæsarem, auditos fuisse in Pompelonensi deambulatorio prato, dicto *Taconera*, tormentorum excussorum sclopos. auditi & fuerunt è collium in hac planitie interjectorum verticibus. Una cum tormentorum exercitatione, cœperunt & cuniculis effodiendis intendere. Sed quid? quando se aliquid operatos fuisse arbitrabantur, ecce nimbosos himbres! ecce ventorum rabidos spiritus, qui cuncta vastabant, & parata præpediebant, neque adeo poterant inclusorum foramina tormentis fulcta penitus auferre, quin alicunde jacularentur globos & singulis horis è nostris perimerent multos. ita obruti cœno, tentoriis ventorum vi transportatis, sub dio dies egerunt plures. neque ut commeatus aut cætera necessaria deportarentur, procellosa tempestas patiebatur. Ita mille angustiis conflictati, extrema ferre omnia statuerunt, priusquam re infecta discedere, ut à Castellæ cervicibus ea tollatur ignominia. Eorum quæ Astronomi de generalibus syderum conjunctionibus, eo tempore futuris in piscibus, prænugati sunt, sensisse dicunt effectus, quod nunquam tales ac tantas se quisquam eorum pluvias aut vidisse cadentes, aut à suis majoribus audivisse delapsas conquerantur. Senescentes præterea decrepitique provinciales habitatores eorum litorum, Oceanum intumuisse nunquam adeo, in terramque suas undas adeo impulisse jurejurando prædicant. propterea paucis ante diebus decepti, è munitionibus partem nostri amiserunt non contemnendam, quod in ripa fluminis, marini fluxus tempore crescentis, munitionibus extra consuetum pelagi augmentum relictis, ab ordine prisco fluxus increverit & quæque obvia raptaverit. Rocandolfus hoc tempore cum Germanis sibi creditis, in collibus quibusdam ad hostium impetum sustinendum si quid ingrueret, è quibus aquæ cadentes labebantur, castra habebat; neque tamen ipsi, quod hyberno tempore gravissimo, magalia, ramatasque incolerent, deliciose vixerunt. Ad septimum usque ac vigesimum Februarii laboratum est hoc pacto, quo die per astus perque hortatus multos & vitæ necisque propositiones, cum secreto ingredientibus nunciis, Don Petrum & reliquos ipsi datos in ducatum Navarros, habuere persuasos, ut de deditione sermo fieret. Galli, quamvis numero plures, rem libentes amplexi sunt. petiere primo, ut liceret auferre tormenta commeatusque ac reliqua secum abducere. Minime fuit assensum. Accipe brevibus. Urbecula illa, quæ veluti agger invictus & propugnaculum antemurale, Castellana hæc ingentia Regna tutari solebat, ab Gallorum incursionibus ad veteres dominos regressa est. Magno quippe constitit, pecuniarum ingens exhaustus est acervus. Perditorum militum equorumque ac boum & jumentorum ad impedimenta commeatusque devehendos addictorum, magnus est numerus. Agricolarum cum suis clitellatis mulis & asellis ad rem frumentariam pro tanto exercitu alendo deportanda coactorum, jactura fuit non parva. Ex universa namque veteri Castella, immo & ex Regno Toletano, tibi notis regionibus, Pompelonem usque triticum hordeumque deferebant. Jam satis nostra est urbecula nostra, novum erit

propu-

propugnaculum, novus agger, antemurale novum, ad furores Gallicos reprimendos, quibus vigentibus, nulli viventium datur posse quiescere, ab innata illorum ebulliente natura. Obsessi, qui sese dediderunt, cum suis tantum armis exire, protentis tamen vexillis, uti nostris, quando locum ad manus habuere, permissum est. Qui prodeuntes agmine composito, numerarunt, Cataphractos centum, totidem Gallico nomine *Francarcheros*; pedites vero mille quingentos, ægrotis & vulneratis exceptis, ajunt fuisse. E fœminis vero, quas ad obsequia præstanda militibus, inesse duces assentiebantur, duas & quadraginta supra centum, inter quas octo comptas è ducum pellicibus, plærique dinumerarunt. Hostibus dimissis & comitatis in tutum, Don Fernando à Toleto, Albæ Ducis ex Don Garsia filio, quem nosti peremptum à Mauris in insula Gervensi, è Syrtibus una, nepoti Comestabilis, de capienda loci & arcis possessione, dedit negocium, quod is esset in exercitu è proceribus non vulgaris, ob ducatus illius exspectationem, licet nullum adhuc ipse titulum, avo vivente, sit assecutus. Juvenculus est, annos nondum natus septendecim, animosus imagine patris, uti de Pyrrho Sulmonensis noster eludit. Auditu vero pulchrum est, quæ intus nostri relicta repererunt. E majoribus tormentis, puta canonibus & colubrinis, ut suis quæque vulgaribus appellem nominibus, septem & quadraginta, è quibus nostra fuerant quatuor, cætera cum Gallicis liliis in ipsa Gallia & ex Gallico ære conflata. Arcabuzorum, scopetarum & hastarum numerus est innumerus; tritici granati quindecies mille, Castellanas heminas, quas Hispanus *fanegas* dicit, repererunt. Ad frumenta trituranda pistrina quatuor erexerant. ea die noctuque perpetuo tractu singula quatuor equi circumtrahebant, equis & hominibus equos regentibus, per vigilias mutatis, ne opus cessaret. Vini autem cupas ajunt mille quingentas, ad has addunt plærique nonnullas. Boum etiam & porcorum salitorum copiam ingentem, sed pulveris tormentarii quinque tantum cados habuerunt ad manus, disperserant reliquum æneorum & saxeorum globorum terra obruta inventa sunt ad ministeria grandium tormentorum parata circiter quinque millia. Jam vale. Victoriæ, unde quandoquidem voti compotes effecti sumus, propediem discedemus. IV. non. Martii, M D XXIV.

EPIST. DCCXCIV.

Ubi sint castra Gallorum in Italia. Repulsi Galli. Autor invalidus. Capuanus Archiepiscopus. Obruta carraca.

P. M. A. M. Marchionibus.

Circiter Calendas Martii, ab Italia literas habuimus. Angustiarum, calamitatum & ærumnarum fervet olla. Galli Novariam, Alexandriam, Binascum, loca præterea multa possident alia. Aronam oppidum invictum, qui quo me gestavit utero mater, & peperit, concusserunt tormentis Galli, quia magni momenti est municipium, Vervani & Ticini faucium custodia, id habere cupiebant. Incassum id quidem cum ignominia & jactura non mediocri abierunt re infecta, Galli Borromæi Comites, Gallorum nomine agunt rem. Incursionibus lacus viciniam infestant. quid sequi debeant, non intelligunt miseri. Domi quiescere mallent. sed infelix temporum necessitas illos trahit in ambiguum. Parietes ac tectum, quibus contegantur, opus est quærere: Cæli solum tegmen incommodum est. Exercitus uterque rerum omnium penuria laborat. misera regio insons patitur interea. Ex urbe Victoria in nonis Martii discessimus. Burgos venit Rex. Ex itinere gravis me oppressit ilium & renum morbus. convalui, lectica vectus, Cæsarem secutus sum. Appulsus Gallos audivi ter à nostris fuisse profligatos. Iturum ad Pontificem pro Cæsare Magnum Cancellarium summurmuratur. fabulam puto, quia neque Cæsar habet apud se in rebus magnis tractandis parem, neque locus est in orbe Christiano ullus Cancellario quadrans alius. Frater Nicolaus Capuanus Archiepiscopus S. Dominici cucullatus ab Urbe venit, nomine Pontificis ad Cæsarem de pace locuturus. Frustra credendum est, & laborem hujus boni viri fore inanem arbitramur. Galli appetitibus cedere, durum erit, sed infelix præsentaneum allatum est nobis nuncium particulare. Ab Urbe in Hispaniam multi nobiles, qui Adrianum Pontificem secuti fuerant, fornaria Genuense carraca vecti, revertebantur. In pelagi medio æquore submersa est. Vix tabularum reliquiæ quædam ab ea evaserunt. Sic vivitur & fluctuatur. Vos qui estis in tuto, vita frui aliorum exemplo discite, ac Valete. Burgis. IV. non. Maii, M D XXIV.

EPIST. DCCXCV.

Archiepiscopus Capuanus legatur ad Anglum. de Gallorum fuga. Strati Helvetii. Motus in Syria. Strages insulæ Dn. Palizæ.

P. M. A. M. Marchionibus.

TAbellarium habemus. Multa pullulant mala. Cæsareus exercitus Cremonam, Papiam cum pendicibus tenet, Gallus Viglevanum & Mortariam. Movent sæpe Galli suas copias. Conserere manum fugiunt, quia equitum ex Gallia, peditum ex Alpibus ex Helvetiis auxilia operiuntur. illorum vestigia nostri sequuntur. Diruere pontes super Ticino structos à Gallis, & intercipere commeatus nostri student. Capuanus Archiepiscopus hinc ad Anglum Regem discessit Pontificis Cæsarisque nominibus, de Pace acturus. Quando vobis in manuum palmis densa erumpet lanugo, quando canes Gallicos leporum grex insectabitur. quando lupos agni adorientur. Inter Fortunæ filios, hos præcipue, jam alterne mille confectos injuriis, concordiam & amorem seminari posse arbitrabor. Alienum à natura generis humani est, ut Principum animi conveniant, quia bicipites hi mucrones, *cede*, non *cedam*, donec sol calefecerit orbem, nunquam deficient. Dum hæc in pluteo moraretur epistola, unus post alterum cursor volitavit. Mediis multis particularibus amissis, summam rei capite. Galli summa egestate coacti, & nostrorum virtute pressi, abierunt. Campum apertum & civitates ac oppida deseruerunt omnia, arces tenent. Secuti nostri, agmen ultimum hostile mordebant. Sesia fluvius occurrit, cujus ripas Romagnanum oppidum munitum custodit. Aliam fluminis partem Helvetii, qui venerant in auxilium Gallorum, occupabant. Ad illos, ducibus Jo. Orbina & S. Crucis trajiciunt seminatando audaces juvenes plærique. levibus incursionibus Helvetios provocant. in duos cuneos reperiunt paratos Helvetios. Eunt obviam Helvetii nostris. repellunt nostros. In auxilium nostrorum laborantium, copias majores transmittit Marchio Pescariæ. Profligantur Helvetii. strages fit. vasa illis tormentaria sex abstulerunt, ruptis Helvetiis. Gallorum reliquus exercitus in fugam vertitur. Vexilla sunt adepti primaria nostri. Almirantus prætor exercitus, & Baiardus Gallorum ducum strenuissimus, vulneratos esse ait cursor. Attulit & à Venetis literas ad Oratorem suum. In Syria duces quidam defecerunt in magni Turcarum Principis inobservantiam, Sophio Persa sufflante à tergo. Sed parum utilitatis inde speramus. Ruituros ad primum tanti Principis motum arbitramur. Quæ namque sine pari potentia facile insurgunt, facile dilabuntur. Valeat jam rerum terrestrium cruenta narratio. Mari quoque sævit in Gallorum ignominiam & jacturam fortuna belli. Cantabri Biscaini ex oppidis Renteria, Dena & Pasagio classe navium sex & triginta coacta, Insulam cui & municipio primario idem est nomen *Alanestier* adorti sunt. Oppidum & villas & quicquid in insula domorum erat dedere in prædam. Sunt rerum vices. Palizæ primarii bellorum magistri inter Gallos, possessio erat. Vindictam quæret aliquando, & insontes plectentur. Valete jam. Burgis. Idibus Maii, M D XXIV.

EPIST. DCCXCVI.

Epistola Cæsaris ad Helvetios. Captatio Benevolentiæ. De Rhodo & Belgrado. Rogatio.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

DE rebus Italis aut alias externis, nihil ad vos ego. A vobis illa exspectamus, quandoquidem orbis aulam vos incolitis. Angulum nos mundi veteris ultimum inhabitamus. Post ejectos ab Italia Gallos, ad vagos & inconstantes Helvetios mittendos nuncios Cæsar Rex noster destinavit. Literarum exemplar, neque verbo ab originalibus mutato per familiares à manibus scriptum habetote.

§. *Honorabiles*, *Fideles*, *dilecti*,

Etsi postquam jamdudum vidimus tam obstinatis animis causam vos Gallorum hostium nostrorum, à quibus nulla culpa nostra, tam durum atque ingens excitatum in nos bellum fuerat, suscepisse: ac ita ut illam quodammodo propriam faceretis, pecunia illis etiam, quod alias apud vos nunquam contigisse auditum est, pro re bellica suppeditata, statueramus, pene in perpetuum vobiscum tacere atque dimittere, ut tandem satiati, sponte vestra, quid æquum, quid honestum, quidque maxime Christiano orbi salutare sit, intelligeretis: rerumque successum, qui non admodum Gallis fælix fuit, seu divina potius voluntate admoniti, mentes vestras & consilia vestra in commune Reip. bonum converteretis: At tamen, fatendum est enim, cum oblivisci non possimus veterem nostram erga vos benevolentiam, quam tum summa & singularis nostra de virtute ac fortitudine vestra opinio, tum inviolabilis illa cum nostra domo Austriæ ac Burgundiæ amicitia, perpetuum

perpetuum fœdus. Præterea quod hostis sacri & nobilis Imperii membra jam diu exsuscitavit; facile fit, ut ad ea veniamus: quæ ut plurimum è re, tum vestra, tum vero maxime communi omnium Christianorum esse censemus. Poscere etenim videtur ratio muneris nostri Cæsarei, quod præter alia tot Regna, superni nobis Numinis clementia contulit, ut bene gerendæ Reip. curam oporteat perpetuam, apud nos excubare, & his præsertim temporibus, quibus tam validis expugnatis Christiani orbis propugnaculis Rhodo & Belgrado, patere sibi aditus in viscera omnium nostrorum existimat impius Turcarum tyrannus, atque nefanda & funesta sua consilia persequendi Christianos apparatus facere dignoscitur. cui haud commode iri obviam poterit, nisi bello aut pace intestinæ Christianorum discordiæ aliquando sedatæ fuerint. Maxime itaque opportunum, rebusque conveniens visum est, si ad vos Oratores nostros, bene de animo & voluntate nostra instructos, quanto citius mitteremus. quod facient cæteri fœderati nostri & præcipue Serenissimus Angliæ Rex, Veneti & Serenissimus Fernandus frater noster & Illustrissimus Mediolani Dux, qui pariter de virtute vestra non secus atque nos sentiunt, vosque & secum & cum Reip. commodis sentire summo plane studio desiderant. Neque veremur summum ipsum pastorem sanctissimum dominum nostrum, cui jamdudum animus & pietas nostra satis explorata est, quæque & præcipuam quandam curam, & antequam ad altissimum dignitatis fastigium eveheretur, de commodis & ornamentis vestris, semper gessit, à nostris hujusmodi consiliis alienum fore, quin immo aliquem etiam isthuc præcipuum nuncium ad destinatum tempus missurum. Hortamur vos igitur atque rogamus, ut quam primum hæ vobis nostræ literæ redditæ fuerint, conventum seu generalem dietam de more vestro ubicunque vobis placuerit, ad diem certam indicetis, ubi Oratores ipsi convenire possint. Nostri quidem Oratores curabimus, ut quanto celerius apud vos sint. Intelligetis profecto, res tum vobis tum Reip. utiles, dignas & salutares. Iturus orator est Lupus à Soria. Instructiones vero sunt epistolæ superiori quadrantes. eas ne sim repetita prolixitate molestius, prætermitto. *A sementibus quippe & arbustorum fructibus quæ sint pullulantia germina, facile sapiens intelligit.*

§. Ad viciniora nobis nunc revertamur. Hodie qui Maii dies primus & vigesimus est, præconum voce ac tubis clangentibus publice indictum est Gallo bellum mari ac terris, & per Rosilionis Comitatum nostræ gentes, uti summurmuratur, immittentur. Germanos tamen, qui Fontis Rabiæ Gallorum fines custodiunt, non audio moveri à priscis stationibus. quæ accident, habebis. Vale. Burgis. XII. Calendas Junii, MDXXIV.

EPIST. DCCCXCVII.

De Panuco amne. Fr. Garaius. Paratur Classis Malucha. Controversia Badiozi. de alluvie Burgensi. Gallecia infestatur.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

AB Indis naves habemus. Ab oppido Pannama & insula, re ac nomine dite, quod sit fœcunda unionum, Australe putati continentis latus ad Occidentem lequas scribit Ægidius vulgo *Gil Gonsalus*, vir claro genere natus, sexcentas percurrisse. Particularia de hujus navigationis inventis quæ tu summo Pontifici poteris ostendere, quandoquidem, post visa, quæ ad Adrianum ejus prædecessorem scripseram, sero allata, quod mortuum repererint. id optare suam ais beatitudinem. Magna quidem & narrat ac summis digna sunt Pontificibus. Nunc ad Septemtrionale hujus putati continentis latus redeamus. Panucus est amnis ingens navigabilis, nuper inventus à nostris, ab ingenti Tenustitana civitate lacunari lequas distat sexaginta circiter. Franciscus Garaius Jamaicæ gubernator, velle in ejus ripa deducere Coloniam instat. ejus erigendæ veniam à Cæsare impetravit, & quod majus est, ut æterno appelletur nomine Geraiana Panuci regio illa permissum. Fernando Cortesio Temistitani strator magni Imperii id esse molestum intelligimus, ne detrimenti aliquid hinc exoriatur, timemus, tempus dicet. Parte alia scito, post accessum Victoriæ navis gariofolis onustæ quæ orbem circuivit (de qua re particularem vidisti, viditque Pontifex narrationem ad Adrianum directam) statutum fuisse, ut nova classis instruatur ad idem iter quo cœpta possessio manu teneatur ac frequentetur. Regi Portugallico id est perniciosum. inde male sapidum, ut effectus ejus rei differatur, efflagitat. Sui esse juris arguit. Cæsar ut audiatur, imperavit. Classis impensa ingens est differre damnosum. Suspenditur tamen in civitate Pacensi vulgo *Badaioz* quæ fines Portugalliæ claudit cum Castellæ regnis. Castellanorum & Portugalensium utrimque quatuor & viginti scientiarum omnium & rei maritimæ peritorum fuit conventus. Diu discussum est, & syllogismatum

matum utrimque. ultimus dies Maii elapsi, is est terminus à Cæsare datus suis judicibus, illi concioni. Sic finis fuit. Re infecta redierunt nostri. Rem Cæsaream satis aperte probasse inquiunt, quod extra lineam ab Alexandro VI. Pontifice Maximo concessam jaceant illæ insulæ. Econtra Portugalenses intra suos limites esse arguebant. Protrahere rem illis expediebat, nobis proscindere. demisso capite ac mœsti Portugalenses regressi sunt, semiminabundi ferro se tutaturos, ni argumenta proderint, fere insinuarunt. De hoc nunc satis. In particularibus latius. Comiti Nasauti, qui Xebri loco apud Cæsarem suffectus, data est in uxorem Ceneti Marchionissa. *An primogenitus sit à paterno sumpturus nomen, an à Mendociis materno*, controversatum est aliquantulum, de redditibus etiam nonnihil. Impensa tandem Cæsaris conclusum est; *Quid*, aut *Quantum*, ipsi viderint, quorum interest. Est aliud ridiculum, non prætereundum. Quod de pluviis anni quarti ac vigesimi blateratum est, re ipsa super nos evenit. Fluvius hic toto fere anno vadosus, alveum adeo per alluviem superavit, ut Cæsarem in palatio velle obsidere videretur, ad equorum uteros intra regiam crevit inundatio. suburbium obrutum. Via tibi nota quæ dicitur *Hortus regius*, summersa. Plateæ duæ illæ ingentes, tenus hominum pectoribus aqua plenæ; currus & plaustra innumera, quæ commeatus ad fora vexerant, raptavit furor torrentis, traxitque ad fluminis alveum non pauca horrea triticea hordeaceaque in planis illis domibus clausa, multa putrefecit. Domus plæræque collapsæ. Si ab hac rabie indemnes evasistis, prosit. En aliud diu vaticinatum. Galleca infestant Galli nostra litora. Exserere caput è portubus nemo audet. Villas straverunt plærasque. Mercatorias & piscatorias naves rapuerunt plures. Litora cuncta labefactant. Sunt rerum vices. Sic vivitur. Vale. Burgis. XII. Calendas Julii, MDXXIV.

EPIST. DCCXCVIII.

Almirantus à Gallis percussus. Helvetii ccc. peremptii. Mors Soderini. Quid Gallus volet.

P. M. A. M. Marchionibus.

HAbemus ab Italia post ejectos Gallos, literas. particularia quædam non ingrata Cæsari capite, nuper allata de reliquiis exercitus. Almirantem prætorem fuisse scopeta percussum dixi. Is evasit, sed centurio Baiardus ictu simili vulneratus, in Marchionis Pescariæ tentoriis obiit. Fugientes Helvetios Alarconus Hispanus, Calabriæ ob suam prudentiam Prorex & bello clarus vir, persecutus est. Apud vulgo *Imbream*, civitatem episcopalem, extremum eorum agmen deprehendit. Trucidavit tercentum qui machinarum custodiam habebant. Cæteri præierant non passibus æquis. Quatuor & viginti vasa tormentaria illis rapuit. Cæteri Gallorum duces pedes consuluere, quid facto esset opus, pedibus paruerunt. Nostri, post eam victoriam de impetenda obsidendaque Massilia Gallica cogitant, quando, habebitis. Ad incruentos sese accingit nunc Fortunæ ludos. Soderinus ille Cardinalis Volateranus, de cujus animo in Cæsarem non prono, in Gallum fervido, satis multa. concessit è vita. Superne an inferne viam ceperit, dicat qui cuncta novit. Mortuus & est Octavianus Fragosus jure belli captivus Marchioni Pescariæ. Precio ducatorum duodecim millium se redimebat. Amisit precium Marchio, cui jacturam non placuisse pecuniæ illius, sine læsæ Majestatis crimine credi potest. Capuanus Archiepiscopus qui Gallicam, mox Cæsaream, dehinc Anglicam, & iterum Gallicam peragravit cum summo labore postarum, curias, ad Urbem regressus est, cum mandatis à Cæsare, Christianissimo & Anglo Regibus ut de Pace agatur. Pacem tunc arbitrabor posse intercedere, quando sumptis alis bos & asinus sub uno jugo, uti cipsili & hirundines cibum per aëra volitando pererrabunt. En quæ me movet ratio. Tornacum, Navarram, Mediolani Ducatum liberum, super Neapolim tributum intolerandum, Flandriæ ac Arthosii resortum volet Gallus Rex. nihil est solvendum è manibus. immo & plura petimus. Volet Rex Anglus Guianæ Ducatum, Bononiam Britannicam & Morinorum provinciam, multa præterea. Gallo Regi hoc audire est amarius felle. Temperate vos hujus tam incompositi psalterii chordas. Non legulejorum cavillosa argumenta, non togatorum severa consilia, non Pontificum veneranda majestas medelam huic tam atroci morbo scient aut poterunt adhibere. Dira ferri acies, & humano cruore fluentes rivi, has diriment querelas. Nec longe abest hujus tanti mali exsecutio. Et quid de Siculis dicimus? quos Insularium pessimos, non inculti autores esse prædicant, quod undique variis, sed Austrinis præcipue, insanis flatibus quatiantur. Populares quidam dominos trucidarunt. Petrucium seductorem, Hercules Pignatellus Prorex, cepit, & capitis truncatum pœnas luere coëgit. Valete jam. Burgis. nonas Julii, MDXXIV.

EPIST. DCCXCIX.

De literis Sophii ad Cæsarem, ut invadat Turcam.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Sophio Perſarum Rege literas & nuncium ad Cæſarem habemus, & una literarum ejus ad filium & ejus filii ad Regem Ungariæ à Papa & à Venetis miſſa exemplaria. Literarum hoc eſt ad Regem Ungariæ initium exorditarum:

§. *Dei eſſentia in cælis, in terra vero Pax. Laus Deo magno, glorioſo, puro, bono, cui nullus in Regno ſimilis, beato, ſupremo, in omnibus operibus incomparabili, qui ſolis jubare diem, noctem vero lumine clarificante lunam, exornavit: quique Adam primum hominem ex limo terræ, optima plaſmavit forma, mundos & cuncta creata diſponens: qui Reges in terra dedit, atque illis in orbe & ſuprema terra & in extremis ejus partibus, ut recte facerent, præcepit. ipſe quidem Deus ſervans nos ab omni malo, ad exquirendum ſe, ac exoptandum, in perpetuitate perpetuitatum nos perducat. Amen, amen, amen.*

§. Hæc ſuo idiomate. Latine traducta Romæ. Pontificibus nunquam deſunt omnium linguarum interpretes. His dictis ad Cæſarem apoſtrophat inquiens: *Proni quidem & humum deſpiciendo, vertimus nos ad dexteram excelſi Domini, nobilis Regis, Regum & Principum Principis, cujus majeſtatem Deus conſervet, permanereque illum faciat recte ſedentem in ſolio ſuo Budæ, conſervetque incolumem ſuper inimicos ejus, Amen.*

§. Senſa literarum omnium, poſthabitis ambagibus, quæ multæ ſunt accipite.

§. *Turcarum Princeps ſuis nos frequentibus literis hortatur, ut auxiliemur ei contra vos, cui adimere Regnum cogitat. Nos autem illi non ſolum velle auxiliari abnuimus, immo toto conatu obſtare, & in eum arma exercere. Vos per menſem Aprilem eſtote parati, ut eum aggrediamur, quo laceſſitus undique proſternatur, qui nos & Chriſtianum nomen veſtrum penitus delere conatur. neque alias à me literas, ob locorum diſtantiam, exſpectetis.*

Ad filium literæ hoc exordio initium habent ſenſus idem.

§. *Laus Deo unico, cum ſumma perfectione, in majeſtate ac beatitudine ſua ſeparato cum gloria, in eſſentia ſolio ac honoris ſempiterni, ſuper ſecreto ſecretorum, in abdito ſplendoris ſui, qui ſe prudentibus & intelligentibus in teſtem ſuorum operum oſtendit, quique eſſentiam ſuam fulguribus concomitantibus manifeſtat. Mundum vero ſolis lumine ac ſtellarum claritate ac veritatum viſione illuſtravit. ſuſcitans creaturas per ſcientias, quoad apparuit & principium fecit oſtendendi ſe per venerandos nuncios, qui opera Dei ubique teſtantur, eorumque ſonus in omnem terram exivit & in omnem habitabilis latitudinem, verba eorum penetrarunt. Ubi poſt tenebras irradiavit animas. Ipſi quidem Deo laus propter ea quæ nobis perfecta ſua pulchritudinis communicavit, & propter bonitatem quam operatus eſt in nobis, ex bonitate ſua perfecta, & vera præveniens nos gratia & aſſidua largitate*, &c. Concludit, *ut præſto ſit per menſem Aprilem, impetere ab ea parte confinium, ubi eſt filius vicinus Turcarum Principi.* Promittit, *ſe idem facturum.* Nil fiet. Si me conſulitis, diſſidia noſtrorum Principum collachrymanda obſtabunt.

Ad Cæſarem per proprium nuncium miſſæ, mixtum ex ſuperioribus habent initium exorditum. Senſus idem eſt, *ut ſe apparet*, &c.

Subſcriptio eſt hujuſmodi: *Humilis ſervorum & maximus amicorum. Raizma Soſi, filius Hider.* A tergo autem: *Ad manus, ſi Deo placuit, Regis Regum & Principis Principum Imperatoris, cujus dominium & Fortunam Deus Max. continuet, Amen.*

Temporibus iſdem ab Thracia & Conſtantinopoli Pontifex & Veneti literas habent. harum ad Cæſarem miſſa vidi exemplaria. Dixi alias in Syria Gazellum quendam in Magnum Turcarum Principem erexiſſe criſtas. Is audito apparatu in ſe, deſertus à ſuis cum paucis equitibus aufugit. Poſt id Dux alius, nomine *Achmet*, quem Damaſco Syriæ ac Ægypto Turcarum Princeps præfecerat, principatum ſibi uſurpare intendit. Coëgit vires. Seduxit Mamaluchorum militum partem. Arces & municipia præſidiis ſuo nomine munivit. arma cepit. Pacata omnia eſſe ſcribunt exploratores Pontificis, quos illic cum magna impenſa nutrit, quo Principis illius habeat exploratam mentem. Achmetis ipſius & trium ſociorum, defectionis participum, capita ad atrii valvas in Conſtantinopoli ſuſpenſa vidiſſe ſe ajunt. Aſtu, non vi bellica, ferunt proditum à ſuis Achmetem veniſſe ad manus Principis. Audito namque jam gradiente apparatu, deſertus à militibus traditus eſt. ſed ſcribunt copias, quæ ad eum ignem exſtinguendum proficiſcebantur, verſuras ferri acies in Ungariam. ea eſt Pannonia inferior. quandoquidem liber eſt undique magnus ille Princeps, neque ſtare loco aut quieſcere ſinat milites, ne ocioſi adverſi aliquid moliantur, & ſeditionibus intendant, ajunt exploratores. Quis jam potis erit tantæ machinæ reſiſtere? captis præcipue duobus illis Chriſtiani nominis propugnaculis Rhodo & Belgrado? Et quod deterius periculoſiuſque, diſſidentibus inter ſe Chriſtianis Principibus.

pibus. Deus bene vertat. Vos valete. Burgis. pridie Idus Julii, MDXXIV.

EPIST. DCCC.

Quartana Cæsaris. De classe Maluchea. Germani agrum Ruscinonensem petunt. Verba Autoris ad Cæsarem. Laus Iamaicæ. Promittitur Templum erigendum. Cur iratus Cæsar in Comitem Potentiæ. Renovatur Senatus Indicus.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

QUartana pressum habemus Cæsarem, tristis est Curia. Parum negociatur. Ad alia. Misimus artis maritimæ peritum virum quendam nomine Stephanus Gomez, cum una tantum navi, *Caravella* vulgo, ex Clunio discessit, fretum quæsiturus inter floridam tellurem & Baccallaos. Cataium inde se reperturum inquit, eat bonis avibus. Maluchea classis paratur. Augusto mense credunt aliqui vela facturam. Neque Januario arbitror ego, quod non intelligam ita paratas esse naves, aut coacta tanto viatico necessaria. Ibit tandem, Deo favente, nulla de Portugallensium habita ratione, in hoc tanti momenti negocio. De casu tui meique amici Licentiati Vargas audisti forte, quanti valoris vir esset in magnis & arduis tractandis negociis nosti. Cupidineis in senecta vexatus stimulis, monialis cujusdam genere Claræ minastram quam *freiram* vocant, cui nomen non est dandum, exarsit. Noctu per scalas, cœnobii muris appositas, ad eam proficiscebatur. Nocte intempesta una dierum re pacta forte præter vires ætatis, invasit horror hominem sive ex conscientia sceleris admissi, vel ex hebetudine cerebri & medullarum, ita ut semilanguidus redeunti per scalas ensis è manu primo deciderit, sequutus ensem ipse gravi rotatu uti pulliculus animam exhalavit. id prodigium judicio divino ab omnibus adscriptum est, & apertum est argumentum, *nil simile admissum relinqui à superis impunitum.* Germani Cæsareo conducti stipendio, Rosilionem versus mittuntur. Ad meipsum parumper, quam liber à fortunæ bonorum cupiditate, tuo tempore vixerim, quamque, opulentis ambitiosi fumi fœtore sese pascentibus magis miserear quam invideam tute ipse testis es, unde, quandoquidem aliquid ultra propheticum illud optatum, neque divitias, neque paupertatem, ex Catholicorum vitam functorum benignitate sum assequutus, animum jusseram meum à postulatis quiescere, sed una me ratio movit, ut præter statutum expergiscerer. Cæsarem ego nuper his verbis adortus sum: *Inclyte ac invictissime Cæsar, quod me tua Majestas diligat, præbitus honor Senatorius, & oratorii muneris aliqua designatio, testantur. Quod satis est in fortunæ blandimentis, habeo mihi, sumque tua Cæsarea Majestate ditior, quia parvo contentus vivo. Perturbant namque libertatem amantis ingenium equorum & mularum agmina, familiarium molestiæ multo gravius, quibus nunquam satis præbetur, & longi temporis fastidia, de minutis, & his paucis obsequiis, grandia dicunt, & appellant servitia, & conquestibus perpetuis æthera complent. Exteriore tamen amoris aliquo erga me signo indigeo, ad honorem, cujus ferculum nemo unquam abjecit, propter oratores mihi conterraneos Mediolanensem, Venetum, Florentinum, Genuensem, Ferrariensem, Mantuanum, qui omnes me nobilibus ortum parentibus Mediolani, ac ætatis meæ, quicquid boni fuit, in hac tuæ Majestatis domo consumpsisse sciunt. Aliter tuæ Majesta'i me gratum esse nequeo illis persuadere.* Placuit sermo Cæsari. Jamaicæ novo nomine S. Jacobi *felicissimæ* insulæ Abbatialem mihi designavit Antisteam. Appello *felicissimam*, quod ibi sit toto anno fere par nocti dies, quod non horrida vigeat æstas, non hyems rigida, quod perpetuis fruatur vere ac autumno, ab æquinoctio gradus tantum sexdecim, & alicubi pauciores distat. Literas habetote Cæsareas ad Pontificem supplicativas. Bullas expedite. Sed alterum in casu hoc habeto. Regressus ad Cæsarem cum gratiarum actiono, repetiit. *Quo Tua Majestas intelligat vera esse quæ postulatis miscui, de solius amoris erga me signo non avara cupiditate, in ipsius Abbatiæ templo erigendo primi anni redditus integros, nullis impensis deductis, me præbiturum polliceor. Pius est Cæsar, pium est opus, utere tua pietate in hoc, uti soles in cæteris, aperiat & Tua Majestas manum.* subrisit. Tantundem imperatum est, ut è Regio fisco tribuatur. Expilabo indies magis, quando jam sit opus inceptum. E meis familiaribus mittam ad id opus aliquem, quæ sequentur, intelliges. Monitus ab Mapheo postarum magistro, quod jam esset cursor petasatus, hæc celeriter scripsi. mentitus est. quatuor ultra dierum spacium intercessit. Hinc habeto paucula. forte nulla post hæc per dies aliquot. Comes Potentiæ Neapolitanus ad Curiam veniebat. Captus est & in arcem ductus Simancheam, quod Cæsare inconsulto, ausus fuerit Pescariæ Marchionem ad singulare certamen provocare, quo tempore Sua Majestas Marchionis opera contra Gallos lacessentes indigebat. De Gallis nescio quid summurmuratur, quod Rosilionis Comitatum incursionibus infestarint. Est aliud majus.

Indicum

Indicum Senatum Cæsar renovavit, à cæteris negociis explicitos delegit. Principem Senatus quem Hispanus *Præsidentem* appellat Oxomensem Episcopum confessorem suum effecit, addidit collegas Canariensem Episcopum, Jurisperitos duos tibi notos, ambos Doctores juris dicundi, Beltranum & Maldonatum. Suo Cæsareo chirographo me imperat adesse. Ad aliud hac, iter fecit Regis Portugalliæ cursor, quod Florinus pirata Gallus navim Regi suo raptaverit ab Indis venientem, qua merces vehebantur gemmarum & aromatum ad ducatorum centum octoginta millium summam conqueritur. Ubi primum huc appulsi sumus, conclusum est, ut Catherina nubilis, Cæsaris soror, tibi nota, detur Regi Portugallico ejus consobrino in uxorem. Vale fastiditus, ut arbitror, tam longa filateria. ex Valeoleto quo III. non. Augusti accessimus, MDXXIV.

EPIST. DCCCI.

Tolonum capitur. Bracamontus centurio è castris. Tria promissa defuerunt. Quare Gallus Rex suis odiosus. Horrida pestis Mediolanensis. Legati postulata.

P. M. A. M. Marchionibus.

Accipite quæ fervent in olla Martiali. Nostra classis, duce Ugo Moncada, in portu Monaco Genuensi esse dicitur. In prospectu è regione Gallica, portus fauces custodiens, furor bellicus vexat utramque. Borbonus & Pescara Massiliam obsidere cogitant. Tolonum portuosum oppidum ceperunt. Ab ejus arce tormentorum habuere vasa septemdecim, quibus Massiliæ muros quatere sperant. Præsidia sunt intus validissima. Borbono fines Gallicos ingrediente, vulgus universam Galliam à suo Rege defecturam ajebat, quod Borbonus è stirpe regia sit, gratus nobilibus, Rex autem ob vitia quædam exosus. E castrorum centurionibus venit unus ad Cæsarem, nomine *Andreas Bracamonte*, fuit mihi nuper conviva. Neque scutum, neque hastam in Borboni favorem fuisse erectam inquit, immo suspicatur nostros in discrimine non parvo esse, quod Christianissimus Rex ipse sit Avinioni, validum cogens exercitum, ut nostros adeat. Fore arbitratur, ut nostros transisse pœniteat, quia præcipue Rex Anglus promissa ducatorum millia centum, si Borbonus transmitteret exercitum in Galliam, differat, neque à Comitatu Rosilionis nostræ copiæ turbent quicquam, neque ab Italia promissum Prorex mittit peditatum, neque de velitibus & cataphractis militibus adsit numerus integer. Dicit tamen, Christianissimum Regem ab suis ducibus odio haberi multosque ab exercitu dimisisse, quod de eorum fide dubitet. Infensos habet populos omnes, sacros & profanos, ob exactiones pecuniarum, quibus universa Regna expilavit ad cutem, nunc autem excoriat ad ossa. Hæc rotant in rota rotante. In patria natali mea Mediolano dira pestis omnia vastat, crudeli scopa verrit obvia cuncta. octoginta capitum millia deesse jam prædicantur. Dux ipse ac Palatini omnes, cujusque nobiles per apertas vagantur villas, & jam vicinia universa corrumpitur. Ex Germania intelleximus in Conventu generali coacto in Wormatia, Chieregatum Episcopum Aprutensem, Pontificis legatum, nomine Pontificis proposuisse, quæ scandala severit pervicax Lutheri petulantia, petiitque ab eis, ut contraeatur serveturque sententia in eum lata per Pontificem, & à Cæsare confirmata, ut ignis hic atrox cuncta corrumpens exstinguatur, postulavit. Præsidebat Fernandus Serenissimus Austriæ Archidux frater Cæsaris in conventu. Non bene grata fuerunt Principum responsa, inde colligetur *Germanos Principes libertati studere liberrimæ*, honesta plæraque sunt Principum postulata. Candidis multa involvunt nigerrima, *se daturos operam pro viribus, ut provideatur, sed miti & benigna negotiatione, severa minime, ne popularis tumultus aliquis exoriatur*, responderunt. Ad librorum hæreticorum petitam pro sententia lata combustionem, provisuros dixerunt, ne quis audeat impressoribus ultra quicquam præbere, ordinariis inconsultis. Ad nubentes initiatos quenquam Principum in sua ditione acturum de causis hujusmodi tanquam contra seculares si quis depræhendatur in eis apostata, de annatis, quod in Germania restent, ex instituto vetere *ad infidelium furores reprimendos*, cujus rei causa concessas fuisse inquiunt. De Concilio quod vocetur & *in eo cuique hominum liceat quicquid in mentem venerit profiteri ac proponere impune.*

§. Conquestus est legatus Cheregatus Aprutinus Episcopus. Responsum est, *nil aliud statuturos, aut in Pontificis favorem aliud dicturos, nisi prius centum propositis gravaminibus Pontifex eat obviam.* Jusserunt Aprutinum abire re non solum infecta, sed multo majore sanie confecta. gravamina mihi nota sunt. In aliud tempus ea differo mittenda, non sine causis urgentibus. His auditis, Cæsar ad Serenissimum Infantem fratrem suum literas dedit in hunc sensum.

§. *Mirari se* ait Cæsar, *quin ratio habita fuerit*

de rebus decretis in conventu Nurembergensi, *cui affuit Sua Majestas. Ubi de consensu Principum Imperii sancita fuit actorum Lutheri annullatio & librorum combustio castigatioque tenentium apud se libros ejusmodi. quod autem à Pontifice Concilium petere ausi fuerint*, vehementer arguit, *cum id ipsius Papæ ac Imperatorum sit munus.* neque abnuit Sua Majestas, *quin Concilium sit cogendum*, *sed quod extra ordinem Germania per se ipsam id petat*, *se moleste tulisse*, *aitque Concilio se velle interesse*, *modo suo loco & tempore & per quos debeat convocetur.* Addidit alia verba sanctissima: *Si hac nos pateremur*, *non filii Ecclesiæ*, *sed Inimici jure merito nobis nomen compararemus & ingrati notam apud omnes gentes subiremus.* Repetiit Sua Majestas, *ægre se tulisse*, *quod sola Germania tentet Sanctiones tantas veterum Patrum autoritate firmatas labefactare*, *quibus neque Pontifices ipsos oporteat contraire.* Dat exempla mox Sua Majestas, & ait *aperte visam fuisse perniciem eorum Principum & divina super eis judicia iracunda decidisse*, *qui Ecclesiam vel puncto perturbare ausi sunt*, *quanto magis perditissimi unius hominis insanias velle fovere.* Hortatur demum Serenissimum fratrem & Principes Imperii, *ne quicquam immutari patiantur*, *donec in eo quid postulant Concilio*, *cui se affuturum pollicetur Sua Majestas*, *quid fieri debeat*, *statuatur.*

Extra hanc aleam parumper & longe claudemus portas epistolæ. Regina Gallorum concessit è vita. Illi se dedit sociam Terræ Novæ ac Suessæ Ducissa. Jam valete. ex Valdoleto. Calendas Octobris, M D XXIV.

EPIST. DCCCII.

Controversia inter matrem & filiam ituram ad maritum. de Garaio. Tempestas. Obruta Carracha.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

CAtharinam sororem Cæsaris in Portugalliam ad virum consobrinum misimus. pridie quam discederet, matrem adivit. *Se nuptam esse* recensuit. *ad virum ire oportere* obortis lachrymis ait. *acies paratas esse Castellanas & Portugallenses ad conflictum*, *ni properaverit*, dixisse fertur. Ad hæc mater: *Puellula es*: (hoc semper suo idiomate appellavit symbolo, quod est *nigna*) nondum *nubilis*, ne cures. *Hem! quam magna sunt in promptu scandala*, *ni ego iero.* Mater adhæc: *Ne timeas, nigna, ne timeas, non accidet mali quicquam.* Elucescente altero mane, matre nil ultra salutata, discessit. Ad Indos ab Hispanis inquietis spiritibus, multa emergunt indies. quæ natura illis infixit nascentibus. Quatuor appulsa sunt navigia. Ab Senatu partibus illis præbente leges, ex Hispaniola literas habemus. Quæ ad Justitiæ administrationem attinent prætermissis. Ad Cubam, alias *Fernandinam insulam* ab nova Hispania & Fernando Cortesio illarum terrarum domitore appulsum esse quendam Centurionem ab Cortesio missum, nomine *Christophorum Olitum* scribunt. Afferre illum in mandatis ajunt ab Cortesio, ut inde in latus putati continentis, dictum *Figueras* alias notum, trajiciat, ibique Coloniam erigat. quadringentorum peditum & equitum triginta numerum habet secum. Ad locum eundem vadit Gil Gonsalus præfectus regius. ferunt & Petrum Ariam putati continentis & aureæ Castellæ gubernatorem mittere copias ad locum eundem. Sperant omnes, se illic fretum optatum reperturos, terras à terris dirimens. Veremur ne, si occurrerint, se invicem de suo more, quod sint sodalitatis impatientes, mutuo conficiant. Hispaniolæ Senatui datur summa potestas, ut ferventibus eorum animis eant obviam. Ab hoc Olito nuncium quoddam infelix emanavit. Franciscum Garaium Jamaicæ meæ sponsæ gubernatorem, dixi alias de Colonia in Panuci magni amnis ripa deducenda, semper cogitasse. Septingentorum peditum, quatuor & quadraginta supra centum equitum coëgerat manum; ambagibus longis in tempus aliud relictis. Ecce! ivit cum eo comitatu Garaius Olitus hic, in Cuba insula sistens, dixit Garaium fuisse profligatum, mox in Cortesii potestate obiisse. per incertam hanc famam se habuisse Hispaniolæ Senatores, ad nostrum regium, dico Senatum Indicum, scripserunt. quando apertius habebimus, habebitis. Hic annus rebus Indicis, Episcopis præsertim acrem se ostendit. præter seditiones ducum, quas timemus, vita functi sunt plures Episcopi. Alexander Geraldinus Italus noster in Antistea sua Domini & Conceptionis Hispaniolæ raptatus est. obiit, & putati continentis alius: Prior vero Melioratæ ad utramque Antisteam S. Dominici & Conceptionis Hispaniolæ, designatus, exspectare noluit vestra Pontificia plumbata diplomata, dum illic expeditio tractaretur, exhalavit fluxu ventris animam, quippe mitem & providam. Evenit & aliud adversum. Ex ostio Bethis, duodecim navium classis ad Indos itura, vela fecerat vi tempestatum quassata, magnam opum partem in mare, quo se exoneraret, coacta est projicere, ad portumque redire, unde prodierat. regressa tandem est & felicibus in puppim flantibus ventis cœptum iter peragit. Ad nos ab Indis redeamus. Cæsar suæ quartanæ profuturam credens aëris mutationem, Turdesillas,

desstillas, ubi mater ejus pessundata Saturno sedet, & sedebit æternum, se contulit. Neapolitanus quidam, cum unguento sibi noto quo renes uncturus sit, quartanam abrasurum sese obtulit. Admissus est. neque obstitit medicorum argutia. inungit. prima facie visum est profuisse. regressa mox est. Conqueritur unguentarius, quod nimis propere medelam abjecerint Medici. Longiore parumper tempore opus fuisse ait. Dimissus est unguentarius. Forti animo languorem patitur Cæsar. Mare quoque nobis infensum est. De carrachis pluribus obrutis & disturbatis vi tempestatum, vos apertius scitis, quia Italæ omnes erant. Jacobus de Vera insignem in Hispania tuo tempore unam construxerat. Ad manus piratarum Gallorum ea venit cum mille quingentis saccis lana Hispana farcitis, rebusque aliis ad valorem septuaginta ducatorum millium. ad Belgas & Antuerpienses nundinas proficiscebatur. Sed aliud accidit magis mirandum, quia inauditum hactenus. De statione Bilbaii & fluminis ejus in Oceanum fluentis commodo, audivisti sæpe. Intra fluminis fauces valde superne stabant in anchoris multæ naves, plenæ mercibus, coactæ, ut uno facto agmine ob piratarum metum exirent, ad Belgas ituræ. Nactum ausi sunt Galli piratæ fluvium pernavigare. Putarunt Cantabri navium domini amicas esse. Duas è navibus ab anchoris erutas, abduxerunt. expergiscentur posthac vigilantius ignavi navium domini. Vale. ex Valdoleto, unde nullas à me ulterius habebis. Cras namque ut Madritum, *Mantuam Carpentanam* proficiscamur, discedemus. XIV. Calendas Decembris, M D XXIV.

EPIST. DCCCIII.

Massiliæ obsidio deseritur. properatur in Insubriam. Galli in Taurini urbe. Papæ mens in Cæsarem fluctuat.

P. M. A. M. Marchionibus.

A Clemente Pontifice membraneum habui naviculæ sigillo diploma. duo id continet capita, laudativum unum, quod scripserim de Orbe Novo, hortativum alterum, ut procedam. Parebo, ne anathematizer. Ad Fortunæ ludos vertamus calamum. Atra fames & Christianissimi Regis vicinia nostros coëgit Massiliæ obsidionem deserere. Maximi sunt Borboni & Pescariæ conquestus de promissis militibus ab Italia, de Regis Angli pecuniis, de ingressu in Galliam per Comitatum Rosilionis. per vias invias, per horrida montium Alpinorum cacumina, per ambesas rupes & anfractus difficiles, nec passu lento, terga verterunt. Rex autem Christianissimus, de nostrorum abscessu certior factus, levius aliud per minus aspera montium juga cepit iter, quo prior in latis Insubriæ campis accederet, nostrosque pacto illo interciperet, & faucibus vallium occupatis fame intra steriles vastitates perire cogeret, vel prior Mediolanum prehenderet, nostris à tergo relictis. Longis adeo itineribus, & gressu adeo citato, ajunt eum exercitu profectum, ut milliaria feratur aliquando uno die triginta percurrisse. uterque anxius invigilat, saluti student nostri, pernicici nostrorum hostis. Protonotarius Marinus Caraciolus magni momenti vir, pro Pontificibus quondam legatus apud Cæsarem, nunc apud Ducem pro Cæsare Orator, scripsit ad me, Christianissimum Regem jam descendisse ab Alpibus, esseque in urbe bonarum artium genitrice Taurino. Spem tamen præbet, quod nostri sint evasi, monetque me, ne de reditu in patriam cogitem in præsentiarum, quod omnia ruant, quod plena gemitibus & lachrymis sint omnia, depopulationibus obnoxia. Pontificem ajunt esse dubium, quando illi de vetere amore in Cæsarem, & secus, de prisco in Regem Gallum odio, recensetur. Si cum sub galero purpureo tantum liber esset, appetitui suo locum dedit aliquando, non esse mirum respondet: Nunc autem cum sit Christianorum Principum pater generalis, & Christiani generis pastor, aliter vivere oportere. De Pace inter eos acturum se inquit, & parti minus fugienti Concordiam, adhæsurum. Mediatorem se futurum per breve diploma Cæsari pollicitus est. Italia universa fluctuat, quo se vertant, non intelligunt, stupidi, audito tam repentino saltu Gallorum, erigunt in cælum facies, ignari quid velint. Scito multa magna quod sese offerent scribenda. nunc valete. ex Madrito pridie Calendas Januarii, M D XXIV.

PETRI, MARTYRIS A. M.

EPISTOLARUM


LIBER TRIGESIMUS OCTAVUS.

Epist. DCCCV.

Rex Galliarum intrat Mediolanum. inde it ad obsidendum Papiam. castrametatur intra Parcum. Papienses imitantur Germanos. hostis obsessos commeatu intercludere satagit. amittit operam & impensam. Papalis legati consilium de Pacificationis modo Cæsar improbat. Oratio Germanorum Ducis in Genua.

P. M. A. M. Marchionibus.

NOva nobis allata sunt, uno fasce multa constringam. Ad Martinum Centurionem Genuensium Oratorem scripsit eorum Dux Antonotus Adornus, quo in statu res Italæ sint. Christianissimi Regis copias, primo dinumeremus. Quid de Mediolano Papia, quod obsessa, mox de tentato Ticini diverticulo, demum de aliis successibus usque ad hunc diem plæraque. cuncta namque particulatim habemus. Copiæ cum quibus trajecit Alpes, cataphractorum sunt millia duo, levis armaturæ, tria. peditatus hoc ordine constat. Helvetiorum & Suevorum millia sex. Vasconum & Morinorum decem, Italorum quinque. Ait tamen ex Alpium citato transitu, ab hybernis latebris primo vere prodeuntibus lacertis, equos esse strigosiores, militesque ipsos præ inedia squallidos ac semilabantes, neque vestigiis constare, processit tamen Rex animosus, neque sibi aut exercitui pepercit labore omni & angustiis, præ Imperii augendi cupiditate superat. Scilicet Novariam adivit, cepitque imparatam. diruerant ejus arcem nostri transeuntes, quod invalidam repererint. Sed præ incuria, vel quod magis credendum est, præ maturata fuga, ne impedirentur, quatuordecim reliquere vasa tormentaria, quibus in eos Christianissimus Rex utetur. Mediolanum, nil dormiens adivit, tum peste gravatam miseram urbem, tum Magni Cancellarii Ducalis Comitis Hieronymi Moroni suasu desertam fere invenit. Repentino quippe Christianissimi Regis accessu, Magnus ille Cancellarius, civibus convocatis, cum bona Ducis venia, posse Gallis portas aperiri disseruit, copias defensioni consonas deesse asseruit. Septimo Calendis Novembris munito Castello ad arcem regressus est Cremonam. Mediolanum Christianissimus introivit, præsidiis in ardenti peste relictis, Papiam versus tetendit. Triumviratus Prorex, Dux Borbonus & Pescariæ Marchio Antonio Leivæ nobili genere orto Hispano, fere nato & alto in re bellica, Papiæ præsidiarium effecerunt. Cataphractorum illi dederunt lanceas bis centum, levis armaturæ totidem. Peditatus erat Hispanorum quadringentorum, Germanorum quinque millium. Horum dux erat Germanus bello egregius nomine *Altozolorem*, Cæsaris observantissimus. Inhæret Papiæ vero mœnibus septum vulgo *Parcum* calce ac lateribus structum quinque milliarium ab utroque latere, ab ultimo spacio totidem à fronte qua propius est urbi, fere dimidia parte, quia declinando producitur ad Urbis ipsius portas. spacium id fuit veteribus ducibus animi causa reservatum. Id est hujusmodi.



§. Inest septo Carthusiensium cucullatorum fratrum dite cœnobium & structura magnificum. Inest quoque munita in modum arcis domus alia, dicta *Mirabello.* cœnobium sibi Christianissimus in stationem elegit. Ad Papiæ obsidionem universum misit exercitum. Magna vi tormentorum quatere muros tertio nonas Novembris primo ceperunt, & una oppu-

oppugnationem, muris diruptis tentare. Octavo idus ejusdem, secundo. In tertium inde diem, tertio, cum ingenti jactura toties fuere repulsi, ausos inde obsessos fuisse ajunt erumpere in hostes Grisones Helvetiorum, qui custodiam habebant impedimentorum, bis adorti, execundo multos trucidarunt, in tutumque cum ingenti præda se in urbem receperunt. Solet Germanus miles stlataria tantum pugna valere, didicit noster præsidiarius Papiæ, incursionibus, Hispanorum æmulatione hostes infestare: ac spolia hostium extra cuneos quærere. His inspectis Rex Christianissimus suorum militum animos deficere sentiebat, cum ab imperterritis hostibus indies magis affligerentur, ad præsentaneamque interniciem duci ægre ferrent, duobus modis stringere obsessis fascias ex Procerum & ducum suorum consilio constituit; circumducere urbi fossas, nequis ad commeatus quærendos quiret exire, & hinc inedia illos consumere, quod nostros intelligeret non ausuros prodire in auxilium ex Cremona & Lauda, ubi erant inclusi Dux Cremonæ, triumviratus Laudæ Pompejanæ, ac Alexandriæ plæraque præsidia duce Gaspare Marino, Ticinum & una divertere in fluvium Gravalonum, ab Ticini alveo duo forte labentem, ad non longa dein spacia in Ticinum cadentem. In eo consilio, si voti compos efficietur facilius applicare copias & machinas in obsessorum exitium ad urbem poterit, quia veteres ejus urbis cives qui eam circumsepsere mœnibus lapsu fluminis, latus illud lambentis freti, parvo adminiculo putarunt opus esse ad hostes quosque reprimendos ab ea parte, quod nullibi sit vadosus Ticinus. Sed arbitrantur, uti scribunt, naturæ illius amnis gnari, operam & impensam Christianissimum Regem amissurum, quod arenas trahat insperatas quascunque fossas obcæcantes, hyeme præcipue, quæ jam illos urgebat ob frequentes alluvies ab Alpinis jugis pluvialibus, in lacum Verbanum cadentes, quas omnes Ticinus absorbet, unde Padum reddit adeo ingentem, ut *Rex fluviorum* appelletur. Hoc idem Capuanus Archiepiscopus ad Cæsarem regressus profitetur. Is bonus pater de Pace tractans, Mediolanum in Pontificis manus deponi debere consuluit, hinc fieri viam ad Concordiam planiorem arguit. Cæsari propositio non placet. Particularia quædam extra generalem aleam, feramus. Joanninus Medicis Pontificis propinquus, quondam Cæsareus, nunc Gallicus, in levi prœlio scopepeta vulneratus abiit è castris. Galli Savonam, Ligustici maris à Genua secundam ex composito cum civibus sub nomine Pacis ingressi, dedere in prædam. Jam Germani obsessi tumultui studere incipiebant, stipendia petierunt. Habita est à mechanicis quædam, sed parva pecuniarum summa. Oratorio apud eos functus est munere prætor Leiva, qui literas nunquam didicit. Virorum interniciem, virginum stupra, uxorum raptus, natorum dispersionem, strages facultatum proposuit, si ad hostium manus venerint. Quicquid assequebantur, & uxorum ornatus, si quos habebant, in commune porrexerunt. Nobiles autem jam seipsos expilaverant calamitate inspecta. Intromissa & sunt per Gallorum excubias, à duobus Hispanis, transfugium simulantibus, ducatorum tria millia, à Pescariæ Marchione illis credita. In hac summula viritim dividenda, casus notatu dignus emersit. Hispani qui aderant portiunculam & ipsi habituri, lætis animis Prætori dedere potestatem, ut posthaberentur, Germanisque portionem suam præberet. Hac visa benignitate, Germani à suo duce hortati, ne oblatum patriæ tantum honorem parvi faciant, mori malint aut fame perire, quam deficere, quam locum Gallis dedere, contra veteres eorum mores assensi sunt, animi fortitudine ac insolita fide constare dicuntur. Exitus erit judex. penuria laborant gravissima. ad equorum præcipue pastum quibus omne pabulum fœni aut paleæ, vel alterius modi alimenti, hordei vel avenæ, corticibus arborum & fabarum thecis primarios depascunt equos. Reliquos aut comedunt, aut præ inedia vident præ oculis cadere mortuos. Nono Februarii noster exercitus, post quorundam Germanorum accessum, quos Dux Borbonus duxerat ab Illustrissimo Infante, apud quem vos educati estis, Archiduce Don Fernando Cæsaris fratre, habitos, propius audent accedere, castra castris opponere, hostes lacessere. Mutuis tormentorum globis se alterne salutant. Februarius pygmæus forte gigantæis utetur successibus, & febribus tremefaciet multos. Ruent alterutri, stare jam loco nequeunt, opus est, ut dimicetur, sperant Cæsarei, licet numero impares, potituros victoria, quod nostrorum animos sit necessitas excitatura: Econtra sit Gallis opulentia nocitura. Symposiis ajunt Hispani, Gallos non minus in castris intendere quam si domi distentis cruribus ociarentur. Effœminant militum animos in castris blandimenta voluptatum. Venetus exercitus, licet duces eorum stimulentur, ut stent pactis, in alis manet. Non trajicit suos fines Dux Urbinas prætor eorum, quod non detur transeundi libertas. premunt suorum ducum habenas Veneti. Hæc impræsentiarum

sentiarum per duos cursores, & Capuanum Archiepiscopum. Inter hos Martes & Saturnos Mercurium alatum effectum. Jam nimis longam epistolam contexui. quæ deflenda succedent, habebitis. Valete. ex Mantua Carpentana dicta *Matrito*. XII. Calendas Martii, MDXXV.

EPIST. DCCCVI.

Leutrecus revocatur. Consultatio super danda Indis subjugatis Libertate.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

AB argumentis quibusdam non fauste Gallos in hac insania Martiali procedere arbitramur. Leutrecus dux confinium, Angiæ à suo Christiano Rege revocatur: ut confinibus relictis, properet ad se cum præsidiariis omnibus suis, imperare dicitur. Hujus urinæ spectatores medici ægrotum vel ægroto proximum esse judicant stimulatorem. Dum interea quid rabida sors allatura sit, apertis faucibus operiuntur. Ad Indos transeamus. Tres habemus ab Hispaniola naves, saccareis panibus & coriis boum, quorum est jam tanta in insulis copia, ut ignorent, qua mittere illos queant, mercibusque aliis onustas. Jacobus Velazquez Fernandinæ, quæ Cuba est, gubernator, qui ditem Crassum opibus superabat, Codro miserior & paupere pauperior obiit. In construendis novis classibus ad novas terras quærendas & Fernandi Cortesii fortunam infringendam, ingentes consumpsit thesauros. Frustra omnia. Cortesii namque genius supereminet. Vita & functus est in ipsius Cortesii potestate Franciscus Garaius Jamaicæ meæ sponsæ diu gubernator. Is & ipse novarum terrarum cupiditate seipsum expilavit, ac tandem in calamitate redactus, calamitose abscessit è vita. Hæc latius in particularibus rebus Indicis, de quibus propediem duas Decades habebitis; ad Mediolani Ducem directam unam, ad Pontificem alteram. Sed audi, quid inter nos versetur. De Indorum libertate, super qua variæ sunt opiniones diu discussæ. Nihil adhuc repertum conducibile. Jura naturalia Pontificiaque jubent ut genus humanum omne sit liberum. Imperiale distinguit. Usus adversum aliquid sentit. longa experientia hoc censet, ut servi sint, non liberi autem hi, quod à natura sint in abominabilia vitia proclives; ad obscœnos errores, ducibus & tutoribus deficientibus, ilico revertuntur. Accitos in Senatum nostrum Indicum bicolores Dominicanos fratres, & pede nudos Franciscanos illarum partium longo tempore colonos, quid fore putent, satius consuluimus. Nihil à re magis alienum sanxerunt, quam quod liberi relinquantur. latius & hæc & quæ referent in particularibus. nunc satis. Vale. ex Mantua Carpentana *Matrito*. VIII. Calendas Martii, MDXXV.

EPIST. DCCCVII.

Dux Albaniæ cum suis copiis abit Neapolim. Castrioti laus. De Gaspare Maino. Papienses erumpunt. Casale majus obsidetur. castellum S. Angeli capitur. ad duellum Rex Galliæ provocat Marchionem Peschariæ.

P. M. A. M. Marchionibus.

INterea dum generalem amborum exercituum insanientium stragem, internitiem & camporum pinguefaciendam humano sanguine superficiem vobis præbebimus, circumvolitantia quædam suscipite. Rex Gallus existimans, Cæsareum exercitum posse dissolvi, si ad res Neapolitanas disturbandas ex Angiovinorum consilio exulum copias miserit, sub prætore Duce Albaniæ Scoto principe quingentas illi cataphractorum lanceas cum peditatu commodo ad rem designavit. It suum iter Dux ille. Ursini parant augere illius exercitum. Regnum se apparat ad tutelam. Exitus loquetur. Ad alia. Ex Laude Pompeii, qui se triumviratus Proregis, Borboni, Pescariæ recepit, Fernandus Castriotus antiquo Principe Græcorum sanguine ortus S. Angeli Marchio, dolum dolo curavit. incursionibus infestare pagos è Ducalibus Gallicæ quædam acies cogitarunt. re intellecta Castriotus ad eos tetendit, reperit, profligavit, pinguem retulit ab eis prædam. Gaspar Mainus Alexandriam urbem præsidio habebat. Ad eum obsidendum nomine Gallico, peditum tria millia, equitum ignotus numerus veniebat. Hi Massiliam nullo oppugnante tutati fuerant inclusi, & Savonam sub data fide cum pendicibus spoliaverant. Exit ad eos Mainus, ut vicinum fluvium transeat, hostium pars permittit, hos cum peditibus tercentum, equitibus centum adoritur sternitque flumine trajecto, reliquos jam deterritos sociorum exemplo adit, profligat, insequitur, opima reportavit ab his spolia. De inclusis intra Papiæ mœnia mira feruntur. Erumpunt sæpe in hostes, neque manu vacui revertuntur unquam, aut sine sparso cruore. Ab Cremona vero quam ex triumviratus consilio Dux una dierum exivit ad eos icturos quando jam post habitos ab Illustriss. Infante, à Duce Borbone ductos in castra

Germanos,

Germanos, prodire in apertum ausi fuerant. Palavesini Parmenses proceres à tergo saliunt cum validis copiis, Cremonam impetituri. ab Cremona milliaria forte xxiv. locum occupant munitissimum, nomine *Casale majus*, ut inde saltum cogitatum Gallorum nomine peragant. Si voti compotes fuissent, actum erat de rebus Italiæ, ac Cæsaris autoritate in ea. Re intellecta per vigiles exploratores, regreditur ab itinere Dux, oppidum obsidet expugnatque, quotque inerant, aut capiuntur, aut trucidantur. Palavesinæ illius Illustris familiæ capita Dux habuit ad manus, horum princeps Marchio est, ut Cremonam regrediatur illamque vigilans custodiat, edictum est, quia si nigrescet fera sors pugnæ, quæ differri non potest, non desit quo se victi recipiant. Suis jam clangoribus feralis Alecto aëra concutit. Ad milliare dimidium à Papiæ mœnibus castra metantur jam nostri. In Papiæ septo & suburbiis Gallus habet tentoria. Grando, nix, glacies & flammantia cum tonitruis horrendis fulgura exspectantur ab his nubibus. Dira necessitas ingenium & vires & animum nostris excitat, singulis horis hostes lacessunt, ad pugnam provocant. Gallus in castris fossis & vallo munitis, se continet, consumere inedia nostros, quibus omnia desunt, nititur. Credere Fortunæ summam rerum suarum renuit, quia in tuto rem suam habere putat. Est à castris utrisque munitum nomine *S. Angeli Castellum* milliaria quatuordecim. nobilitas multa Gallorum nomine inerat, è gente Gonzaga Mantuana, præsertim centuriones plærique. Loci expugnandi provincia sumitur, Gallos existimarunt ignominiam non passuros tantam, ut coram oculis eorum, & locus & egregia illa præsidia delerentur. Inde proditurosè latebris ad suorum defensionem putarunt. Manent immobiles Galli, nostrorum stratagemate intellecto, non tulerunt suppetias. capitur municipium, capti quicunque inerant. jam tot contumeliis totque jacturis susceptis deficere animis Christianissimi Regis ductores cœperunt, nostri animum augere. Inferni manes præ tantarum animarum præsentaneo lucro labra mandunt. Res accidit narratu digna in his angustiis. Rex Gallus ad Pescariæ Marchionem literas per tubicinem fecialem dedit provocativas ad certamen, cum paucis aut cum multis, utrùm mallet pari numero, sese obtulit exiturum. De Prorege aut Borbono nulla mentio, definire se cupere litem hanc cum eo insinuat. Pescaria modeste respondit, Christianissimi animum laudavit, ac de ratione habita honoris ejus in eligendo, gratias habuit, aitque *nihil honoratius in vita sibi accidisse aut accidere posse, quam à tanto Rege invitari ad particulare certamen, sed nequire se Suæ Sublimitati satisfacere, quod non sit liber, neque id posse inconsulto Cæsare Rege suo assentiri.* Vidi ego literarum exemplar. ab exercitu missas ajunt veras. Rebus sic stantibus, Antonius Leiva obsessorum Papiæ Prætor, ad triumviratum literas dedit in hanc brevem sententiam: *Vel ad nos venite, vel ad vos ego, viam ferro aperiens proficiscar.* Jam valete. Madriti. VIII. Calendis Martii, M D XXV.

EPIST. DCCCVIII.

De suppetiis Gallo Regi latis à Duce Ferrariæ. de Ugone Moncada & Principe Orangiæ captis. Genuenses vacillant.

P. M. A. M. Marchionibus.

VIx prior epistola ad vos exierat, quando ecce alium ab exercitu tabellarium, quæ ad vos scripsi vera esse inquit & affert ab exercitu. Adduntur multa. Ducem Ferrariæ scribunt & pecuniarum & machinarum Gallo contra Cæsarem suppetias tulisse. Ugonem ajunt Moncadam triremium nostrarum præfectum à Gallis captum fuisse in terra. Nescio an de Principe Orangiæ Cæsaris coætaneo amantissimo captura scripserim. Duobus tantum Bergantinis in Italiam trajiciebat. In classem Gallicam incautus incidit. nostram putans, ad Gallos tetendit, in laqueum ipsemet, nemine laqueum tendente se conjecit. Fuit hic Cæsari casus molestissimus. Genuenses nova tractant. Mutare se velle statum deliberant, ut una sit factionibus cunctis gubernatio commoda. Antonotus Adornus eorum Dux privaturum se Ducali magistratu pro patriæ salute pollicetur, quæ uti prostrata meretrix accedentibus quibuscunque Principis exulibus ducentibus crura diffundit, ob intestina odia, & fere quotannis, ut tributis gravibus susceptis, aut prædonum raptu discerpitur, quæ maris quondam domina esse videbatur. Jam valete. Madriti. III. Calendas Martii, M D XXV.

EPIST. DCCCIX.

De duabus navibus ex India redeuntibus cum thesauro & tigre. de suffectis in defunctorum Antistitum locum.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

DE rebus placidis, gratis, honorificis, humano generi utilibus ad te, de petulantis

lantis fortunæ scopis ad alios. In portu Clunio classis est, ad Maluchas insulas aromatum altrices destinata; quando discedet, intelliges. Ab Hispania nova, domita nuper à Cortesio thesauris onustæ, duæ naves appulsæ sunt, ad Cassiterides. Earum una, thesauris in terram expositis, tentare fortunam decrevit, piratarum prædonum evasit rabiem. in hac vectus est Lupicus alumnus meus, à teneris quem dilexisti à puero jam barbatus, qui paulo post tuum discessum cum bona mea venia duce Roderico Albornocio à Rege ad partes illas misso cum magistratu computatoris, rerum novarum auditu pellectus profectus fuerat. thesauros afferunt & tigrim à catella in cavea nutritam, colubrinam & unam quam esse auream fama ferebat apportant. Eam non tanti esse scribit Lupicus. Exiguo auri gradu fulctam dicit, nondum est appulsus. ab Hispali ad nos veniet, & multa intelligemus. Cæsar magna multaque impartitus est suis. Joannem Fonsecam Burgensem & Rosanum antistitem obiisse nosti. Palentinum in Burgensem transmutavit. Palentiam Pacensi designavit. Doctorem Mansum Pacensem effecit. Licentiatum Suarez Senatorem hæreseos inquisitionis nominavit Tudetensem, in Granatensem elegit Civitatensem. Hanc dedit Antisteam doctori Maldonato mihi collegæ in Senatu Indico. evexit & multos ad Commendarias. Vale. Madriti. IV. nonas Martii. quo die putamus jactam esse aleam in agro Papiensi, multoque sanguine felicem alias tellurem esse irroratam, M D XXV.

EPIST. DCCCX.

Quid Pegnalosa ex Italia nunciet de atroci prælio contra Gallos ad Paviam.

P. M. A. M. Marchionibus.

MArtii dies decimus tabellarium nobis præbuit. Fauste feliciterque nomine Cæsaris pugnatum est. Brevibus accipite. Gallum Aquila prehendit. Cæsaris captivus est Rex. En hujus tam detritæ controversiæ argumentum. En ab altis cælorum consiliis delapsam, & in profunda rerum Creatoris officina decussam sententiam! Humana ratio intercessit nulla. Plures erant hostes numero, licet ex discessu Ducis Albani Scoti cum quingentis cataphractis, & peditibus non paucis, suum exercitum Rex enervasset. compositis constabant hostes castris, validis aggeribus circumvallati, securi videbantur. Proregis, Borboni & Pescariæ triumviratus, providentia ducum aliorum, & centurionum ac militum, discernere manu tanta tempore cribratam controversiam cupientium, animorum fortitudine difficultates omnes, licet durissimas, superarunt. Nos interea timore angebamur graviore, quam spe leniremur. Ad hanc usque metam cursor volitans nos traxit, stragem fuisse inauditam, è Gallis principibus, qui suum Regem sequuti fuerant, fere nullum evasisse, quin aut trucidatus, aut captus fuerit, præconatur. quid afferat in pera, latet adhuc. Sed cur hæc pauca de tam vasto rerum acervo scripserim, audite. Commendatarius Spatensis Rodericus Diez cognomine *Pegnalosa*, è ducibus egregiis unus, qui pugnæ interfuit, à triumviratu destinatus, agitato cursu, cum tutelaribus capti Regis literis, veniebat. En quam ridiculis nos Fortuna sannis deludit. Italiæ quicquid à loco certaminis restabat, & Alpium horrentia juga transierat, capti Regis, de infausta sorte sua matri miseræ significaturus nuncium afferebat. Ab ea tanti filii casum plangente ad Cæsarem & familiares epistolas portabat commendativas, ut crebro liceret ad filium nuncios mittere. Fines Gallicos & Laletaniam universam trajecerat incolumis Pegnalosa. Aragoniæ regnum majori ex parte postergarat, domi se jam esse arbitrabatur. Attendite quam parum rebus humanis sit fidendum, quot casibus obnoxii simus. In villa dicta *la Muela*, quæ super arido colle sita est media inter Cæsaream Augustam Regni caput & Almugnam oppidum, descenderat Pegnalosa. Dum per postarum ministros equi parantur ad cursum, inter viatores quosdam ignotos exoritur rixa. Ad tumultum domo exit Pegnalosa. Ex transverso ruit ab alto saxum, unde aut cujus dextera jaculatum, nescitur. Faciem Pegnalosæ ita contudit, ut unum ex oculis tabellarius, quem lecto jacens præmisit, amissurum opinetur. quando curatus venerit, rei ordinem habebimus. Hoc habito nuncio, Cæsar Deo gratias acturus, quod hinc Christiani gregis quietem exspectet, supplicationem instrui mandavit ivitque ipse ad sacellum stadia distans forte quatuor ab hujus oppidi mœnibus, per concionatorem jussit populo dici, Deo soli gratias habendas esse, quod nulla sit in humana potentia vis. Secum duxit Pontificium legatum cum cæteris oratoribus. illum honorifice pridie susceperat. Comes is est Nobiliariæ, vir clarus à parentibus, sed in seipso clarissimus, quod virtute bellica se diu egregium ostenderit, & omni genere literarum sit præditus, & utramque linguam calleat Græcam & Latinam, neque scientiarum aliarum liberalium expers: Musicæ

ficæ utpote, Geometriæ ac Arithmeticæ & Astronomiæ, quæ simul in Fortunæ foris raro emuntur. Venerunt & nuper ab Arctois flatibus, Rutenis, Sarmatis Oratores ad Cæsarem, *Moscobitas* generali appellatione vocant ejus Principis populos. Ad Valdoletum venerat alius, cujus literas credentiales habuistis, si bene memini, sensus idem, ut fraterne velit Cæsar se habere cum suo Principe, uti cum avo Maximiliano hactenus fuit. Titulorum est ingens pagina, quos prætereo, quia in priore recitatos fuisse arbitror. Jam valete. Matriti. III. Idus Martii, MDXXV.

Epist. DCCCXI.

De magna classe ad Indos. de discessu Cortesii adversus Olitum. Oratores Galli & Angli. mors . Marchionis Brandenburgici.

P. M. A. M. Archiepiscopo Cusentino.

A Nobis ad Indos, ab Indis ad nos frequentior est classium concursus, quam sarcinariorum jumentorum à nundinis ad nundinas. Sexto Calendis Maii vela fecit una classis navium XXIV. In ea Joannes Mendigurrenus Cantaber, familiaris meus, tibi notus vehitur. Mitto salutatum sponsam meam Jamaicam insulam, felix Regnum, septuaginta leucarum longitudine, ab Oriente in Occidentem, latitudine triginta, ubi non hyems rigida, non æstas torrida, ubi fere nullum est diei & noctis discrimen, quod proxima sit æquatori ad gradus octodecim, & paulo plus, pauloque minus pro latitudine. Ubi toto anno frondescunt, & una fructibus onustæ acerbis & maturis arbores, ubi semper prata florescunt. In particularibus latius. sunt in ea insula erectæ duæ coloniæ, quas licet paucis habitatas civibus, vult Cæsar civitatum nomine ac prærogatis frui. *Sibyllam* appellant unam, *Oristianam* alteram. In utraque, quod ex trabibus & paleis essent erecta, combusta sunt templa. Statui ut è redditibus meis primariæ, quæ Sibylla est, lapideum inchoëtur templum, & lapideum saltem fiat sacrarium, in quo tuta sit cum ornamentis Eucharistia, ne tanto ulterius discrimini subjiciantur. Tantundem meo supplicatu mandat Cæsar expendi. Is meus, ut OEconomi & in redditibus colligendis quæstoris officio fungatur, missus est à me. Optandum est, ut felicibus sulcent Oceanum auspiciis. En dum ista versarem, Lupicus meus ab Cortesio, quædam & magna Cæsari ad aurem dicenda portat. Ea prætermittamus impræsentiarum, detegentur aliquando. publica sunt hæc. Contra magistratuum regiorum assensum Fernandus Cortesius it cum exercitu valido ad delendum Christophorum Olitum ab ejus imperio alienum. Hinc strages exspectatur Hispanorum. hinc labefactatis eorum viribus, timetur Indorum defectio. sunt impatientes Hispani non priores modo, sed neque pares æquo animo ferunt. ad eundem tendunt locum Gilgonsalus, & à Petro Ariæ putati continentis gubernatore præfectus alter, nomine *Franciscus Fernandez.* Misit & mari Cortesius in Olitum è suis ducibus unum nomine *Franciscus de las Casas.* sub spe freti reperiendi, tendunt omnes. De Indis satis nunc, alias plura. Distulit discessum cursor, inde longam habebis epistolam. Addo parumper. Galli Oratores veniunt. Ab Rege Anglo tertium habemus. bellum quam pacem hi mallent & matrimonii vinculum. Obstat puellæ non aptæ viro ætas. Marchio Brandalburchensis obiit. Per equos dispositos ad uxorem quondam reginam, Valentiæ morantem proficiscebatur. Ubi primum appulsus est lassus ex equorum & curruum quassatu, quod esset procerus valde, non abstinuisse à coitu dicitur. Ad solandam Reginam misit Cæsar Episcopum Conchensem tibi amicum. Coactus Castellæ conventus stricte supplicant, ut Cæsar uxorem capiat gignendæ proli aptam; Catharinam Portugallicam viro maturam, sapientem, decoram, venustam & bene Cæsare dignam capiat uxorem instant. Donec Rex cum Gallo, miro fatorum ordine, in Cæsarea clauso cavea, componatur, meo judicio conclusio differetur. Promissam vobis Ducalem Decadem, & à vobis efflagitatam, secum attulit Camillus Gilius ad herum Illustrissimum Ducem. Mediolano regrediens, inde se missurum exemplar ad vos pollicitus est. Pontificia subsequentur propediem. Si de Magni Cancellarii Mercurini à Gattinera tibi amici turbato in Cæsarem animo, quod plærosque à secretis admittat contra sui magistratus autoritatem, aliquid audiveris, ne putes in stationes male fidas navem hanc collisum ituram. Cæsar indiget ejus obsequio, neque alteri locus in promptu æquus. Ipsi convenient. Tu vale. Toletum venimus. VIII. Calendas Maii. ergo data Toleti Idibus Junii, MDXXV.

EPIST. DCCCXII.

In obsidione Papiensi Hispanus evadit prælio victor & Rex Gallus capitur.

P. M. A. M. Marchionibus.

OPtatis ut jam tandem ab hac vos liberem solicitudine, de tam cruenta Christianorum hominum internicie. Distuli, tum quia nimium hi fortunæ rabidi partus me fastidiunt, & viscera præ horrore corrodunt, quodque res adhuc incerta fama de modo certaminis, deque trucidatorum & captorum qualitate ac numero ferebatur. A viris gravibus qui affuerunt & ab ipso Triumviratu rem habitam, vos habetote. Ad pugnæ causam veniamus, mox ad effectum. Suprema rerum omnium necessitas & anni tempus grave, sub dio pernoctantibus, hinc urgebant. Ex urbe Papia, inde, Antonius Leiva se nequire diutius obsidionem sustinere, per crebros nuncios significabat. Desertio militum imminebat, qui sine pane & sine pecuniis immurmurabant. Consilium ineunt. Quid facto sit opus, arguunt, deliberant. Statuitur tandem, satius fore, si fortunam tentaverint, & pulchre mori pugnando quam turpiter fugiendo, cum utrobique sit aut vincendum aut desperate moriendum. quia nil tutum profligatis, nullus receptui locus, neque unde sperentur auxilia. Venetis per quæsitas occasiones pro icto fœdere jungere se renuentibus, Pontifice titubante, Florentinis Pontificis nutu gubernatis. A fronte, à tergo & ab utroque latere, aut hostilia, aut non amica omnia. Dies Februarii tertius & vigesimus adest. centurionibus & militum primariis convocatis, quid in re sit, aperiunt. Sequentem eum esse diem, quo Cæsar faventibus Superis ortus est, cui ad eum usque diem, cuncta prospere successerunt. Eum esse mensem, quo liberata de Gallorum manibus Fontis Rabiæ urbecula, à suorum Castellæ regnorum cervicibus, gravem abstulit ignominiam. An beata sors ejus consumpta sit, quod absit, experiendum. Assensere omnes. Ad id opus sequentem noctem elegerunt Antonium Leivam, faciunt de consilio certiorem, quo & ipse ex Papia cum Hispanis & Germanis pugnæ tempore saliat in hostes. Rex Gallus in Papiæ suburbiis & intra septum, dico *Parcum*, copias habebat. Quinque ac quinquaginta machinis tormentariis pro locorum situ castra munierat. Callido usi sunt stratagemate nostri, ut qua minime res agenda est, castra hostium intempesta nocte quidam scopetarii centuriones adoriantur. Demandatum est S. Salvatoris & S. Jacobi se velle suburbium expugnare. Ubi extremum agmen hostium stativas habebat, aggressores dissimularunt. Magna hostilis exercitus pars, nocte fallente, credens totis viribus nostros adesse, aut proxime affuturos, ad loci tutelam procurrit. Interea dum scopetariorum fremitibus semisurdati hostes intendunt, Pescariæ Marchio advectis arietibus, quos in castris construxerat, militum & calonum opera, Parchi muros à latere distanti ab hostibus concutit. Stratu duriores quam arbitrabantur, muros inveniunt. Serius quam optarant, operuere aditus, noctu putarunt perficere. Jam dies adventarat, jam tempus aderat, quo sub Cæsaris fatali ortu speraverant, uti evenit, consequi victoriam. A tergo aderant paratæ acies, diruto muro irrumpunt fero impetu. Inclytum juvenem Guasti Marchionem Pescariæ nepotem, cum scopetariis tribus millibus, præmittunt. Mirabellam primo domum, quæ munita erat intra septum, ædes arcis loco adoritur juvenis egregius, capitque in ictu oculi. Inerant præsidio nobiles Galli, capiuntur. Guastum sequuntur ordines. Rex Gallus stratagemate deceptus & monitus, quid rei emergat ab ea parte, qua se tutum esse putabat, locum pugnæ victæ deserit, ad nostros gradientes faciem vertit, acies instituit, machinas præmittit, ordine composito ad nostros signa dirigi jubet. Exonerant machinas Galli, discutiunt paucos. Tormenta nostra tum locis palustribus obruta, tum inter murorum ruinas, impedita perstiterunt. Tres tantum interfuisse ajunt. Ne reiterati machinarum globi perimerent, & cuneos disturbarent nostros, citatiore gressu quam regula Martis exigere soleat, Peditatus ex composito divertens à cœpta via moverat se. Cursum eum Galli fugam esse putarunt. Ruere in eos imperat Rex. Hic est cuique dandum suæ virtuti præmium. Mingovallus Prorex primam cataphractorum aciem ductabat. Prætoriam Dux Borbonus. Peditatus erant præfecti Marchiones avunculus & nepos, licet generalis prætoris Pescaria titulum haberet. Adventantem solito suo furore Gallico, aciem hostilem Prorex acerrime suscepit, Afro leone ferocior, ut is, cui vita & honor & gloria suique Regis auctoritas præ oculis erant, hastam direxit fere primus in hostes. Borboni Dux, ut is, cui domo extorri, mori magis quam vinci expediebat, quod suo Regi esset infensus, ipseque Regem summo persequeretur odio, non neglìgentius excussa galea, vibrataque hasta, cuneum

neum hostilem Prætorium suo Prætorio adoritur. Eodem hoc tempore, neque puncto prætermisso, Marchiones ambo, egregii bello Duces cum peditatu in turmas diviso duas hostilem impetunt peditatum. Cum Germanis Cæsareo stipendio mœrentibus, Pescaria in Helvetios. Cum Hispanis Guastus nepos, in Germanos, Gallico conductos ære, prorumpunt. Certatum est acriter, straverunt utrobique nostri hostes; duarum horarum spacio scribit Prorex ipse ad Cæsarem, cujus ego literas legi millia hostium quinque & viginti fuisse trucidata. Impulisse calamum plærique arbitrantur, obruta vero in alveo Ticini fugentium corpora quinque millia, quod Antonius, ob tantæ obsidionis patientiam, callidamque cum Germana multitudine fere indomita providentiam, miris laudibus ad astra tollendus, à tergo Ticini pontem ruperat, mox in hostes cum obsessorum phalange furens, vindictam de perpessis fame, siti, angore ac vigiliis & extrema omni calamitate sumpsit. E nostris scribit Prorex quingentos circiter esse desideratos, neque primarium quenquam in tanto conflictu defuisse, præter Don Fernandum Castriotum S. Angeli Marchionem. Hunc ajunt Christianissimi Regis dextra fuisse peremptum. Strenui namque militis & egregii Ducis Rex eo die officio usus est. Ab Helvetiis & Germanis, mox à reliquis peditibus suis desertus, in nostrorum & ipse venit deditionem. Equo multis vulneribus confecto solo jacebat, multis scopetarum globulis percussus & erat ipse, non transverberatus tamen, quod eo tempore thoracem induerat sibi mira temperie fabrefactum, ad scopetæ ictum sustinendum. Qui primi ad eum se applicarunt Hispani, directis in jacentem gladiis, trucidare parabant. *Se Regem esse*, alta voce fassus est. Vita dignum arbitrati, vivum spoliarunt armis. In tantæ laudis argumentum, ensem ab regio latere rapuit unus, manicas alter. Adsunt Germani, perimere notum conati sunt, dicentes: *Nostri Regis Cæsaris tam durum hostem vivere non patiamur.* Qui primi adierant, tutati sunt Regem, donec Prorex discurrendo, accedens, de barbarorum manibus miserum eripuit. equo impositum secum duxit. In munito Peziguitonis oppido custodiendum, duci militum & Calabriæ gubernatori Alarcono tradidit. Sine hujus Alarconi consilio, nil unquam universo bellorum tempore sancitum est. Magni ajunt esse judicii, magnique animi virum. Sit satis Regem Potentissimum præbuisse captivum, reliquos Proceres, qui sunt innumeri, tum captos, tum peremptos habebitis alias, nunc valete. Toleti. quo nos octava Calendas Maii perduxit, M D XXV.

EPIST. DCCCXIII.

De Oratore Ducis Mediolani ad Cæsarem. de Rege Gallo, qui captivus abducitur in Hispaniam.

P. M. A. M. Marchionibus.

POst superiorem epistolam advenit Ducis Mediolani Orator. Is est auratus eques nomine *Ioannes Antonius Billia*, Ducis ipsius in exilio & adversis omnibus fidus Achates. Vir est si non literis, rerum tamen experientia, clarus: & in re bellica ductor non ineptus. venit citato cursu per dispositos equos. appulsus est & paulo post eum cursor ab Italia. quæ scripsi de modo pugnæ, rite scripta inquiunt scribentes. Quid autem cursor afferat, in pera habetote, neque parva quidem, duo præcipue. Unum Italis potentatibus acre mire stra. Principum Gallorum alterum qui secundo loco dinumerabuntur.

§. Ex Pizguitono Regis Christianissimi cavea, Gallus eductus est, ut Neapolim duceretur. Mare an terris ducendus esset, deliberare verbo videbantur Prorex & cæteri. Genuam ducitur, sub hac fama. Triremes instruuntur, conscendunt. E suis triremibus Galli Regi, ad id ministerii mutuarunt; Hispanis tamen munierunt. Remigatis in altum triremibus, vela in Occidentem verti jubet Prorex ductor. In Hispaniam collegis Borbono & Pescaria, uti fama refert, inconsultis, ac Cæsare ignaro, si jurejurando credendum est, uti credendum, quia minime fallax est, captivum Regem vexit. In Colibrio, ut vulgo loquar, portu, primo terram cepit. Valentiam mox perductus, dies plærosque in Benizanonæ municipio Hieronymi Cabanillæ Valentiæ gubernatoris morati sunt. Ad nos demum, ut Madriti, ubi nunc est, sub fida custodia, donec Concordia tractetur, maneat. Ex itinere Dux Infantati regio apparatu ac impensa transeuntem, Guadalaiariæ suscepit. In Compluto, quod est *Alcala* vulgo dictum, Toletanus Archiepiscopus per ministros, eo absente non minus laute, ac larga manu hospitatus est. Muneribus uti dux non donavit. Mira ferunt de duorum equorum, Magno Rege dignorum ornatibus, ex auro & unionibus comptis, mulas & precio ingenti phaleratas, Regi dono dedit Dux totidem. sed affinium & familiarium ipsius Ducis, vestium & torquium varietates, equorumque multitudinem & ornatum fuit magis admiratus Rex.

Ludum Troicum, quem Hiſpanus vocat *Cannarum ludum*, centum & viginti compti juvenes ſolutis habenis in ingentis plateæ lato ſpacio, quæ ipſius atrii Ducis fronti adjacet, exercuerunt. Gallum ergo in Matritenſem caveam die Auguſti quarto decimo Aquila clauſit. quem ex tanta Victoria fructum excerpemus, tempus dicet. Parvum exiſtimo, quia nimis mitis eſt Cæſar, Galli vero vafri nimium in actionibus negociorum, quodque non ſecuti ſunt Victores victoriam. A Superis hæc elapſa evenire, à Superis opus eſt ut horum ſeminum ſpicæ proveniant, in hoc ſatis. Ad captos Principes ac trucidatos vertatur calamus. de captis primo quorum ducat choream Rex eorum Chriſtianiſſimus.

§. *Franciſcus Angulema* Rex frontem hujus agminis occupet, cujus elatus animus ipſum ad hanc traxit calamitatem. Don *Enrricus* Nebritenſis, qui & ipſe regiam Navarræ coronam exſpectavit, aliquando comes illi detur. §. *Comes S. Pauli* frater Marchionis Saluzæ.

Deo gratias.



FERDINANDI de PULGAR

EPISTOLÆ

EX

HISPANICO

IN

LATINUM IDIOMA

CONVERSÆ

A

JULIANO MAGON,

S S. Theologiæ Doctore & Ecclesiæ Dolensis Canonico.

Cum

NOTIS ADDITIS.



AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELZEVIRIUM,

cIↄ Iↄc LXX.

Pulgarii Interpres Lectori S.

P*Ulgarius, cujus epistolas è Castellano Idiomate in Latinum à nobis conversas damus, fuit suis temporibus habitus Hispanorum eloquentissimus; cujus rei clarissimum inde habetur indicium, quod à Ferdinando & Isabella Catholicis regibus, ad conscribenda Insignium illius temporis virorum praeclare facta fuerit accersitus, ut ipse ait Epist.* 28. *Singulari apud Reges & Magnates, sed inprimis apud Hispaniae Cardinalem authoritate pollebat. Saepius ab Henrico IV. ad Toletanum Archiepiscopum ad pacem inter utrumque conciliandam legatus missus fuit; sed irritus omnis ejus labor fuit, ut constat ex Epistola* 6. *candidi admodum ingenii fuit, cui summa apud omnes authoritas summam dabat scribendi quidquid vellet, nihilque dissimulandi licentiam. Henrici IV. vecordiam, procerum artes, reipublicae universae jactationem pastoritio quidem sed eleganti carmine, suppresso nomine ad vitandam invidiam, deploravit lingua vulgari, ecloga forma, satyrae amaritudine, Dominici & Ægidii Pastorum inter se colloquentium de Reipublicae statu afflictis sermonibus nomine dato, inquit Mariana anno* 1472. *scripsit & virorum Illustrium gesta, seu potius ipsorum nobis effigiem quamdam & ut ita dicam faciem expressit, adeo illa brevis est. Scripsit quoque jussu Ferdinandi & Isabellae Hispanico sermone Historiam seu potius Chronicon, sed ita male elaboratum, ut rumorum ac nuntiorum farrago quaedam solummodo videatur. Illud Chronicon bello Granatensi terminatur, nec Guypuscoani belli meminit: unde inferas eum mortuum & quidem valde senem anno circiter* 1486. *floruit seculo* 15.

FERDINANDI DE PULGAR
EPISTOLÆ
Ex Hiſpanico in Latinum idioma redditæ
A
JULIANO MAGON
Sacræ Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Dolenſis Canonico.

EPISTOLA I.
Adverſus Senectutis mala.

DOmine Doctor Franciſce Nungnes Medice, mihi Ferdinando de Pulgar, cum nuper colica laborarem, aliiſque quibus nunquam ſenectus caret, morbis tentarer, placuit Ciceronis de ſenectute librum conſulere, ut aliquod tantis doloribus remedium quærerem: Sed fruſtra; multam quidem adhibet conſolationem, multis ſenectutem effert laudibus, ſed tamen ejus incommodis remedium affert omnino nullum. Ego vero remedium ſaltem unum aliquod quærebam, verum Doctor Medice, nihil habet niſi conſolationis verba; at iſta, cum acutior morbus urget, nulli ſolatio ſunt, itaque & ſine conſolatione, & cum meis doloribus librum abjeci, quæſtionum Tuſculanarum II. librum avidius arripui; in hoc enim contendit omnem Sapientem vel ſine dolore eſſe, vel ſaltem eum virtute abſtergere. Ego utpote non Sapiens dolorem ſentio, & hunc tollere nequeo, quippe virtutis expers, nec procul dubio ipſe quantacumque demum virtute præditus fuerit, ſi eodem (quo ego) dolore opprimeretur Tullius, ipſum pro libito deponeret. his tandem perlectis mihi omnino perſuaſum fuit multo melius eſſe medicum, remedia adhibentem conſulere, quam Philoſophum frigide conſolantem. Cicero ex honorata Scipionum, Metellorum, Fabiorum, aliorumque ejuſmodi Romanorum ſenectute, omnem ſenectutem bonam infert. Ego viciſſim ex infauſta aliorum ſenectute, malam ſenectutem contendo, multoque plures poſſim quam ille opinionis meæ teſtes producere. Quin imo adverſarium ipſum Ciceronem noſtræ diſceptationis judicem volo. percontare enimvero ab ipſo cum Marcus Antonius acerrimus ipſius hoſtis, manus caputque abſcidit, num febre potius confici aliquot ante annos, quam paulo ſeniorem paucis poſt annis ferro perire maluiſſet? honoratam, quos appellat, Romanorum ſenectutem fuiſſe inficias ire nolim, verum facile quoque mihi perſuaſerim Tullium eorum bona recenſuiſſe, mala ſilentio prætermiſiſſe. Sapiens plane honoratusque Adam fuit: at Cainum fratricidam vidit. Juſtus quidem fuit Noë, & univerſum Terrarum orbem aquis immerſum arcam inhabitare coactus, tum vidit, tum à filio nudatus irriſuſque fuit. Abrahamus Dei amicus fuit: ſed à paterna domo exulare jubetur plurimaque peregrinationis inter externos incommoda patitur. Iſaac ſumma fuit ſenectute ſed cœcus, ſed perpetuis duorum filiorum rixis ſupra modum fatigatus. divitiis honoribuſque abundavit Jacob; at quem præ cæteris filiis amabat, Joſephum fratres vendunt alienigenis, unde ipſe 130 annum agens paucos eoſque malos annos ſe vixiſſe conqueritur? David multis iiſque graviſſimis perſecutionibus, imo & domeſticis (unde longe gravior mœſtitia) attritus eſt. Eli ſacerdos provectæ ſenectutis fuit: ſed ambos filios prælio periiſſe arcamque Teſtamenti, ſummum ſuæ gentis theſaurum, ab hoſtibus captam fuiſſe intellexit. At de quibus hæc leguntur? nempe de iis quos ſingularis Dei amor multo magis quam Metellos alioſve Romanos ſapientes amplexabatur, quos tamen tot tantaque incommoda in ſenectute perpeſſos negari omnino non poteſt. Nullus in iis recenſendis finis ſit, uſque adeo multi ſunt, uno dicam verbo, eos omnes qui ad ſummam pervenere ætatem, multis plane circumventos fuiſſe anguſtiis; quibus & infinitæ propemodum quæ ex ſenectute naſcuntur, corporis ægritudines addendæ ſunt. nec idcirco tamen hæc dicta intelligas quaſi ego noſtros

labores nostramque vitam comparem cum laboribus istorum Patriarcharum Sanctorumque Christi martyrum qui horrenda quidem sed ex charitate & virtute martyria, Spiritus Sancti lumine illustrati, perpessi sunt. hæc quippe ab amicis suis aliis de causis exegit Deus, & ut præsertim in iis patientiæ, fidei, cæterarumque virtutum clarissima nobis exempla proponeret. sed hoc unum contendo, si tanti viri senectutis incommoda senserunt, quanto magis ii qui parem ac ipsi gratiam à Deo consecuti non sunt? Jobus vitam etiam brevem multis laboribus miseriisque obnoxiam esse ait, quas singuli singulis diebus sed præsertim senes experimur. quot enim dolores, quot animi angustias, quot amicorum mortes, quot egestates nobis ipsi vel accersimus, vel inviti perpetimur, ut habet Jobus. quanta item paupertas quæ heu nimium senectutis individua comes est. sed cum Cicero vel ideo maxime senectutem laudet, quod temperantiam in omnibus exacte servet, omnesque voluptatis illecebras, cæteraque juventutis vitia fugere videatur, quærerem libenter ab ipso, an senes temperantes sint, quia velint, an potius quia alii esse non possint? istam enim senectutis temperantiam à te, clarissime medice, multisque aliis senibus sæpius laudatam audivi, & tamen suæ juventutis voluptatibus senes etiam decrepitæ ætatis sic delectantur, ut ab iis idcirco abstinere videantur, quia non possunt iis frui, nec iis nuntium dicturi essent si per vires liceret. at quæ laus Temperantiæ in eo qui intemperans esse non possit. Si senex ad eas quas cum juventute deposuit, voluptates redire vellet, vides Domine Medice quam ridendus esset iis addictus quibus inhinnit appetitus & consilio pollet, quamvis multos senes videre sit dierum plenos sed à ratione ac mente plane vacuos, quibus nec annorum multitudo authoritatem nec rerum experientia doctrinam conciliare potuit, quos juvenes etiam ipsi aliquando & merito quidem redarguunt. Et senes si quando sciunt de ipsis recte dicitur, si juvenes ea (quæ nunc senes) scivissent, aliter procul dubio vixissent. unde si juvenis officio non fungitur quod peragenda nesciat, multo minus fungatur senex quippe non possit. Senectutem insuper laudat Tullius ex eo capite, quod senes brevi bonorum societate post hanc vitam potituri sunt; hanc tamen societatem nemo mortalium non fugit, nedum ambit, & fugeret procul dubio ipse qui eam usque adeo exaggerat, nisi abscisis manibus capiteque hoc antiquioribus urbanitatis genus exhibere officiosus nimirum cogeretur. Et vero perpetuam mortis vicinæ cogitationem unum ex pessimis senectæ incommodis esse reor: hæc quippe omnes vitæ præsentis delitias fugat. omnibus enim à natura insitus est vehemens suæ conservationis amor: at quanto magis vita crescit, tanto magis eadem decrescit, & quanto plus vix peractum est, tanto minus peragendum superest. huc accedat quod minime omnium tolerandum esse judico, si vitam senilem senex agat, omnes ipsum fugiunt, si juvenilem, omnium fabula est, impar officio tum reddendo, quia impotens, tum accipiendo quia omnium censor. Juvenum societati ineptus (inter hos enim morum discrimen magnum) senes maxime aversatur, quippe qui suis consiliis repugnat. senes laute comedunt, vix purgantur, ductoribus plane molesti. Si paupertate premantur, propinquis odio, quia oneri sunt: si divitiis affluant, non minori odio sunt. eorum quippe hæreditas spe jamdudum devorata tardius venit. oculus tristior, frons rugata, os difforme, sensus hebes vel etiam nullus; multa loquuntur, pauca faciunt. Adde quod avaritia cum annis crescit, ad quam cum omnia exigant, quid in vita perniciosius turpiusque esse possit? quid ergo laudandum sit, equidem non video. totius enim præteritæ vitæ fæx est quæ tamen colicis aliisque ejusmodi doloribus nimium aptos facit. si quæ igitur vitæ ætas laude digna sit (quod prorsus negaverim) juventus senectuti anteponenda. Videtur illa etenim formosa, hæc difformis; illa valetudine floret, hæc morbis scatet: illa læta, hæc tristis. illa recto, hæc curvo corpore: illa omnibus corporis exercitationibus, hæc idonea tantum lachrymis quæ nascuntur ex incommodis, tum internis, tum externis. cum ergo multæ Ciceronis consolationes & pauca senectutis remedia plane animum offenderent, quippe quæ plane inutilia essent, ad medicos recurri, remedia quæro, consolationem omnem plane respuo. Vale.

EPIST. II.

Nobili ex Regno exuli.

QUi tui tenentur desiderio, Domine, ipsi de tua re agere statim volunt. Ego vero eam ejusmodi esse reor, ut si nunc temporis urgetur, vix ac ne vix quidem & non nisi post longum tempus successura sit; si vero silentio prætermittitur brevi tempore optatum exitum sit habitura; multum ergo fit si nihil nunc fit. nec mirum hoc videri debet. sunt enim plurimi morbi, quibus sola temporum diuturnitas, non medicorum ars medetur. Plures hic habes medicos qui nullam

lam tibi medendi opportunam occasionem sint neglecturi. quid mihi videatur, ingenue dico. nostra enim tum vita, tum fortuna, tum consolatione, tum consilio amicis opitulari tenemur, at neque me, neque istis indiges, licet forte in omnibus illa quatuor ac præsertim tria priora vix reperiantur. Multi quidem vitam habent ad opitulandum idoneam, pauci vero illius negligendæ animum. alii fortunas habent quas dare possint, sed quas periculo committere non audeant; alii consolari volunt, sed quomodo, plane ignorant, consilium dare facile est, nemo enim, quicumque tandem sit, illud dare recusat, quinimo multi illud ultro offerunt, tum quia inde crumena non exhauritur, tum quia proximorum miseriæ nos ex nostræ naturæ indole ad commiserationem movent. Equidem non aliter quam consilio, quod facile est, tibi nunc temporis opitulari possum, quare in eadem mea sententia permaneo, & eo quidem libentius quod nostrorum qui hic sunt medicorum studia cum tuo istic vivendi modo non parum prosint. hoc unum diligentius attendas velim, singulis temporibus fuisse exules tibi & æquales dignitate, & superiores, alios etiam inferiores, & in his permultos fuisse quorum exilium melioris fortunæ initium fuit. In exilio Deum vidit Moyses; in exilio, Romæ, Marcus Camillus saluti fuit. Ciceronis exilium ipsi fuit honorum & fortunarum principium. cæteros ejusmodi prætermitto Deumque enixe obtestor ut tam prospera tuo exilio fortuna succedat, ut exul non fuisse nolis. Deus quippe adversis, prospera, lachrymis miseriisque suam beneficentiorem misericordiam ut plurimum succedere vult. sed forte dixeris me non consilium sed consolationem dare, eamque sola spe rei incerto futuræ nixam. En ergo remedium quod omnino efficax mihi videtur. serio memoria relege anteactæ vitæ in Deum peccata &, si æquus tui judex fueris, ea plurima forteque gravissima fuisse reperies. si vero huic cogitationi, voluntatis dolorem qui dicitur vulgo contritio, addideris, isque dolor ita vehemens sit, ut cor ipsum conterat & ex toto corpore sudorem exprimat, en sanus & lætus es, nullus quippe efficaciter & vere contritus est qui non eodem quoque tempore pie hilaris, imo & contentus sit. Mathæus in Euangelio asserit mulierem quandam Sanctum Dominum maxima populi frequentia oppressum secutam, ut ejus vestimenti fimbriam tangeret, quo sanguinis fluxum restingueret; quæ ut Christum tetigit, ipse (ut Evangelista refert) sensit virtutem à se exiisse: & cum tanta hominum multitudine urgeretur, quæsiit tamen, quis se tetigisset. Ecclesiam interpretor populo refertam, & licet multi Deum genibus flexis circumstemus, tamen omnino pauci vera contritione ejus fimbriam ita tangimus ut virtus exeat quæ sanguinis id est peccatorum fluxum ut in illa sancta muliere, sic in nobis restinguat. si quo illa, nos gereremus modo, eodem quoque sanaremur. contritionis virtute, domini fimbriam tangamus, & ipse pietate sua animæ nostræ opitulabitur. ad eum cum sincero affectu recurramus, & ipse mœstitiam absterget: cum lachrymis ad eum accedamus, & ipse, ne dubites, cum lætitia, remedio omnibusque necessariis nobis aderit. Ingemiscebat David & ipse stratum, ut loquitur, lachrymis rigabat in exilio & persecutionibus, & tamen vera contritionis efficacitate innixus, audenter dicebat, *Tamen es qui restitues hæreditatem meam mihi.* vana spes ejus non fuit; nec erit illius qui vere contritus fuerit. hoc tibi Domine omnino persuadeas maxime velim, nihil ad alliciendam Dei misericordiam humilitate & contritione nostra potentius esse. formidanda sane in Achab dicta fuerat sententia, quam tamen contritio revocavit. Ezechiæ mors à Deo intentata fuerat, contritio vitam prorogat. dicta est in te sententia, sed eam expungere potest contritio. quod si forte statim non expungatur, id non è re tua futurum certo credo. contritionem rursus elice nulla spe in hominibus collocata, in solo Deo spem tuam repone, & quod optabas solatium invenies; nec enim aliud ipse sacrificium exigit quo placetur, nec tibi aliud, quo tibi ipse medearis consilium dari potest. nihilque obstat, quod tarde ad Deum confugias. multi quippe sunt qui omnibus humanis remediis plane desperatis ad Deum se convertunt in extremis angustiis, quibus suam divinam virtutem potentiamque magnificentius demonstrat, cum clarius suæ infirmitatis imbecillitatisque sibi conscii sunt, licet ad eum cum prospera uterentur fortuna, non recurrerint. Venceslaus Hungariæ Rex expulsus è regno ab omnibus suis derelictus, hæc non minus vere quam pie dixit: spes quam in hominibus ponebam, puræ & sinceræ in Deum fiduciæ plurimum officiebat: at nunc vero cum in ipso uno Deo spem meam collocem, eum mihi affuturum spero. nec sua eum spes fefellit. Brevi enim regnum & honores recuperavit. si sapias totum te Deo dabis, ipse enim te probat, ex qua ejus probatione perfectiorem ipsius cognitionem, & tuæ vitæ emendationem colligere debes, adeo ut nunquam ipso etiam rege jubente ipsum offendere præsumas, nec adversus Regem

quacumque de causa rebellare audeas. perversam humanæ naturæ indolem his adversari enimvero fatendum est, ex hac enim omnes quas patimur perturbationes oriuntur. hanc tibi prolixiorem scripsi Epistolam, quia plurimo legendi otio abundas. Vale.

EPIST. III.

Archiepiscopo Toletano S. P. D.

CLama, ne cesses, inquit Isayas (valde Reverende Domine) cum hoc Regnum malis opprimi non desinat, nobis quoque te horum omnium causam fomitemque interpellandi nullus faciendus est finis. Num parum vobis est (ait Moses Core & ejus sectatoribus) quod separavit vos Deus Israëlis ab omni populo & junxit sibi ut serviretis ei in cultu tabernaculi, ut tanto beneficio scandala rependeretis? Tuæ præteritæ vitæ annos perscrutare, diligentius animi cogitationes sensusque inspice, reminiscere domum tuam tempore Henrici Regis fuisse perditorum seditiosorumque receptaculum, & officinam in qua omnes adversus Regnum conjurationes cuderentur, favisti semper Regni pestibus & adversus Regem pervicacibus: te novimus sæpe gavisum armis numerosaque militum cohorte, licet tuo tum perindigna ordine tum quieti publicæ palam adversaretur. Sed illa vetera tua scandala prætereamus. anno sexagesimo quarto illæ copiæ comparatæ sunt, quas bene novimus te duce adversus Henricum I. palam rebellasse. verum aliquantulum te lata Medinæ sententia in speciem placavit, pro rege milites collegisti:& statim paucos post dies rursum à Rege ad Principem Alfonsum deficis, ipsum ad Regiam dignitatem evehis, regnum totum dividis, tot tamque subitas hominis in tanta dignitate constituti defectiones Regi admodum injuriosæ fuerunt. an non forte per istam divisionem improborum malitia excitata, an non desideria rei alienæ inflammata, an non crudelitas arsit, an non pervicacium inobedientia invaluit? at quam his omnibus remedium efficax exhibet sacra Scriptura, dum jubet Petrus præpositis obedire potius dyscolis quam Regnum divisionibus distrahere, multo enim plura ex domesticis bellis quam ex Rege quantumcumque improbo mala redundant. scimus quanto studio velis inferiores tuos tibi obtemperare, eosdem per Deum principibus parere subjectos, ne commove, ne extolle, ne suade jugum obedientiæ quæ melior est quam victima, eos excutere, desine tandem esse scandalorum, homicidiorumque causa. si templi constructionem Deus noluit permittere Davidi quod esset vir sanguinum, quomodo tu tot bellis unde tantus sanguis effusus est, implicitus tuta conscientia rebus divinis quas sacerdotis officium exigit, vacare potes? perniciosum illud plane exemplum cæteris Hispaniæ nostræ antistitibus, cum te primarium Archiepiscopum armorum divisionumque ducem contemplantur. ne per Deum pecces, nec aliis sis peccati occasio, hac enim de causa Jeroboami sanguis effusus est. desine adversus Regem rebellare, rebellibusque favere: hoc enim Nabal turpius Davidi exprobravit quod Regi suo inobediens fuerit. Hierosolyma cæteræque illæ regiones, si Josepho credimus, in pejus ruere cœperunt, cum sacerdotes neglecto officio bellis rebusque profanis se immiscuerunt. cum te tua dignitas fecerit Patrem, tua te conditio non faciat hostem, noli dignitatem, Religionem, redituśque tuos profanare. hæc quippe omnia sacra sunt & piis usibus dedicata. Achimelech sacerdos Davidi sociisque panes propositionis daturus diligenter inquisivit, an mundi sint. tu quoque diligenter vide, an mundi sint ii quibus illum distribuis, quomodo, & quibus, & qua de causa iis distribuis, quibus distribuendus est & quomodo illius decreti sis transgressor quod ait virum Catholicum ac præcipue domini sacerdotem. Desine tandem per Deum, desine saltem hujus populi misericordia commovere, qui antistitem in te quærit & hostem forte habet. gemit, conqueritur, quod authoritate valeas, qua uteris, imo abuteris non in suum ut debes commodum & disciplinam sed in suam ruinam, quemadmodum hactenus fecisti, non in suam, ut teneris reformationem, sed in suam potius deformationem; non in doctrinam & exemplum mansuetudinis & pacis, sed in corruptionem, scandalum & perturbationem. cur etenim sacerdos armatus incedis? an non ad pervertendam Religionem? quare arma sumis egregie consolationis pater? ad miseros proh Deus! pauperesque affligendos? Tyranni, Latrones, homicidæ, uno verbo, omnes perditi homines perpetuis, quas excitas fovesque, seditionibus lætantur imo & pascuntur? Dic per Deum obtestor, dic inquam, utrum miseriæ nostræ finem tuis temporibus aliquando tandem accipere possint, & an, te vivente Rempublicam habere tranquillam sperare liceat. Domine apud te ipsum serio reputa quotquot regnorum, provintiarumque perturbatores fuerint, eos omnes miseram vitam mortemque miseriorem tandem obiisse. Eorum exitus perhorresce quorum doctrinam imitaris, hoc Regnum amplius affligere noli, divisio enim interna, Regno-

Regnorum omnimoda pestis est. lege potius Epistolas Divi Petri in cujus ordines habitumque successisti charitatem quam tibi præcipit, imitare. Desideriis gentium præteritum tempus sufficit, futurum voluntati divinæ conserva, nec unde venias, sed quo vadas, meditare, tot defectionibus noli Deum inposterum tentare, cave & præcave ejus judicia quæ terribilia supra modum sunt. cum te Deus inter innumeros homines elegerit, ut ipsi in sacerdotio servires totumque te consecrares, noli in tanti beneficii gratiarum actionem populum Deumque ipsum scandalis offendere, quemadmodum prima hujus Epistolæ verba habent.

Epist. IV.

Nobili amico Toletano.

AD me relatum est tuas vires morbo valde debilitatas esse, neque id mirum mihi visum est. etenim si ætas ingravescens nunquam sit sine dolore, quanto magis cum morbo vexatur? & quotidie experimur morbos qui nobis sexagenariis accidunt, si mortem non afferunt, ea conditione vitam nobis prorogare ut septuagenarii videamur, vitamque plane tædiosam vivamus. Ysis Regina in Indiis quas victoria acquisivit, insulam quamdam nomine Barach invenit in qua senes qui infirmiores essent, occidebantur, ne dolorem pati diutius cogerentur. hanc consuetudinem equidem non probo, quippe quæ fidei & naturæ legibus contraria sit, plures tamen senes novi qui in ea insula vivere vellent, ne horam mortis incertam exspectantes singulis vitæ horis tot mortes perferre tenerentur. Et vero quemadmodum æstivo tempore adversus hyemis intemperiem vestimenta nobis comparamus & providemus: sic in juventute dum vires florent, nos ad superandas senectutis infirmitates præparare debemus. multam Deo debes gratiam quod tibi dederit domum fortunamque ad perferendas vel etiam vincendas ætatis ægritudines. memini me olim ex Ferdinando de Perez de Gusman audivisse Paulum Episcopum Connestabili seni & Toleti ægro scripsisse, valde placet quod in ea urbe commoraris quæ medicis multisque remediis referta sit. nec forte nunc hoc diceret. peritos enim pharmacopolas inde exire videmus ubi nobiliores medici sunt. equidem plures & meliores pharmacopolas imo & seditiosos homines quam medicos esse facile quoque crediderim. sed his rebus prætermissis quod spectat ad me hæc inimica caro & individua tamen comes me, quem jam prope deseruit multo atrocius in dies habet? juvenem voluptate urgebat; senem dolore conficit: O ingrata caro! nihil unquam eorum quæ appetivisti, denegavi. si luxuriam, si comessationes potationesque, si gloriam, si quamcumque voluptatem desiderasti, numquam vel in minima re tibi obstiti. cur tantam lætitiam tantis doloribus compensas? quia nimirum ex natura mea infirma sum, nec ægrum possum reddere sanum: quin imo illæ omnes tuæ voluptates dolorum quos sentis radices sunt, si tunc motibus meis restitisses, facile nunc infirmitates meas perferres. verum non repugnasti tentationibus quæ pugnando vincuntur, nec luxuria quæ fugiendo superatur. hæc cogitatio, mi charissime, mihi omnino persuadet è re nostra futurum, si ad grandem istam æternitatis viam peragendam onera sumere incipiamus, sed ne male onerati plura incidendo patiamur, videntur nobis duo onera plane necessaria unum quod sit si ita loqui liceat, satisfactionis, alterum contritionis. hæ enim merces quo vadimus maximi pretii sunt & quantum hic neglectæ, tantum illic expetitæ. De hac re multa dicerem nisi verbosior videri nollem. Vale.

Epist. V.

Episcopo Osmæ.

QUam ad fratrem scribebas Epistolam, ab exploratoribus intercepta hic Burgis legitur. Inter cætera habebat istic Romæ ad unum omnes sive magnates sive plebem insimulare palam aperteque Reginam dominam nostram quod ipsa his rerum exordiis non se talem qualem debebat gessisset. verum admodum Reverende Domine, qui re incognita, talia effutiunt, rem penitus introspicere debebant antequam Judicium suum proferrent aut saltem tacere, si veritatem non viderent, aut si neutrum facerent, debebant saltem attendere ad teneram & pœne puerilem viginti trium annorum ætatem, qua tam difficilem Regni administrationem suscepit. adde quod singulis horis concilio intersit, in quo tantæ Inquisitiones fiunt, in quo tam multæ tamque oppositæ sententiæ, in quo tot fucata verba, ut simplicissimas illorum Principum aures valde fatigent; debebant quoque attendere ipsos Reges homines esse multoque pluribus quam quemlibet alium curis negotiisque oppressos. Et si privatus quanticumque demum ingenii sit obruitur, si duo vel tria difficiliora simul negotia ipsi eodem tempore occurrant: non suspiciemus viginti trium annorum Principes omnibus totius Regni & suis negociis simul distentos, qui tamen

animum non despondeant, qui pacem, quam tantopere desiderant, tantoque studio procurant, huic Regno factionibus diviso se redditúros esse non desperent? Si tamen hæc scribis idcirco quod Duci Arevalo restituere noluerit, certe si res sine affectu prævio consideretur, non video in quo tantopere Regina peccaverit. Si enim ut Regina Justitiam reddidit, si ut filia parentem juvit; si ut justa viduæ suis bonis spoliatæ succurrit; quid enim fecit ad quod non solum ipsa, sed etiam vir quilibet frugi ex justitia non teneretur? dum hic esses, admodum Reverende Domine, vidisti & isthic sæpius audivisti, hoc Regnum utpote Justitia destitutum susque deque verti. nunc vero (hoc enim te scire interest) cum eam in aliquos perditos statim atque regnarunt, Rex Reginaque exercuerint, oppressos sublevare, aliosque Justitiæ quos exigebat Regia dignitas, actus edere vellent, nostræ naturæ indoles plane corrupta, cui nefanda ab Henrico, quem Deus salvum velit, introducta consuetudo jungebatur, tantum à Deo immortali nobis cœlitus oblatum beneficium despexit quod quæ ex Regno supererant, non diviserint, quod data non confirmaverint, quod denique, verbo dicam, Regno se non spoliaverint, quod Regium nomen ipsis satis non fuerit, hoc enim ipsis optamus quo Regnum dare possint. illa omnia quæ ad te relata sunt, ideo peracta sunt, quæ si diuturnioris fuerint temporis, scito te non nisi post longum tempus Osmæ Episcopatu potiturum esse, quem, licet eo potiaris, tædio & mœstitia quam reditu fœcundiorem procul dubio experieris. si isthic quæ audistis vera vobis videntur, qui ea refertis, hic quoque nobis quæ videmus explorata sunt.

EPIST. VI.

Nobili qui ex Archiepiscopi Toletani Domo erat.

Accepi tuas litteras quibus Archiepiscopum pro tuo in ipsum amore excusare conaris ab scandalo quod ex copiarum quas Alcalæ habet, collectione ortum est mihique persuadere vis id illum eo tantum consilio facere ut sibi consulat, Regnoque pacem reddat: insuper addis ipsum sibi venenum cavere. At longe melius pharmacopola ipsi provideret, quam exercitus, & multo minori sumptui esset. quantum vero ad ipsius securitatem & regni pacem spectat, fac Archiepiscopi animus quiescat; tranquillum statim regnum erit. Improbaris ergo quod de pace cum Regina acturus Cerduam te contuleris; si enim pacem optabas, ea Alcalæ ab Archiepiscopo tibi exigenda erat. persuade ipsi ut secum pacem habeat, literatis, ut ipsius dignitas postulat, hominibus comitatus, non armatus, quod Archiepiscopatus vetat, non militum caterva stipatus incedat: & statim pax quam ille procurare, tu tractare vis, perfecta fuerit. Ad me quoque nescio quis retulit Calderonem doctorem in curiam reversum, utinam iste Calderon pacem nobis conciliet! Dei justa sunt consilia. certe pluries ab Henrico missus sum ad Archiepiscopum de pace acturus, sed semper frustra, nunc vero eadem de causa Archiepiscopus ad Reginam mittit, utinam ejus orator ex ea pacem facilius quam ego ex Archiepiscopo impetrare valeat! rem prorsus arduam suscipies, si Archiepiscopum ab omni culpa scandali cujus nunc author est excusare velis hæc una illius excusandi ratio est, si nempe demonstres eum nihil agere omnino quod ei à Beato & Alarcone ex mandato Dei non fuerit injunctum. Ego vix dubitem quin hoc ipsi præceperint. ita enim bene de Regina ipsis imperii exordiis meritus fuerat ut procul dubio, si in officio permansisset, administrationis initium, medium & finem ipsius Archiepiscopi fuisse omnes affirmaturi fuissent. Itaque gloria in ipsum unum redundatura fuisset. At inquit Deus, Gloriam meam Archiepiscopo non dabo, hanc mihi servabo & ne forte eam sibi Archiepiscopus vindicet, permittam Alarcones Archiepiscopo suadere ut à Rege Reginaque ad Lusitaniæ Regem deficiat quo ipsos regno spoliet; Regnum tamen Reginæ ad quam jure pertinet, contra Archiepiscopi voluntatem copiasque asseram, & nullos quantumvis multitudine & armis potentes Archiepiscopos sat virium habere ad deponendos vel evehendos Reges, sed imperia regumque fortunam ex mea voluntate solum pendere omnes certo sciant. hæc ad illum excusandum ratio apta esse visa est quam Moysis & Aaronis & authoritate & exemplo confirmare poteris. hac hebdomada legi litteras quas suo capitulo misit, in quibus Regem Reginamque graviter reprehendit, quod Ecclesiarum pecuniam diripuerint; at illa in sacrariis procul dubio remansisset, si ipse domi quievisset. at regnum (inquit) militum incursibus fatigant; sed horum incursuum ipse prior ansam dedit. eos Talaveræ quæ Toletanæ Ecclesiæ est expugnationi favisse, conqueritur, nec Cantala Piedræ, quæ Ecclesiæ Salmanticensis est, expugnationi se favisse meminit. publicationem bonorum suorum plurimum dolet, nec meminit quanta Regi surripuerit, nec privilegium hactenus ostendit,

dit, quo sibi Regis bona diripere liceat, Regi vero sua recuperare prohibitum sit. Multa alia habet illa Epistola, à qua scribenda ipsum profecto revocassem, si ipsi ab Epistolis fuissem. vetant quippe scripturæ subditum quemlibet cujuscumque demum authoritatis & dignitatis, parem se Regi suo facere. sed his silentio præteritis, hoc unum maxime vellem tuus Archiepiscopus attenderet, nimirum res quæ in divina præscientia sic ordinatæ sunt ut prosperos exitus habituræ sint, sæpe tamen ita difficilia laboriosaque initia habere, ut vix & non nisi post magnos labores exantlatos ad dignitatis culmen pervenire possint. hujus mysterii causæ tam mortalibus ignotæ, quam Deo notæ sunt. hanc veritatem historia tum sacra tum profana abunde confirmat. Davidem scimus initio oppressum persecutionibus, sed Jesum Davidis filium credimus. duros labores perpessus est Æneas à quo oriundi sunt totius orbis imperatores, imo & dii multa perpessi, Jupiter, Hercules, Romulus, Ceres Siciliæ Regina, & alii bene multi quorum alios cervi, alios misere in sylvas projectos lupi enutrierunt: sed hos tamen omnes ad regiam tandem evectos dignitatem. Imo & pro diis quorum memoria etiamnum vigeat, habitos esse scimus. nec sine causa vult sapiens Dei providentia illas quæ diu duraturæ sunt, res ita firmis niti fundamentis, ut ædificia superstruenda ruere non possint. Sed ut unde digressa est, eo redeat oratio, Aragoniæ Rex ut Reginæ regis parenti nupsit, continuo exhæres ab Castella exul esse coactus est. istum habuit filium qui ab incunabulis subditorum & externorum armis impetitus, obsessus & impugnatus cum matre ex periculo in periculum sæpius incidit. Regina utroque parente orba fuit ab ineunte infantia, quod longe maximum infantibus infortunium est. adolevit, adoleverunt & curæ. externam quod Regibus maxime durum est, rerum necessariarum egestatem habuit, minas passa est cum timore; vixit in periculis semper. mortem obierunt Alfonsus & Carolus ejus fratres qua ipsorum miseriis finis factus est. vix illi regno capessendo propiores erant, cum etiam Regno oppugnando instaret adversarius. sustinebant bellum ab externis, rebellionem à subditis. nulli reditus erant, magnæ expensæ, extrema plane necessitas, nulla pecunia: multæ exactiones, nulla vel parva obedientia. hæc fuerunt exordia quas ipsi vidimus, & alia quæ forte ignoramus. An Dominus ille tuus hoc regnum sic tanquam pileum sumere vult, quod ementi tribuat? equidem id credere nolim, etiamsi Alarco vel quilibet beatus id asserat, malim divinis mysteriis credere quam istis cogitationibus humanis; & si ea de causa absque liberis è vita excesserit Henricus, excesserint quoque Carolus & Alfonsus aliique perturbatores, immo & ipse Deus omnia quæ recensui mysteriis referta fundamenta stabiliverit, ut tuus Archiepiscopus pro sua voluntate libidineque de tot tantisque Regnis decerneret. Procul dubio Deus valde bonus fuisset, si consensurus erat Archiepiscopum Toletanum manibus egregie lotis id totum destruere quod tot tantisque mysteriis tantoque tempore ipse Deus fundasset. feceris quoque rem mihi gratissimam, imo è re Archiepiscopi maxime futuram, si ipsi persuaseris has cogitationes procul abjiciendas, remque adeo turpem ne leviter quidem & per transennam esse animo repræsentandam; præsertim graviterque monebis ut à divisionibus excitandis sic tamquam ab igne inferno abhorreat, & eorum qui factionem aliquando causæ fuerant, exitus sibi timeat. Vidimus Joannem Aragoniæ Regem regis patrem aliquas in Castella divisiones aliquo modo fovisse: sed vidimus quoque eum in suo regno à proprio filio suo rebellionem passum esse: Carolum etiam vidimus istarum turbarum excitatorem ipsiusque asseclas prius vita functos esse quam optatos exitus consecuti essent. Henricum Regem in Aragonia turbasse scimus, sed scimus pariter eum impugnatum fuisse ab Alfonso germano, qui tamen singulari Dei providentia in medio juventutis flore è vita sublatus est, quod esset omnium turbarum instrumentum: & Galliarum Regem in Anglia factiones excitasse audivimus, sed à Duce Aquitaniæ ipsius germano fratre qui tamen antequam voti compos esset, mortuus est, Gallias divisas vidimus. Burgundiæ Dux, Warvicensis Comes Angliam Galliamque perturbarunt, sed in prælio vulneribus confecti perierunt, nec sepultura donati sunt. si ab sacra scriptura exemplum repetitum vis, Achitophel & Absalom Davidis Regnum divisionibus fatigarunt, sed uterque pendens ex arbore periit; & quæcumque hactenus attuli ipsi omnes vidimus. usque adeo nemo bene qui est, quiete esse potest, sed tumultuando vult male esse.

EPIST. VII.

Regi Portugalliæ Lusitaniæ.

Rex Potentissime & Domine, te in eam quæ tibi à multis nobilibus offertur, Castellæ dominationem acceptandam valde animo propendere ad me relatum est: sed rebus diligenter perspectis quid sentirem tuæ Celsitudini

tudini scribere visum est. Bene est, Excellentissime Rex & Domine, quod in tuo consilio dissidentes de re tam ardua sententiæ dicantur. sic enim clarius patebit quid tum Dei gloriæ, tum tuæ coronæ regiæ honori, tum tui regni bono magis conducturum sit. Itaque quemadmodum in aliis sanctis quæ suscepisti, & unde victor semper rediisti, bellis hactenus fecisti; ut, quod melius est, perspicuum magis sit; ante omnia videtur invocandus Deus ut tua negotia dirigat. is nempe tanquam dux adorandus, & humili oratione obtestandus est, ut tuis consiliis tuoque Regno prosperum quem optas exitum præbeat. sicut enim consiliorum tuorum finis est, regnum tuum in hac vita augere; sic ultimus omnium sit in altera vitam beatam consequi. Quantum spectat ad jus quod tua illustrissima neptis in Henrici Regna se habere profitetur, quodque nobiles Castellani suæ defectionis causam prætexunt, est etiam illud ad quod primo & præcipue attendere Tua Celsitudo debet. hanc de jure ipsius disceptationem dirimere equidem nolim; hoc tamen unum scio eos qui tuæ neptis jus tueri se profitentur, esse maxime Archiepiscopum Toletanum, Arevali ducem; magistri Sancti Jacobi & Magistri Calatravæ ipsius germani filios, qui tamen ipsi intra totam Hispaniam imo & extra disseminaverunt eam nullum omnino habere jus in Henrici Regna, imo ne quidem ejus filiam esse posse, eo quod prolis suscipiendæ manifeste impotens esset, ut ipsi suis libellis nuntiisque toti orbi declararunt ipsumque insuper Regem, regno factionibus diviso Regio nomine exuerunt. ex animo vellem scire, quomodo tunc ad eam jure hæreditario Castellani, quam [illegible]am proscripserunt, non pertinere censuerint, quomodo pertinere nunc censeant, cui etiam tuum Regnum addere velint. Tot istorum mutationes dant nobis suspicandi ansam, eos ad te recurrere non ex tui obsequii studio, multo minus ex amore Justitiæ quam adeo prædicant, sed potius ex privati boni cupidine quam Rex Reginaque implere noluerunt vel forte etiam non potuerunt. tanta quippe est aliquorum cupiditas ut bona undequaque corradentes iis ex quibus privata pendet eorum utilitas, jus alienum concedant. debes quoque, Excellentissime Domine, existimare eos tibi vix fidos quos muneribus tibi addicis; imo certum eos cum ipsis beneficia conferre desieris, infidos fore. nemo quippe eorum eo quo deberet modo ad te confugit, sed quia tantummodo aliqua à te sperant. Et licet eorum precibus victus, hanc irruptionem molireris, dubitarem adhuc, num Regnum ingredi posses his præteritarum turbarum & novarum etiam excitatoribus adjutus quibus id peccatum leve videtur, cum tamen atrocissimum sit, & certum animi dissoluti & inobedientis indicium. Ob hoc peccatum Samaritani qui divisionis in Regno Davidis causæ fuerant, ita Deo exosi erant, ut Redemptor Christus Apostolis suis vetuerit ne in Samaritanorum quos inter idololatras recenset, terras intrarent. itemque ea de causa Deus olim Amasiam adversus Regem Seïr bellaturum suas vires cum iis conjungere prohibuerit, quorum cum centum millia secum Amasias duceret eos solutis stipendiis utpote seditiosos homines dimisit, nec iis immisceri aut eorum viribus in eo bello uti voluit, ne iratam divinitatem experiretur, quam cum in omnibus tum maxime in bellis placare debemus, utpote sine qua nec labor, nec scientia, nec ulla res omnino nobis prodest. Itaque per Deum vide ne vires tuas hactenus florentes cum iis conjungas qui regnorum jus quod plane divinum non ex veritate sed ex utilitate sua metiuntur. Quantum vero spectat ad id quod isti nobiles Castellæ regnorum possessionem tibi facilem & gloriosam fore promittunt. Dictum illud Anselmi menti objicitur, nempe *auream & perpulchram esse periculorum januam*, neque vero potest alia major esse periculi illecebra quam quæ tibi offertur, sed de periculo quam de ejus exitu prospero, longe mihi certius constat. primo equidem istos nobiles hic solos esse videmus, quorum tamen fides tibi jure suspecta esse possit; & licet forte alii sint qui se profiteantur tuas in partes staturos; at illis hoc nunc animo propositum est non te, ut ajunt, viribus juvare, sed potius tempori cedere, ut prosperæ alterutrius fortunæ se adjungant. Secundo vero, etiam si plures Regni magnates præcipuæque urbes ad te, ut ipsi promittunt, statim defecturæ sunt, absque dubio tamen est, multos, secundum Regis affinitatem, nobiles præcipuosque primates, imo & plurimas urbes à Regis Reginæque partibus futuras esse quibus etiam populi plurimum favent. Certum enim habent Reginam Joannis Regis filiam esse, cujus etiam conjux ex Regia Castellæ domo oriundus est; & de tua nepti an sit Henrici filia valde dubitant, quin imo eam tibi nupturam esse addunt; quod parvi pendi non debet: vox enim populi vox Dei. Deo repugnare est velle imbecillis oculorum radiis fortes solis radios vincere. Accedit quod Lusitanis & Castellanis nunquam bene conveniet, & Tua Celsitudine cum regio nomine hoc regnum ingressa fieri poterit, ut propter inimicitias quæ inter utrumque populum jam diu

diu intercedunt, Castellani omnes adversus tuam gentem insurgant; & belli tempore tibi sicut & Reginæ necesse erit omnia dare, promittere, omnes rogare, omnibus subesse, ne forte deficere à te vellent ad alios qui in ipsos liberaliores essent, & sic totam vitam ageretis rogando & patiendo quod subditorum est, non imperando quod quæritis & quod ipsi nobiles promittunt. Sed ad tuæ neptis jus redeo, duplicemque ab initio orationis Justitiam vel potius duas ejus partes distinguo: altera est quam vos Reges & Principes quoad res privatas in vestris Dominiis exerceri jubetis, cujus executioni inquisitio & probatio præeat omnino necesse est: altera est quam ob occulta nobis peccata modo in ipsis delinquentibus, modo in eorum filiis & successoribus exerceri mirantur. Sic Roboam Salomonis filius Regno in duodecim partes distributo statim ab Imperii initio decem totas amisit. Nec tamen legitur Roboam usque dum peccatum aliquod publicum commisisse quod tanta pœna dignum esset; cumque copias instruxisset quibus tantam ruinam resarcire conaretur, Semei Propheta à Deo injunxit, ne pugnaret, quippe voluntatis divinæ non erat ut amissa recuperaret. Deus tamen nihil aut facit aut permittit sine gravissimis causis quas indicare Propheta noluit. Ita enim Deus misericors est ut Salomonem licet mortuum infamare aut ejus filium occulta parentis peccata manifestando pudore & ignomina afficere noluerit, ob quæ peccata ipse successor tantam ruinam pateretur. hujus rei multa tum in sacris paginis, tum in aliis probatissimis historiis exempla habentur, sed antiquiora & peregrina silemus. Istud tuum Lusitaniæ Regnum numquidnam ad Beatricem Regis Ferdinandi filiam & hæredem & Joannis Castellæ Regis uxorem jure publico pertinebat? At Deo placuit illud occulto judicio derivare ad Regem tuum avum licet spurium, imo & ordinis Cistericensis vota solemnia professum, cui occulto Dei judicio cum Joannes resistere vellet, tanta illa Castellanorum multitudo in Aljubarrotensi prælio periit. ex jure manifesto Castellæ Regna ad Petri filios pertinebant, attamen occulto Dei judicio hodie ea possident ejus germani Henrici licet spurii, pronepotes. Et si nostri temporis exempla desideras. Certe enim Angliæ Regnum princeps Henrici Regis filius, jus habebat, quod tamen Eduardus patris & filii interfector pacifice possidet. & licet singulis diebus ejusmodi catastrophas videamus, non idcirco sumus nec esse possumus in hac vita eorum judices & imprimis Regum quorum causæ soli divino tribunali sistuntur; quosque Deus pro delictorum modo aliquando in ipsis, aliquando in bonis, aliquando etiam in filiorum successionibus acerrime castigat. Aug. lib. de civitate Dei sic ait: *an judicium Dei, licet occultum, potest esse iniquum? absit.* Tum enimvero quid scimus, an Henricus aliqua crimina ita gravia commiserit, ut in occulto Dei judicio ratum sit aliter de ejus Regnis statuere quam tua neptis sperat, & isti Nobiles promittunt, quemadmodum contigit Roboamo & aliis quos in medium protuli. Et certe in Justitia (per quam Reges regnant) reddenda ita desidiosus fuit, ut Regna in corruptionem tyrannidemque desciverint; adeo ut multis antequam è vita discederet diebus, tota authoritas potestasque Regia evanuerit. his diligenter animadversis, quis sani judicii non videat, quam difficile sit negotium illud quod ita facile tibi prædicant, quamque illud bellum (quod tamen extenuant) periculosum quantique momenti sit, quibus si occultum accedat aliquando Dei judicium, cui resistas, cave ne tua Celsitudo fortunam adversam patiatur. attende periculum cui tua regna committis. attende jacturam nominis tui quod hactenus Dei beneficio, toti orbi venerationi & honori fuit. Adde quam plurima latrocinia, homicidia, adulteria, rapinas, populorum vexationes, templorum expilationes, sacrilegia, abjectus Dei cultus, Religionis profanatio & alia bene multa ejusmodi mala, quæ ex bello necessario nascuntur. his accedat quod tu ipse teneberis latrones, & perditos homines impunes pati, & homines pacificos opprimere, quod tyranni, non Regis est. Tuum interim Regnum his incommodis non vacabit. quamvis enim hostes illud bello non fatigent, certe tu ipse tributis & aliis oneribus ad bellum tibi plane necessariis omnino exhauries; & ita cum in uno justus esse velles, in plurimis plane injustus fores. præterea ex Dei gratia nunc quietus, tunc inquietus esses. tua conscientia nunc integra, tunc forte corrumperetur. Certe ex ea quam tui subditi mandatis tuis exhibent, reverentia multum detraheretur. nunc molestiis cares, tunc multas perferres. nunc nullo indiges at te in tantas angustias conjicies, ut forte iis subjectus futurus sis, quorum te qua nunc es independentia, Regem & Dominum facit, cum mihi apprime perspectum sit, quanto tuæ altæ dominationi excellentis tuæ famæ dignitas studio sit. velim in animum revoces, quomodo legationem miseris ad Reginam in matrimonium ducendam. omnibus notum est, quoties tua neptis vivente Henrico tibi in conjugium oblata fuerit, quam tamen ideo recusasti

quod de ejus jure tibi non constaret: nunc vero spectata animi mutatione; cujus causa nulla apparet, quis de te non dicat, te idcirco tuæ neptis jus asserere, non quod revera sit; sed quod Regina quam in uxorem eligebas, tibi conjugem suum prætulerit; sicque dabitur locus suspicioni multarum rerum quæ tuis quas universus orbis prædicat, virtutibus repugnent. Ego certe valde miror, te tuam spem ponere in dissensione quæ inter nobiles & plebem intercedit. quasi vero non possint inter se reconciliari & adversus tuas copias in unum convenire? qui hoc fieri non posse existimat, is mente captus sit, & is qui hoc posse fieri videt, & tacet, is infidus omnino sit necesse est. cave ne qui tibi à consiliis sunt, non secundum rectam rationem, sed secundum Principis propensionem tibi consulant. Itaque Altissime atque Potentissime Rex & Domine, antequam incipiatur bellum, diligenter ejus successus animo prævidendus est. facile enim cuilibet bellorum initium videtur; sed revocare gradum hoc opus, hic labor est; idque non pendet ex Principum voluntate, sed ex variis fortunæ casibus, qui ita multi, itaque periculosi sunt, ut iis Reges sine maturo consilio causaque gravi & admodum certa committere se nullatenus debeant.

EPIST. VIII.

Episcopo Tuyensi qui in Lusitania carcere tenebatur.

REverende Domine, te beatæ Virgini commendare non erat mali consilii, si tuus levir hoc tibi antequam capereris suasisset, at ex quo carcere inclusus es id suaderiti à te respondendum erat, equidem non possum. ita enim quilibet Gallicæus respondisset. bene est quod tuam spem colloces in miraculis alicujus religiosioris templi, sed nihilominus enixe Curunnensi aut alteri cuilibet monetariæ ædi te devoveas oportet. scio etenim ibi miracula fieri, ut libertate doneris; itaque aliquid istis templis promitte, & statim experieris miraculum quod speras quodque suadet tibi levir tuus, & quantum poteris cito perfice; ut enim hic res tuæ se habent, pauca tibi supersunt quæ offeras illi Domui, & si aliquantulum differs, nihil aut parum omnino tibi supererit, nullius alterius criminis te insimulatum ais, nisi quod in concionibus Lusitani Regis in Castellam irruptionem reprehenderis. hanc aliqui concionatores palam approbarunt, sed eos hic maxime liberos video, licet eos tanto dolore affici credam, quippe qui ignoti sunt, quanta gloria cumulandus es, utpote qui notus quamvis carcere detentus. Scis Michæam Prophetam carcere inclusum gravi alapa percussum fuisse quod veritatem prædixisset adversus cæteros omnes qui Regi Achab suadebant ut in Ramoth Gilhad irrueret. scis quoque quantis malis premantur veritatis ministri. veritas quippe firmos & constantes viros ambit, ut in ipsis laborum vi magis elucescat. Herculem duri celebrant labores. an putas, illud subtile ingenium, illam animam possidendæ & videndæ veritati, ita aptam factamque in hac vita posse esse nec laboribus probari qui eam purgent, ut mundior in eum unde exiit mundissimum locum redeat? absit ut hoc credas. at ii qui in tenebras detrudendi sunt, eos vitæ tentationibus non egere creditu admodum facile est. sic enim Greg. in pastorali habet, *superna hæreditatis gaudium sumant, quos adversitas vitæ temporalis humiliat.* Quid ad hæc respondeas nescio, facile tamen suspicarer te quatuor stupidorum hominum remedia malle quam quinque Philosophorum etsi acutissimorum consolationes. Sed nihilominus valde persuasum est, hanc mollitiam è tuo bono omnino futuram esse. *sæpe enim*, inquit Seneca *majori fortunæ locum fecit injuria*, injuria, inquam, quemadmodum in multis vidimus & legimus. ita me Deus adjuvet, licet nos nihil agamus, te tamen iis omnibus quæ conciliandæ paci necessaria sunt instructum exspecto. Alii Lusitaniæ Regem claustro se abdere velle nobis renuntiarunt; alii nunc eum cogitare bellum referunt. neutrum vero simile videtur, cum ista inter se adeo pugnent, sintque tanto judicio prorsus indigna. At quidam Castellani in Lusitaniam propensiores undiquaque cursitant, Prophetiis onusti, quarum aliquæ valde incertæ, aliæ prorsus ineptæ sunt, & quandoquidem de prophetia agitur, prædicere non dubitem, si Rex Lusitaniæ iterum in hæc Regna irruerit, eum cædes, bellum, latrocinia, & Lusitaniæ subversionem illaturum esse, & eum rerum novarum cupidis melius quam sibi consulturum esse minus dubitem. Utinam brevi & honorifice liber è carcere egrediaris.

EPIST. IX.

Doctori Talaveræ.

FElix Principis ortus integra Reginæ salute maximam nobis omnibus hic lætitiam attulit. cum quippe singulari Dei beneficio post tam longam spem, donatum esse certo credimus. Regina debitam huic Regno virilem stirpem tandem exsolvit, cum totius orbis felicissimum Principem fore, ultro mihi

hi persuaserim. qui enim sic expetiti nascuntur, Dei procul dubio amici sunt; ita Isaac, ita Samuel, ita S. Joannes B. & uno verbo ii omnes quos ortum (ut noster Princeps) votis omnibus desideratum habuisse scriptura memorat. nec immerito. in mediis quippe precibus & sacrificiis nascuntur. Lege Euangelium quod habetur die S. Joannis. ita enim apte res inter se conveniunt ut unius ortus videatur alterius imago. Ibi una Elizabeth, hic altera; uterque ortus eodem anni tempore, vicini & parentes congratulantur, montani timent. sed de his hactenus satis: alios enim hac de re, & in eandem sententiam elegantius scripturos esse scio. sufficit quod dicamus; repulit Deus Tabernaculum Henrici, & tribum Alfonsi non elegit, sed elegit tribum Elizabeth, quam dilexit. ita habet Psalmus: *attendite popule meus.* nunc ergo sublatis in cœlum manibus omnes canamus canticum illud: *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare hujus Regni.* Utinam is qui ejus ortum desideriis nostris concessit, vitam bene longam ei secundum vota nostra conservet.

EPIST. X.

Henrico Regis avunculo.

NObilissime & magnifice Domine, cum tu tuo, ego meo fungar officio, non est mirum, meam manum atramento maculatam, & tuum pedem cruentum esse. Credo equidem illud tuum vulnus & in tali parte dolorem simul & timorem tibi incutere. vis aperte dicam quod sentio, Nobilissime Domine, illa quæ in tuo equitum ordine vota professus es, tanto majoribus te periculis exponunt, quanto majore cæteros honore superas. Si enim non plus tibi animi foret adversus ejusmodi casus, omnes æquales essemus. Certe aliquando illa tui, quod omnes periculosum affirmant, vulneris fama non parum animum torquet, hinc tamen non leves consolationis causas habemus, quod Deo cum pietate, Regi cum fide, patriæ cum amore operam tuum consecraveris ac tandem liber evaseris. Sit Deo & Virgini ejus gloriosæ parenti laus.

EPIST. XI.

Reginæ.

ADmodum alta excellensque Regina & Domina, cum tot tantosque labores & pericula Rex & tua Celsitudo exantlaveritis, memoriæ scriptisque procul dubio mandari debent, quippe quibus majora forte nunquam evenerint. aliquæ sunt, fateor, historiæ quas scriptores ita verbis exaggerarunt ut multo supra facta: at res tuas Eccellens Regina, quis dicendo assequi? quis scriptor laborem explicare oratione possit? Ego ad tuam Celsitudinem ut jussisti, me conferam scripta prolaturus, ut ea examinanda cures. tantam nimirum injustitiam mutatam Dei beneficio, in tantam justitiam, pervicacitatem in obedientiam, corruptionem mutatam in ordinem, posteris tradere. hoc enimvero meas vires omnino superat, meliorique calamo indiget. Et si tua Celsitudo in ædificiis quæ tum tempore pereunt, tum plane muta sunt, construendis tantam diligentiam adhiberi vult; quanto majorem curare debet in tua conscribenda historia quæ perpetuo tum duratura, tum locutura sit. Reges & Imperatores multa olim templa & ædificia construxerunt, sed quorum ne minima quidem vestigia nunc supersunt. at scripta manent, quæ legamus. hic accipimus, te bellum adversus Mauros cogitare. Certe excellentissima Regina & Domina, qui Regis & tuas res attentius perspexerit; is manifeste videbit, quo modo Deus cum iis pacem tibi conciliet, cum quibus eam habere debes, & te ad bellum, ad quod teneris, efficaciter excitet. maximam tuis Regibus vicinis æmulationem commovet, quod in tuis confiniis exercitus habeas quibus non solum justum sed etiam sanctum bellum inferre vel sustinere possis, & regni hujus equites exerceantur, quod minoris utilitatis esse ne credas. Tullius Hostilius Tertius Romanorum Rex sine causa Albanis licet amicis, imo licet parentibus bellum intulit, ne equitatus otio torpesceret, de quo ait Titus Livius, segnescere civitatem ratus bellum extra undique quærebat. quanto id facilius feceris quæ jam inceptum illud habeas. scire velim, quomodo cum Latina quam edifcis lingua te habeas; est enim paulo ferocior, nec multa negotiorum mole implicitis facile se credit; quamvis ita in tui ingenii facilitate confidam, ut te eam brevi, ut cæteras Linguas, modo velis, in tua potestate habituram sperem.

EPIST. XII.

Petro Toletano Hispalis Canonico.

AIs me Domino meo Cardinali valde acceptum videri. Perspicaces prorsus habes oculos, qui à tanto intervallo id videas, quod ego hic & tam prope non video, si qui consuetudine alicujus utitur continuo illum acceptissimum vocas. fateor equidem me perinde acceptum ac cæteros; verum ne illum credas præ cæteris acceptum, qui non

præ cæteris beneficio afficiatur, quantalibet sit consuetudo. cæterum scito neque illum me frequenter uti, neque me ejus munificentiæ quidquam debere. vel si me acceptum ex aliqua parte fateri necesse est, non te fugit mihi perinde hac in re esse ac argenti custodibus, qui cum repositos in arcis dure obseratis mille & ducentos besses argenteos habeant, ne obolum quidem habent quod in usus suos convertant. ille unus, crede mihi, acceptus esse dicendus est, qui accipit quique propositum assequitur sive ad fortunæ optimæ felicitatem perveniat, sive saltem abunde sibi de necessariis potentiorum gratia provideat, à quibus sane sum remotissimus. Nunc nihil novi quod ad te scribam, habeo. optimis enim Regibus imperantibus justitia exercetur; justitia metum incutit, metus vero motus atque perturbationes removet; at ubi motus & perturbatio non est, quies est; ubi vero quies, nullus scandalis locus est quæ belli effectus sunt, & ex quibus nascuntur casus qui, dum in vino referuntur, nuntia fiunt. quamvis Hispanorum ex natura sua inquieta indoles vellet tumultus simul compescere & bellum internum pati cum externum deest. Quidam scribere ausus est Hispanos esse in bello ignavos & in pace scandalosos, qui hæc temere non affirmabat. Plurimam Deo debemus gratiam quod Regem Reginamque habeamus qui nullos habeant sibi peculiares amicos, nec ambo simul, nec singuli per se, unde inobedientia & scandalum in Regnis, oriri solent. scito neminem apud Regem authoritate & gratia plus valere quam Reginam. scito quoque neminem apud Reginam gratia & authoritate plus valere quam Regem. hi causas audiunt & judicant, jus cuique reddunt. quæ res, scandala ne oriantur, impediunt & orta destruunt prorsus & enecant. Quod ad me spectat, nemo in aula nec in Castella meliorem vitam vivit. hanc ita in obsequio Dei peragam, sed si hunc vivendi modum dereliquissem, non eum repeterem, etiamsi Burgundiæ ducatu me ditarent, usqueadeo multas sibi annexas & implicitas habet angustias mœstitiasque. Quæris, quo me titulo decorare debeas? scito me vocatum vocarique nunc & vocandum esse Fernandum, & licet sancti Jacobi ordinis essem Magister, tunc tamen & Fernandus vocitarer. hos enim mihi titulos vindicare velim, quos nullus eripere possit. qui enim virtute caret, hanc ei tituli licet speciosi, nequaquam conferent, ut mihi videtur. Vale.

EPIST. XIII.

Connestabili.

ILlustris Domine, tuas literas recepi quibus te laboribus & exantlatis & exantlandis in obsidione Montanchis, valde commotum esse significas. Res in te prorsus insolita & nova est, nullum quippe sive in adversis sive in prosperis, quæ tibi contigerunt, motum in vultu, nullam in verbis querelam animadvertimus. Verumenimvero præsentia mala nobis magis dolent præsertim si longioris fuerint temporis. Cum igitur iste tuus labor adeo gravis & diuturnus sit, nemini mirum videtur, si eo commovearis. Mortem quæ est terribilium terribilissimum timendam esse negat Seneca, utpote quæ parum duret. Ego tamen facile mihi persuaserim, quantumvis præsentes labores tui & duri & diuturni sint, te eos tamen æquo laturum animo, quippe qui & regiæ coronæ utilitati & tuæ patriæ tum honori tum paci conducant. qua quidem pace nullum aliud bonum optabilius est, nullum majori alacritate amplectendum, nullum denique vehementiori tum mentis affectu tum corporis labore quærendum est. pax enim omnium mortalium finis est quam ut scandalis turbant mali, sic boni eam præliis & bellis obtinere contendunt. Bello bellum extingui & pacem conciliari videmus perinde ac igne venenum tollitur & salus acquiritur. An Montanchis, quod obsessum tenes, castello auxilium sit allaturus Lusitaniæ Rex, equidem dubito. illud enim profecto auxilium ex militaribus copiis constet necesse est; neque vero illud est ejus Regnum in quo sicut in vasto Darii imperio militibus conscribendis multo tempore opus sit. Certe, prout res dicuntur, auxiliares illæ ejus copiæ Escalonæ comburentur, verum etiam si arci opem ferat, te, antequam hoc susciperes negotium, omnia providisse existimo, ne quid ea in re peccasse videreris, ut scilicet viri fortes facere solent, qui quodlibet negotium non suscipiunt, sed illud præmissa matura deliberatione eligunt ex quo sive prospera sive adversa sit fortuna, gloriam sibi accersere possint. Adde quod quemadmodum ignavos metus deprimit, sic fortes periculum erigit. Equidem certo confido, te in interiori conatu & exteriori providentia nunc non minore esse animo quam cum negotium suscepisti, ut illius exitus tuis & nostris votis omnino respondeat. non enim ut bene novisti, rerum incipiendarum ratio, sed earum finis attenditur. Tempore, loco, & aliis circumstantiis spectatis multos tibi labores superandos

dos esse nullatenus dubito. Sed si Eacus ille latro fortitudine non fuisset celebris, nec Herculis, qui ipsum interfecit, fortitudo nunc celebraretur. sed ubi majus extat periculum, ibi major fortitudo elucet, quæ non laudatur quod ignavum vincat, sed quod forti resistat, meliusque patet cum impugnantem exspectat, quam cum exspectantem impugnat, præsertim vero si subitis & improvisis periculis resistit. qui enim ita resistit, inveteratum & intensum fortitudinis habitum sibi comparasse videtur, cui acquirendo ita studere & invigilare debet quicumque equitatus ordinem profitetur, ut neque vitæ amor, neque mortis timor eum ab officio abducat. verum equidem est mortem omni homini formidandam esse; at eques tenetur tum mortem laude dignam amplecti, tum vitam turpem fugere. is ad emblematis tui verba attendat, quæ sic habent: *Pulchra mors totam honestat vitam*; ad quod me refero. Si hoc in argumento verbosior fui, in audaciæ meæ pœnam mihi à te illud dici libens patiar quod olim Annibal dixit. Is cum Romanos fugeret, audiretque quosdam inter se de re militari colloquentes & præcipientes, quomodo exercitui incedendum, quomodo acies instruendæ essent, respondit, *Bene omnino*, ait, *nisi quod unicus* qui ut plurimum intervenire solet, *casus* rem totam destruet, *eosque* (quos iste vult esse victores) *victos efficiet.* nec dubito quin vera pronuntiaverit. Titus enim Livius narrat, anseris cantum fuisse in causa ne Capitolium Romanum ab Gallis jam urbem ingressis caperetur, qui postea à Romanis victi & expulsi fuerunt.

EPIST. XIV.

Amico Toletano.

TUas litteras recepi, quas me intelligere ut videas, quod occulte dicis aperte dico. Intolerandum videtur, iis, quos humili loco natos esse arbitraris, honores & Magistratus committi. administrandi quippe incapaces quod humili sint loco, judicas. sic quoque non ferendum videtur eos divitiis abundare, qui indigni credantur, & inprimis eos qui recenter illas sibi comparaverint. Ex iis, quæ minime ferenda videntur, is invidiæ motus nascitur, qui torqueat, qui ad arma facile capienda, imo & ad aliis insultandum impellat. O miseros procul dubio recenter factos divites quibus invidetur à majoribus quibus jam æquales sunt, & à minoribus quibus superiores; sed majores suæ aliquod olim fortunæ initium fuisse, minores vero eo etiam se posse aliquando pertingere attendere deberent. Sed quid inde istiusmodi homines colligere velint non video, nisi forte orbem emendare, & bona honoresque pro suo arbitrio distribuere in animo habeant, quibus scilicet ille totus erroribus plenus, hæc inepte distributa videantur. Causam profecto veterem suscipiunt, & querelam valde antiquam, imo & usitatam, nec adhuc in orbe finitam faciunt cujus radix est altissima, primis parentibus coæva, cujus rami confundunt, intellectum excæcant, cujus flores omnino amari cogitationem torquent, cujus fructus ita mortifer ut pene omnium quæ sunt, imo & quæ fuerunt cædium & criminum, quæ vidisti aut visurus es, causa fuerit. Quantum qui invidia tenetur, erret, diligentius si placet attende. nolim exponere quomodo erret tum in legem naturalem, cum omnes ex uno eodemque nobili principio simus, tum in legem divinam quæ nos in eodem ovili eidem pastori subjectos esse jubet; tum præsertim in charitatem quæ nobis omnibus ex æquo veræ felicitatis viam demonstrat. his, inquam, prætermissis, scire debes gigantum nationem (ut referunt sacræ paginæ) fuisse idcirco à Deo destructam, quod illi adversus cælum pugnare ausi fuerint. Quid aliud dicere possimus de iis qui invidia lividi scandala & divisiones in populis efficiant nisi quod gigantum superbiam imitati cœlum impugnare, stellis virtutem adimere, divinis etiam velint repugnare beneficiis quæ Deus pro sua voluntate unicuique distribuit, quorum virtute istos honores ista bona sibi unusquisque conconciliet, quæ emendare isti cogitent. Experientia compertum quotidie videmus, ex iis quos humili loco natos judicamus, quosdam suæ indolis felicitate impulsos, abjectis infimis parentum artibus, scientias addiscere, doctissimosque aliquando fieri. Alios videas qui arma, alios qui ad agriculturam propendeant: alios qui ad ornate apteque dicendum, alios qui ad imperandum, alios qui ad alias artes propendeant ad quas ita eos natura effinxit ut pene necesse sit ipsis in eis cum laude versari. magnam quoque non solum inter homines conditionum varietatem videmus; sed etiam inter fratres ex iisdem parentibus genitos, alter doctus est, alter indoctus; alter ignavus, alter generosus; alter liberalis, alter avarus; alter multis artibus, alter nulli addictus. nuper vidimus in hac ipsa civitate pannorum mercatorem qui astrologiæ, astrorumque motuum peritus erat. at vide quæso quæ inter pannorum conficiendorum & motuum cœlestium scientiam sit proportio, sed

eum evexit indoles ad eam artem ex qua multum sibi & honoris & nominis in hac urbe comparavit. An ipsis felicem naturam eripere forte possumus, ex qua eorum honor oritur? minime vero nisi adversus cœlum more gigantum, qui omnes perierunt pugnare velimus. sic multorum Regum & magnorum virorum filios videmus, inglorios & oblivione sepultos jacere, quod & nullius ingenii & humilioris indolis nati sunt. sed esto, per me licet, sint generosi ii omnes qui ex Regis Pyrrhi genere sunt, quia patrem habuerunt generosum. sint omnes ex Salomone orti Sapientes, quia Salomon fuit sapientissimus. da divitias & imperia iis qui ex Petri Castellani, & Donisii Lusitani Regis familia sunt. ea quippe non possident, & tamen possidere debent, siquidem ex eo genere nati sunt. si mundum corrigere velint, subditi abjiciant dignitates, reditus, officia quæ Henricus ab triginta annis hominibus hic infimo loco natis dedit. Inanem profecto laborem & magnam animi mœstitiam affert illius abominandi peccati cæcitas; quod quidem & sine fructu, imo & sine delectatione perpetratur, quod pleraque alia peccata non habent. Istius enim peccati exitus & finis est de proprio malo & de alieno bono tristitia. Minime igitur intolerandum videri debet, eos divitiis abundare qui indigni, & eos carere qui ob generis nobilitatem digni videantur. hoc enim ex sapientissimo Dei consilio fit cui repugnari nequeat nisi orbe deleto. homines, non stirpes quas eligeret Deus creasse putandus est, omnibus ortus nobilitatem tribuit, si soli abjecto sanguine & vili genere sunt, qui derelicta virtutis semita ad devium vitiorum iter declinant. Et cum nulli, familiæ ex qua oriretur, electio libera fuerit, sitque morum omnibus libera electio, virum frugi absque honore & malum in honore esse, quantumvis parentes fuerint honorati, omnino impossibile erit. Ex iis quos nobili sanguine natos credimus, multos videamus pauperes & abjectos, quibus parentum suorum nobilitas nec divitias nec authoritatem conciliat. Ex quo merito inferas, eam (quæ sic vulgo dicitur) nobilitatem nullam plane vim habere, ut ab progenitoribus in liberos derivetur nisi virtutis quoque paternæ, quæ vera nobilitas est, sint hæredes. adde quod quemadmodum res cœlestes, ita & terrestres in perpetuo motu sunt, nunquam in eodem statu permanent. omnes continuo mutat is, qui nunquam mutatur. solus tum Dei tum proximi amor permanet, qui non solum pias cogitationes in Christiani mente ingenerat, sed etiam ad bona opera (in quibus vera nobilitas tota sita est) exercenda, & ad perseverantiæ donum in hac vita & ad participandum Sanctorum in altera nobilitatem, dat gratiam, ne existimes velim, me damnare neque majorem neque minorem hominum partem, sed tantum aliquos eosque valde paucos qui & ipsi peccant, & aliis peccati causæ sunt, dum eos & publicam pacem privati boni intuitu turbant, & dum se præcipuos hujus vitæ itineris duces faciunt, & ipsi hoc in itinere errant & alterius vitæ iter impediunt. Ipsorum principia sunt superbia & ambitio, media vero sunt invidia & malitia, finis, mors & destructio. Qui præcipuam authoritatem non modo habere non deberent, sed potius ut publici perturbatores non tantum ex populi sed totius humani generis societate expellendi essent, quippe quorum mens ita prava est, ut eos neque Timor Dei & Regis deterreat, neque conscientia remordeat, neque pudor impediat, neque ratio contineat, neque lex judicet, sed insana infinitaque honores in plebe & divitias acquirendi cupiditate rapti (cum tamen quomodo acquirendæ sint, nesciant) pleraque scandala quæ videmus, ad eas sibi comparandas excitant, & divisionis venenum in populum spargunt, qui nec quietum, nec prosperum statum tenere potest, dum ii, quod cogitant, dicunt; quod dicunt possunt; quod possunt, audent & nemine reclamante exsequuntur. Quos procul dubio boni & præsertim præcipui maxima diligentia reprehendere & castigare debent, ut à se iram Dei avertant, cui te commendo.

EPIST. XV.

Cardinali.

ILlustrissime & Reverendissime Domine, ut de tui fratris germani ducis, quem Deus salvet, obitu litteris consolarer, impulit me Jacobus Garcia, quippe qui non animadverteret quam ineptus forem, si te consolari auderem, cui omnia quæ excogitari possunt, consolationum genera sint præsentia. non ex iis ego sim qui dolorem nondum maturum verbis sanare se posse sperent, hoc tempori officium eripientes quod vetustate dolorem tollere solet. nullam profecto aliam tibi, Reverendissime Domine, consolationem afferre possint, quam hanc, scilicet eum brevi de aliena morte consolandum esse qui de sua singulis horis cogitaverit.

EPIST. XVI.

Sive oratio ad Reginam quando Hispali universalem veniam dedit.

ALtissima & Potentissima Regina & Domina, Quos tuæ civitatis equites & populos tuæ Regiæ majestatis pedibus advolutos vides; ii una omnes voce significant, quantum lætitiæ ex tuo in hanc Regionem adventu nuper acceperunt, tantum sibi, magnam tuorum ministrorum in administranda justitia severitatem, timoris incussisse ex quo factum fuerit ut omnis eorum lætitia in mœrorem, fiducia in timorem, gaudium omne in angustias & laborem desciverit. Omnes omnino homines, ô Regina excellentissima & Domina, ad malum (ut ait Scriptura) propendemus, sed ad hanc pessimam indolem frænandam statutæ leges & pœnæ, constituti à Deo Reges, electi ad justitiam exequendam à Regibus ministri, ut nempe in pace & securitate vivere omnibus liceat, quo beata illa felicitas, ad quam omnes adspirant, facilius acquiri possit. Sed cum nullos Reges, nullos ministros habemus, vel si quos habemus, tum ii sunt qui nec timorem incutiant, nec obedientiam exigant, mirum nemini videri debet naturam humanam ex sua in malum propensione agentem esse effrenem, multaque & gravia delicta committere, & præsertim in Hispania ubi communis est omnium saltem quoad majorem partem error, dominorum inferiorum obsequium, & quam Regibus & supremis suis dominis debent, obedientiæ esse anteponendum. Deum quamvis id Rex imperet, nec Regem quantumvis dominus inferior urgeat, offendere procul dubio non debemus. Sed ex eo quod hunc obedientiæ ordinem perturbamus, sæpe sæpius in regnis bella quæ legimus, & quæ nunc sentimus, mala oriuntur. Omnibus manifeste patet, quot crimina Henrici tui fratris temporibus in omnibus tuis regnis perpetrata fuerint, tum ob ingentem illius in administranda Justitia negligentiam, tum ob parvam subditorum obedientiam, quæ effecit ut quemadmodum in plerisque regnorum civitatibus dissensiones & scandala erant, sic isti duo equites Medinæ Dux & Marchio Gaditanus à se invicem dissiderent, & per summum regiæ justitiæ contemptum arma alter in alterum sumeret, & vi propositum finem magno totius patriæ detrimento assequi intenderet. In ista domestica discordia pauci vel nulli cives ab inobedientiæ & rebellionis adversus regiam majestatem peccato excusari possunt, cum unusquisque alterutrius partem secutus fuerit. Sed præliis in civitate & extra civitatem commissis silentio prætermissis ad mala privata se convertit oratio, quæ ex iis in totam regionem redundarunt. Ab hujus urbis & regionis incolis, aliquas cædes, aliqua latrocinia, aliaque ejusmodi facinora isto miserrimo tempore admissa fuisse nemo negare velit. quæ omnia fecit temporum iniquitas, nec tamen Regis justitiam excuso, verum tanta fuit scelerum ejusmodi multitudo ut paucas Hispali familias esse existimem quæ culpa vacent, aliæ si non ipsæ facinus perpetrabant, favebant certe; aliæ vel tegebant, vel participes erant; aliæ aliis modis & circumstantiis. Et cum ex bellorum malis populos, & civitates perire videamus; si hoc bellum diutius fuisset, nisi Deus pro magna sua misericordia remedium tua regia majestate in regis tui patris solium evecta, attulisset, hanc civitatem funditus perituram fuisse certo credimus. si tunc, ô Regina excellentissima & Domina, justitiæ defectu peritura jamjam erat; nunc tota fere ex nimia tuorum ministrorum in ea administranda severitate periit; de qua totus hic te populus appellavit, & etiam nunc ad tuæ regiæ majestatis Clementiam appellat, cum lachrymis & gemitibus, qui ad tuas aures perveniunt, prostrati te supplices obtestantur, ut eandem tuis subditis quam Deus omnibus hominibus, pietatem præstes, & tua viscera regia moveantur angustiis, doloribus, exiliis, egestate, damnis & laboribus, in quibus perpetuo sunt, dum tuæ justitiæ metu à domibus suis exulant. Et quantumvis Justitia in pervicaces exercenda sit, non tamen ea severitate debet, ut omnino excludat Clementiam, quæ Regibus amorem conciliat, adeoque metum, cum nullus Regem amare possit, qui non minimam ejus offensionem diligenter præcaveat. verum quidem est Deum Justitiam æque ac misericordiam adhibere, sed Justitiam aliquando, misericordiam vero semper imo singulis vitæ nostræ momentis. si enim ex Justitia perinde ac ex Misericordia ageret, cum nemo mortalium supplicio non dignus sit, totus orbis momento periret. Accedit quod, ut tuæ prudentiæ regiæ notum est, oritur ex rigore Justitiæ metus, ex metu perturbatio, ex perturbatione sæpe desperatio & peccatum. At vero ex pietate amor, ex amore charitas, ex charitate semper meritum & gloria nascitur. Quam ob causam sacras paginas pietatis, mansuetudinis, misericordiæ & clementiæ laudibus refertas esse reperies quæ sunt tituli & nomina nostri Redemptoris, qui nobis inclamat, *Discite*, non durioribus justitiæ legibus agi, sed *discite*

cite quia mitis sum, & humilis corde. Ecclesia Sancta Catholica perpetuo canit; *Plena est terra, Domine, misericordia tua*, & propter continuum Clementiæ usum, ipsum vocamus Miseratorem, misericordem, patientem, multæ misericordiæ. attende si placet quam multoties Misericordis titulum sibi vendicet, non ita sæpe justi, multo minus rigidi & severi. Justitiæ enim rigor ad crudelitatem accedit, isque Princeps vocatur crudelis, qui licet jure puniat, in puniendo modum non habet. Misericordia autem Domini super omnia opera ejus, à quo Reges & Imperatores, quorum fama celebratur, exemplum sumentes, & subjectis pepercerunt, & superbos debellarunt. hac quippe de causa Deus eos in hoc orbe suæ potentiæ participes effecit. Inter quos Sapiens ille Rex Salomon Deum obtestatur, ut meminerit, non laborum, non Eleemosynarum, non aliorum Davidis sui patris meritorum, multo minus Justitiæ quam exercuit, & pœnarum quas inflixit, sed *memento*, inquit, *Domine, David & omnis mansuetudinis ejus.* Cujus merito se Dei misericordiam & pietatem ad peccatorum suorum remissionem, & perpetuam apud suos dignitatis conservationem, consecuturum esse certo sperabat. Et tu, ô Regina excellentissima, secundum mitem Salvatoris nostri & Sanctorum bonorumque Regum doctrinam & exempla, Justitiam tuam tempera & in civitatem hanc effunde tuam misericordiam & mansuetudinem. Tanto quippe conjunctior divinitati eris, quanto perfectius eam operibus referes, tantoque perfectius referes, quanto pietatis observantior eris, tantoque pietatis observantior eris, quanto magis compatieris & parces miseris qui tuam Clementiam & mansuetudinem summo affectu implorant & exspectant. Clementia & mansuetudo debet esse, ô Regina excellentissima, tuæ memoriæ mentisque cogitationibus alte infixa, ut Deus meminerit tui & omnis mansuetudinis tuæ, ut tibi dimittat peccata eodem, quo dimiseris, modo, ut tibi vitæ usum largiatur prout tu aliis largita fueris, ut in perpetuum tuis posteris Regiam dignitatem conservet, & præsertim in hac civitate, licet illa peccaverit. tanto enim in reorum numero innocentem vivere admodum difficile erat. Joannes tuus pater, non solum in una civitate, nec in una provintia, sed in omnibus suis Regnis universalem veniam iis omnibus dedit qui Principum Aragonensium suorum consobrinorum factionibus & scandalis impliciti fuerant. Quinimo Lusitanos qui hoc regnum hostili in te animo ingressi in eo nefaria plane facinora & maleficia perpetrarant, non solum in libertatem restitutos, sed etiam ex tuæ Clementiæ mandato tuis Eleemosynis instructos in patriam suam reductos fuisse videmus. Revoca ergo, excellentissima Regina, tuos, in eos eadem qua in exteros, pietate utere; ut enim anima cupiditate flagrans, licet bonorum temporalium libidine æstuet, tamen in Deum semper suspirat qui eam sua misericordia reparet. Sic isti tui subditi, licet malis & bellis fuerint impliciti, semper tuæ victoriæ & prosperitatis vehementi desiderio tenebantur, ut sub tuo Regio sceptro pace & securitate frui possent, quam ut in istam regionem & civitatem effundas, supplices obtestantur, ut quemadmodum ob supplicia quæ intulit tua Justitia, sic ob vitam nobis ab tua singulari Clementia concessam gratias Deo habeamus.

EPIST. XVII.

Domino Henrico.

Jubes me tibi literas mittere, sed quæ consolatoriæ non sint. bene omnino. nec enim, me miserum, consolari scio, nec tu consolatione eges. ergo hoc Deo, qui verus consolator est, officium relinquamus. ipse enim laboribus solatium, lachrimis misericordiam suam immiscet. nec ego epistolæ meæ, ut tibi consolationem aliquam daret, præceperam quam si in manibus haberem, profecto efficerem ut tibi alia vice, non aliud quam fuisset honestum, diceret. Quod ipsi meo nomine tibi dicendum mandaveram, illud erat, si tua vulnera magna essent, procul dubio bona illa tibi videri debere, utpote quæ equestris ordinis quem profiteris insignia essent. Cur ergo epistola mea contra voluntatem te consolari voluerit, prorsus ignoro. si enim te tuum sanguinem, tuum ordinem, tuum vulnus, & locum quo illud accepisti, diligentius attendamus, dandæ profecto lætitiæ quam accipiendæ consolationi longe aptior es. Et licet adeo mente captus fuisset Ferdinandus de Pulgar, ut Henrico consolatorias litteras scribere præsumeret, tantum intercedit locorum intervallum, ut priusquam eæ ad te pervenirent, è morbo penitus convaluisses, fuissentque corruptæ etiamsi sale conditæ. Quæ remedio juncta non est consolatio, nihili prorsus æstimanda est, unde cum remedium afferre nequeo, consolationem dare negligo. hominem potius dolore levari existimem dum incommoda ipse enarrat, quam dum frigidas consolationes audit, quæ remedium nec afferunt, nec promittunt. tuum dolorem scribis tibi præ tuis in Deum offensis minimum videri. certo credas velim tale

verbum

verbum non esse profectum nisi ex ore optimi hominis. quemadmodum enim dolor malis est desperationis causa, sic bonis contritionis occasio est. hoc verbum animam tuam multo magis quam tuum vulnus pedem exornare debet.

EPIST. XVIII.

Priori de Passo.

SI somniatus es, à me tibi semel vel bis scribendas esse litteras & à te nulli respondendum esse, somniis quæso ne fidem adhibe. certe nullas ad te litteras scribere statueram, nisi quam incenderat tua negligentia, iram comprimeret tua bonitas, licet tuus in me amor, meaque in te singularis observantia multas scribere cogat, ut unam saltem à te extorquere possim, quæ mihi tantum hoc anno in meo exilio lætitiæ afferat, quantum anno præterito tuus conspectus in dolore attulit: certiorem me fac, an corpore bene valeas, te animo non male valere, mihi persuadeo. huc frater Jacobus Camoranus venit. hinc tam à negotiis suis, quam à febribus bene liber & solutus discessit. Vale.

EPIST. XIX.

Comiti Cesuentes Granatæ in carcere incluso.

CUm tuus de tuo carcere dolor tepescat, meumque tuæ libertatis desiderium ardeat, aliquid quod tibi prodesse possit scribere nunc magnopere velim. sed enimvero, qua eges, libertatem tibi restituere nequeo: at quam consolationem tibi afferre possunt, ea non indiges. te enim tuam consolationem ex te accipere sine cujusquam ope omnino mihi persuaserim: quam eo libentius prætermitto, quod omnem consolationem, cui remedium annexum non est, nihili habendam esse semper existimaverim. si attente mediteris, quis sis, quod officium sumpseris, cur & quomodo, & ubi captus fueris, te tuam in isto mœrore patientiam ostentaturum esse non dubito; quam si forte non teneas, nullo alio te modo consolari nunc possim, nisi & te carcere inclusum etsi patientem, & carcere inclusum etsi impatientem: at carcere inclusum & patientem esse præstare quam impatientem esse. nova quæ facit Regina & quæ facere meditatur, æque istic Mauri quam hic Christiani edocere te possunt, quapropter ea scribere nullius operæ pretium est. Utinam faciat Deus ut te cito liberum videamus, quas ad equitem ex regno exulem, scripseram litteras, eas ad te mitto, ipsas lege, imo & quæ in his præcepta traduntur, pro tua pietate exequere.

EPIST. XX.

Ynigo de Mendoça Tendillæ Comiti.

ME de rebus tuis ut amicum certiorem facere non potes, fortunæ enim inæqualitas inter nos amicitiæ nomen esse non sinit, multo minus ut chronologistam sed dumtaxat ut eorum qui tibi addicti sunt obsequentissimum. quod de iis tamen mihi prolixius scripseris, in magni beneficii loco habeo. de iis quod sentis, quod desideras, quod vis, idem ego sentio, volo, desidero. tuus in reducendis commilitonibus ad viam labor, opus manuum tuarum absque dubio esse videtur. si aliter te gessisses, tibi bellum incubuisset non solum adversus hostes sed etiam tuos. ubi enim est corruptio moris, ibi est destructio mortis, & quod gravius est etiam adversus Deum. carni quippe corruptæ Deus magnopere irascetur. quod inprimis Romæ ruinam attulit (inquit Salustius in libro de bello Catilinario), id scilicet fuit quod Lucius Silla exercitum quem in Asia ductaverat, quo sibi fidem faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. loca amœna & voluptaria facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, &c. ut dementem me sentio qui tibi Salustii verba proferam, sed id patere. siquidem patior ego hos Agricolas mihi narrantes quæ Alhamæ feceris. ut infirmus qui convaluit, medicinam amat, quam prius invisam amaramque habebat; sic milites cum suam salutem ex doctrina tua se consecutos esse perspexerint, te in delitiis habituros esse plane existimo. auxilium à te tuæ genti allatum, notandum quidem est, sed apud alios non apud me qui probe norim, qui, & ex quo genere sis, cui nec fugiendi hostes nec amici deserendi sunt.

EPIST. XXI.

Occulto amico.

VIdi epistolam quandam quæ de nocte projecta fuit & inter portas reperta. meo Domino Cardinali inscripta erat, sed nihil habebat nisi multa convitia. sed cum eam prius in tuas manus quam in meas venisse, & per hanc civitatem à te sparsam fuisse cognoverim, eam postquam legi, Cardinali mittere visum est; quandoquidem tu eam ipsi non

miseras. si quando in tuam cognitionem veniat ille incognitus scriptor, si hoc ipsi meo nomine responsum des, mihi pergratissimum feceris. Amice occulte, quas ad Cardinalem misisti, litteras legi, quibus nimirum & me gravissimis convitiis afficis & ipsum admones errorum qui in ea, quam ipsi de Hispalensibus hæreticis scripsi, epistola continentur. sed quantum spectat ad convitia, si vera dicis, me emendabo; sin minus vera dicis, emenda te ipsum. sed quidquid ea de re sit, si Evangelicam de injuriis non inferendis doctrinam sequi tibi non placuit, at mihi eamdem de venia sequi placet & illius quidem amore qui parcere jussit; tibi injuriam remitto & ita quidem ut ne vel levissimum in te odium foveam. Qui enim vindictam quærit, cum priusquam eam sumat valde animo torqueri existimo; & ita ut corpus alteretur, nec animæ salus acquiratur. unde non minus corpori quam animæ salutarem doctrinam redemptor verusque noster medicus nos edocuit, cum inimicis ignoscere jussit, ut ego meas tibi injurias hodie remitto, sed tibi res erit cum Deo qui vindictæ sumendæ jus sibi soli vindicavit. Domine incognite, tuis illis litteris, aut bene, aut male dicis. si male, cur scribis? si bene, cur te occultas? Cum certum sit nulli, ut ipsi ais, Catholico aut Christiano suam doctrinam esse occultandam, ac multo minus, nomen. at omnino contrarium facere videris; quippe te occultas, & injurias spargis; quæ deberent quidem esse *privata correctio*, ut inquit Chrysostomus in Mathæum, at non *publica injuria*, quod Christus in Euangelio vetat. Quæ in mea ad Cardinalem epistola continentur arguis. at si ea aut ego reprehendendus eram quis id potius, aut melius quam Cardinalis facere potuisset, cui ea potius erat accusanda epistola quam huic ad quem nulla erat utpote qui sit unus ex iis quibus Ecclesia innititur? Sed absque dubio, nec coram, nec per litteras epistolam damnavit ipse, nec eorum qui eam legerunt doctorum quispiam. sunt enim Augustini verba ex epistola 140 de hæresi Donatistarum. si ea verba tibi reprehendenda videantur, Sanctum Augustinum qui ea protulit, argue, non me qui ea tantum refero. Insuper epistolæ tuæ initio vanæ gloriæ me insimulare videris; quod Cardinalem meas litteras exspectare dixerim, at te hoc peccatum meum non facile emendaturum esse video. ipse enim & alii tum primates, tum docti litteras à me perpetuis suis litteris, imo & mandatis quibus obtemperandum est, exigunt. fac eorum desinat esse mandatum, & meam vanam gloriam castigaveris. Mihi quoque objicis quod aliquando jocosa scribam, id inficiari, incognite Domine, nullatenus possim. At nobilissimos viros Marchionem Santillanum, Ignatium de Mendoza, Jacobum Hurtadum Mendozam, ejus filium Ducem, Infantasgum, & Ferdinandum Perezium Gusmanum, Batrei Dominum & alios ejusmodi nobiles viros, multæ doctrinæ litteras scribere ego vidi, quibus tamen jocos, qui veritatem quodammodo sale condiant, non raro immiscent. Lege si placet epistolas familiares Ciceronis ad Marcum Marcellum, Elium Lucium, Titium, Lelium Valerium, Curionem & alios plurimos, satque multos jocos seriis immixtos reperies. Et vero Platonem & Terentium quod jocosa in suis libris scripserint, usquam fuisse reprehensos non vidi. Neque horum exempla me ideo protulisse existimes, quod eorum alicui me conferre audeam, verum ut illos fuisse finis qui fuerint, & mihi per te qui sim esse liceat. Quid etenim me vetes jocari cum libuerit, modo id sine cujusquam injuria fiat, siquidem inde ego bene, tu non male habes? Quinimo si jocum vel unum apud me reperias, cui plusquam quatuordecim res seriæ non admisceantur, libens ego jocator ridiculus, quem me haberi vis, habebor. Asseris quoque me scripsisse Hispali inquisitores in eo quod nunc faciunt, errare ac proinde Reginam quoque in committenda iis hac cura erravisse: quæ ista habeat, epistolam ego profecto nullam dedi; & si in lucem proferatur illam ea quæ non scripserim, non habituram esse scio. nec enim eos in officio suo, nec Reginam in eo ipsis committendo errasse dico, licet fieri possit, ut Regina in eo committendo & ipsi in administrando erraverint; non tamen ex prava voluntate, sed ex pessimis aliorum consiliis. Bonus profecto & sapiens erat Joannes felicis memoriæ, qui tamen se à re sua facturum ratus Petrum Sarmientem Toletanæ civitati gubernatorem præfecit. Qui tandem ab pessimis incolis corruptus adversum ipsum rebellavit, titulum Regis eripuit, in tentorium lapides jaculatus est. Regina sapienter se egisse credidit, cum Castellum de Nodar Martino Sepulvedæ commisit, sed adversus eam insurrexit, Castellum Lusitaniæ Regi vendidit, unde mirum videri non debet, si Regina in committendo illo officio se sapienter committere existimans, erraverit, & illi quoque in administrando se rei veritatem non male edoctos rati erraverint, quamquam illud ipsum nunquam dixerim nec nunc affirmare velim. Quæ affers ex sacra scriptura, his non respondeo, quod, qui sis, ignorem; te ipsum detege

tege

tege; & quantùm in me erit, tibi egregie satisfaciam, illudque inprimis tibi evidenter demonstrabo quam turpiter mentiaris, cum me hæreseos insimulas.

EPIST. XXII.

Gabriëli de Mendoça.

SI ad me relatum fuisset, quantum ex tua hinc absentia in studio profeceris; majus aliquid profectò à te efflagitassem, quam quod ob facultatem ab Domino meo Cardinali tuo avunculo impetrandam efflagitavi. Sed majorem procul dubio tua munera cum tua nobilitate, quam petitiones meæ cum cupiditate mea proportionem, & æqualitatem habent. Etenim si bene meministi, melopeponem petieram, mulam obtulisti. In mea petitione quam minima sit mea cupiditas, in tuo munere quam Generosa sit tua nobilitas, quis non videat? Aliud etiam minus nunc à te efflagito, siquidem hoc unum omnium laborum meorum præmium esse volo, ut facias quod quadam Epistola ad Curionem scripsit Cicero, scilicet ut sic ad nos confirmatus revertaris, ut quam exspectationem tui concitasti, hanc sustinere ac tueri possis, &c. hoc enim, Nobilissime Domine, facile consequi posses etiam & augere, si id quod idem filio in officiorum procœmio scribit, feceris. Quæ officia ut legas, modo jam non legeris, & facias, si infectum est, etiam atque etiam te rogo. licet neque meo, neque alterius cujusquam consilio egere te certo credam. Quæ enim te istuc cum adeo ardenti desiderio adduxit indoles, nemini dubium est quin ea suo ita fungatur officio, ut multo perfectiora aliis quam quisquam tibi doctrinæ exempla præbeas. & de hoc satis. Vale.

EPIST. XXIII.

Suæ Filiæ Moniali.

CHarissima filia, omnino paucis te affatus sum ex quo nata es usque ad duodecimum tuæ ætatis annum completum quo te propter felicitatem obtinendam consecrare voluisti; sed cum id facere debeam, ut proximus & ut pater; tenear non quidem ex necessitate quæ compellat, sed potius ex charitate quæ urgeat; debitum tibi sermonis officium exsolvere tandem decrevi. efficacior enim est debitoris ad solvendum voluntas, quam violentia creditoris ad debita exigenda. verum est, mea filia, cum ego & mater nos vidimus à te derelictos, teque isto claustro tanquam carcere inclusam, nostra viscera carnis sensibus plane commota fuisse. Sed cum ratio functa suo officio nobis in memoriam revocasset, quomodo in istis Templi & domus angustiis, Paradisi amplitudine fruereris: tunc enimvero carnis tentationem vincere, & de tuæ animæ gaudio quod ex victoria nasci solet nobis congratulari conati sumus. Legitur Socrates olim in suæ scholæ vestibulo duos versus conscripsisse, quorum unus sic habebat; si tentatione victi, aliqua re turpi delectemini, momentanea erit voluptas, at turpitudinis macula semper ante oculos vestros obversabitur. alter verò sic habebat, si difficultatem in prælio carnis sentitis, prælii labor diuturnus non erit, sed diuturna erit victoriæ gloria. Et vero indubitatum nobis esse debet, Deum plurimam illis gratiam infundere ad vincendum qui resistere audent; ad hanc victoriam maximi procul dubio momenti est malas cogitationes repellere, sive quæ ad carnis voluptatem sive quæ ad proximi odium nos commovent. sapiens asserit malis phantasmatibus nos à Deo removeri; reperies, charissima filia, hæc Socratem apud Valerium Maximum verba habere. Socrates divinæ sapientiæ quasi oraculum nolebat nos quidquam aliud à diis immortalibus petere quam bene esse; nec enim iste Philosophus existimabat boni quod peteremus electionem, arbitrio nostro esse permittendam. multi quippe divitias expetierunt; sed quæ ipsis mortem accersiverunt. alii, inquit, officia sibi diligenter procurarunt, sed quæ ruinam ipsis attulerunt; alii conjugia, in iis suam felicitatem consistere, rati, ambierunt, sed quæ ipsis ignominiæ & paupertatis causæ fuerunt. unde iste Philosophus recte concludit, boni quod petimus electionem Deo omnium bonorum datori à nobis prorsus permittendam esse. qui enim ea daturus est, ea quoque recte eligere scit. In Euangelio Matthæi Christus asserit, Deum Patrem nostrum cognoscere quæ nobis necessaria sunt, antequam ea petamus: & vero probabile admodum videtur, figulum vasorum artificem scire, quantum vasa capiant, singulisque pro mensura aquam infundere. si quis affectu deceptus, officium cui sit ineptus, suscipiat; & electorem, & electum officium perire videmus. Sanctus Augustinus in Libro de Civitate Dei, ait: *Quemadmodum ex carne non est quod caro vivat; sic ex homine non est, sed à superiori causa, quod homo bene vivat.* his omnino perpensis gratias vero rerum omnium electori agimus, quod tibi ad eum statum ad quem te ab incunabulis fere ipsis propensam, vidimus eligendum viros dederit, nempe ut in

hac vita bene vivere, & in altera æternam felicitatem consequi possis. Sed siquidem nostri redemptoris beneficio, sanctæ, quam elegisti, religionis vota emisisti, quomodo te ibi habeas, prorsus ignoro: sed quid tibi hic eventurum fuisset, si alium vivendi statum elegisses, paucis tibi aperire volo; & primo quidem omnium, matrimonii Sacramento copulanda eras, quod sane ex Deo est & prorsus sanctum iisque qui conscientiam in eo puram servant, bonum. sed num attendis, quot curæ parentibus imo & filiabus incumbant, tum in eligendo natæ conjuge, tum etiam postquam electus est? Sed nunc missa facio tædia & fastidia quæ in eo sæpius reperiuntur. Sanctus Aug. in Libro de civitate Dei hunc mundum suis coloribus depingit. *Homo* (inquit ille) *non potest esse sine labore, sine dolore, sine metu. Quid dicam de amore tot rerum inutilium imo & nocivarum? quid de tot curis quæ animum pungunt? quid referam mentis perturbationes, angustias, formidines, inepta gaudia, discordias, lites, bella, insidias, iras, inimicitias, mendacia, æmulationes, fraudes, rapinas, latrocinia, superbiam, perfidiam, ambitionem, invidiam, homicidia, parentum mortes, luxuriam, audaciam, impudentiam, abjectiones, fornicationes, egestatem, adulteria cujuscumque generis, & alias impudicitias, quas vel referre turpe sit, sacrilegia, hæreses, perjuria, innocentium oppressionem, calumnias, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, & alia ejusmodi quæ memoriæ etiam vix occurrunt, sed hæc omnia à præsenti vita aliena non sunt & perditorum hominum sunt, quæ tamen nascuntur ex errore & perverso sui amore cui obnoxius quilibet ex Adamo progenitus homo oritur.* & in alio loco idem Sanctus Pater sic ait: *Quis est qui nesciat hominem in hunc mundum venire & cum totali veritatis ignorantia quæ in ipso infante demonstratur, & cum effræni cupiditate quæ in juvene dignoscitur tanta, ut si suo arbitrio permitteretur, omnia vel saltem pleraque à nobis superius recensita facinora, imo & alia silentio obvoluta commissurus esset. Ad quid*, subjungit idem, *inanes quos infantibus incutimus, terrores? ad quid verbera & ferulæ, quibus juvenes percutimus? ad quid erecta patibula nisi ad compescendam naturæ humanæ malitiam?* Addit insuper: *Quid est quod res multo cum labore memoriæ inscribuntur, & sine labore ex memoria delentur? multo cum labore docti simus, sine labore indocti sumus; cum multo labore sumus artifices, sine labore absque arte.* Quid *referam*, pergit idem Augustinus, *innumeros corporis labores; solis radios, frigora, tempestates, pluvias, fulgura, tonitrua, grandines, lunæ radios, terræ motus, mortes ex vulnere, ex timore, ex hominum malitia, ex pecoribus, ex veneno sive in fructu, sive in aqua, sive in aëre; ex morsu rabidorum animalium, etiam domesticorum quæ aliquando majorem quam leones & dracones formidinem nobis incutiunt. Quot incommoda patiuntur, sive qui navigant sive qui terra iter faciunt; qui procul dubio adversus omnes inopinatos casus parati esse debent.* Et Libro vigesimo secundo de civitate Dei; *Nec est quisquam mortalium qui mundanam sequuntur vitam, quantumlibet vigilans & cautus sit qui se ab omnibus quæ recensuimus vel saltem eorum aliquibus immunem se præstare possit.* Sapiens enim sic ait in proverbiis: *Si justus supra terram tentatur, quanto magis iniqui & peccatores?* Adeoque plurimam Redemptori nostro gratiam debes qui tibi id muneris tribuit, ut abiecta Marthæ solicitudine optimam Mariæ partem eligeres, quæ te ab his tribulationibus & videndis & sentiendis liberet. Carmelita integerrimæ vitæ, cujus juventus mundanis fuerat implicita curis, mihi olim Parisiis dixit: *Si non peccassem, nec peccata tanto odio haberem, nec virtutes tanto amore amplecterer; nec vero solido religionis gaudio tuerer, si mundanas angustias expertus non essem.* Liber sapientiæ asserit; *Religionem servare, justificare, & animæ lætitiam conferre.* Nec te ista torqueat cogitatio, te ad videndum mundum factum esse, quem tamen in isto carcere videre non possis. Quid enim aliud videres, charissima filia, nisi rem prorsus vilem, iisque omnibus quæ supra de Augustino attulimus, incommodis malisque refertam, quæ nos videre nollemus ne dum sentire, quæ tamen proh dolor! & videmus & sentimus. Et vero tibi affirmare possim; si juvenis experientia teneret quæ senex, illum certo certius procul à mundo ejusque negotiis fugiturum esse. Sed juventus amens & ignara tot patitur carnis tentationes, ut iis resistendo impar irretiatur, in easque demum redigatur angustias, ex quibus pro libito se expedire nequeat. Sed ut hoc melius animo perspicias, illud mihi aliquatenus discrimen esse videtur religiosos inter & sæculares quod inter gladiatores & gladiatorum spectatores, qui in stadio digladiantes tauros insequuntur. illi quidem quadam, saltem in speciem, libertate fruuntur ad discurrendum huc & illuc, & ad mutanda pro voluntate loca. at multi ex iis cadunt graviter, alii membris imminuuntur, alii absque causa aufugiunt. non enim in eos taurus sed timor irruit. alii semper in procinctu sunt sive ad impugnandum, sive ad fugiendum. alii lanceis in alterutrum accurrunt, & nocent; & qui alterum lancea percutere vult, non potest ullam reddere rationem quæ ipsum cum tanta velocitate & periculo impellat ad prosternendum

dum eum qui sibi non nocet. sic video omnes huc & illuc divagari sine fine, & sine providentia casuum qui ipsis vel accidunt vel accidere possunt, eosque suæ ruinæ timore captos, & alienis casibus summe delectatos. qui vero ex amphitheatro spectant, illi quidem non habent discurrendi pro libito facultatem, at vicissim tuti sunt à periculis, à vulneribus, ab animi perturbationibus quas perferre vident eos qui in stadio currunt. quæ si omnia diligentius perpendisses, procul dubio duplicem Deo haberes gratiam quod in eo te constituerit circo in quo peccandi occasionibus libera sis quibus hic opprimereris, quas omnes vel saltem earum aliquas superare tibi admodum difficile fuisset, si idem quod nos stadium percurreres. debellata enim superbia insurgit ira; si iram vincis, cupiditas occurrit, si cupiditatem temperas, acedia te fatigat, gula vinceris. si de gula victrix es, non poteris invidiam compescere, & turpes luxuriæ tentationes animum corpusque excitabunt. vide ergo quis in tot præliis adeo duris ac ancipitibus incolumem se præstare possit. unde Ecclesia de Diabolo ait: *Circuit tanquam leo rugiens quærens quem devoret*, & præsertim spectata naturæ humanæ infirmitate, de qua Jobus scripsit: *Nec mea fortitudo lapidea est, nec mea caro ferrea est*, ut tantis tentationibus resistendo par sim. nec miremur, si nos tentationum fluctibus agitemur, quando nostrum Redemptorem tentatum fuisse legimus. Sanctus Paulus in epistola ad Titum ait; *se fecisse aliquando insipientem, incredulum, errantem, servientem desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentem, odibilem, odientem & exosum.* verum quidem est, nos de ipsis peccatis nostris præteritis aliquo modo lætari posse. plus enim quam peragimus pœnitentia nobis aliquando prodest quam quod commisimus peccatum nocuit. hoc videre sis in Petro, Paulo, Magdalena aliisque multis quos intensissima suorum peccatorum contritio, cunctos ad summum quo fruuntur, gloriæ gradum evexit. Et vero si nullum aliud quam concupiscentiæ prælium sustineremus, sat nobis grave foret perpeti mortem & alia multa quæ ex ea oriuntur incommoda. Et in hanc rem fabellam de vulpe & Asino tibi afferre volo. sic narratur fabula: Leo qui animalium Rex, aulam componere voluit. ad hanc concurrunt præcipua quæque animalia, quæ ipsi dicunt eum utpote Regem nobili indole & auribus simplicissimis esse debere. assensus est iis omnibus quæ sibi dicebantur. At cauta, quæ aderat, vulpes ipsum sic interpellavit: Rex, male profecto feceris, si horum omnibus dictis faciliorem te præbeas. alii enim ad te accurrunt cum artificiosis mendaciis, alii cum nequitia quæ bonitatis imaginem referat, alii suis rebus attendunt, dum se tuis consulere simulant. Et vero in animum tuum inducere debes, ista grandiora animalia tum libertatis obtinendæ tum excutiendæ servitutis tuæ percupida esse, imo & tuum patrimonium valde optare, ut se potentes, te infirmum & debilem faciant, ut ipsa pro libito castigare non possis, sicque decidas ex tua authoritate, qua semel amissa amplius tibi non obtemperabitur, Justitia tua minuetur, vitia crescent, Regnum tuum ruet. sæpius officia cum virtutibus servantur quam virtutes cum officiis adquiruntur. Vulpes propter locum quem habebat istis consiliis apud Regem, omnium in se invidiam excitavit. majora animalia cum ex ea quam se mereri apud Regem existimabant, gratia decidissent; vulpem sibi periculosam crediderunt. itaque illius à leonis latere removendæ ansam quærunt, leoni asserunt, præcipuam ejus curam in salute servanda ponendam esse, quæ non poterat in tuto esse sine cerebro & corde asini; quæ afferre vulpes utpote diligens & cauta omnino debebat. vulpes cum eorum consilia penetraret, leoni dixit: hoc proponunt magis ex consilio me à te removendi quam tibi serviendi. sed cum leo omnia grandiora animalia in hanc sententiam ire videret, vulpem dimittere coactus fuit. cum iter suum perageret vulpes, reperit Asinum in prato pascentem, cui dixit: cur & tu ad aulam non te confers, ad quam omnia animalia confluunt? Cui Asinus: scilicet hic vitam quam lautissime vivo & quid sit aula nec scio, nec scire volo. At, inquit vulpes, aulam nescire grande malum, at nolle scire longe peius, siquidum eo ire recusas ubi animalium ingenia acuuntur, fama celebratur, gratia & fortuna uniuscujusque locum habet, ut se in magnis exerceat ingentesque divitias acquirat. At, inquit Asinus, quomodo sit talibus utendum ignoro. cui respondet vulpes: major labor existit in principio, usus te magistrum reddet. Asinus tandem cupiditate victus pratum suum deserit, cum vulpe itineri se dat, ad locum quemdam forte aspectu & herbis florentem perveniunt, ubi asinus quiescere vult. cui subiratior vulpes: si divitiis & honoribus inhias, pigritiam excute. piger enim dum quiescit, desideriis fatigatur. Asinus qui se vulpis arbitrio commisit, tandem ad aulam pervenit, ubi horrendam tum leonis faciem tum cæterorum animalium magnitudinem vidit, quibus & similis esse voluisset. Leo ipsum urbane admodum & officiose accepit, sed paucis post diebus eum

cum devorare cogitaret, mutavit voluntatem, faciemque ferocem illi exhibuit. Asinus cum se solitis oculis à Rege non accipi videret, terga vertit, pratum repetit. hoc ubi cognoscit vulpes, leonem increpans ait: si ira moveris, si aliquem tibi devorare statutum sit, iræ voluntatisque indicia ab executione vix ac ne vix quidem differant, alioquin talia orientur tibi in tuo regno scandala, ut à nemine tibi ad arbitrium sit obsequendum. Leo cognita ingenue sua culpa vulpem rogat, ut ad asinum iterum redeat. vulpes ut sibi Regem suis officiis demereretur, redit ad Asinum, ipsum interrogans abditus causam. cui subiratior Asinus; hinc apage procul cum tua aula. non enim ejus gratia tantum mihi lætitiæ, quantum mœstitiæ ejus ostensio attulit. at inquit vulpes: adeone ignarus es? nescis scilicet in aula si ingratus sis, nemini cognitum fore, si vero gratus sis nec tibi ipsi fore te cognitum. sed enim, ait Asinus, nullum mei generis animal ibi est quod mihi tum honori tum auxilio esse possit. quid inde? (instat vulpes) primus eris qui tui generis gloriam in lucem proferas & posteritati mandes. Asinus ergo cupiditate gloriæ captus iterum cum vulpe redire statuit; cui tamen hæc ait: si qualem volo, talem non invenero leonem, nec me sane qualem vult, inveniet leo. paucis post diebus ipsum unguibus discerpere voluit sed non potuit. quod ubi primum suspicatus est Asinus, statim evasit pratumque repetiit. vulpes suos labores irritos fuisse dolens, Regis negligentiam palam increpat, quod in adducendo bis Asino exantlaverat, labores ostentat. cui Rex: quid vis dicam? si finem assequimur, labores merito prædicantur; sin minus, votis potimur. mercedem laborum ne speres; ad finem enim, non ad media attenditur. vulpes ne tot labores irriti & sine mercede forent, ad Asinum revertitur cum his verbis: te huc redire valde miror, cum in eo esses statu in quo magnam potentiam brevi tibi comparare potuisses, si paulo plus patientiæ habuisses. vitam nobilem negligere & rusticam amplecti non ita excellentis ingenii indicium est. Cui Asinus: si me durius castigare velis, me tibi inimicum citius quam animo mutatum habebis faciliusque tibi inimicitiam quam mihi emendationem obtinebis. Næ (subinfert vulpes) plane stupidus, si potius quo te castigo, quam quo te emendes modum attenderis. Cui Asinus, hoc unum nempe volo tam brevem esse vitam ut citius moriamur quam emendemur. adeoque, te obtestor, emendationem meam abjice, profectum meum promove. scis mihi nudiustertius venisse in mentem, ut ad alia animalia, sicut me impugnant, ita vicissim impugnanda sat virium exoptarem. sed enimvero, excipit vulpes, si aliena ab indole tua officia expetis, & te & officia procul dubio perdes. At, inquit Asinus, suspicor leonem velle me unguibus discerpere. sed tua absentia, respondet vulpes, etsi forte à crimine purum, te tamen noxium facit. veni ergo mecum, & tua te præsentia ab omni suspicione liberabit. Inanes quippe timores nunquam bene sanum caput concipit. nollem ego quidem (inquit Asinus) in eo esse loco in quo facies mea cum animo non consentire debeat, atque ubi mihi perpetuo laborandum optando quod mihi detur, vel timendo ne quid mihi tollatur. at ubi quæso, vulpes ait, ab illo labore immunis esse poteris? Sic scilicet, subjicit Asinus, ubi lætor magis ac minus pecco. verum per me licet, illuc revertamur. Video, sed tardius, si tibi cupiditatem meam excitanti restitissem, illud nunc coacte mihi non faciendum esse quod initio libens feci. cum aulam essent ingressi, leo ungues in Asinum immittit, jubetque vulpem cerebrum & cor Asini extrahere. sed vulpes Asini cerebrum & cor clam manducat, & leoni dixit, se neque cerebrum neque cor in asino reperiisse; mirantique, quomodo animal sine cerebro, sine corde vivere posset, ingeniose respondit: Rex, certo tibi persuadere debes, si hoc animal bene cerebrosum & cordatum fuisset, nunquam illud cupiditate, ter in aulam fuisset alliciendum, ubi sub spe rei suæ augendæ vita spoliatum est. hoc tibi, charissima filia exemplum protuli, in quo quid hic agatur videre possis, non multos dico, sed propemodum infinitos esse, qui non plus cerebri, non plus cordis habeant, quam iste Asinus. bonis quippe sufficienter instructi, nos tamen fortunæ insensato modo committimus, nec piget eo ter quaterve imo & pluries nos conferre, quo vulpis insidiæ trahunt. sunt qui non ex amore neque ex necessitate res amplectuntur; sed quod ita vicinos suos agere videant. alios video qui abjectis quibus ad vitam indigent officiis; negotia suæ indoli ingenioque minus convenientia, imo & sibi & Reipublicæ noxia suscipiant, unde in eadem, quæ (Asinus) & alia quæ ex Augustino attulimus, mala incurrunt. si te ibi inclusam conquereris: at hic quoque honestæ mulieres inclusæ sunt. si obedientiam objicis, at eam omnibus Deus præcipit. si mariti amplexibus cares, at partus quoque doloribus cares. si filios non habes, neque te eorum mortes & curæ premunt. si famulantum turba non stiparis, nec necessaria quibus eos alas, tibi quærenda sunt; si æqualium

lium familiaritate & usu non frueris, sed enim inæqualium invidia non te mordet. uno verbo, si dicas te neque dicere neque facere quod velis; nec etiam tibi hic dicitur & fit quod nolis, nec iis malis quæ recensuit Augustinus, subjicieris. nota diligenter, charissima filia, quod ait Sapiens Salomon: *Qui prudens est, abscondit se quando prospicit malum, insipiens prætervolat, sed in malum incurrit.* & in Psalmo XXX. cujus initium est, *In te Domine speravi*, hi versus habentur: *O quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* sed cum singulari summi Dei beneficio ab istis contradictionibus in isto divino Tabernaculo secura lateas, insuperque eadem qua virgines in cælo, virginitatis laureola sis insignita, tibi quatuor sunt ante oculos semper habenda. primum quidem est quod valde tibi commendo, ut Catholicam nostri Salvatoris Jesu Christi fidem firmiter teneas, credasque id omne quod credit & tenet Sancta mater Ecclesia, quippe sine fide impossibilis est cuicumque salus, *nec fides*, ut inquit Sanctus Gregorius homil. 26. in Euangelia, *habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Alterum quod tibi commendo est ut sis mitis & humilis, nec sine causa Matthæi cap. v. Christus legitur in montem ascendisse, ubi aperiens os suum docebat eos dicens: *Beati pauperes spiritu*, non dixit, *pauperes bonis, dignitatibus & officiis*; modo ipsa recte & juste administrent, sed potius nobis imperat, ne, etiamsi iis omnibus abundemus, iis insolescamus & vana gloria efferamur. Item jubet nos *mites* esse, *ut possideamus terram*, quod etiam experientia constat. nullum enim vidi superbum qui diu vel in terra vel in hominum amore maneret; at videmus mites & suavis indolis homines ita omnibus gratos esse, ut non solum omnium amores, sed etiam bona & honores sibi concilient. habemus quoque ex Petri epistola Canonica, quod *Deus superbis resistit, dat autem gratiam humilibus.* si aliquam æmulam, vel adversariam habeas, id animum non torqueat; tunc enim eam tibi utilem experieris, quando rem malam reprehensionis ab illa recipiendæ metu omittes; aliquosque animi motus frænabis, quos frænatura non esses, si æmulæ metus non foret menti tuæ præsens. sine æmulis vivere multo quidem securius, sed quando temporum malitia aliquas tibi excitarit, nullum efficacius remedium esse potest quam ita immunem ab omni imperfectione vivere ut nihil reprehensoris oculos offendere possit. Ad hæc, mea filia, debes veram, non fictam superiori obedientiam exhibere, & attende diligenter quod ait Euangelium, *Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum*, & quod præcipit Apostolus Romanis: *Omnis anima subjecta sit superiori. omnis etenim potestas à Deo est, qui superiori resistit, Deo resistit.* & vero si rem serio meditata es, multo major esse debet cura in imperando, quam in obediendo. qui enim imperat, is attendere debet, quid imperet, quibus, quo tempore, cur, & alias circumstantias. Quinimo si sapiens est, semper inquietus erit, an mandati sui exitus futurus sit felix. Sanctus Gregorius in moralibus asserit, *eum qui administrationis gubernacula tenet, semper occultis inimici telis patere.* dum enim rebus præsentibus consulit, sæpe providentiæ defectu futuras susque deque vertit. unde qui imperat ex multis rebus, qui obedit, ex una pendet, obediendo debitum solvit, nec tenetur mandati Justitiam prudentiamque tueri sed suo satisfecit debito, dum suam obedientiam exactam fuisse probat; & vero experientia videmus, domos, ordines, civitates, provincias, Regna, obedientia vigente durare & florere, quæ rebellium inobedientia & pervicacia pereunt. si aliquo te forte imperio onerent, ita in eo vigilans esto, ut nullum ex negligentia detrimentum accipiat, sed inprimis cave ne personarum affectu tenearis. In Euangelio legitur: *Scimus Domine, quod verax es, & faciem nullius adspicis, sed viam Domini in veritate ostendis.* sic Psalmus ait; *non esse apud Deum personarum acceptionem*, multo minus apud eos qui imperant, ea esse debet. ibi enim gubernatoris ratio offunditur, ubi spectatur familia & affectus, non autem virtus & dotes. Sanctus Hieronymus in quodam prologo Romanos Judæosque reprehendit, quod generis sui nobilitate gloriarentur. *sic*, inquit, *familiæ splendore gloriamini, quasi sancti mores non vos potius quam carnalis nativitas effecerint sanctorum filios.* & Boëtius de consolatione, *Nullus*, ait, *genus habet, nisi qui derelicta virtutis via, malis consuetudinibus animam maculavit.* Tertium quod tibi commendo est, ut charitatem teneas. Sine hac enim nemo, neque in hac vita amatus, nec in altera beatus esse potest. *Si linguis hominum* (inquit Paulus) *loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. & si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est,*

est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. hæc ex Divo Paulo 1 Corinth. 13. sed quid sit Charitas. vis tibi dicam? mihi videtur plane esse ille motus quo commovetur animus misericors, quando aliquem videt in extremas redactum angustias, egere vel consilio, vel auxilio, vel consolatione, vel tandem aliqua re necessaria qua quidem charitate erga egentem utitur, qui se charitati impendit & tum auxilium quod affert, tum egentis paupertatem silentio premit, & hæc in omnes homines charitas exerceri debet, sed cum ex indole nostra ad bonos æque ac malos odio habendos propendeamus, magis pium est eos amare qua homines sunt; sic enim in illis naturam nostram amabimus, in his alienam malitiam odio prosequemur. Quartum denique quod tibi commendo est, ut siquidem orationi dedita es & in domo orationi idonea verseris, apud Deum pro me & matre tua preces fundas. hoc enim pacto quod debes nobis exsolves, quemadmodum ciconiæ quæ parentes dum senes sunt, duplo plus temporis fovent, quam dum pulli erant, fovebantur, si quid ergo documenti, charissima filia, dum educareris in domo nostra, accepisti, illud orationibus tuis, nobis jam senescentibus, imo & indigentibus exsolvere debes. De modo autem orationis Helias Propheta ait, *Deum audire per ignem*, id est *devotionis ardorem.* nec nos alienis, dum oramus, cogitationibus mentem dare debemus, sed cum tota intellectus & voluntatis contentione orationi insistendum est. alioqui quomodo Deus exauditurus nobis aderit qui ei eum rogaturi non adsimus? & vero insania mihi videtur aliquem alloqui, nec tamen de eo cogitare. qui enim sic alloquitur, quid dicat prorsus nescit, & quem alloquitur, is ne audire quidem ne dum exaudire vult, sed ut orandi modum melius teneas, orationem Dominicam cum expositione Sancti Augustini è Latino idiomate in Castellanum à me conversam tibi mitto. utinam Deus & cœlorum Regina in suo obsequio perseverandi, ut æternam fœlicitatem consequaris, & pro nobis orandi Donum concedant.

Anonymo.

VIs tibi dicam, quid de tui consobrini de quo nunc agitur, matrimonio sentiam? certe quæ quotidie in conjugiis contingunt tam varia, itaque ab hominum cogitationibus aliena sunt, ut nemo quid sibi videatur pronuntiare audeat, & vero si res bene succedit, consilium non est ingratum; sin male qui consilium dedit, reprehenditur. vellem equidem à te sciscitari, quisnam de matrimoniis judicium ferre possit, cum viderimus in tui consobrini amoribus, studium ejus in sua sponsa officiose adducenda; vigilantiam in ejus obsequio; timorem ejus ne qua in re ipsi displiceret; in ea obtestanda animi demissionem; in contemplanda, voluptatem; in visenda diligentiam, in favore exultantem lætitiam; in offensione extremam mœstitiam; in mandatis obedientiæ alacritatem; in ea observanda, ut ita loquar devotionem; in amando delitias; vigilias, labores, pericula, quam multa leviter quereretur; quam vana scriberet, quam inania loqueretur dum in eo cogitationem continuo defixam ac inherentem haberet. multæ plane sunt, Domine mi, quæ singulis horis in illius qui amore deperit pectore, varietates contingunt; magnæ quæ eum delectant angustiæ; magnæ quæ eum torquent suspiciones. Si quæ suæ amicæ amore, eadem Dei amore passus esset, procul dubio eum corpore & animo statim in cælum evehendum fuisse reor. Et tamen scis tu ipse. postquam eam quam ante sponsalia adorabat, conjugem habuit, intra duos annos tantam inter utrumque ortam fuisse discordiam, ut ejus dimittendæ rationem quæreret. nec mirum nobis videri debet, cum ille imperare ut Dominus vellet, mulieri fuisse valde durum illi tam cito subjectam esse. cujus se Dominam aliquanto tempore senserat. vidisti quoque qua vi quaque arte conducendus fuerit tuus alter consobrinus, ut tandem suum matrimonium concluderet, cujus tamen odium conversum nunc videmus in tam ferventem imo & tam stultum amorem ut se non solum potestate & gubernatione, sed etiam voluntate & scientia spoliaverit, omniaque illi, à qua prius abhorrebat, commiserit, quæ in ipsum tantum habet imperium, ut ipsi quidlibet jubeat, quomodo, quando vult ipsum pro libito dimittat, accersatque defendat, castiget, auferat, det quidquid libuerit. in eam demum servitutem incurrit, ut ejus mandatis repugnare ne quidem audeat, ea vel invitus impleat, obediat ut servus, patiatur ut mancipium. hæc duo extrema utpote quæ à viri conditione & à recta ratione supra modum aliena sint, æque fugienda reor. nec enim fœminæ honorificum est conjugem hominem nihili habere. Itaque amice mi, siquidem illa omnia regit prudentia, nec quidquam pravum aut honestati adversum patitur, si

hinc

hinc abesse labem omnem ejusmodi sentias, cum bona sit illa puella & virtute prædita; conclude matrimonium illud quod ut bene vertat precor. Vale.

EPIST. XXIV.

Episcopo de Coria Toleti Decano.

ME (Reverende Domine) quod tibi nova non scribam, increpas; at ea in genere omnia scribere multum jam diu tædet. aliquoties calamum arripui, ut tibi nominatim scriberem mortes, latrocinia, incendia, injurias, duella, violentias, militum collectiones, expugnationes quæ in diversis hujus regni partibus quotidie contingunt, quæ omnia in peccatorum pœnam, ita gravia & tam multa sunt, ut Trogus Pompeius, si adesset, in iis, quæ intra unum mensem acciderunt, recensendis multum laboris habiturus esset. scis Ducem Medinæ cum Marchione Gaditano, Comitem Cabræ, cum Alfonso de Aguitar habere in mandatis omnem hanc Andalusiæ Regionem devastare, in eamque Mauros inducere si in aliquas majores angustias redacti fuerint. Eorum dissidia semper vigent crescuntque mortibus & latrociniis, quæ sibi invicem singulis diebus inferunt. nunc inducias ad tres menses habent ut dent locum terræ excolendæ quæ inculta plane est tum ob anni proxime præteriti sterilitatem, tum ob bella quæ campos excoli non sinunt. Ducis fratres in prælio mortui, utriusque partis equites bonis omnibus spoliati, proscripti, interfecti, odiosi propter bella, totque prælia in tota Andalusia, ut iis recensendis quilibet impar sit. Quod ad Murciæ Regnum spectat, tibi jurejurando asseverare possim, illud à nobis tam ab hac nostra patria alienum haberi quam Navarræ Regnum, siquidem neque inde huc tabellarii, neque procurator, neque quæstor, neque hinc illuc ab quinque annis profecti sunt. Leonis Provinciam destruere incumbit Clavero qui *Alcantara magistrum* se vocari vult, & aliis quibusdam præfectis & ejus consanguineis qui in magistri defuncti inimicitias successerunt, Claverus ille sive magister semper lancea armatus, aliquando centum lancearіis, aliquando etiam sexcentis stipatus dormit, Sancti Jacobi magister alteram partem adjuvat ad recuperandum Montachez quæ est regionis istius clavis, quamque Claverus occupat. sic enim quibusdam videtur, & aliis placet ad obtinendum Alcantaræ magisterium; sufficit tibi scire eam provinciam militibus refertam esse. ut quomodo se habeat, noris, hoc Regnum Toletanum administrat Mareschalus Fernandus Christovalus Bermudes. alii magnates rebellant scilicet, Comes Fuensalidæ, Comes Cisuentia, Joannes de Ribera, Lopes ortis d'Estuniga, Diego Lopes de Haro, Joannis de Haro filius qui in matrimonium ducturus est filiam Comitis Fuensalidæ quæ futura erat Cisuentis Comitissa. bellum gerunt, ut in suas domos redire liceat, si redeant, ut sunt pessimæ indolis, nunquam domi quieti erunt, si non redeant, foris redeundi desiderio æstuantes nunquam pacem dabunt; si aliqui tantum ex condicto redeant, qui foris erunt ad redeundum perpetuo tumultuabuntur. unde tam nobilis civitas ob peccata dumtaxat sua tot miseriis hactenus attrita est, longe majoribus atterenda. quid dicam de præcipua urbe Toletana tot Imperatorum palatio, ubi minores æque ac magnates tristem sane & infelicem vitam agunt. Rebellat & populus cum Decano Moralez. ejecerunt Comitem Fuensalidæ ejusque filios, & Jacobum de Ribera qui palatium tenebat, exterosque Domini magistri fautores, inter ejectos & cives bellum statim exarsit. Cives utpote rigidi fidei inquisitores hæreses in Fuensalidanorum agricolarum bonis invenerunt, quæ omnia expilarunt & incenderunt, Guadamur & alia loca diruta inflammarunt. ejecti eodem pariter fidei zelo multis civium prædiis faces subjecerunt, quibus ita crudele intulerunt bellum, ut unius panis coctio Toleti unum maravedi valuerit, lignum adeo rarum est. Eo se contulit Rex qui ut quoque Sardanæ Comes eo se conferret, effecit ut per alteram partem in Regis manus deveniret. utinam male futura divinem! sed non mihi videtur posse in Comitem sententia dici, si dicatur, non obtemperabitur, si obtemperetur, non complebitur, si compleatur, non durabit, nec ratio illius potentiam & possibilitatem confert. Qui mihi plus in hoc negotio amisisse videtur, is profecto est Fuensalidæ Comes non tam ob reditus & bona cum incendio subjecta tum etiam direpta, licet id unum abunde sit, quam ob authoritatem, qua & personæ & officii ratione in sua patria utebatur. hoc idcirco dico quod res ita contra ipsum procedat, ut à civitate fuerit accersitus Alfonsus Carrillo, cui insignia prætoriani officii propria tradiderunt, quis futurus sit rei exitus prorsus nescio: nunc vero coram Rege quasi ipsorum oratore qui in hac urbe est; possideant Medinam, Vallisolletum, Octodurum, Camoram, Salamancam. Et hæc quidem nunc infra Castronunnii præfecti cupiditatem sunt. In hunc insurrexit Dominus Aluæ Dux ut eum obsideret caperetve. sed an hoc possit, valde dubito tum

D quia

quia ruinosus regni status est; tum quia Præfectus ille, vermis ex nihilo creatus à Rege Alphonso, ita immanem in modum excrevit, ut secum possit cum libuerit quingentos vel sexcentos lancearios adducere. Jam cum ipso agunt ut fidem præstet à se neminem vel expilandum vel mactandum in campis ubique jam fere naturales, tubæ clangores, adeo illi perpetuo solent audiri, quæ regni est ægritudo. Quæ horrere soliti eramus Bella Galliciæ Civilia, jam tolerabilia, & licita reputamus. Conestabilis, & Comes Trivignus, cum nobilibus illis montium incolis in eo laborant, ut Regionem illam omnem, Fontarabiam usque, penitus devastent. Vereor equidem ne id assequantur, adeo opus urgent, neve Castellæ Regnum funditus ruat, nisi bellum majori conatu suscipiatur, quod non est sperandum, cum in aula langueant omnia, Senatores Regii squaleant, gemant quæstores, secretarii querantur. Jam ne quidem in speciem curamus ulla in re tantis periculis providere, cum neque jubeat, neque pareat quisquam; & quæ quotidie incumbunt Castellæ nostræ, calamitates, cladesque quotidianas, tanquam si ista Boloniæ aut in aliis Regionibus à nostra remotissimis acciderent, nihilque ad nos pertinerent, frigide narramus. Atque ut paucis, quo res devenerit, intelligas, affirmare possum, nullum admitti crimen hodie tam atrox in Castella ... quod æquitatis studio judices suspendio puniant, cum tamen non desint bene multi qui eo supplicio dignissimi sint quo alii per summam injustitiam licet innocentes facile plectuntur. Quod ut tibi exemplo constet; Joannes de Ulloa non ita pridem Octoduri misit satellites. In domos licentiati Valdiviessi, ac Joannis Villalpendi, quarum ipsis in januis illos suspendi curarit. Qui cum primores civitatis illius essent, tam fœdo spectaculo territi nobiles cæteri omnes Octodurani ex urbe cum amicis ac necessariis aufugerunt, domosque suas Joanni de Ulloa, ejusque satellitibus diripiendas reliquerunt, quod egregie illi pro sua nequitia præstitere. Profecto, Domine mi, non hic hærebit scelerum bene longa illa series, nec nisi Deus ipse per miraculum aliquod improvisum suum illud templum reædificet, adeo penitus dirutum est, ut nulla spes illius restaurandi supersit, imo ut in pejus ruitura omnia in dies affirmare audeam. Qui à tribus annis appellati sunt Regni procuratores; fracti jam & defatigati tot tamque diuturnis hinc & inde itineribus, potius ut rei domesticæ quam ut conscientiæ consulerent, quæ petebatur, pecuniam ultro concesserunt, quæ in nobiles tyrannosque distributa adeo parum illorum famem sedat, ut si centies eamdem summam acciperent, haud tamen id illis satis facturum esset. Sæpius illi procuratores frustra partes in omnes se verterunt ut ita res reformarent, ut saltem suppeteret quod in sumptus Regni necessarios impenderent, atque eam in rem bis terve consilia generalia habuerunt; at vide quæso quam crudus adhuc quamque ferox sit ille humor, siquidem huic curando nullum remedium aptum excogitare omnes potuerunt, ita ut rem infectam & deploratam reliquerint. Præsules quoque convenire simul decreverant ut in commune consulerent, de remediis etiam afferendis tyrannidi multæ quæ & in ordinem quoque sacrum sensim serpsit, ex altera illa seculari tyrannide exorta. Atque ad id Dominus Archiepiscopus Toletanus, una cum aliis aliquot Episcopis concilium habuit Arandæ. Verum nec id profecturum quidquam putamus, ob trepidationem illam publicam. Dominus magister hodie nubit. moneatur ut à nuptiis statim ut hic Madriti conveniat cum Cardinali, cum aliquibus procuratoribus, atque cum aliquot præsulibus & nobilitate præcipuis, qui simul omnes decernant, quæ ad pacem constituendam, atque ad rectam Regni administrationem spectant huic præficientes præsules nonnullos atque nobiles ad tempus.

* * *

Desunt hic aliqua in exemplari.

Mortuo Hispalensi Archiepiscopo, omnia ipsius bona ac rupes Medinensis in Fonsecæ ipsius consobrini jus cedunt. ea vero urbs cum se rupe illa oppressam sentiret, decretum est illam demoliri. quod ut fieret, præfecti Castronunnensis opem implorarunt qui una cum civibus urbis, illam jam obsidione urgent, solo cum ceperint æquaturi, ad quod etiam pecuniæ summam conferunt. Fonseca suæ huic rupi timens ab obsessoribus; hanc ultro civitati offert diruendam, modo damnum suum aliunde sarciatur fundo aliquo non dissimili, hortaturque cives, ut eam ad rem vocent Albanum Ducem, ut scilicet ille hanc in potestate habeat, quousque æquale aliquid cives Fonsecæ reddiderint. Quæ omnia acta sunt inscio Castronunnensi ipso qui arcem obsidebat. sic vero res se habuit: Venit Dux Albanus cum suis atque dum per unam Medinæ portam ingrederetur, per alteram præfectus egressus est soluta obsidione; atque ita Dux arcem occupavit. alii ajunt demoliturum prout urbs optat, alii Fonsecæ redditurum, sicut ipse sperat. Id unum affirmare possum, illam jam in potestate Ducis esse, ne dubites quin ea in re ita livor & invidia

vidia partes suas egerit, ut nonnulli secreto præfecto faveant, ut aliquandiu ipsum audiat Albanus ejusque rebus consulat. habes quæ acta sunt hactenus, si plura quæsieris, facile ab iis elicies quibus hæc ostendes: quæ ostendes, facile expriment.

EPIST. XXV.

Ferdinando Alvares Reginæ ab Epistolis.

HUc ad nos relatum est concludi pacem Reginam inter & Lusitaniæ Regem, quod tum sanctum, tum utrique parti conveniens est. Reginæ quidem utpote quæ abjectis belli in alieno Regno gerendi curis facilius justitiam in suo administrare possit, & quod maxima sit laude dignum, cum fortitudine vincere & cum humanitate pacem dare. Idipsum Lusitaniæ Regi convenit. si enim rem attentius meditetur, manifeste videbit, Deum velle ut ab sua petitione discedat; hanc quippe nec hoc Regnum pati, nec suum adjuvare, multo minus Gallicum promovere potuit. si ob captam Camoram insolescit, immerito sane. siquidem illud summo fuit ei detrimento, cum non sine damno & multis suorum funeribus inde discedere coactus sit. si gloria effertur ob castra ad pontem posita, hoc peius fuit. Inde enim digressus est, frustra pugnavit, victus est. si gloriatur bello quod nobis in ejus gratiam intulit Francorum Rex; & hoc ipsi detrimento fuit. ad eum enim ipse se contulit, unde nec honorem, nec utilitatem sibi ullam comparavit. si milites immittere consensit, sique immisit Meridam & Medellinum, id quoque mali consilii fuit. pugnavit enim, sed à Sancti Jacobi magistro victus est. uno verbo, si Lusitaniæ viribus & Castellæ fiducia quando eam ingressus est se efferat, at cum exigua utilitate & multo sane damno pedem revocavit. Hæc ergo publica quæ nos vidimus & occulta quæ Rex habuit experimenta, sunt divina Regibus Catholicis monita ad eos à malo ad melius propositum adducendos, quibus etiam ut Catholici Principes in veram Dei cognitionem venire queant. Cujus occulta voluntas in Nabuchodonozore videtur, cui abjectio & tentationes ad pœnitentiam salutares fuere, non item Pharaoni cui castigatio cæli fuit indurationi. Lusitaniæ Rex nos sinet liberos Regibus nostris subjectos esse, nec ut alienis, quos non cognoverant patres nostri, serviamus, negotium amplius nobis facesset. Et inprimis eum ut Principem Catholicum & prudentem Euangelii consilio usurum esse, confido: *Quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?* & cum se tanto bello ob potestatis inæqualitatem, sustinendo imparem viderit, absque dubio pro singulari sua prudentia, quemadmodum idem Euangelium ait, *legationem mittens rogabit ea quæ pacis sunt.* Hæc Lucæ 14. cap. habentur, quæ tibi vernaculo sermone mitto, ne interpretes consulere cogaris. Non dubito quin Lusitaniæ Regem res aliquæ ex spe ab Castellanis ipsi data ortæ, affligant, torqueant; at meo quidem judicio meminisse deberet, meum Dominum Hispaniæ Cardinalem ipsi Castellæ ingressum tentanti inter cætera dicendum curasse, ne auxilio quod ipsi quidam hujus Regni equites & prælati ipsis verbis offerebant, valde confideret. Fieri enim posse, ut dum eo re ipsa egeret, non verba ne dum rem inveniret. unde Cardinalis certius hujus consilii exitum (quam ingressus fautores) divinasse videtur.

EPIST. XXVI.

Lusitanorum Regis Capellæ Præfecto.

BInas à te vel potius, si bene memini, tres Epistolas accepi, quibus id unum me rogas, ut ad te scribam, quod quidem eo libentius tibi concederem quo id enixius efflagitas: at quod scribam, hic non habeo, nec tu inde scribendi argumentum suppeditas. Nova scribere nolo, quia quæ publica, tibi nota; quæ vero occulta, mihi quoque ignota sunt. Cum Philosophus sermones juxta materiam inquirendos esse asserat; sermones dare nequeo, quia tu eorum materiam dare nescis. sicque epistola nulla est, cum tu nec scias, nec ego possim. venit mihi postea in mentem, te forte & materiam simul & formam exigere, quemadmodum Nabuchodonosor somnium æque ac somnii explanationem à magicis efflagitavit. Ac licet nec tu eadem qua iste Rex, potestate; nec ego eadem qua Daniel, scientia præditus sim; tamen ingenue dicam te bene hinc discessisse quandoquidem discessisti, melius tamen fuisse permansurum, siquidem isthic eras, quamvis tuus exitus utcumque mihi molestus fuerit. Sed quantum mœroris tua absentia, tantum tua tum utilitas, tum apud Regem gratiæ, lætitiæ attulit cum tuo fato factum fuerit ut omnes Regum qui ab oriente ad occidentem sunt, capellas percurreres, te saltem longius progressurum esse nobis constat, siquidem nullæ amplius, quas adire possis, Regum capellæ sunt. Quod mihi de tua matre commendas, dictum puta. Vale.

EPIST. XXVII.

Priori Passensi.

REverende Domine, tuam epistolam accepi, quæ etsi bona, non est cara: hoc ea de causa dico quod à te litteras extorquere adeo difficile sit, ut dubitem, an des tam raras ut pretiosiores sint, an vero quod nihil cuiquam ne chartam quidem dare velis. scis etenim vos omnes religiosos tam à dando abhorrere, quàm ad accipiendum promptos esse. quidquid tandem sit, epistola tua mihi pergrata accidit, tum ut de tua salute, Reverende admodum pater, certior fierem; tum etiam ut cognoscerem, an aliquos posuisses terminos cupiditati illi quam Hieronymitarum habitus vulgo affert, quæ tamen tibi deponenda est. ut, quid novi hic sit, scribam, inter alia rogas: At nunc nihil novi prorsus agitur, nisi bellum contra Mauros in quod Regina tantis & interioribus, & exterioribus etiam viribus incumbit, ut illud ipsi admodum cordi esse omnino constet.

Aliquid deest.

Major ipsius, profecto crede mihi, sollicitudo est ea parare quæ necessaria sunt ad eos insequendos & ut hostes habeat debiles, fame enectos, divisos, & ita afflictos, ut ad primos conflictus omnino prosternantur, aut saltem.

Aliquid deest.

Sapientior inceptum bellum urget, ne ipsi contingat quod multis, & Regibus & Imperatoribus, ut occasione & victoria non usi omnes suos præteritos labores irritos reddiderint, seque futuris infortuniis imprudenter exposuerint. Nuntii hac hebdomada retulerunt, Lusitaniæ Regem qui anno proxime elapso Ducis Bregantiæ caput abscindendum mandaverat; hoc anno Visei Ducem suum consobrinum, infantis Ferdinandi filium, suæ uxoris fratrem, viginti annorum adolescentem interfecisse, adduntque ipsum multos eosque præcipuos famulos suos morti addixisse. tot cædium hæc causa vulgo redditur, quod Dux in Regis salutem conjurasse convictus fuerit. hoc, inquam, vulgo dicunt. Ego vero in eo Regno prorsus vivere nollem in quo Rex suos cognatos ad mortem damnat, & vicissim cognati in Regis perniciem conspirare perhibentur. Certe si verum dicere velimus, vehemens admodum & præceps fuerit Regis ad tuendum Regnum ira necesse est, utpote quæ eum ad mortem sua manu subito, indicta causa, cognato juveni tam teneræ ætatis ut si non exequendo, saltem inveniendo & excogitando facinori tam tetro idoneus esse non videretur, inferendam compulerit. sed de Regum factis loqui non licet. Hoc unum affirmare possimus, plurimos Reges longam vitam & securam ignoscendo, paucissimos interficiendo, vixisse. Hic habes nuntia cum authoritate à me relata, quæ quidem tibi scribo, non quod tibi occulta putem, sed ut mihi nota & noveris, & posthac non dixeris ut soles, octoginta meos libros melius in tua cella quam in meo musæo futuros fuisse. Vale.

EPIST. XXVIII.

Mesi Alphonsio de Olivares qui ex Placentiæ Ducis domo erat.

TE cum tuo nobili Domino quietem invenisse nuper accepi. inspecta tua conditione & ætate in eam mentem adductus sum, ut Deum quemadmodum inquietis perturbationes, sic quietis quietem permittere crederem. utinam is qui te liberavit à negotio perambulante in aula, & replevit longitudine dierum, tandem ostendat tibi salutare suum! Huc ego in aulam potius tractus sum quam veni. Cum enim in mea domo remotus & quasi ab omni cupiditate liber, otii voluptate perfruerer, accersitus sum ut horum Magnatum res præclare gestas posteritati commendarem. tuus Dominus me rogat, ut tibi mittam quæ contra senectutem scripsi. In his videbis me cum essem parvulus loquutum esse ut parvulum. nunc vero me senem ætas (quæ in senectute sentiam) scribere cogit. Duci me commendatum ex animo velim. Vale.

EPIST. XXIX.

Puerto Carrero Palmæ Domino.

NObilis & magnifice Domine; te meis rationibus potius quam laudibus delectandum fuisse scribis. Profecto valde opto, ut mea in te obsequia potius quam utrasque haberes. sed cum nulla propemodum sint, ea laudibus ad te missis supplere utcumque conor, nec tamen idcirco te vel minimum quid detrimenti accipere velim. quamvis omnem potentiam, omnes vires, omnes facultates, neque ipsum totum in obsequiis tibi præstandis insumpsissem: id tamen totum nihil vel certe valde parum à me existimaretur. non ergo decet talem virum post tot egregia facta mihi, tam vili famulo minimisque meis obsequiis quidquam debere. scribis insuper cum ex Reginæ mandato Visei Ducem comitareris, tibi linguæ Lusitanæ scientiam tanti

ti constitisse, quanti Mauritana Castagnedæ Comiti cum evasit ex Maurorum carcere constitit. Profecto dimidio carius utramque linguam emistis, & linguarum præsertim istarum mercaturas libens vobis dimitto. Palmæ thesaurum præfero. si tamen attendas eum suam libertatem emisse, te vero fidem probasse, eas vos parvo emisse, profecto reperies. Accedit quod cum Lusitaniæ Rege vos consolari debeatis, cui multo plus constitit linguam Castellanam addiscere, quam vobis Lusitanam; nec tamen vel unicum verbum, dum in Castella fuit, addiscere potuit.

EPIST. XXX.

Hispaniæ Cardinali.

NOn dubito, Reverendissime Domine, quin in tuas manus venerit novum illud edictum quo Guipuscoæ sancitum est, ne quis nostrum eo vel nupturus, vel etiam moraturus se conferret, &c. Quasi vero nihil nobis melius contingere possit, quam ut Xaraffensem fertilitatem secuti illuc commigremus, vel ut abundantiam illam rerum quæ Capiniæ est requiramus. non admodum dissimile videtur statuto latomorum Toletanorum quo vetabant, ne quis recens ad fidem conversus artem suam doceretur. Sic me Deus adjuvet, nusquam quidquam videri ei potest risu dignius, qui & Regionis qualitatem & gentis mores animadverterit; Et vero quis non rideat eos huc filios suos mittere, ut nobis famulentur, imo & pedissequi sint, & eos tamen respuere generos quorum famuli esse exoptent. Profecto quomodo hæc inter se convenire queant, prorsus ignoro, nos parentes recusare, & Dominos eligere; nec me minus fugit, quomodo ex una parte possint suis nostram amicitiam & consuetudinem interdicere, ex altera mercatorum officia & commercia obire ament, & ad nos de filiorum suorum rebus perscribant. Nec video quo jure patres ea statuant quæ adeo injuriosa sint iis qui filios eorum enutriant & officia & divitiarum segetem tribuant, imo & ipsis dum juvenes essent tribuerunt. quanto enim plures eorum in præceptoris schola ad pingendum quam in Marchionis Ignatii Lopez ad digladiandum edoctos vidi. Et vero multo plures Guipuscoanos in domo Ferdinandi Alvarez & Alfonsi Avilæ qui à secretis sunt quam in tua vel Connestabilis domo, licet ejusdem sitis patriæ, reperiri certior esse debes. Et certe tibi affirmare possim, quatuor ex illis nunc temporis in mea domo educari. quadraginta & amplius viri sunt iique honestissimi istius provinciæ, quos enutrivi & edocui, sed profecto talia statuere à me non didicerunt. *Omnium rerum vicissitudo est.* Imitantur nunc vero Moysem qui suis ne cum gentilibus nuberent prohibuit, sed de quo ut de Christo redemptore nostro, dicere non possis, *cœpit facere & docere.* Bis enim nupsit, sed bis quas aliis prohibebat, sibi elegit nuptias. sed ut eo unde digressa est revertatur oratio, illi magnam procul dubio tum Deo in ejus Ecclesia contra ipsius leges, tum Reginæ in ejus Regno absque ejus facultate statuta ferendo, injuriam fecerunt.

EPIST. XXXI.

Domino Henrico.

TAntum mihi lætitiæ tua ob amissam Zaharam mœstitia, quantum mœstitiæ, Maurorum ob eam superatam lætitia attulit. Et vero si hæc clades omni bono Christiano, & equiti, multo magis tibi Infantis Fabricii & Alfonsi Castellani abnepoti molesta esse debet. Quid dico? mœstitia esse non debet, sed potius ira. mœstitia enim sæpius est earum rerum quæ absque remedio sunt; at ira earum est quæ remedii & vindictæ capaces sunt. In bonum virum cadere Iram quidam olim Philosophi negarunt. At cadere, ubi convenit, & qua de causa convenit, asserit in Ethicis Aristoteles. quando æquiori de causa quam ob præsentem casum in bonum equitem cadere possit, equidem non video. Itaque, Nobilissime Domine, quemadmodum aliis officiose dicitur, *tua mœstitia me conficit*; sic ego assero tibi, *tua mœstitia me totum recreat.* ea quippe te ut tui parentis filium & avorum pronepotem mirum in modum decet. ergo Deus eum non adjuvet, qui te consolari ea de causa voluerit. At dicis te mœrere, si in aula esses tum ob istam urbem amissam, mœrorem deponeres; illum saltem celaturus videris. utinam idem, quod Sancto Petro, tibi non contingat! Vix enim se fortem, veracem & constantem jactavit, qui Caiphæ aulam ingressus, statim mutatus est, negavit, infidus fuit. Idem quotidie in tyrannorum & malorum Regum aulis fit, in quibus bonus fit malus, & malus pejor. Id quidem locum non habet in aulis bonorum Catholicorumque Regum, quales esse nostros nemo neget. Ea enim doctrina in iis traditur qua boni meliores, mali non ita mali fiant. uno verbo, quicumque se recta in negotiis fide gesserit, is profecto suæ saluti consulere potest. Episcopus Alfonsus equitem qui aulam non frequentasset, & clericum qui Romam non adivisset, nihili esse faciendos asserebat.

NOTÆ BREVES
EJUSDEM
JULIANI MAGON
Doctoris Theologi, & Canonici Dolensis in
PULGARIS
EPISTOLAS.

IN EPISTOLAM SECUNDAM.



N *exilio Deum vidit Moyses.*] Dum fugit ad Madianitas. ibi enim ipsi Deus primum apparuit in flamma ignis de medio Rubi, &c. *Exod.* 3.

In exilio Romæ, &c.] Anno urbis conditæ 364. Olymp. 97. anno 4. Galli Romam duce Brenno regulo captam expilarunt, Ardeam in qua Camillus exulabat prædarum causa adierunt, Camillo duce, primo noctis silentio ad castra Gallorum Ardeates progressi, magna in iis strage bacchati sunt, unde Romæ libertas reddita. *Vide Salianum eo anno. Ibid.* §. *Venceslaus Hungariæ Rex.* * * *Hic videntur quædam annotanda deesse.*

IN EPIST. III.

Archiepiscopo Toletano.] Is fuit *Alfonsus Carillius Iunior* dictus ad distinctionem avunculi Alfonsi Carillii Cardinalis. fuit primum Episcopus Seguntinus, deinde Toletanus Archiepiscopus factus anno 1446.

Reminiscere domum tuam, &c.] Ab anno scilicet 1459. ad annum 1474. quo Henricus IV. Castellæ Rex obiit, vix annus integer ab Archiepiscopi Toletani rebellione, factioneque effluxit vacuus. *Vide Marianam.*

Anno 64, &c.] Toletanus Paciechusque simulato metu Madrito Complutum concessere, adjuncti & alii, conjurationis causa. Joannæ principis abdicatio quasi ex adulterio natæ. *Vide Marianam hoc anno.*

Pro Rege milites collegisti.] Dum scilicet Marchioni Villenæ infensus Regi ab omnibus consiliis ad Arevalum ab factiosis recuperandum cum Rege properat. *idem ibid.*

Et statim, &c.] Scilicet in ipsa Arevalum profectione.

Ad Principem Alfonsum, &c.] Anno 1465. Toletanus Abulam proceres evocat, eodem ipse contendit, pro Abulæ mœnibus suggestum constructum, imposita Henrici statua, cum trabea reliquoque Regio apparatu, voce præconis, Henrici crimina publicata, ad singula sententiæ capita, statua sigillatim omnibus Regiis insignibus nudata, & cum verborum contumelia in præceps data; Alfonsus Henrici frater suggesto impositus Rex Castellæ proclamatur. *Vide Marianam hoc anno.*

IN EPIST. V.

Quod Duci Arevalo, &c.] Arevalum urbs est, quam urbem sub Ducis nomine possidebat Alvarus de Estuniga.

Cui nefanda ab Henrico, &c.] Henrici profusa liberalitas extitit, prorsus ut domandis oppidis, profundendis sine judicio thesauris majores omnes funerasse videretur, Imperii etiam majestatem imminuisse, vires debilitasse. Clementia nimia, legum contemptus, impunitatis spes pravorum audaciam alit, *inquit Mariana.*

IN EPIST. VI.

Quas Compluti habet, &c.] Cum Toletanus & Paciechus Villenii Marchio Complutum simulato metu concessere, *ut dictum supra est.*

Fac Archiepiscopi animus quiescat.] Fuit enim magno quidem animo, sed turbido plane & inquieto rerumque novarum percupido. *Mariana & Pulgarius in libello virorum illustrium.*

Nunc vero eadem de causa, &c.] Anno 1478 cum omnes reditus intercepti essent, & pleraque oppida oblata, in Ferdinandi & Isabellæ potestate se fore recepit.

Quod ei à Beato, &c.] Quis ille beatus fuerit, omnino tacent historiæ. Alarconem interpretor Ferdinandum Alarconium, quem è domesticis unum maxime intimum ingenii vecordia effecerat. *Mariana. anno* 1484. capite truncatus Toleti, *ex Pulgario in historia.*

Ita enim, &c.] Mortuo enim Henrico unus è primis Isabellam ut Castellæ Reginam salutavit, imo vivente Henrico pluries ad asserendum ipsi Regnum contra Joannam rebellavit. *Mariana.*

Aragoniæ Rex.] Joannes II. Aragoniæ Rex duxit secundo Joannam Fabricii Castellæ filiam, ex quibus Ferdinandus genitus est. *Vide seriem Regum Aragonensium apud Marianam.*

Istum habuit filium qui, &c.] Scilicet dum ab Castellanis & Barcinonensibus impugnaretur.

Regina, &c.] Nata est enim anno 1449. Joannes secundus ejus pater obiit anno 1454, mater vero Isabella anno 1456. *Mariana.*

Mortem obierunt, &c.] Alfonsus obiit sine liberis anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo ætatis decimo quarto. Quis ille Carolus fuerit, prorsus tacent historici. nisi forte fuerit Carolus Vianæ Princeps Ferdinandi frater natu major.

Sustinebant, &c.] Hæc de Ferdinando & Isabella intelligenda sunt. irruperat quippe in Castellæ Regnum Lusitaniæ Rex, de quo inferius; Archiepiscopus Toletanus Arevali Dux, &c. in ipso Regno rebellabant.

Et si ea de causa absque liberis, &c.] Henricus hic est quartus eo nomine Castellæ Rex anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, cui Isabella successit. Henrico *Impotentis* nomen vulgo affictum, de Joanna quæ dicitur ejus filia, *inferius.*

Carolus, &c.] Seu Vianæ Princeps obiit Barcinone absque liberis in ipsa adversus patrem Aragoniæ Regem rebellione anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo.

Ioannem, &c.] Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto ad fœdus Archiepiscopi Toletani & aliorum seditiosorum contra Henricum adduci se passus est.

Sed vidimus, &c.] Nempe à Carolo Vianæ Principe.

Henricum, &c.] Favit enim Carolo adversus patrem rebelli missis etiam auxiliis.

Sed scimus, &c.] Hic Alfonsus erat ex patre Henrici frater Isabellæ vero ex utroque parente. Is rebellibus se adjunxit, in Abulensi tragœdia obiit ætatis anno decimo quarto.

Gal-

Galliarum Regem, &c.] Is fuit Ludovicus XI. *Vide ejus* historiam à *Matthæo* scriptam *Gallice lib. 2. c. 7. & lib. 5. ab initio fere ad caput* 18. iisdem locis, *vide quæ habet* de Duce Burgundiæ & Comite Charvicensi.

IN EPIST. VII.

Regi Lusitaniæ.] Is est Alfonsus V. qui ob multas de Saracenis victorias & *Affricanus* dicitur. obiit anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, Imperii quadragesimo tertio, ætatis quadragesimo nono & mensibus septem.

Quæ tibi à multis.] Hi in primis erant Toletanus Archiepiscopus, Villenæ Marchio, Dux Arevali, &c.

In aliis Sanctis, &c.] Adversus Saracenos & præcipue anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, *vide Marianam*.

Quantum spectat ad jus.] Loquitur de Joanna quæ Alfonsi neptis erat ex Joanna Lusitani sorore, Henrici uxore. hæc fuit ob libidines male tectas infamis. Joannam de qua hic sermo est peperit anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo: vulgo jactatum à Bertrando Cueva gravidam factam, vide *Marianam*, eo anno obscuris tum rumoribus anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, confirmata deinde opinio, rerum potiente Ferdinando Aragonio, ex fide an ad gratiam, memoria etiam recenti dubitatum, inquit *Mariana*; qui tamen aliis locis asserit vulgo persuasum eam furto genitam, idque ex male tectis Reginæ libidinibus confirmatum fuisse. Toletanus autem & alii quos appellat, adversus Henricum rebellarunt anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto. Conjurandi iis optima causa visa est, Joannæ Principis abdicatio, quasi ex adulterio natæ; & Abulæ inter conjuratos & Regem pacis conditiones scriptæ. quarum prima erat, Isabella fraterni Regni hæres renuntiator. Joannam sibi despondit uxorem Alfonsus, sed à Pontifice Sixto conjugium prohibitum est irruptione in Castellam facta anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto Taurum & Zamoram Lusitanus occupat, sed anno sequenti rebus male omnino & infeliciter gestis in patriam rediit. Joanna anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono ludibrio se haberi cernens. D. Claræ vestem religionemque Conimbriæ suscepit, in qua multam ætatem egregie perstitit. *Vide Marianam, Garibay & Pulgarium 3 parte.*

Cujus etiam Conjux, &c.] Ferdinandus enim erat filius Joannis II. Regis Aragonii, Joannes erat filius Ferdinandi primi Regis Aragonii, Ferdinandus vero erat nepos Joannis Castellæ Regis. *Vide seriem Regum Aragonensium apud Marianam.*

Istud tuum, &c.] Beatrix illa erat quoque spuria, quippe nata ex Fernando & Leonora Joannis Laurentii Cugnæ uxore, & ex eo matre quam Fernandus marito ablatam duxit uxorem ad Joannem primum qui & Rex bonæ memoriæ, Petri crudelis filium. *Vide seriem regum Lusitanorum apud Marianam.*

Cum Ioannes.] Joannes I. Castellæ Rex cui Beatrix nupserat, Beatricis suscepto patrocinio Aljubarotæ fusus est à Lusitanis magna strage edita.

Ad Petri filios.] Ad Petri crudelis filios, attamen Henrici qui Alfonsi ex Leonora de Gusman spurius fuit.

In Regno Angliæ.] Eduardus IV. Vide *Henricum Spondanum* anno 147. & *Polydorum* lib. 24. & *Harpsfeldium* Historiæ Ecclesiasticæ Anglicæ sæculo 15. c. 4. & 5.

Velim in animum revoces.] Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono Alfonsus Moguera Ollyssiponensis Episcopus cum aliis viris adjunctis Regis Lusitani legatus Isabellam in matrimonium deposcit.

IN EPIST. VIII.

Alii Lusitaniæ Regem.] Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Lusitanus rebus desperatis Lutetia (quo auxilia contra Castellanos imploraturus ad Ludovicum XI. confugerat) noctu excessit ut Romam & Hierosolymam obiret mutataque veste Monachum indueret, sed à fuga Ludovici diligentia retractus est. *Mariana.*

IN EPIST. IX.

Doctori Talavera.] Hic est Franciscus Talavera seu de Oropesa qui Abulensis Episcopus & Prati Prior fuit.

Felix Principis, &c.] Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo natus est ex Isabella Joannes, sed in flore ætatis obiit.

IN EPIST. X.

Henrico Regis avunculo.] Hic Ferdinandi avunculus Regisque magister vulneratus est in expugnatione Fagiaræ quæ est oppidum Granatæ vicinum anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio in bello Granatensi. *Pulgar. in sua Historia de Bello Granatensi cap.* 22.

IN EPIST. XI.

Reginæ.] Ferdinandi & Isabellæ Reginæ historiam scripsit Hispanico sermone sed bello Granatensi terminatur.

Scire velim quomodo, &c.] Eam unum intra annum perfecte didicit.

IN EPIST. XII.

Ais, me Domino meo Cardinali.] Hic est magnus Hispaniæ Cardinalis Petrus Gonçalez de Mendoça Seguntinus & Hispalensis simul Episcopus. eodem tempore huic addictior fuit Pulgarius.

IN EPIST. XIII.

Connestabili.] Hic est Petrus Fernandus de Velasco Comes de Haro. Montanches est castrum forte & inexpugnabile, confine Lusitaniæ. hoc obsidione cinxit. dura admodum obsidenti obsidio fuit. hæc Epistola scripta anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. *Vide Pulgar. Hist. 3. parte.*

IN EPIST. XV.

Cardinali.] Hic dux est Marchio Santillanius Cardilis magni frater.

IN EPIST. XVI.

Altissima & Potentissima Regina.] Hæc facta est anno circiter millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo.

Hanc refert ad verbum Pulgarius in sua historia sed eam ab Alfonso de Solis Episcopo Gaditano habitam ait.

Dux Medinæ Sidoniæ.] Erat Henricus de Gusman, Gaditanus Marchio, Rodericius Pontius de Leon.

Hac venia obtenta Hispalim redierunt hominum quatuor millia & amplius qui justitiæ metu aufugerant.

IN EPIST. XVII.

Domino Henrico.] Hic ille est Henricus Regis avunculus, de quo supra.

IN EPIST. XVIII.

Priori de Passo.] Monasterium de Passo est Hieronymitanum ab Henrico IV. ædificatum prope Madritum.

IN

In Epist. XIX.

Comiti Cifuentes.] Hic erat Joannes de Silva, captus à Mauris anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio. *Vide Pulgarium eo anno.*

In Epist. XX.

Tuus in reducendis.] Is Alhamæ urbi in Granatensi Regno sitæ & mille tum equitibus tum peditibus præfectus, eos ab ludo & luxuria ad meliorem vivendi modum melioremque artis militaris disciplinam revocavit. *Vide Pulgar anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, capite vigesimo sexto.*

Auxilium, &c.] Cum moneta in ea urbe deficeret, monetam ex charta confici voluit cui sua manu scriptum valorem tribuit, pollicitus, se cum inde exirent eam monetam in aliam ex auro argentoque commutaturum. *Idem ibidem.*

In Epist. XXI.

Vidi epistolam quandam.] Hæc ab occulto amico Pulgarii criminatio videtur ansam accepisse ab ejus molliore sententia cum Castellæ inquisitores dati sunt. *Vide Marianam anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo.*

Cum Castellum, &c.] Vide *Pulgar in Historia anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, capite trigesimo septimo.*

In Epist. XXIV.

Episcopo, &c.] Hic est (ita mihi videtur) Franciscus ille, de quo multa habet *Pulgarius in libro virorum illustr. vigesimo tertio*; vel forte Ynigo Manrique qui anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo Coriæ Episcopus erat.

Scis, &c.] Vide *Pulgarium anno millesimo quadringentesimo septuagesima septimo.*

Leonis Provinciam, &c.] Vigentibus scilicet in Castella internis & externis Lusitanorum bellis unde eo anno hæc Epistola scripta videtur. hæc Epistola multa habet, sed quorum mentionem ne ipse quidem Pulgarius in sua Historia explicitam faciat. Videntur hæc omnia contigisse dum arderet externum Lusitanorum, & internum Marchionis Gaditani & Ducis Medinensis bellum. *Vide Pulgar anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, capite centesimo primo.*

In Epist. XXV.

Huc, &c.] Illa pax conclusa est anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono.

Si ob captam Camoram.] Vide *Pulgar Historiæ capite sexagesimo primo, sexagesimo tertio, quarto, quinto, sexto.*

Si gloriatur bello, &c.] Vide *Pulgar Historiæ capite septuagesimo primo, septuagesimo quinto.*

Si Milites, &c.] Vide *Historiam Pulgarii capite centesimo quarto, centesimo quinto.*

In Epist. XXVII.

Priori Passensi.] Vide *Epistolam nonam.*

At nunc nihil novi, &c.] Bellum ultimum Granatense inceptum anno millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo. *Vide totam quartam partem Historiæ Pulgarii.*

Nuntii hac hebdomada.] Vide *Garibay anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio sequenti.*

In Epist. XXVIII.

Qui ex Placentia Ducis domo.] Alvarus de Stuniga erat Placentiæ Dux.

Accersitus sum, &c.] Aliquorum virorum Illustrium vitam compendiose admodum & paucissimis verbis seu potius breve elogium scripsit.

In Epist. XXIX.

Puerto Carrero Palmæ Domino.] Hic Puerto Carrero est Ludovicus Fernandez nobilis ob suas de Mauris victorias. Vide *Pulgar.* anno *millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, capite vigesimo quarto & vigesimo quinto quartæ partis.*

In Epist. XXX.

Non dubito.] Hujus edicti nullam plane mentionem facit *Pulgar. in sua Historia.*

In Epist. XXXI.

Henrico.] Vide *Epistolam decimam.* hæc trigesima prima videtur prius aliquot mensibus scripta quam decima. utraque anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio.



LOS

CLAROS VARONES DE ESPAÑA

HECHO POR

FERNANDO DE PULGAR

Dirigido à la Muy alta Reyna

DOÑA YSABEL

REYNA DE


CASTILLA.

LIBRO DE LOS CLAROS VARONES DE CASTILLA

DIRIGIDO A LA MUY ALTA REYNA NUESTRA SEÑORA.

